[2]

JOHANNIS LUDOVICI WOLZOGENII,

Baronis Auſtriaci,

OPERUM TOMUS ALTER:

Complectens reliqua ipſius ſcripta

DIDACTICA,

ET

POLEMICA.

IRENOPOLI,

Poſt annum Domini 1656.

A. W. COMMENTARIUS IN ACTA SANCTORUM APOSTOLORUM.

Acta.] Sive Actus, ut quidam appellarunt, eodem significatu, sicut effecta & effectus, eventa & eventus; Historiam rerum post Christi resuscitationem inter primos Christianos gestarum liber iste continet, & velut faciem Ecclesiæ Christianæ primævæ depingit. Ideo est apprime lectu utilis omnibus Christianis, ut illorum primorum vestigiis hic expressis, insistant. Describuntur autem hic non solum facta sed & dicta, doctrinam salutarem in Euangelio traditam, confirmantia, & illustrantia.

Sanctorum Apostolorum.] Illorum Jesu Christi ad homines doctrinæ Euangelicæ prædicandæ causa missorum legatorum. De quibus, & hac eorum appellatione dictum ad Matth. 10. 2. & Luc. 24. 48. Præter alios autem Apostolos, præcipue hic continentur facta & dicta duorum præcipuorum Petri & Pauli. Librum autem hunc conscriptum esse à Luca, quamvis id titulus non præ se ferat, probatur præter alia ex ipso exordio, quo liber iste cum priore connectitur, & eidem cui etiam Euangelium Lucæ dicatum est Theophilo mittitur.

CAPUT I.

Vers. 1. *Primum*, id est, priorem. Ut Joh. 1. 15. 30. xv. 18. 1 Joh. 4. 19.

Quidem.] Vox ista hic ponitur absque respondente ei *autem*.

Sermonem.] Non dictum, sed scriptum, seu librum. Intelligit Lucas historiam suam euangelicam: seu Acta Christi.

Feci de omnibus.] Non omnia omnino complexus, ut nihil prætermiserit. Vide Joh. 21. ult. Sed pleraque præcipua.

O Theophile.] De hoc vide annot. ad Luc. 1. 3.

Quæ cœpit Jesus.] Non tantum incepisse facere intelligit, sed fecisse; quod patet ex versu mox seq. Ita *incipere* facere, sumitur pro facere, etiam alibi. Ut Matth. 12. 1. Marc. 4. 1. v. 17, 20. Luc. 3. 8. v. 21. XII. 45. XIII. 25. XXIII. 30.

Facereque & docere.] Res gestas Jesu Christi partitur in duo, facta miranda, & doctrinam.

Vers. 2. *Usque qua die.*] Id est, ad eam usque diem, qua.

Præcipiens Apostolis.] Id est, quum præcepta seu mandata dedisset legatis suis. Quæ mandata præter alia quæ Jesus antea discipulis dederat, indicata sunt Matth. 28. 19, 20. Luc. 24. 47, 48, 49, & hic infra ℣. 4 & 8.

Per Spiritum Sanctum.] Ambiguum est quonam voces istæ sint referendæ; utrum ad vocem antecedentem *præcipiens*, an ad sequentes voces, *quos elegerat*. Utrumque non est alienum. Prius tamen videtur probabilius, ut simplicius, absque vocum trajectione. Ut sensus sit, Jesum post resurrectionem, Spiritu Sancto, quo à Deo Patre unctus est, impellente & dictante, hæc mandata dedisse, ut infra 11. 28. & 21. 4. & 2 Tim. 1. 14. Sic intellexit Theophylactus & Erasmus. Respici hic videtur etiam ad id quod Apostolis ad functionem Apostolicam obeundam Jesus impertitus sit primitias Spiritus Sancti. Vide Joh. 20. 21, 22, 23. Quanquam & hoc verum est, Apostolos à Jesu Christo electos esse ope Spiritus Sancti à Deo ipsi dati.

Quos elegerat vel *elegit.*] Quamvis Jesus è discipulorum suorum numero, olim elegerat illos duodecim potiores, ut essent Apostoli, Marc. 3. 13, 14. Luc. 6. 13, tamen magis proprie eis Apostolicam functionem commisit post suam resurrectionem proxime ante abitum ab eis in cœlum. Matth. 28. 19, 20. Luc. 24. 48. Joh. 20. 21.

Assumptus est.] Nempe è terra in cœlum, vide Marc. 16. 19: de quo postea distinctius. Quanquam quidam qui Jesum propria vi in cœlum ascendisse opinantur, cavent ne is assumtus esse dicatur.

Vers. 3. *Quibus &* vel *etiam.*] Nempe Apostolis. Vide infra x. 41.

Stitit seipsum vivum.] Seu exhibuit, & ostendit.

Postquam passus est ipse.] Post passionem mortis, & postquam est resuscitatus.

In multis.] *In* pro *per*, Hebraismo usitato.

Signis.] Nempe quibus confirmabat se post passionem esse redivivum. Græca vox significat, signa certa. Ut loqui, ambulare, edere, sunt signa vitæ. Conspiciendum & manibus contrectandum se præbere signa veri & naturalis corporis carnei: vulnera manuum pedum, & lateris, exhibita, signa fuerunt illud ipsum corpus Jesu resurrexisse quod crucifixum & lancea confossum fuerat. Quod Beza hoc loco bene annotavit. Hæc sunt quibus Jesus discipulis suis se vere resuscitatum esse probabat; de quibus Luc. 24. 39, 40. seu Joh. 20. 19. s. 27.

Per dies 40.] Tot dies intercesserunt à Jesu Christi resurrectione, ad ejus ascensionem. Non uno

die vel valde brevi tempore cum suis discipulis est versatus. Mora illa conversationis fecit tum ad Jesu resurrectionis certitudinem melius demonstrandam, tum ad pleniorem Apostolorum & aliorum discipulorum de rebus tantis institutionem.

Conspectus eis.] Non perpetuo per istos 40 dies eis adfuit, sed per intervalla eis apparens, conspectum sui indulgebat, ut sensim absentiam ejus corpoream ferre addiscerent.

Et dicens ea quæ de regno Dei.] Subintelligitur *erant dicenda.* Nempe quæ ad Euangelii doctrinam plenius cognoscendam pertinebant, ad salutem omnium & modum per quem homines regnum Dei seu felicitatem summam cœlestem consequerentur. Horum pars habetur Matth. fine & Marc. 16. 15, 16, 17, 18. Luc. 24. 47, 48.

Vers. 4. *Et congregatus.*] Id est, cum illis Apostolis conveniens. Aliqui vocem Græcam hoc loco positam ita interpretantur ut significet quasi communi cum iis sale, seu victu, usus, vel etiam eos jam aliquatenus dispersos, aut saltem à Jerosolyma in Galilæam digressos, ut apparet ex Joh. 21. 1, 2, congregans.

Denunciavit eis.] Seu præcepit.

A Jerosolymis ne discederent.] Ut ab ista metropoli Judæorum in qua crucifixus fuit Messias, ejusdem resuscitati testimonium atque præconium inchoaretur.

Sed exspectarent promissionem Patris.] Id est, rem promissam à Deo Patre, nempe Spiritum Sanctum quem ℣. seq. exprimit, cœlitus in Apostolos mittendum. Vide Luc. 24. 49.

Quam audistis à me.] Lucas postquam sermonem Christi indirectum retulit, transit ab eo ad directum, ipsa Christi verba hic exprimens. Sic Luc. 5. 14. & infra XVII. 3. XXIII. 22.

Ideo subintelligendum *inquit.* De eo quomodo Jesus discipulis promiserit à Patre Spiritum Sanctum, vide Joh. 14. 26. & XV. 26.

Vers. 5. *Quia Johannes quidem* vel *Nam Johannes.*] Promissionem quam modo innuit, declarat per comparationem à similitudine, sed tamen etiam dissimili, quod à Johanne Baptista esse indicatum Matth. 3. 11. Marc. 1. 8, in memoriam eis Christus revocat.

Baptizavit aqua.] Quædam exemplaria habent *in aqua* ut & in locis proxime citatis: & id videtur requirere ea quæ mox sequitur antithesis.

Vos autem baptizabimini.] Re aliquatenus simili, sed præstantiore. Spiritus Sanctus alias assimilatur aquæ, ut Jes. 44. 3. Joh. 4. 14. VII. 38, 39. Ideoque baptismus, qui universaliter sumtus est proprie immersio seu intinctio in aqueum liquorem, etiam ad Spiritum Sanctum transfertur per metaphoram.

In Spiritu Sancto.] Potest hoc opposite ad baptismum qui aqua fit, intelligi, ita ut tingantur seu perfundantur Spiritu Sancto, velut liquore quodam cœlesti. Sed potest simul ita accipi ut indicetur magna istius Spiritus copia, ut in eo velut in aqua abundante immergantur. Unde recte Casaubonus censuit hoc loco habendam propriæ significationis rationem. Baptizare enim tanquam ad tingendum mergere est, atque hoc sensu dicuntur Apostoli baptizati. Domus enim in qua hoc peractum est, Spiritu fuit repleta; ita ut in eam tanquam in natatoriam piscinam quandam Apostoli demersi fuisse videantur. Vide infra cap. 2. ℣. 2. Hæc Casaub. Duplex hic baptismus ponitur corporalis atque externus & spiritualis atque internus.

Non post multas istas dies.] Est hic vocum trajectio: significat istam Apostolorum in Spiritu Sancto baptisationem, post dies non multos eventuram. Ut etiam evenit post istum Christi sermonem die decimo.

Vers. 6. *Illi quidem igitur convenientes.*] Nempe Apostoli, qui Christi jussu convenerant Jerosolymam, ut dictum supra ℣. 4, & congregati erant in monte Oliveti, ut apparet infra ℣. 12.

Interrogarunt eum, dicentes, Domine.

Si.] Particula hæc alioqui conditionalis sumitur pro interrogante, *an?* ut Luc. 22. 49.

In tempore hoc.] Nempe nunc, quando jam morte victa per resurrectionem, dixisti tibi ut Messiæ datam esse omnem potestatem Matth. 28. 18.

Restituis.] Id est, *restitues*, præsens pro futuro: seu restaurabis quod est collapsum.

Regnum.] Id est, statum beatum, florentem, ut post hanc servitutem quam sub variis Ethnicis, tunc autem sub Romanis Judæi patiebantur, rursus in populo isto Rex ex eodem populo esset. Quod à Deo promissum erat, vide infra 15. 16. Isti autem hoc adhuc carnaliter intellexisse videntur. Ut Luc. 17. 20. XIX. 11, quum regnum istud Messiæ sit spirituale.

Israëli?] Id est, posteris illius Jacobi Patriarchæ qui Abrahami nepos fuit, dictus Israël: populo Israëlitico. Sed sub Novo Fœdere pro Israële vero censentur omnes Dei fideles, è quacunque natione oriundi. Quod ipsi Apostoli non statim intelligebant. Ut Act. 10. 34, 35, 45.

Vers. 7. *Ajit autem ad eos: Non vestrum est.*] Quæstionem Apostolorum curiosam, de tempore regni Messiæ, reprimit Christus: docens hujus rei scientiam eis non convenire.

Nosse tempora aut opportunitates.] Vel temporum momenta definita ac præcisa ejusmodi rebus constituta.

Quas Pater posuit in propria potestate.] Affert Christus ejus quod proxime dixit rationem. Nempe ideo tempus regni à Deo inter fideles gloriose erigendi scire non licere Apostolis, quia hoc sit mysterium apud Deum Patrem reconditum, quod solus Pater adhuc sibi reservaret pro suo arbitrio disponendum. Similia dicta de Deo Patre Christi quod is solus hactenus dum Christus ista diceret sciverit diem judicii, habentur Matth. 24. 36. Marc. 13. 32. Addit his N. N. Ex his verbis patet quod se mutuo evertant aliquid à Deo vel ab hominibus certo præsciri, cujus dispositio adhuc in Dei potestate sit posita, sic ut ab eo mutari adhuc possit. Ideo enim non poterant hoc scire, quia Pater nihil adhuc certi, de tempore erigendi regni Messiæ, apud se constituerat, quocirca ipse Christus se diem illum ignorare profitetur. Videtur autem Deus distulisse determinationem illius diei in istud tempus, quo Christo ad dextram suam collocato, omnia in manus traderet. Nec Christus Matth. 24. 36, dicit Patrem illum diem scire, sed postquam, negasset quemquam de illo quicquam scire,

scire, affirmat solum Patrem de illo die scire, utrum nempe, certo sit determinatus nec ne, & si sit, ipsum scire quando esset venturus.

Vers. 8. *Sed accipietis &c.*] Loco significandi temporis regni sui, repetit promissionem de Spiritu Sancto ipsis dando: adjungens Spiritus Sancti effectum per ipsos exercendum.

Vim.] Plerique vertunt *virtutem*: sed nomen virtutis potest significare aliud, nempe habitum bene agendi, oppositum vitio. At hic posita vox Græca significat potentiam seu robur. Porro per vim seu potentiam Spiritus Sancti, intelligitur ipse Spiritus Sanctus, qui est potentia Dei, ut alibi vocatur. Vide & Luc. 24. 49, quanquam & ex ipso Spiritu Sancto ut potentia Dei, vis eximia manabat in Apostolos, qua illi corroborabantur, & ad exercendum fortiter officium Apostolicum armabantur.

Supervenientis Sancti Spiritus super vos.] Nempe quum supervenerit, è loco superiore è cœlo, à Deo, iste afflatus Dei potens sanctificans atque confirmans, atque super vos descenderit.

Et eritis mihi testes.] Nempe Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum debebant ejus ope de Christo ejusque Euangelio atque doctrina & factis, ac gestis & perpessionibus, præcipue vero de ejusdem è mortuis resuscitatione testimonium perhibere hominibus, ut eos ad fidem in Christum adducerent. Simile dictum. Luc. 24. 48. vide & infra 21, 22.

Inque Jerusalem.] In illa Judææ metropoli, vide supra ℣. 4.

Et in omni Judæa.] Etiam extra Jerosolymam in aliis Judaici populi locis, ut Judæos inprimis convertatis.

Et Samaria.] In prima missione Apostolorum vetuerat Christus, ne ad alias gentes præter Judæos, & nominatim nec ad Samaritanos, cum Euangelii prædicatione progrederentur. Matth. 10. 5. 6. Hic autem, à Jerosolymis & Judæa initio facta, jubet eos progredi & ad Samaritanos Judæorum vicinos, inter quos erant aliquæ Israëlitarum reliquiæ.

Et usque ad ultimum terræ.] Longe lateque ad omnes terras ac populos absque delectu & discrimine nationum ac personarum, vult Christus promoveri Euangelii prædicationem: ut hæc gratia sit universalis, non uni genti alligata. Vide & Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. Luc. 24. 47.

Vers. 9. *Et hæc ajens.*] Seu quum hæc dixisset & alia, quæ expressa Matth. 28. 18, 19, 20. Marc. 16. 15. ss. & benedicens eis Luc. 24. 51. Hic jam ascensionis Christi in cœlum circumstantiæ enarrantur.

Aspicientibus eis.] Nempe Apostolis & aliis discipulis, quos extra Jerosolymam eduxerat ad Bethaniam Luc. 24. 50, ut testibus oculatis hujus mirandæ Christi ascensionis. Ut olim Elias, videnre Elisæo Propheta, ipsius successore, in cœlum assumtus.

Elevatus est.] Nempe à terra sublatus in altum.

Et nubes.] Quæ instar vehiculi atque currus ei in cœlum proficiscenti fuit.

Suscepit eum ab oculis eorum.] Id est, ita eum suscepit, ut simul ab oculis Apostolorum spectantium auferret ac removeret eum; ex antecedente indicatur subintellectum consequens.

Vers. 10. *Et ut attendentes erant.*] Id est, intentis oculis intuentes.

In cœlum.] Istæ voces, non solum ad ista *attendentes*, sed & ad hæc *proficiscente eo*, pertinere videntur, quasi bis essent positæ: nisi proficiscente eo, subintelligantur. Alias hic non exprimeretur quonam profectus fuerit, infra ℣. 11. utrobique distincte apponuntur.

Et ecce.] Hic istud & est superfluum. Ut Luc. 2. 21 & alibi.

Viri duo.] Id est, specie virorum apparentes angeli: ut præter alia, Luc. 24. 4. Angeli aderant Christo in cœlum ascendenti, comites, qui mox ei postquam perveniret in cœlum erant à Deo subjiciendi 1 Petr. 3. 22.

Adstiterunt eis.] Discipulis, dicturi quædam quæ mox narrantur.

In vestitu albo.] Ita albo amictu & candido induti angeli etiam alibi narrantur. Matth. 28. 3. Marc. 16. 5. Luc. 24. 4. Joh. 20. 12. Albus color ut lucidus conveniebat angelis à cœlesti luce venientibus, & ut triumphalis decebat comites triumphi Christi.

Vers. 11. *Qui & dixerunt, Viri Galilæi.*] Compellant angeli discipulos Christi, quos vocant Galilæos, quia plerique ex Galilæa in qua Jesus plurimum est versatus, collecti fuere.

Quid stetistis intuentes in cœlum?] Id est, propter quid ita statis mirabundi? Quamvis id mirum erat, tamen jam & à Daniele Dan. 9. 13 prædictum, & ab ipso Christo Matth. 24. 30. xxvi. 64. Marc. 14. 62. Luc. 21. 27.

Hic Jesus assumtus à vobis in cœlum.] Id est, qui à vobis & consortio vestro, atque è conspectu vestro ablatus, in cœlum est acceptus. Illuc in locum supremum est translatus vere, non ficte & imaginarie; vide annot. ad Marc. 16. 19. Ideo autem Jesus è terra in cœlum est evectus, ut tum ipse post humiliationem ac ignominiam exaltaretur atque glorificaretur in cœlo, ibique regnaret, tum ut servis suis fidelibus locum illic pararet, tum ut eosdem potenter juvaret.

Ita veniet quomodo spectastis eum proficiscentem in cœlum.] Nempe è cœlo descendens in aërem, cum comitatu angelorum, gloriose in nube, velut vehiculo: ut dictum locis modo citatis. Veniet autem præcipue ideo, ut fideles suos è terra ad domum Patris sui & suam assumat, atque participes regni cœlestis faciat. Joh. 14. 2, 3. 1 Thess. 4. 17.

Vers. 12. *Tunc reversi sunt in Jerusalem.*] Nempe discipuli Christi.

A monte vocato Oliveti.] In hoc monte Christus proxime ante passionem suam cum tristia precatus, Luc. 21. 39, ex eodem cum lætitia in cœlum est exaltatus.

Qui est prope Jerusalem, Sabbati habens iter.] Id est, tanto spatio distans quantum Judæis Sabbato deambulare licuit. Hoc spatium dicitur fuisse bis mille cubitorum, vel dimidium milliare Germanicum. Tantum fuit intervallum à radice montis Oliveti ad Jerusalem, cui monti à tergo sita erat Bethania.

Vers. 13. *Et quum introissent.*] Nempe in urbem Jerosolymam: in qua eos Christus manere aliquantisper jussit. Luc. 24. 49. & hic supra ℣. 4.

In exedram.] Seu superiorem contignationem domus cujusdam, Ubi hoc fuerit incertum est. Verisimile

risimile videtur fuisse ibi ubi Christus ante passionem cœnam Paschalem celebravit. Marc. 14. 15. Luc. 22. ℣. 12. Quidam vir doctus*, putavit fuisse id templi Jerosolymitani conclave quoddam, ob verba Luc. 24. 53. Sed hoc non est firmum argumentum; & non est credibile, Judæorum primates discipulis Jesu quibus valde erant infensi, in templi sui aliquo conclavi habitationem concessisse. Quod si factum fuisset, ut mirandum, verisimile est Lucam hoc isto loco expressurum fuisse.

Ubi erant commorantes, Petrusque & Jacobus & Johannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi, & Simon Zelotes.] Apostoli enumerantur ordine paulum diverso ab eo, qui est alibi. Matth. 10. Marc. 3. 17, 18. & Luc. 6. 14, 15.

Zelotes.] De hac appellatione videantur notata Luc. 6. 15.

Et Judas Jacobi.] Scilicet frater. Vide Judæ ℣. 1. & Luc. 6. 16, qui alias dictus Thaddæus.

Vers. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.*] Id est, religiosa petitione bonorum, à Deo, in nomine Jesu Christi.

Et deprecatione.] Quando hæc vox distinguitur ab oratione, significat talem petitionem qua mala averti petuntur. Vide Ephes. 6. 18. Phil. 4. 6. 1 Tim. 2. 1.

Cum mulieribus.] Quidam exponunt uxoribus, ut Erasmus. Sed id non est necesse. Quamvis enim aliunde appareat Apostolos quosdam habuisse uxores, 1 Cor. 9. 5; Tamen hic possunt intelligi illæ fœminæ, quæ Christum solebant comitari ei inservientes Matth. 27. 55, 56. Luc. 8. 2, 3.

Et Maria matre Jesu.] Hæc à reliquis mulieribus seorsim nominatur, ob excellentiam. Ut à discipulis seorsim nominatus Petrus Marc. 16. 7. Hic in Sacra Scriptura fit ultima mentio hujus Beatæ Virginis Mariæ. Quam quidem, postquam multis post annis obdormisset, Apostolis ad exsequias ejus congregatis, tertio die redivivam assumtam esse cum corpore in cœlum, multi credunt. Sed mirum esset Lucam qui post id factum annis XIII. historiam hanc Actorum Apostolicorum scripsisse fertur, nullam rei tantopere notabilis mentionem fecisse. Neque vero hic Maria introducitur in Ecclesia post Christum præsedisse, velut gubernatrix, aut præivisse: non præfuit illa, sed tantum adfuit isti congregationi.

Et cum fratribus ejus.] Nempe Jesu: id est cognatis, præter Apostolos. De quibus vide annot. ad Matth. 12. 46. & 13. 55.

Vers. 15. *Et in diebus istis.*] Id est quadam die, ex illis diebus. mox post Jesu in cœlum ascensionem.

Exsurgens.] Quippe peroraturus quidpiam; seu concionabundus.

Petrus.] Ille Primas seu primus Senator inter Apostolos, collegas ac socios suos, Præses hujus concilii. Sed non ideo Dominus & Monarcha Oecumenicus Ecclesiæ Christi.

In medio discipulorum.] Scilicet Christi; Hi ita aliquamdiu simpliciter vocati, postea appellati sunt Christiani. Act. 11. 26. Aliqui hoc loco pro *discipulorum* habent *fratrum*. Ut est etiam in vulgata versione. *Ait.*

* Lud. de Dieu.

Eratque turba nominum.] Id est hominum: qui nominatim censeri solent. Ita Apoc. 3. 4. XI. 13.

In idipsum.] Seu *ad idem*, quidam exponunt, *in eodem loco*, sed potius exponendum videtur *simul*, sicut hic habet vulgata versio: ut non tam loci quam personarum conjunctionis ratio habeatur. Ita similes voces in Græca Bibliorum versione sumuntur Psal. 37. 40. & XLIX. 9. *Quasi centum viginti*, quia præter Apostolos XII, aderant & discipuli LXX, & alii nonnulli, & mulieres.

Vers. 16. *Viri fratres.*] Hac compellatione alibi compellantur ab Apostolis Judæi etiam nondum in Christum credentes, ob genus commune, quoad carnem, ut infra cap. 2. 29. XIII. 26. Sed hic intelligitur strictior fraternitas spiritualis Christianorum inter se: ex uno Patre DEO, quo Petrus vocans fratres, eos secum exæquat: memor verborum Domini communis, Matth. 23. 8.

Oportuit impleri Scripturam istam.] Postquam Christus ea quæ de ipso erant scripta, Apostolis post resurrectionem suam explicavit, & aperuit, Luc. 24. ℣. 44, 45, atque etiam Spiritus Sancti aliquid, velut arrhabonem eis dans, inspiravit, Joh. 20. 22, jam Petrus eruditior quam antea, exponit sensum mysticum verborum Psalmi Davidici 41. 10, quæ verba sensu literali de Achitophele dicta, Christus ipse de Juda uno ex commensalibus suis, proditore suo, exposuit Joh. 13. 18.

Quam prædixit Spiritus Sanctus per os Davidis.] Id est, David qui typus Christi erat Spiritu Dei Sancto afflatus, id prædixit, ita ut Spiritu isto os ejus regeretur. Hæc Scripturæ propheticæ impletio ideo videtur memorari, ne quis miretur quasi Jesus parum provide talem qui eum proditurus erat inter familiares suos allegisset. Non proprie autem Scripturam hanc Spiritus Sanctus prædixit, sed factum hoc quod in hac Scriptura continetur.

De Juda.] Non proprie de Juda Iscariote dicta sunt verba Davidis, sed de Achitophele, verum Achitophel fuit typus Judæ, ideo de illo dicta ad hunc ob similitudinem accommodantur.

Illo facto viæ duce comprehendentibus Jesum.] Qui non tantum in itinere eis præivit, & ostendit quò esset eundum, sed etiam in actione ista director fuit, & signum cognoscendi ejus qui capiendus erat, dedit, & capientes consilio juvit. Vide Matth. 26. ℣. 47, 48. Marc. 14. 43, 44.

Vers. 17. *Quia.*] Confirmat verba Davidica esse impleta in Juda, uno ex sociis Jesu.

Connumeratus erat nobiscum.] Fuit ex numero familiarium Christi præcipuorum, nempe Apostolorum.

Et sortitus est.] Non proprie sorte, sed quia sicut sorte fieri alias solet, hoc munus ei obvenit, per electionem à Christo factam, ut cooptaretur inter Apostolos.

Sortem ministerii hujus.] Id est, veluti rem quæ sorte obtingit, ministerium prædicandi Euangelii, seu functionem Apostolicam. Vide infra ℣. 25.

Vers. 18. *Is.*] Nempe Judas. *Quidem* vocula hæc hoc loco superflua est, quum mox ponatur, *igitur* nec habet sibi respondentem, *autem*.

Acquisivit agrum.] Proprie in Græco textu regiuncu-

giunculam. Intelligitur ille ager figuli, de quo Matth. 27.7. Hunc acquisivisse dicitur Judas, non proprie respectu consilii sui, quasi ipse id in animo haberet, (nisi forte hunc agrum emere cogitarat) sed respectu eventus, quia ea quæ ipsius fuerat pecunia ager iste emptus est, quatenus Judæis reddita mercede occasionem dedit, ut illi pro ea istum agrum acquirerent. Sed non alienum est existimare in isto agro, hospitum sepulturæ destinato, ipsum Judam Iscariotem primum sepultum esse, ut Rabanus existimavit; & Lyranus quosdam existimasse scripsit: atque ita hoc pretium sceleris esse consequutum, ut in agro pro ista pecunia pro qua Christum vendidit emto sepulchrum haberet.

Ex mercede.] Id est, pro illis triginta argenteis nummis, de quibus Matth. 26. 15.

Injustitiæ.] Hoc est, illius injustissimi facinoris proditionis Jesu Christi Domini sui.

Et præceps factus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus.] Matth. 27. 5, narratur Judas, postquam abiit suspensus seu suffocatus, esse. Hic autem Lucas alium ejus vitæ exitum narrare videtur. Sed hæc diversitas ita conciliari solet, ut Matthæus initium hujus facti expresserit, Lucas autem finem suppleverit. Nempe ut proditor iste strangulare se volens, laqueum & forsan ramo arboris non satis firmo alligatum, in loco prærupto, collo suo aptaverit, seseque ut facilius fauces elideret, impulerit; sed quum divinæ providentiæ sceleratum proditorem non simplici morte perire placuisset, sive ramo fracto, sive laqueo rupto, Judas è superiore loco præcipitatus pronus in faciem ceciderit, atque inciderit vel in saxum asperum, vel in ligni truncum acutum, quo, ventre ejus disrupto, intestina sint effusa. Ita Casaubonus. Ecce avaritiæ & ex ea profectæ proditionis præmium horrendum: ecce Dei erga sceleratum ultio severa. Aliud hac de re narrat fabulose Oecumenius ex Papia, S. Johannis ut fertur discipulo, sed fabuloso authore, de Judæ corpore valde inflato, & à plaustro per viam in qua is erat, vadente, obtrito. De Idumæorum decem millibus à Judæis è scopulo præcipitatis diruptis exstat historia 2 Paral. 25. 12.

Vers. 19. *Et notum factum est hoc omnibus habitantibus Jerusalem.*] Indicat S. Petrus hoc quod circa Judæ proditoris exitum evenit, celebre evasisse inter Judæos præcipue incolas Jerosolymitanos.

Ita ut vocetur ager ille.] Urbi Jerosolymæ vicinus.

Propria dialecto eorum] Dialectus Græce significat modum loquendi in aliqua lingua certæ gentis, ab aliis simili lingua utentibus aliquanto diversum. In lingua Hebræa fuit dialectus Jerosolymitana tunc Syro-Chaldaica, diversa à dialecto Syra, & Babylonica, & Galilæa. Vide & Matth. 26. 73.

Akel-dama] Est vox composita è duabus: *Hakal* cum adspiratione, Syriace est ager; quod Jerosolymitani Judæi videntur pronunciasse *Hakel:* ut pro Gath, quod est nomen urbis Philistæorum, dicitur Geth. Deinde ex Hebræo *Dam* quod Hebraice est sanguis, Chaldaica terminatione formatum est *Dama.*

Hoc est ager sanguinis.] Vide Matth. 27. 8. Sanguis apud Hebræos significat non tantum sanguinem proprie dictum, sed etiam cædem seu homicidium, & reatum sanguinis seu cædis, & pretium ejus atque mercedem, & pœnam ejusdem. Omnia ista significata hic conveniunt.

Vers. 20, *Scriptum est enim.*] Judæ Iscariotæ quondam discipuli & Apostoli Christi, postquam ob scelus suum, Apostolatu & vita est privatus, locum vacare, & alii dari debere, probat ex Sacra Scriptura.

In libro Psalmorum] Librum Psalterii Davidis, solent Hebræi partiri in quinque libellos seu sectiones.

Fiat commoratio ejus deserta.] Verba ex Psal. 79. ℣. 26, de inimicis Davidis numero plurali dicta, accommodantur ad Judam, in quo hoc evenit ut ex domo sua excedens, quatenus è vita horrendo modo excessit, eam desertam atque vacuam reliquerit. Vide simile dictum Luc. 13. 35. *& non sit qui habitet in ea.* Idem declarat aliis verbis *Et* nempe istud quoque huc spectans scriptum est in Psalmo alio.

Episcopatum ejus] Ex Psal. 109. 8 verba à Davide dicta de Doëgo, aptantur Judæ.

Ut Hebraicè *Pecudah*, ita Græce *Episcope* notat *inspectionem* seu præfecturam, demandatam ad inspicienda seu diligenter curanda aliqua. Quum Doëgus fuerit præfectus armentis regiis, ut Pastoribus præpositus; hic de præfectura Ecclesiastica, & quidem functione Apostolica hoc intelligitur.

Accipiat alius.] Nempe in locum & functionem ejus subrogandus.

Vers. 21. *Oportet igitur*] Concludit S. Petrus Spiritu Domini dictante, debere in locum Judæ Iscariotæ, eligi novum Apostolum duodecimum, ut numerus iste duodenarius à Christo constitutus, duodecim Patriarchis tribuum Israëlicicarum correspondens, maneat, & docet ex quibus sit eligendus.

Ex iis qui conveniebant nobiscum viris.] Qui antea nobiscum conversati Jesum Dominum præsentem assectabantur ut & nos fecimus. Quales præter Apostolos alii discipuli Christi, ut illi Septuaginta Luc. 10. 1.

In omni tempore, in quo ingrediebatur & egrediebatur super nos, Dominus Jesus.] Est phrasis Hebræa, qua significatur conversatio; non tantum quoad privatæ vitæ officia, ut Deut. 28. 6. Ps. 121. 8. Zach 8. 10. Act 9. 28. sed præcipue quoad publicæ functionis administrationem, similitudine sumta à Pastore ovium. Ut Num. 27. 17. Deut. 31. 2. de Mose. 1 Sam. 18. 13 & 16. de Davide, & 29. 6. de eodem. 1 Reg. 3. 7. de Solomone, & 2 Paral 1. 10. Est ergo sensus quasi dicat, per id tempus omne quo Dominus Jesus munus suum inter nos obibat.

Vers. 22. *Incipiens à baptismate Johannis.*] Id est, ab eo tempore quo à Johanne baptizatus est Jesus; à quo tempore, & præcipue postquam Johannes Baptista ministerium suum quod baptismatis voce comprehenditur, peregit, Jesus euangelium prædicare publice & discipulos sibi colligere cœpit. Vide Matt. cap. 4. 12, 17 &c. Mar. 1. 14. &c. Quanquam & Johanne nondum cessante, jam Jesus muneris sui functionem inchoaverat, ut patet ex Joh. 3. 22, 23, 24, 26. Ab hoc ergo initio qui Christo aderant testari de eo debebant. Vide Joh. 15 ult.

Usque ad diem qua assumtus est à nobis.] Scilicet Dominus Jesus in cœlum. Vide supra ℣. 11.

Testem resurrectionis ejus fieri nobiscum unum istorum.] Hoc præcipue erat officium Apostolorum ut de Jesu crucifixi resuscitatione testarentur, atque eo testimonio homines ad fidem in Jesum ut Christum Dei perducerent. Vide Luc. 24. 33. Quanquam etiam de aliis circa Jesum testari debebant Apostoli, ut de ejus doctrina & actionibus, atque perpessionibus, tamen potissimum tanquam aliquid primarium testandum Apostolis notatur id quod factum est in ejus è mortuis resuscitatione, quod erat maxime controversum, & quo probato atque firmato tota ejus doctrina & fides in eum ut Messiam seu Christum Dei electum, confirmabatur.

Vers. 23. *Et statuerunt duo.*] Nempe hos elegerunt, & coram congregatione fidelium præsentarunt, qui in numero 70 Discipulorum videbantur eis excellere, quum tamen uter utri præferendus esset non facile dignoscerent.

Josephum.] Pro eo aliqua exemplaria habent *Josen:* sed idem nomen est, literis ultimis commutatis: derivatum ab addendo. Forsan is fuit frater Jacobi minoris, & Judæ Thaddæi, cognatus Jesu de quo Mat, 13. 55. Mar. 15. 40.

Vocatum Barsabam.] Hoc cognomen Hebræum quidam exponunt filium conversionis: alii filium quietis.

Qui cognominatus est Justus.] Ob justitiam nomine Latino, sed jam etiam à Judæis, quum Romanis subessent, usurpato Vide & Col. 4. 11.

Et Matthiam] Nomen Hebræum, donum Dei seu datum à Deo significans.

Vers. 24. *Et orantes.*] Non ipsi pro arbitrio suo constituunt Apostolum: quia tali muneri deputatus, debuit esse Christi Legatus, ab eo missus, non à quopiam alio ex hominibus. Huc spectant illa: Joh. 17. 18. xx. 21. & Gal. 1. 1. sed in re tanti momenti preces in cœlum dirigunt.

Dixerunt, Tu Domine] Dominum Jesum, quanquam quod ad locum attinet respectu personæ suæ ab ipsis remotum, utpote in cœlo jam degentem, invocant, precibus ad eum directis: quia audiverunt ex ipso datam esse ei omnem potestatem in cœlo & in terra; & recordati sunt dictorum ejus quibus asseruit se esse eum qui Apostolos mittat, ut modo indicatum.

Corda cognoscens omnium.] Domino Jesu attribuunt notitiam hominum, non tantum externam, sed etiam internam; qui animos hominum notos habet. Vide Joh. 2. 24, 25. VI. 64. Apoc. 2. 23. persuasi eum posse judicare, certo de personarum tum bonitate, tum aliis ad hujus ministerii functionem requisitis qualitatibus.

Ostende ex his duobus unum quem elegeris] Id est declara & indica atque designa, utrum hunc, an illum.

Vers. 25. *Ut accipiat sortem.*] Vide supra vers. 17.

Ministerii.] Hæc vox generalis *diaconiæ* notat quamlibet functionem, sed additis vocibus *hujus*, & *Apostolatûs*, restringitur ad certam speciem excellentem.

Ex quo transgressus est Judas.] Id est digressus à vocatione sua, velut à via recta; ea relicta alio deflexit seu exorbitavit, atque ita decidit ab Apostolatu.

Ut abiret in locum proprium.] Ita factum est Judæ malitia, & Dei judicio justo, ut is qui Apostolatum velut locum alienum & sibi inconvenientem occupaverat, eo, ut meritus erat, excidens, devenerit in locum sibi proprium seu suum, quo dignus erat, nempe in mortem, non simplicem sed horrendam & abominandam, quam sibi ipse conscivit, deventurus deinde in Gehennam seu locum perditionis Joh. 17. 12.

Vers. 26. *Et dederunt sortes eorum.*] Nomina inscripta lignis, vel chartis, in vasculum aliquod, ut in urnam, injecerunt, ut inde unum istorum eximeretur. In rebus dubiis, sed magni momenti, voluntatem Dei precibus ad eum directis, exquirere per sortem, erat usitatum in populo Dei, ut Levit. 16. 8. Jos. 7. 13. 16. &c. & 1 Sam. 14. 41, 42. & in eligendo Rege; 1 Sam. 10. 20, 21. Et Davidis tempore Sacerdotum ac Levitarum functiones sorte distributæ 1 Paral. 24. quales sortes precibus junctæ divinitus diriguntur Prov. 16. 33.

Et cecidit sors.] Seu exiit nempe ita ut à quopiam illud in quo erat scriptum nomen ejus eximeretur.

Super Matthiam.] Quanquam is, posterius nominatus, & minus insignis præ altero, pluribus nominibus designato, visus; tamen hunc Dominus elegit ac designavit. Cui liberum est ex paribus, & in pietate æqualibus, unum eligere præ altero. Potuit autem is Josephus Barsabas, quamvis non accensitus Apostolis, esse à Domino adhibitus ad aliquod aliud insigne ministerium Ecclesiæ; ut etiam Josephus Barnabas. Act. XI. 24. XIII. 2. XIV. 12. 14.

Et communibus calculis cooptatus est.] Verbum Græcum, à calculo derivatum, significat illius sortis eum fuisse eventum, ut hæc voluntas Christi de Matthia per sortem declarata, communibus suffragiis eorum, qui aderant fuerit approbata. *Cum undecim Apostolis.*] Ita ut numero undecim Apostolorum, Matthiam duodecimum Apostolum adjunxerint.

CAPUT II.

Vers. 1. *ET quum compleretur*] Id est quum jam advenisset & ageretur dies ista ut Luc. cap. 2. 21.

Pentecostes.] Græcum nomen, significat Quinquagesimam. Nempe à festo Paschatis, post septem septimanas exactas, die quinquagesima, Levit. 23. 15, 16. quæ dies etiam erat celebris festivitate: in qua offerebantur Deo primitiæ panis: qua etiam Lex vetus fuit promulgata in monte Sina; nunc autem novum Fœdus Euangelii promulgatum in Sione quando ad festum solenne fuit Israëlitarum ex diversis oris frequens concursus.

Erant omnes.] Quidam hoc accipiunt non de solis Apostolis, sed etiam de aliis qui sunt indicati supra cap. 1. vers. 14, 15. At alii existimant hoc ad Apostolos præcipue referendum, de quibus actum capitis proxime præcedentis fine. Et quædam antiqua exemplaria hîc habent additum vocabulum *Apostoli.* His etiam peculiariter ut testibus Christi, promissus est Spiritus Sanctus, de cujus missione hîc agitur.

Vide

Vide infra vers. 4. Quanquam non est negandum præter Apostolos adfuisse tunc illic etiam alios Christi Discipulos, imo & mulieres.

Unanimiter.] Ut & supra c. 1. vers. 14 conjunctis animis.

In idem. Quidam exponunt *ibidem*, seu *eodem loci.* Sed vide supra cap. 1. vers. 15.

Vers. 2. *Et factus est repente ex cœlo.*] Non ut alias solent flatus ventorum ex terra vel ex aqua proficisci.

Sonus tanquam ruentis.] Ferebatur cum impetu iste sonitus.

Spirationis.] Seu flatûs; aut venti in quo & cum quo flatu sonante descendit potens illæ afflatus Dei seu Spiritus Sanctus, de quo mox.

Violentæ.] Seu vehementis, cum impetu & valida commotione.

Et replevit totam domum.] Abundanter & copiose.

Ubi erant sedentes.] Id est ubi sedebant illi omnes indicati supra vers. 1.

Vers. 3. *Et conspecta sunt eis.*] Id est ab eis. Prius auditu perceperunt sonum spirationis vehementis, deinde visu, agnoverunt id quod erat symbolum Spiritus Sancti: quod alii super aliorum capita viderunt.

Dispertitæ linguæ.] Olim una lingua inter omnes homines vigens, quæ quod inter Heberi posteros manserit, Hebræa dicitur, divisa fuit in multas, & confusa cum multis, pro pœna, ita ut homines alii aliorum linguam non intelligerent, neque colloqui inter se possent; unde ex loco Babel à confusione vocato, in diversas terras dispersi sunt, à Deo, illi posteri Noachi, qui superbia impellente turrim altam usque ad cœlum ædificare voluerunt Gen. xi. Nunc autem ædificii spiritualis, Ecclesiæ Dei & Christi, architectis singulis, data est pro beneficio diversarum linguarum unita facultas, ut homines dispersos ac divisos ex variis gentibus in unum ædificium spirituale colligerent.

Dispertitæ seu divisæ linguæ conspectæ dicuntur, quod essent quasi dissectæ superne: ut indicaretur unam linguam cujusque Apostoli, multarum linguarum vim accepisse, seu facultatem diversas loquelas loquendi.

Linguæ instar ignis.] Seu linguæ quasi linguæ ignis sive igneæ. Esa. 5. 24. *lingua ignis* vocatur flamma ignea, quod ad linguæ similitudinem ubi producta est, in angustum & acutum desinat superne, ac ea ad quæ sursum fertur quasi lambat. Hic Symbolum Spiritus Sancti in Apostolos cœlitus demissum, fuit velut flamma, linguæ similitudinem repræsentans.

Linguæ.] Seu linguarum species ibi conspiciebantur, quia Apostolis per eum Spiritum dabatur facultas linguis diversis loquendi: At eædem linguæ erant *instar ignis*, seu quasi igneæ ac flammantes; quia Spiritu Sancto inflammante ardenter ac flagranter loquuturi mysteria Euangelii, animos hominum ad fidem ac pietatem erant inflammaturi. Hic impleri manifeste cœpit illud quod per Johannem Baptistam fuit indicatum Matth. 3. 11, quanquam non hoc solum ibi est intellectum.

Et sedit.] Seu mansit aliquamdiu, nempe ille ignis linguarum forma apparens, qui erat Symbolum Spiritus Sancti. Vel intelligitur in illo igne existens Spiritus Sanctus, qui exprimitur ℣. mox sequente.

Super unumquemque eorum.] Nempe duodecim Apostolorum capita singula.

Vers. 4. *Et.*] Visionis illius effectus per symbola venti & ignis designatus exprimitur.

Repleti sunt.] Copiose, pro sua capacitate.

Omnes.] Scilicet Apostoli, vide supra ℣. 1, quod videtur confirmari ex ℣. 14 & 15 infra. Quanquam aliqui etiam ad mulieres hoc extendunt, propter illa verba quæ habentur infra ℣. 17 & 18. Sed de his ibi erit videndum.

Spiritu Sancto.] Id est, illo afflatu Dei potente, qui à Deo spiratus, ab eo manat, per quem à Deo homines sanctificantur. Quem non esse merum accidens, sed substantiale quiddam, ut sunt & alii spiritus naturales, atque etiam halitus, merito est credendum. Attamen non ideo concludendum, Spiritum Sanctum esse suppositum, nedum personam, multo minus ipsum Deum altissimum: Videantur annotata ad Matth. 3. 16. Etiam ex eo ipso quod hic indicatum supra ℣. 2, Spiritum Sanctum qui in linguis igneis erat, consedisse seorsim ac divisim super unumquemque duodecim Apostolorum; uno eodemque tempore, patet Spiritum Sanctum non esse personam Dei, quæ est individua. Sed & illud notandum, nusquam scribi Spiritum Sanctum personæ alicujus specie apparuisse: sed tantum antea quum in Jesum descenderet sub specie columbæ, nunc autem quum in Apostolos demitteretur sub specie linguarum ignearum, ejus symbolum quoris velabatur conspectum esse. Deinde ex eo quod Apostoli dicantur *repleti Spiritu Sancto*; atqui ipsa Dei altissimi persona homines repleri est inconveniens. Ita Christus quod promiserat supra cap. 1. ℣. 5, reipsa præstitit, Regni sui cœlestis possessionem & coronationem adeptus, regalia dona per Spiritum Sanctum subditis suis distribuit. Vide Eph. 4. 8.

Et cœperunt loqui aliis linguis.] Nempe præter linguam vernaculam Hebraicam, aliis extraneis, quas non didicerant: *linguis novis* ut dictum Marc. 16. ℣. 17. Aliqui putarunt Apostolos una tantum lingua Hebræa loquutos esse: sed sermonem eorum ab auditoribus diversarum linguarum gnaris ita intellectum quasi unicuique ex illis propria ipsorum lingua loquerentur: ita opinati Cyprianus, Oecumenius, Dionysius Rikel Carthusianus, & Erasmus. Sed hoc credere non convenit: ita enim non in Apostolis & eorum linguis Spiritus Sanctus miraculum fecisset, sed tantum in auribus auditorum. Et manifeste huic opinioni resistunt illa quæ scripta sunt 1 Cor. 12. 10, 28, 30. xiii. 2, 4, 9, 14, 18, 19, 23, 26, 27, 39.

Quæritur hic num Apostoli abhinc jam semper linguis peregrinis omnium gentium loquuti fuerint. Videtur hoc donum non ita eis, tunc infusum ut in illis perpetuo maneret, etiam quum eo non esset opus; sed per intervalla quando res requirebat, Spiritu Sancto inspirante atque suggerente, eos linguas diversas esse loquutos. Non est autem asseverandum (ut quidam faciunt) illo tantum unico die non ultra, vim istam in eis durasse, tantisper nempe quamdiu linguæ igneæ singulis distributæ supra cu-

jusque caput insederunt. Quod facile refellitur iis verbis quæ de aliis Christianis etiam postea linguis diversis loquentibus modo citata sunt ex epist. ad Corinth. vide & Act. 10. 46. XIX. 6.

Prout ille Spiritus dabat eis effari.] Spiritus Sanctus regebat & moderabatur linguam uniuscujusque ex Apostolis, & verba exotica formabat atque eis suppeditabat: ita ut non temere neque confuse loquerentur, neque inania quæpiam verba sine mente atque sensu effutirent, sed res divinas pro ratione auditorum in quos incidebant, ut res requirebat, proloquerentur. Quamvis autem hic de Spiritu Sancto ita dicatur, *Spiritus dabat effari*, tamen hinc non sequitur Spiritum Sanctum esse personam Dei. Nam potest dici quod aliqua res det alicui quidpiam, quando per eam id datur ab aliqua persona, ut Act. cap. 3. 16. Hic Dominus Jesus id per Spiritum istum dabat.

Vers. 5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi.*] Non tantum qui ibi fixum domicilium habebant, ex diversis nationibus illuc commigrantes Judæi, de qualibus vide Act. 6. 9, sed etiam qui ad solenne festum anniversarium Pentecostes undique illuc advenerant, & illic per dies aliquot commorabantur. Deus & filius ejus Dominus Jesus hac occasione congregatorum ex variis regionibus Israëlitarum usus est, ut in tantæ multitudinis præsentia miraculum tam insigne Spiritus Sancti in discipulos Jesu Christi demissi perficeretur.

Viri religiosi.] Voce Græca notantur proprie, qui bene seu caute accipiunt aliquid. Vide apud Luc. 2. ℣. 25. Per hos quidam putant notari Gentiles ad legem Mosis, saltem respectu moralium præceptorum observationis, conversos. Sed potius videntur intelligendi potissima ex parte Judæi origine, homines cultui Dei addicti.

Ex omni gente eorum qui sub cœlo sunt.] Est hic quædam Hyperbole. Significatur eos ex plurimis orbis terræ regionibus in quas erant dispersi, Jerosolymam convenisse.

Eorum vel *earum.*] Nam Græca vox est ambigua, potest referri vel ad viros seu homines, vel ad gentes seu nationes: res tamen eodem redit.

Facta autem voce hac.] Quidam hanc vocem intelligunt de sonitu illo de quo supra ℣. 2. Alii autem de vocibus seu verbis Apostolorum: aliqui potius de fama ejus rei mirandæ per urbem pervagata. Ut Jer. 10. 22, nonnulli denique de re ipsa & negotio isto. Ut Exod. 4. 8.

Convenit multitudo.] Miraculi istius effectus fuit quod ad hunc rumorem sparsum per urbem, magnus Judæorum numerus confluxerit illuc ubi Apostoli erant & concionabantur.

Et confusa est.] Plerique hoc referunt ad mentis confusionem seu conturbationem, ex re miranda: quod tamen satis exprimitur mox ℣. 7. & 12. Alii autem putant intelligendum de concursu vulgi tumultuario; ut Act. 19. 29 & 32.

Quia audiebant unusquisque propria lingua loquentes.] Est hic quædam ambiguitas; an una unius linguæ Hebraicæ quæ erat Apostolis propria pronunciatæ loquela, resonans, per variam aëris configurationem, diversimode formata, ad aures audientium ita allaberetur, ut in istis auribus audientium ex una voce diversæ voces fierent, seu audirentur: an vero ex Apostolorum ore statim exiverint voces linguæ ipsis exoticæ, sed quæ audientibus erant propriæ atque vernaculæ? Inter alios Ecclesiæ Doctores Gregor. Nazianz. Orationem de Pentecoste huic posteriori sensui magis assentitur, addita ratione, quia illo modo, priore, esset magis audientium quam dicentium miraculum, hoc autem modo, dicentium. Videatur supra annot. ad ℣. 4. & infra ℣. 11.

Loquentes eos.] Non tamen simul omnes omnibus linguis confuse: sed per vices, ordinatè. Vide 1 Cor. 14. 23. &c. 27. 40.

Vers. 7. *Obstupescebant autem omnes.*] Plus hoc est quam quod additur, *& mirabantur*, notat magnam mentis perculsionem. Et is est effectus illius miraculi.

Dicentes alii ad alios, Nonne ecce omnes isti sunt qui loquuntur, Galilæi?] Ex una regione in qua tam variæ linguæ non vigebant. Cujus autem nationis homines isti Apostoli Christi essent, id poterant etiam peregrini & advenæ ab incolis percontando didicisse.

Vers. 8. *Et quomodo nos audimus.*] His verbis potissimum videntur adducti esse quidam, ut existimarent Apostolos non diversis linguis, sed una Hebræa loquutos: auditores autem eorum verba ita accepisse & intellexisse, ac si suam quisque linguam ab eis audivisset. Sed de hoc dictum supra ad ℣. 4.

Audimus.] Subintelligendum, *eos loquentes.* Vide supra ℣. 6.

Quisque propria dialecto nostra.] Ea vox Græca quæ habetur & supra ℣. 6. solet alias notare in eadem lingua aliquam loquendi diversitatem, sed hic accipitur latiori significatu pro linguis diversis.

In qua nati sumus.] Dicitur quis natus in aliqua lingua, quia est oriundus ex ea regione in qua ista lingua viget, quæ est ei vernacula.

Vers. 9. Enumerantur variarum regionum homines, omnes tamen religione Judæi, aliqui & natione: sparsi per varias regiones ac primum ex Asia.

Parthi.] Populus vicinus Persis, qui authore Arsace, a Syriæ Regibus defecerat, & tunc Regnum potens, etiam Romanis resistens, tenebat.

Et Medi.] Populi Asiæ qui post Assyriorum Monarchiæ divisionem, in Asia potentes olim erant; priusquam Persarum Monarchia surrexisset.

Et Elamitæ.] A filio Semi primogenito Elamo, Genes. 10. 22, dicti Elamitæ seu Elymæi, populi Persidis, qui solent jungi cum Medis: Jesai. 21. 2. Jer. 25. 25.

Et incolentes Mesopotamiam.] Regionem interamnatem inter Euphratem & Tigrim amnes, inhabitantes, sed qui tunc Jerosolymam ut & alii, qui hic recensentur, advenerant festi solennis causa.

Judæamque.] Regionem à tribu Judæ ita dictam: in qua dialectus linguæ Hebraæ, tunc cum Chaldaica Syriaca mistæ, diversæ à dialecto Galilæorum vigebat.

Et Cappadociam.] Hæc regio erat vicina Ciliciæ.

Pontum.] Regionem prope mare illud quod vocatur Pontus Euxinus.

Et Asiam.] Non majorem, in qua omnes hactenus recensitæ oræ continentur; sed minorem, & quidem strictius, à Cappadocia, Ponto, Phrygia & Pamphylia, distinctam, quæ alias vocata Jonia, cujus metropolis Ephesus.

Vers. 10. *Phrygiamque.*] Regionem Asiæ in qua olim Troja fuit.

Et Pamphyliam.] Etiam hæc pars Asiæ erat: dicta ab omni tribu.

Ægyptum.] Hæc Africæ regio; ita vocata à Rege quodam Ægypto fratre Danai. Hebraice dicta Mitzraim, à filio Chami Gen. 10. 6. Ibi, præsertim Alexandriæ, & Memphi, quæ nunc dicitur Cairus, multi tunc Judæi habitabant.

Et partes Libyæ.] Ita vocatur à Græcis Africa: sed hic additur,

Ejus quæ secundum Cyrenem.] Cyrene pars Africæ inter Ægyptios, & Pœnos seu Carthaginenses sita.

Et advenæ vel incolæ Romani.] Qui ex urbe Roma, quæ tunc orbis caput & Monarchiæ quartæ sedes erat, in Europæ parte, Italia, sita, in qua etiam Judæi habitabant, tunc Jerosolymam advenerant.

Judæique.] Origine & natione, à Juda pronepote Abrahami oriundi, Romæ habitantes.

Et Proselyti.] Ita dicti Græco nomine ii, qui ex aliis gentibus ad Judæorum religionem accesserant. Vide Matth. 23. 15.

Vers. 11. *Cretes.*] Ex Creta insula maris mediterranei, quæ nunc vocatur Candia; media inter Europam, Africam & Asiam: sed tamen Europæ solet accenseri.

Et Arabes.] Populi Asiæ majoris, ex regione Judææ vicina.

Audimus loquentes eos nostris linguis magnifica Dei.] Vulgata versio habet *magnalia Dei*, id est eximia ac miranda facta Dei enarrantes atque celebrantes. Sic Tob. 11. 13. 3 Macchab. ℣. penult. & Luc. 1. 49. Hæc autem hic erant de Messia jam Israëlitis secundum promissa Dei misso, de eo miraculis claro, è mortuis resuscitato, in cœlum exaltato, de vita æterna per eum conferenda credentibus ac pœnitentiam agentibus &c.

Vers. 12. *Obstupescebant autem.*] Repetit hic id quod scriptum supra ℣. 7. *Omnes*, id est, plerique nam mox versu sequente de aliquibus aliud dicitur.

Et ambigebant.] Id est, præ admiratione perplexi erant, & hæsitabant dubii quid hac de re esset existimandum.

Alius ad alium dicentes, quidnam velit hoc esse?] Ita solet dici Latine in admiratione & ignoratione eventus alicujus rei; *Quid hoc sibi vult?* Voluntas tribuitur rei quæ non est persona.

Vers. 13. *Alii autem, cavillantes.*] Qui vel linguas alias præter Hebraicam non intelligebant; vel animo erant improbo, nec satis ad ea quæ dicebantur attento, ideo hoc miraculum manifestum irrisione petulante elevabant.

Dicebant, quod.] Vocula ista *quod*, in referenda per Prosopopœjam alterius alicujus oratione, frequenter usurpari solita, redundat.

Dulci.] Vox Græca hic posita solet alias notare mustum seu vinum novum, à dulcedine ita dictum. Sed quia hoc proprie illo anni tempore, die Pentecostes non erat, ideo vinum dulce, quale est ex musto decoctum seu defrutum, intelligitur.

Impleti sunt.] Id est inebriati.

Vers. 14. *Stans autem.*] Ut concionabundus ad populum, & quidem consistens constanter, atque fidenter.

Petrus.] Ut primus inter Apostolos, non tamen Dominus, vide supra cap. 1. 15: os omnium, ut dicit Chrysost.

Cum undecim.] Nempe reliquis Apostolis, sociis & collegis suis.

Extulit vocem suam.] Ut clara voce, tumultuantem multitudinem cohiberet, ut in se converteret audiendum, atque ut fiduciam suam declararet.

Effatus est eis.] Seu affatus est eos.

Viri Judæi, & habitantes Ierusalem.] Ipsa tali appellatione captat benevolentiam: quia isti se aliis antecellere multis modis existimabant.

Hoc vobis notum esto, & in aures admittite verba mea.] Conciliat sibi attentionem, ut solet fieri in exordiis orationum.

Vers. 15. *Non enim ut vos præsumitis.*] Amovet falsam opinionem.

Isti ebrii sunt.] Nempe collegæ ac socii mei.

Est enim hora tertia diei.] Nempe ab ortu Solis: tempus precum matutinarum; ad quas non solebant Judæi honesti accedere cibo ac potu refecti, multo minus ebrii: præsertim festo solenni. Qui in illis oris ebrietati indulgebant, solebant id facere vesperi sub tempus cœnæ postquam negotia diurna expedierant, & quando eos minus pudebat, vide 1 Thess. 5. 5.

Vers. 16. *Sed hoc est illud quod dictum per Prophetam Ioëlem.*] Cap. ejus 2 à ℣. 28, vel secundum Hebraicum textum, Cap. 3. ℣. 1. Jam validiore argumento eos refutat & simul ad quæstionem ℣. 12, indicatam respondet, non suis verbis sed Scripturæ propheticæ.

Vers. 17. *Et erit in ultimis diebus.*] Seu ultimis temporibus; nempe tempore eo quo Deus daturus erat populo suo *Doctorem justitiæ*, de quo ibi apud Joëlem cap. 2. 23, secundum quosdam, ita Hebraicas voces interpretantes: per quem Doctorem justitiæ significatur Messias, quamvis alii interpretentur *pluviam justam.* Alias in Hebræo textu hoc loco sunt voces *post hæc.*

Dicit Deus.] Has voces S. Petrus addit, monens quis illa apud Prophetam loquutus sit, & ista facturus fuerit.

Effundam.] Veluti aquam, cui solet assimilari Spiritus Dei Sanctus. Ut Jesai. 44. 3. Joh. 4. 14. VII. 38, 39. vide & Tit. 3. 6. abluens sordes peccatorum: cujus abundans & copiosa largitio hoc verbo significatur.

A Spiritu meo.] Apud Joëlem est, *effundam Spiritum meum*, hic autem *à* vel *ex*, *Spiritu meo.* Indicatur Deum non totum Spiritum suum hominibus dare, vel in homines effundere, sed partem ex eo. Vide & 1 Joh. 4. 13. Hebr. 2. 4. Hinc etiam apparet Spiritum Sanctum non esse personam Dei ipsumque Deum altissimum: nam de hoc non potest recte dici quod effundatur à Deo: neque quod sit Dei.

Super

Super omnem.] Cujusvis sortis, & conditionis, atque sexus, & ætatis, capacis.

Carnem.] Id est homines, ad populum Dei spectantes. Spiritui potenti opponitur caro fragilis, vilis, cui tamen Spiritus ille Dei potens communicatur.

Et prophetabunt.] Tum futura prædicent, tum occulta mysteria divina effabuntur, ex afflatu Spiritus divini: cujus effectum est prophetia.

Filii vestri.] Nempe istorum quibus hæc per Prophetam Joëlem sunt annunciata, priscorum Judæorum posteri.

Et filiæ vestræ.] Etiam fœminis hoc donum eximium Deus promisit. Sed hinc non necessario sequitur, eo ipso tempore quum hæc S. Petrus diceret, datum fuisse fœminis Spiritum Sanctum, easque tunc prophetasse. Nam potest dici id postea esse impletum, ut Act. 21. 9. Sicut etiam quod mox additur de somniis.

Et juvenes vestri visiones cernent.] Id est revelationes mysteriorum divinorum, miraculoso modo cœlitus factas, percipient.

Et seniores vestri somnia somniabunt.] Nempe supernaturalia, à Deo per Spiritum ejus immissa: per qualia etiam Deus arcana sua revelare solitus. Unde cum visionibus Prophetis à Deo exhiberi solitis talia somnia memorantur Num. 12. 6.

18. *Et quidem.*] In Hebræo textu apud Joëlem est, *& etiam*, nempe, quod majus adhuc est, & magis mirabile, atque majoris gratiæ effectum.

Super servos meos & super servas meas.] Non tantum liberas personas quales hactenus memoratæ, sed etiam servilis conditionis.

Meos, meas.] Non habentur ista in textu Joëlis Hebræo, tantum *super servos & super ancillas*, sed S. Petrus hoc addidit, monens istos servilis conditionis homines esse servos Dei, non contemnendos, quando sunt pii. Alias omnes homines & præsertim religiosi ejus cultores sunt servi Dei.

In diebus illis.] Nempe ultimis, *effundam à spiritu meo, & prophetabunt*, quæ posita sunt vers. 17. ea hic repetuntur.

Vers. 19. *Et dabo prodigia.*] Post promissa læta piis, jam annunciantur minæ indicia tristia iræ Dei, contra euangelii, per Prophetas istos ex Spiritus Sancti afflatu prædicati, ad fidem in Jesum Christum & ad pœnitentiam invitantis, contemtores.

Talia prodigia, iræ Dei contra Judæos incredulos & inobedientes prænuncia, evenerunt ante Jerosolymæ excidium. De quibus videatur annotatio ad Luc. 21. 11.

In cœlo sursum & signa super terram deorsum.] Non habetur hoc *sursum* in textu Joëlis; sicut & mox *deorsum*.

Sanguinem & ignem & vaporem fumi.] Id est cædes hominum, atque incendia vicorum & oppidorum.

Vers. 20. *Sol convertetur in tenebras*, id est obtenebrabitur, *& luna in sanguinem &c.*] Respectu coloris sanguinei. Vide & Apoc. 6. 12. Hæc aliqui accipiunt improprie de gravibus calamitatibus & rerum, mundi confusione, ut solent talia apud Prophetas talibus loquutionibus designari. Sed nihil obstat quominus hæc propriè accipiantur, respectu sensus mystici, de quo mox. Vide annot. ad Matth. 24. vers. 29.

Priusquam veniat illa dies Domini.] Hæc dies, quæ alioqui sensu humiliore potest intelligi de tempore excidii Jerosolymitani, sensu mystico perfectiore intelligenda est dies illa ultima qua Deus per Christum judicaturus est totum mundum & omnes ejus incolas. Dies alicujus dicitur qua is aliquid insigne efficit, vel consequitur.

Magna & illustris.] Apud Joëlem eo loco unde hæc verba sunt sumta, habetur *terribilis*. Hæc dies impiis quidem terribilis, propter pœnas eorum horrendas à Deo per Christum tunc eis infligendas; sed eadem respectu rerum quæ in illa patrabuntur, simul illustris & gloriosa erit Deo ac Christo, & hominibus piis.

Vers. 21. *Et erit.*] Id est fiet hoc, quod, omnis &c.

Omnis quicunque absque respectu personarum, *invocaverit nomen Domini.*] Invocare nomen Dei, significat Deum religiose colere, & cultum istum profiteri, verbis atque factis. Ita invocatio Dei non pro sola ad eum directa precatione, sed pro ejus cultu sumitur sæpe. Ut Genes. 12. 8. XIII. 4. XXVI. 25. 1 Paral 13. 6. Psal. 79. 6. Esai. 41. 25. Jer. 10. 25. Sic & invocatio Jesu Christi vel nominis ejus, Act. 9. 14, 21. 1 Cor. 1. 2. 2 Tim. 2. 22.

Domini.] Per Dominum istum apud Ioëlem intelligitur Deus altissimus, hic autem merito subintelligitur & Iesus Christus, à Deo exaltatus, per quem ut mediatorem sub Novo Fœdere Deus est invocandus, & colendus. Vide Rom. 10. 12, 13.

Servabitur.] Id est ab exitio aliis imminente liberabitur, atque fructum gratiæ Dei perpetuum consequetur: præsertim in vita illa cœlesti æterna.

Rursus piis læta prædicuntur. Ita non tantum ad quæstionem de eo quod tunc fiebat respectu miraculosæ demissionis Spiritus Sancti, responsum dedit Petrus ex verbis propheticis, sed ex iis ulterius citatis ulteriora quoque ad finem mundi de insignibus Dei tum respectu impiorum tum respectu piorum effectis vaticinia pronunciavit.

In Concionis hujus parte secunda ex occasione illius rei mirandæ, populum qui ejus fama permotus concurrerat, docet porro Petrus de Iesu, qui post passionem & resuscitationem à Deo præter spem Iudæorum ei adversantium, factus est Dominus cœli, per quem istud miraculum circa Spiritus Sancti demissionem est editum.

Vers. 22. *Viri Israëlitæ.*] Iterum eos compellat honorifice; Gaudebant illi nomine Israëlitarum, quod ab Israële seu Jacobo Abrahami nepote, qui cognominatus est Israël, id est princeps vel victor Dei, essent oriundi.

Audite sermones istos.] Rursus attentionem conciliat orationi suæ.

Jesum illum Nazaræum.] Nempe illum qui à Nazareto oppido in quo educatus fuit, ita est vocatus. Vide Matth. 2. 23, quem Judæi ita vocitabant quasi per contumeliam, & super quem crucifixum in titulo hoc est adscriptum Joh. 19. 19.

Virum.] Ita vocatus Jesus etiam Joh. 1. 30. & Act. 17. 31. Ut indicetur is esse homo verus: etiam

hic

hic à Deo qui mox deinde nominatur, palam distinctus.

A Deo approbatum seu *demonstratum.*] Id est quem Deus à se missum esse, certis documentis confirmavit. Vide Ioh. 3. 2. v. 36, & probavit hunc esse Messiam verum.

In vos.] Id est vestri causa, seu propter vos, ut in eum crederetis & per eum salvi fieretis. Aliqui exponunt vobis; vel inter vos, ut 1 Thess. 1. 5. aut apud vos, ut Luc. 24. 47.

Potentiis.] Id est factis miraculosis, à potentia Dei profectis. Vide Matth. 7. 22. XI v. 2. &c.

Et prodigiis & signis.] Eadem miracula insignia pluribus vocibus idem significantibus declarat. Sic Act. 6. 8. 2 Cor. 12. 12. Hebr. 2. 4. Quidam tamen hæc distinguit, ut *potentiæ* sint miracula quæ insignem potentiam mirificam requirunt & arguunt: *portenta* autem illa quæ præ cæteris sunt stupenda: *Signa* denique generaliter omnia ea quæ indicio sunt aliquem à Deo missum esse.

Quæ fecit per eum Deus.] Indicat S. Petrus non Jesum fuisse primarium seu principalem istorum miraculorum authorem seu primam causam, sed Deum, nempe illum altissimum, à quo Jesus erat missus, à quo & potentiam ac potestatem ista faciendi accepit. Jesum autem fuisse istorum causam mediam. Sicut simile exemplum habemus Act. 15. 12. Etiam hinc apparet Jesum non fuisse ipsum Deum altissimum; nam si esset, non bene de illo ita diceretur.

In medio vestri.] Non clanculum alicubi in angulo hæc Christi miracula fiebant, sed palam in medio Judæorum.

Sicut & ipsi nostis.] Illorum ipsorum notitiam & conscientiam appellat: ut ostendat se non ignota nec dubia loqui: sed talia quæ illi ipsi negare non poterant; quippe quorum multi spectaverant oculis suis ista Jesu facta miranda.

Vers. 23. *Hunc.*] Nempe Jesum, de quo loquiorsus Petrus, ejus commendationem quasi per parenthesin addidit.

Definito consilio.] Jesu passionem commemoraturus, indicat eam non temere ac fortuito, vel tantum ex hominum malitia atque industria evenisse, sed ex Dei decreto: qui ut hoc fieret jam olim constituerat. Non tamen absolute absque ulla conditione. Neque Deus Judæos ut id facerent omnino coegit, sed eorum malitia jam parata ad id est usus, ut præter eorum intentionem id in bonum tum illorum ipsorum si resipiscerent, tum aliorum hominum converteret.

Et præcognitione Dei.] Docet id Deum præsciviſse multo prius quam fieret. Quod patet vel hinc quia per Prophetas suos prædixit id fore. Additamentum N. N. Nota hic prædestinationem & præscientiam conjungi, tanquam ejusdem rei causæ: unde apparet ea quæ Deus præcognovit æque necessario fieri ac illa quæ determinavit.

Deditum.] Nempe à Juda Iscariote uno ex Christi discipulis, proditore.

Accipientes.] Seu quum traditum accepissetis.

Per manus exlegum.] Id est sceleratorum hominum. Aliqui vertunt *per manus sceleratas.* Quia articulus Græcus non est additus: sed potest esse ellipsis articuli. Res quidem eodem redit. Satius est tamen per nomen istud intelligi ipsos homines exleges seu sceleratos: nempe Ethnicos, quales erant Romani milites, per quorum manus Jesus est crucifixus. Ii ita vocantur opposite ad Judæos, quod legem Dei non haberent nec nossent. Alibi eodem sensu vocantur peccatores, Matth. 20. 45. Marc. 14. ℣. 41. Quod essent homines prorsus profani. Hæ autem voces *per manus exlegum* non sunt conjungendæ cum voce antecedente *deditum*, sed cum sequentibus.

Affigentes.] Nempe ligno crucis.

Interemistis.] Jesum crucifixisse & occidisse dicuntur Judæi, quanquam non ipsi suis manibus eum crucifixerint, quia hujus rei authores & impulsores Pilato præsidi ejusque militibus fuerunt. Quod quis per alium facit, ipse facere censetur.

Vers. 24. *Quem Deus resuscitavit.*] Jesum ex Dei constitutione per homines impios morte affectum, Deus ex morte liberavit & ad vitam restituit. Hoc sæpe & alibi docetur ab Apostolis, quia in hoc vertebatur cardo fidei in Jesum Christum. Hinc etiam apparet Jesum non esse ipsum Deum altissimum: quia inconveniens est si dicatur Deus altissimus esse resuscitatus à Deo.

Solvens dolores mortis.] Quidam exponunt mortem dolorum plenam: ex Hebraismo. Ut *abominatio vastationis* pro abominanda vastatione accipitur, Matth. 24. 15. Aliqui Interpretes Græci, ut Theophyl. Oecumen. ita exponunt, quod mors introducatur quasi mulier quæ in ventre fœtum habuit inclusum, & cum doloribus parturiebat, ut eum in lucem emitteret; cujus dolores tunc soluti sunt quum fœtus ex ea est eductus. Sed non male quidam annotarunt, nomen Hebræum quod dolores graves notat, notare etiam, & quidem priore significatione, funes seu laqueos quibus aliquid constringitur: & respici hic verba 2 Sam. 22. 6. Psal. 18. ℣. 5, 6. CXVI. 3. Ubi de circumdatione funium mortis seu inferni (ut & hic aliqui habent) & de liberatione ex eis sermo est. Nomen autem id quod *funes* significat in Græca versione positum est *dolores.* Quam Græcam versionem Lucas est sequutus. Ergo indicatur Deus solutis vinculis mortis quibus ea Iesum vinxerat, eum in vitam revocasse.

Eo quod non erat possibile &c.] Nempe ex Dei decreto: quia is Jesum è morte excitare constituerat, ut mox probatur.

Teneri eum ab ea.] Nempe à morte, vel *ab eo*, nempe inferno seu sepulchro. Scilicet ut ibi Jesus perpetuo aut saltem diu detineretur.

Vers. 25. *David enim.*] Jesum Christum à morte non debuisse retineri, probat ex verbis Davidis, Psal. 16. ℣. 8 & seqq.

Dicit in eum.] Seu *ad eum* spectans, vel *de eo.* Ut Eph. 5. 32. David hæc in Psalmo dicens, non tam seipsum spectabat, quam eum cujus typum gerebat nempe Jesum Christum. Id S. Petrus à Spiritu Sancto edoctus, ita exposuit.

Prospicibam Dominum in conspectu meo semper.] Verba hæc citantur ex versione Græca, diversa aliquantum à textu Hebræo. In quo hoc loco est *Posui Jehovam in conspectu &c.* indicat se in periculis & in pas-

in passione, Deum sibi proposuisse velut præsentem, qui sibi adsit, quasi illum videret; ita ei & ejus auxilio se confidisse. Vide & Psal. 25. 15.

Quia ex dextris meis est.] Seu ad dexteram, prope adstans, ad opem ferendam.

Ut ne concutiar.] Id est, ne hostes mei me ita prosternant ut opprimant & victoriam de me obtineant.

Vers. 26. *Propter hoc.*] Id est propter istam Dei præsentiam.

Oblectatum est cor meum.] Id est animus meus est exhilaratus.

Et exsultavit lingua mea.] In Hebræo textu Psalmi est *gloria mea*, ut & Psal. 30. ult. Quia lingua piorum occupatur in gloria Dei celebranda. Lucas hic sequitur septuaginta Interpretum versionem Græcam.

Adhuc autem & caro mea.] Etiam post mortem incorrupta manens.

Commorabitur.] Seu deget in sepulchro. Græce proprie est tale verbum quo significatur in tabernaculo habitabit, quo notatur ad tempus breve commoratio.

In spe.] Seu cum spe. Nempe præservationis à corruptione, & resuscitationis, quod mox sequitur. Carni sepultæ tribuitur spes seu fiducia, improprie. Indicatur carnem Christi post mortem mansuram fuisse in securitate, tutam ab omni malo David Kimchi Rabbinus Judæorum Commentar. in Psal. 16. in hæc verba scripsit, sensu literali, dum sum in vivis, habitabit caro mea secure, quia liberabis me ab omni damno: at mysticè post mortem, quasi doceat non dominaturam ei corruptionem & vermem.

Vers. 27. *Quia non derelinques.*] Apostrophe seu aversio sermonis directa ad Deum Patrem.

Animam meam.] Id est *me*, per synecdochen partis pro toto; & alibi animæ pro hominibus ponuntur, ut Ezech. 17. 17. XVIII. 4. 20. XXII. 27. Act. 7. 14. 1 Pet. 3. 20. Ad hunc locum explicandum faciunt verba, Psal. 33. 19. XLIX. 16. LXXXIX. vers. 49.

In inferno.] Vox Hebræa in textu Psalmi 16 posita *Scheol*, significat in genere locum corporum humanorum post mortem, unde communiter pro sepulchro, interdum pro inferno ponitur, ut notavit Buxtorfius: Græca vox signat invisibilem locum.

Infernus autem in Sacra Scriptura plerumque notat statum mortuorum, ut præter loca modo citata, Job 7. 9. Psal. 6. 6. Jes. 38. 18. 1 Cor. 15. 55. Apoc. 1. 18. XX. 14. in quem infernum descendunt etiam homines pii, Gen. 37. 35. XLII. 38. XLIV. 29. Iob 14. 13. XVII. 13, 16. Sed Deus animas eorum redimit seu liberat ex inferno. Psal. 49. 16. XXX. 4. LXXXVI. 13. Hos. XIII. 14. Et Iesu Christi animam ex inferno Deus liberavit, dum eum mortuum resuscitavit.

Græcus textus hoc loco habet εἰς ἅδου *in inferni* & quidem tale *in* quod postulat accusativum εἰς pro ἐν & subintelligitur *domum*, seu *domo*. Ut notavit Piscator.

Neque dabis.] Id est, non sines, nec permittes ut hoc fiat.

Illum sanctum tuum.] Hebræa vox Psalmi, notat etiam benignum, aut misericordem. Dicitur id nomen etiam de aliis hominibus piis ac sanctis, ut Psal. 37. 28. LXXXVI. 2. Sed per excellentiam Iesus Christus est Sanctus Dei. Vide Mar. 1. 24.

Videre corruptionem.] Id est experiri eam, corrumpi; etiam quoad corpus Christi, quod mansit in sepulchro incorruptum, non putrefactum, tertia die vivificatum. Ita sumitur videre mortem, Ioh. 8. 51. Hebr. 11. 5.

Vers. 28. *Notificasti mihi vias vitæ.*] Id est ex morte ad vitam me reduces, & quidem ad vitam illam beatissimam ac jucundissimam, nempe æternam aditum mihi dabis; quum ejus me compotem ac participem facies. Præteritum pro futuro.

Replebis me oblectatione.] Id est lætitia summa afficies, in cœlesti felicitate.

Cum facie tua.] Id est quando tuam ô Deus mi, faciem conspiciendam mihi exhibebis. Vide Psal. 17. ℣. 15.

Vers. 29. *Viri fratres.*] Rursus compellat auditores benigne, concilians sibi eorum benevolam attentionem: volens ostendere ista modo citata verba Davidi non convenire.

Licitum dicere cum libertate loquendi ad vos.] Græce cum *parrhesia* quæ significat aliquem omnia dicere, nempe quæ vult. Hoc præfatur quia dicturus est aliquid quod durum, videri posset.

De Patriarcha Davide.] Ita olim familiarum Principes dicti sunt Patriarchæ. David autem non tantum familiæ unius è multis, sed Regiæ prosapiæ, & ipsius Messiæ progenitor, recte etiam Patriarchæ nomine decoratur. Sed hac ejus dignitate non obstantes, petit S. Petrus ut liceat de eo dicere quod verum est.

Quod & defunctus est.] Græce proprie *finivit*, id est mortuus est.

Et sepultus est.] Vide 1 Reg. 2. 10.

Et monumentum ejus.] Id est sepulchrum, in quo corpus ejus mansit.

Est inter nos.] In textu Græco habetur *in nobis*, sed sæpe *in* ponitur pro *inter*.

Usque ad diem hanc.] Indicat mansisse ad illud tempus istud Davidis sepulchrum, & quidem non tantum ita ut locus iste ostendi posset jam vacuus, quomodo & locus Jesu Christi sepulti; sed etiam ut in isto sepulchro maneret corpus illius corruptum putrefactum. Ostendit illa Psalmi verba à Davide pronunciata non posse de Davide proprie intelligi. Sed quum dicendum esset, animam Davidis relictam esse hactenus in inferno, & corpus ejus expertum esse corruptionem, mollioribus verbis id dicit. Vide Act. 13. 36.

Vers. 30. *Propheta igitur existens.*] Prophetæ etiam alii in multis suis dictis ad Christum spectabant: ergo etiam David Spiritu prophetico præditus: præsertim quum ad eum magis quam ad alios Christus pertineret, ut mox indicatur.

Et sciens quod juramento juravit ipsi Deus.] Id est certo juravit. Hebraismus. Vide annot. ad Luc. 22. ℣. 15. Ea de re promissum simplex habetur 2 Sam. cap. 8. 12 & seqq. Sed Psal. 132. 11, id vocatur juramentum.

Ex

Ex fructu lumbi ejus.] In locis modo citatis, ubi ista promissio exprimitur, mentio fit viscerum, & fructus ventris Davidici, quod de utero uxoris Davidicæ potest intelligi. Hic autem dicitur *ex fructu lumbi ejus*, quum tamen nobis constet Christum non proprie ex Josepho, qui è lumbis Davidis, ut unus è posteris ejus prodierat, esse progenitum. Respondent quidam, talia dicta ita intelligenda, quod ei qui ex Davide oriundus erat nempe Josepho, Deus ex uxore ejus propria, non alterius viri ope, sed miraculose prolem istam dederit: & quod sensu literali magis proprie Salomoni convenit, id sensu mystico de Jesu Christo intellectum non esse æque proprie accipiendum. Sed si virgo beata Maria, mater Christi, ex sanguine & semine Davidis orta ponatur, quod non est absurdum, minus improprie hoc poterit explicari. Quod jam innuimus ad Mat. cap. 1. ℣. 16.

Quod ad carnem seu *secundum carnem.*] Id est quod attinet ad carnalem nativitatem seu quatenus Christus fuit caro. Indicat in Christo esse præter carnis & carnalis nativitatis respectum, considerandum aliquid aliud, & aliam nativitatem seu generationem respectu cujus sit non Davidis filius sed Dei: nempe secundum generationem spiritualem, quam non ex Davide, sed ex Deo habuit Christus. Nam carni solet opponi Spiritus: & istis vocibus *secundum carnem* illæ *secundum Spiritum*. Insignis locus huc faciens & hunc nostrum illustrans est Rom. 1. 3, 4. Sed videantur & alii, Rom. 4. 1. IX. 3. 1 Cor. 10. 18. 2 Cor. 5. 16. Gal. 4. 23, 29. ubi etiam est insignis ista oppositio. Ephes. 6. 5. & Col. 3. 22. Non opponuntur autem usquam talia verba divinæ naturæ vel personæ, quod aliqui volunt.

Suscitare.] Suscitatio hic non est accipienda de resuscitatione ex mortuis, sed de productione naturali; sicut & in loco 2 Sam. 7. 12. in Græca versione: nam ad hunc locum hic respicitur. Quæ verba sensu quidem primo intelligebantur de Solomone filio Davidis, qui post eum Rex Israëlis fuit, & typus Iesu Christi: sed sensu ulteriore, mystico, potius plenius & magis proprie intelligenda sunt de illo Messia excellenti nempe de Iesu Christo. Nam verba ibi posita, *quum completi fuerint dies tui, & jacueris cum patribus tuis, statuam vel suscitabo, semen tuum post te*, non tam proprie pertinent ad Solomonem qui vivente Davide & natus & adultus fuit, & in solio regio consedit. Præterea ibidem addita vers. 13. *& firmabo solium regni ejus usque in seculum, vel in æternum*, improprie de Solomone, magis proprie de Jesu Christo intelliguntur.

Christum.] Græca voce, at Hebraica Messiam. Hoc nomine appellati alias & alii à Deo uncti, præsertim Reges; sed excellenter hoc nomen convenit excellenti super omnes uncto Dei, seu Regi populi divini cœlesti, nempe Iesu illi dicto Nazaræno.

Sedere.] Quidam vertunt ut sedere faceret seu collocaret. Sed verbum Græcum quod hic ponitur, passim significat potius sedere: (præter unum forsan locum Eph. 1. 20.) Et hic ergo sensus est, *ut sedeat*, nempe Christus.

Super throno ejus.] Id est solio Davidis regio. Quanquam respectu Iesu Christi hoc intelligitur non ita proprie ut in throno terreno Davidi succederet, sed ut instar Davidis esset Rex populi Dei, at multo excellentiori modo quam David, non in terreno sed in cœlesti solio considens, Deo proximus.

Vers. 31. *Prævidens, loquutus est.*] Quasi dicat, ut Propheta, Spiritu Dei revelante, multo prius antequam fieret videns spiritu suo, id de quo versu proxime præcedente dictum est, respectu Christi, suscitandi ex semine Davidis, & instar Davidis regnaturi, etiam hoc eodem spiritu prophetico & eadem præscientia prævidit David, & prophetavit in Psal. 16. hunc Christum è semine suo oriundum velut alterum se, esse ex mortuis resuscitandum. Ita ut illa verba Davidis non de ipso Davide resuscitando ita ut corpus ejus non videat corruptionem, sed de Christo isto intelligantur.

De resurrectione Christi. Nempe quod post mortem brevi esset resuscitandus à Deo, atque ad vitam rursus revocandus.

Quod non derelicta sit anima ejus.] Nempe Jesu Christi.

In inferno.] Id est in statu mortuorum. Vide notata supra ad vers. 27.

Neque caro ejus vidit corruptionem.] Id est experta est. Vide ibid.

Vers. 32. *Hunc Jesum resuscitavit Deus.*] Nempe Deus Pater, ut alibi expresse dicitur, Gal. 1. 1. Eph. 1. ℣. 17, 20. 1 Thess. 1. 9, 10. filium suum Jesum, Christum ex mortuis resuscitavit, & in vitam revocavit.

Cujus.] Sive rei, nempe resuscitationis, sive etiam ipsius Iesu resuscitati. Vide Luc. 24. 48. & supra Act. 1. 8. & infra vers. 32. XIII. 31.

Omnes nos sumus testes.] Præcipue Apostoli Christi XII. quorum hoc maxime proprium erat officium, ut essent resurrectionis Christi testes certi, quia oculati. Vide Act. 1. 22. nam eum è morte dira reducem viderunt, non semel.

Sub ista voce *omnes* merito non soli Apostoli XII, sed & alii iis adhærentes socii multi, qui Iesum crucifixum spectarunt redivivum, quique ibi tunc adfuerunt, comprehenduntur. Hi quoniam erant homines simplices, ac indocti, ut etiam dicitur infra IV. vers. 13, & in magnis periculis, inter catervas eorum qui iis & Domino eorum Jesu erant infesti, tamen id quod erat communi opinioni adversum, testabantur confidenter, ideo merito testimonium eorum ut fide dignum erat recipiendum.

Vers. 33. *Dextera igitur Dei exaltatus.*] Id est potenti vi eadem qua est resuscitatus à Deo Jesus, est ab eodem in cœlum supremum assumtus, atque ibi gloria & honore coronatus, ut dicitur Hebr. 2. 9.

Aliqui exponunt *ad dexteram Dei exaltatus*, respectu ejus quod dicitur infra vers. 34. Id quamvis etiam sit verum, tamen non est necesse hic ita exponi, recedendo à propria vocis *dextera* seu per dexteram significatione. Quanquam in ista exaltatione excellenti, continetur Jesu Christi ad dexteram Dei collocatio.

Et promissum Sancti Spiritus.] Non ipsam promissionem, quam Jesus multo ante acceperat. sed rem promissam, nempe ipsum Spiritum Sanctum. Vide Luc. 24. 49. & supra Act. 1. 4, 5. confer & Joh. 7. 39.

Accipiens à Patre.] Nempe à Deo altissimo qui est Pater Jesu Christi.

Quia autem Spiritum Sanctum Deus Pater dedit Jesu Christo filio suo, & Jesus Christus eum accepit à Deo Patre, etiam hinc apparet nec Spiritum Sanctum illum afflatum Dei, neque Jesum Christum, esse ipsum Deum altissimum.

Effudit hoc vel *hunc.*] Nam in Græco textu Spiritus est neutrius generis. Nempe eum quem à Deo Patre accepit Spiritum Sanctum, Iesus copiose & abundanter demisit cœlitus, ac largitus est Apostolis suis. Vide Tit. 3. 5, 6. ut Rex post coronationem suam donaria famulis ac subditis suis largiri solet: ita Jesus post exaltationem suam hoc donum eximium Spiritum Sanctum largitus est suis. Vide Ephes. 4. 8.

Quod nunc vos videtis.] Quanquam ipse Spiritus Sanctus sit invisibilis, tamen symbolum ejus erat visibile, nempe linguæ illæ igneæ, super Apostolos considentes supra vers. 3.

Et auditis.] Nempe ex Spiritu Sancto manantem effectum, variarum linguarum peregrinarum ab Apostolis pronunciatarum. Supra vers. 4 & 6 & 11. Talia insignia & miranda in Jesu illius discipulis facta, visa & audita, evidenter, ab adversariis, probabant manifeste istum Jesum esse Deo charissimum, qui propter ipsum & per ipsum talia fecerit.

Vers. 34. *Non enim David.*] De Jesu supra Davidem prærogativa loqui orsus respectu resurrectionis, hic porro eandem illustrat respectu ascensionis in cœlum, per quam indicat idem quod modo dixit de Jesu per dexteram Dei exaltatione.

Ascendit in cœlos.] Nempe ex terra in illud cœlum cœlorum altissimum. Quam ascensionem in cœlos non talem intelligit qualis fuit Eliæ, vel etiam Enochi, sed sub ea comprehendit summam Jesu exaltationem ejusmodi ut evaserit Rex cœli, quod mox exprimit per ejus ad dexteram DEI sessionem. De Davide nusquam scriptum est quod ascenderit in cœlum, seu potius *in cœlos* ut hic numero plurali dicitur, præsertim totus cum corpore suo. Sed scriptum est tantum, Davidem obdormivisse cum patribus suis, & sepultum esse in civitate Davidis. 1 Reg. 2. 10. ergo ille tantum descendit in sepulchrum, non autem etiam ascendit in cœlum.

Dicit autem ipse.] Nempe David in Psalmo 110.

Dixit DOMINUS.] Qui ex Hebræa voce solet vocari Jehovah, nempe DEUS altissimus, qui est Pater Iesu Christi.

Domino meo] Hebraicè *l'Adoni. Adon* generaliter significat Dominum, quod etiam hominibus meris tribui solet; & notat eum qui habet potestatem atque authoritatem in subjectos.

De istorum verborum sensu, & quomodo Messias seu Christus sit *Davidis Dominus*, & quid significet istud dictum Dei *sede ex dextris meis*, seu *ad dexteram meam* videantur annotata ad Matth. 22. vs. 44, 45.

Hoc addere libet, non dicere DEUM Christo *sta* coram me sed *sede*, quod est honoris: & quidem non ad pedes, sed *ad dexteram meam* nempe DEI. Homines quidam eximii, ut Reges, quamvis sedeant in thronis, tamen non ad dextram DEI sedent, sed sub pedibus DEI, quia terra est scabellum pedum DEI. Angeli autem quamvis aliqui habeant attributos thronos, tamen etiam eximii, dicuntur adstare coram facie DEI, ut parati ad ministeria. Omnes hos superat dignitate & honore Christus, DEO altissimo proximus, cum eo simul Rex cœlestis.

Vers. 35. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*] Hæc verba addita, indicant tum Christi gloriam, in ejus insigni de hostibus ipsi hactenus adversantibus, victoria, tum minas, quæ respiciunt præter alios etiam Judæos, qui quantumvis hostiliter contra Jesum Unctum Dei tumultuati fuerint, tamen tandem futurum sit ut iidem ipsi à Deo subjiciantur.

Vers. 36. Jam ex prædictis infertur istius concionis Petri conclusio.

Certo ergo cognoscat.] Id est, pro re quæ à lapsu & errore atque fallacia sit tuta, hoc habeat.

Omnis domus Israëlis.] Id est omnes posteri Jacobi, qui dictus Israël: omnes Israëlitæ: quorum pars eximia erant Judæi.

Quod Dominum.] Nempe non qualemcunque, non terrenum, sed eum qui in cœlum evectus, consedit ad dexteram DEI, ut modo dictum qui habet omnem potestatem in cœlo & in terra sibi datam Matth. 28. 18. Talis autem Dominus cœlestis potest jure vocari Deus. Unde etiam Ambros. de fide cap. VII. ita hæc verba citat, quod eum DEUS fecit Deum, & Cyril. Thesau. IX. concedit posse dici quod Jesus factus sit Deus. Certe si Jesus non à seipso est Dominus, sed DEUS eum fecit Dominum, ergo etiam non à seipso est Deus, sed ab alio id est effectum ut sit Deus. Si Dominium istud Jesu idem est cum ejus Deitate, ergo quando is factus est Dominus, simul etiam factus est Deus. Quodsi non idem, tum vel par, vel impar. Si par, p rium par est ratio. Sin impar, tum vel majus quid, vel minus. Majus Deitate id esse nemo dixerit. Sin minus, tum ita procedit argumentum, Si Jesus non ex seipso habet id quod minus est, nempe ut sit Dominus, sed ab alio est factus Dominus, multo magis non ex seipso habebit id quod majus est, nempe ut sit Deus, sed ab alio nempe à DEO altissimo factus est Deus. Ergo Jesus non est ipse DEUS altissimus.

Nihil agunt ii qui hæc verba, *Dominum eum fecit Deus* ita exponunt, vel potius pervertunt, quod DEUS Jesum jam olim dominium omnium rerum per æternam ex se generationem accepisse & reipsa habuisse, tunc declaraverit, & ut hoc agnosceretur effecerit. Nam primum, à verborum proprietate discedunt absque necessitate. Nullum enim inde absurdum sequitur si Jesum dicatur Deus fecisse proprie Dominum. Deinde, cuinam id declaravit? num angelis? an igitur angeli non noverant jam antea Jesum esse id quod semper ex istorum sententia erat, nempe Dominum? num hominibus? at istis tunc demum reipsa, his ipsis Petri verbis id DEUS declarabat.

Si quis dicat, Jesum factum esse à Deo Dominum quod ad humanam naturam non quod ad divinam attinet; ut nunc alia quæ dici possent prætereantur, concedimus imo urgemus Jesum quatenus est homo, factum esse talem Dominum. Sed hoc ipsum pro nobis

nobis contra eos est, quod iste Jesus homo factus sit Dominus cœlestis, & quidem factus talis non à seipso seu persona secunda divina sibi adjuncta, sed ab alia persona, nempe DEO illo, de quo mox videbimus.

Et Christum.] Christus Græce idem quod Hebraice Messias, significat Unctum, & quidem à DEO, nempe in id ut sit Rex populi DEI. Quamvis autem & alii Reges dicti sint Christi seu Uncti DEI, tamen id nomen per excellentiam convenit ei qui est Rex post Deum excellentissimus omnium: quem sub titulo Messiæ jam olim Israëlitæ sibi promissum exspectabant. De quo, sensu mystico perfectiore intelliguntur verba Psalmi secundi. Quem Deus unxit non oleo quopiam terreno, sed cœlesti, nempe Spiritu suo Sancto Luc. 4. 18. Act. 10. 38. Esse autem Christum idem valet quod esse Dominum talem cœlestem de quali antea dictum.

Eum.] Nempe de quo loquor, qui expressus est supra ℣. 32. & hic mox, *Jesum.*

Deus.] Nempe ille qui per excellentiam ita vocatur, ille unicus altissimus. Qui jam olim ab Hebræis & Israëlitis pro tali est agnitus: qui est pater Domini Jesu. Videatur locus Joh. 8. 54. Qui ab ipso Jesu sæpe vocatus est Deus ejus.

Non est igitur cur quis hic dicat per istum Deum hoc loco intelligi secundam personam divinam quæ est Filius Dei, ipse Jesus Christus. Nam, ut alia nunc omittantur, certe Israëlitæ ad quos tunc sermonem habebat S. Petrus, Dei nomine absolute posito, non alium aliquem nisi primam personam intelligebant. Et alibi docetur Deum illum qui sit à patribus Israëlitarum pro tali agnitus, Jesum puerum suum excitasse, & glorificasse, atque primarium Ducem & Servatorem exaltasse dextera sua. Vide Act. 3. ℣. 13. & v. 30, 31. & 1 Cor. 15. 28.

Fecit.] Id est constituit talem reipsa, & ad eam dignitatem eum evexit: quando ei dominium omnium rerum seu omnem potestatem in cœlo & in terra dedit, & omnia subjecit sub pedes ejus, præter seipsum. 1 Cor. 15. 27. quando eum Regem cœlestem actu ipso effecit. Non igitur semper Jesus fuit talis Dominus. Quamvis autem Jesus adhuc ante mortem ac resurrectionem suam & in cœlum ascensionem jam aliquomodo fuit Dominus & Christus, quum in terra imperaret morbis, & dæmonibus, & mari atque tempestatibus, & peccata cum authoritate à Deo sibi data remitteret; tamen prefectiori modo eo demum tempore factus est talis Dominus ac Christus, quando post resurrectionem est à Deo in cœlum assumtus & exaltatus, & ad dexteram ejus collocatus. Quod & hic indicatur, tum supra ℣. 32, 33, 34, tum mox his verbis *quem vos crucifixistis.* Et alibi, ut Eph. 1. 19, 20. & Philip. 2. 8, 9. & Hebr. cap. 1. 3.

Hunc Jesum quem vos crucifixistis.] Infigit ultimo aculeum, quo pungit illos Judæos, quod Jesum hunc tam eximium virum, miraculis in medio ipsorum factis, & illis ipsis non ignotis, inclytum, ut dixit supra ℣. 22 crucifixerint, seu morte dira & ignominiosa crudeliter affecerint, quod etiam jam eis exprobravit blande supra ℣. 23, quem Deus, illis adversus, è morte ad vitam resuscitavit, & Dominum cœlestem fecit; cujus dominii ejus effectum & signum eximium tunc apparuit in Spiritus Sancti ab ipso Jesu cœlitus in ejus famulos Apostolos mirabili demissione.

Hinc ratiocinandum erat Judæis, pro tam atroci in Jesum qui sit Messias, ab ipsis edito scelere esse pœnas graves à Deo exspectandas: imo & ab ipso isto Jesu, nisi ab eo salutem quærerent.

Vers. 37. Jam istius concionis effectus subsequutus enarratur.

Audientes autem vel *Quum audissent.*] Nempe ista à Petro dicta pathetice, illi Judæi qui eo mirabundi concurrerant, supra vers. 5, 6.

Compuncti sunt corde.] Nempe tum istius sermonis à S. Petro ad eos directi verbis acribus, quamvis simul blandis, cum energia pronunciatis, veluti acules ac stimulis fodicati & perciti; tum etiam conscientia peccati in Iesum admissi, quem jam esse Messiam convicti sunt, permoti animo, atque perculsi, quendam acutum ac penetrantem animi dolorem cum pœnitentia persentiscentes. Huc videntur non immeritoposse accommodari verba illa Zach. 12. 10.

Dixeruntque ad Petrum.] Qui ad ipsos ita peroraverat.

Et reliquos Apostolos.] Petri socios, eadem quæ Petrus dixit attestantes, & similiter Spiritu Dei Sancto afflatos.

Quid faciemus?] Id est quidnam facere debemus? Nempe ut peccati tanti in Messiam commissi remissionem consequamur, & pœnas divinitus nobis infligendas evitantes, salvemur. In eo consilium & auxilium à Discipulis Jesu requirunt & exposcunt.

Viri fratres.] Sicut ipsos antea blande compellavit Petrus Apostolus, ita vicissim ipsi Petrum & ejus socios compellant, fraternam erga eos charitatem suam declarantes.

Vers. 38. *Petrus autem infit ad eos.*] Non tantum suo sed & sociorum suorum nomine dat illis quod quærebant consilium salutare.

Resipiscite.] Id est non tantum dolete vos peccasse, sed animum mutate in melius, & vitæ vestræ morumque statum convertite. Nam id verbum Græcum hoc loco positum significat. Vide Annotat. ad Matth. 3. 2.

Hic impleri cœptum Jerosolymæ illud quod Christus prædixit Luc. 24. 47.

Et baptizetur.] Resipiscentiæ, sub qua hoc loco etiam fides in Christum comprehenditur, adjungitur præceptum de suscipiendo baptismo. Ut aquæ immersi corporibus, declararent hoc signo externo, se velle peccatorum sordes quibus animæ eorum erant pollutæ abluere; & opinionibus pristinis vanis depositis, religioni ac doctrinæ Christi adhærere, ipsique Christo ut Duci salutis obedire, ejusque præcepta observando novam vitam puram piam & sanctam agere.

Unusquisque vestrum.] Nempe Judæorum, qui antea à Jesu Christo eratis aversi.

In nomine Jesu Christi.] Id est ita ut vos Jesum illum pro Christo ac Messia seu Rege cœlesti à Deo constituto agnoscere, eique ut discipulos Magistro eximio addictos, obedire velle, profiteamini atque palam testemini. Videantur annotata ad Matth. 28. vers. 19.

Non fit mentio Dei Patris, quia in hunc jam antea

Judæi isti se credere eique addictos esse profitebantur.

In remissionem peccatorum.] Quia iis qui resipiscebant atque fidem in Jesum Christum suscipiebant eamque apud baptismum profitebantur, dabatur à Deo & Christo ejus, peccatorum antecedentium venia, ut jam pro eis non punirentur. Vide Mar. 1. 4. Luc. 3. 3. Ad hæc verba Piscator in Scholiis annotavit, Non ad consequendum peccatorum remissionem per hoc medium sive instrumentum (nempe per baptismum solum): quia sola fides medium illud sive instrumentum est quo remissionem peccatorum in Euangelio apprehendimus. Ergo nemo de sui peccati dimissione desperet (nempe si resipiscat) quando etiam illi veniam meruerunt, (id est ex Dei misericordia obtinuerunt) qui Christum occiderunt. Ita infert Augustin. in Joh. Tract. 31.

Et.] Id est, tum quum resipiscentiam vestram & fidem in Jesum Christum cum baptismi susceptione profitentes testabimini, non solum ob peccata præterita à Deo non puniemini, sed etiam insuper,

Accipietis.] Nempe à Deo, per Christum.

Donum Sancti Spiritûs.] Illum eximium arrhabonem cœlestis hæreditatis Eph. 1. 13, 14. Ut ecce nos hujus Jesu Christi discipulos accepisse videtis. In illis Ecclesiæ Christianæ primordiis Spiritus Sanctus largiter dabatur à Christo plerisque in ipsum credentibus, ad majorem eorum in Christianismo confirmationem. *Donum Spiritus Sancti* non intelligitur hoc loco tale quod donatur ab ipso Spiritu Sancto, sed donum Dei, hoc quod est ipse Spiritus Sanctus. Ut Joh. 2. 11, *templum corporis* id est templum quod erat corpus. Bene ad hæc verba Piscator annotavit in scholio. *Donum Spiritus Sancti*, id est Spiritum Sanctum, qui est donum Dei, seu quem vobis donabit Deus. Genitivus notat speciem, sicut supra vers. 33.

Vers. 39. Confirmat eos in fide de remissione peccatorum atque salute obtinenda. *Vobis enim est promissio.*] Scilicet *facta* nempe à Deo. Vel, vestra est promissio, seu ad vos posteros Abrahami Isaaci & Jacobi, Israëlitas pertinet & spectat promissio Dei, ut vobis reipsa detur id quod erat promissum. *Promissio* ista à quibusdam restringitur ad promissam effusionem Spiritus Sancti, in verbis Joëlis citatis supra vers. 16, 17. Sed non est alienum eam extendi latius, ut intelligantur per eam promissiones gratiæ Dei & benedictionis eximiæ, factæ Abrahami posteris. Gen. 17. 7. Deut. 29. 13. Videantur etiam verba Rom. 9. 4. ubi quamvis pleraque exemplaria habeant *promissiones* tamen aliqua habent singulariter *promissio*. Ut etiam habetur ex opposito de Ethnicis, Ephes. 2. 12. Intelligitur autem præcipue illa præcipua promissio Israëlitis facta de Messia quam cætera consequuntur. Vide & Rom. 15. 8.

Et omnibus qui in longe seu *procul.*] Hoc plerique exponunt de Ethnicis, qui ab Israelitis longe remoti erant, non tam loco quam religione: quia solent isti ita describi, ut Eph. 2. 13 & 17.

Sed videtur, Gentium vocationis ad Christum, mysterium, tunc fuisse ignotum adhuc Christi discipulis, & ipsi Petro, ut apparet ex Act. 10. 20, 34, 35, 45. XI. 2, 3, 18. Quod agnovit etiam Beza scribens in hunc locum præsentem. Qui etiam hæc verba ita vertit, *& omnibus longe post futuris* exponitque ea de Judæis, eorum qui tunc crediderunt posteris, post multas deinceps generationes, convertendis. Simile dictum habetur Deut. 29. 14, 15. & 22.

Sed possunt etiam per eos qui *longe* seu *procul sunt*, intelligi non tam remoti tempore, quam loco, ut hoc intelligatur: aliis etiam præter illos qui tunc aderant Judæis imo & reliquis Israelitis qui erant per varias terras atque regiones à Jerosolyma dissitas dispersi atque dissipati.

Quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.] Nempe per Euangelii prædicationem, ad fidem in Jesum Christum, ita ut Deo vocanti isti obediant. Ita enim interdum sumitur nomen vocatorum, ut Rom. 1. 6, 7. VIII. 28. 1 Cor. 1. 2, 24. Judæ 1.

Vers. 40. *Aliisque sermonibus pluribus.*] Non his solis qui hic sunt scripti. Plura verba S. Petrus adhibuit ad eos permovendos atque monendos & confirmandos.

Obtestabatur & exhortabatur, dicens: servamini.] Id est servate vos. Nam est exhortatio, ut hic dicitur. Ita & alibi verbum passivum pro reciproco activo ponitur, ut Act. 3. 19. Rom. 10. 3. XIII. 1, 5. Eph. 5. 22, 24. &c. 1 Petr. 5. 6. Hoc est per fidem in Jesum Christum & resipiscentiam veram atque seriam, separate vos ipsos atque segregate à reliquis hominibus vestræ gentis, ut mox additur: & simul hoc facto subducite vos abexitio, & à pœnis divinis, quæ manent & in hoc & in futuro seculo, incredulos ac inobedientes. Videntur respici verba Joëlis memorata supra ℣. 19, 20, 21.

A generatione prava ista.] Id est ab hac gente, seu à genere isto hominum, Jesu Christo adversorum, quales inter Judæos præcipui fuerunt Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi: ac tunc etiam forsitan in illo multitudinis conventu aderant nonnulli qui incredulitate obstinati atque excœcati, hisce dictis atque factis resistebant & ipsos Apostolos rabiose calumniabantur, ut supra ℣. 13.

Vers. 41. *Qui quidem ergo libenter receperunt sermonem ejus.*] Ita ut ei sermoni tanquam vero agnito assensum atque fidem adhibuerint.

Baptizati sunt.] Nempe ab Apostolis XII. & aliis discipulis Christi, qui ibi aderant non pauci, supra cap. 1. 15 in aquis mersabantur, more tunc in isto sacro ritu solito.

Et appositæ sunt.] Seu additæ, nempe discipulis Christi: aut Ecclesiæ nempe Christianæ, ut habetur infra vers. 47.

Die illa.] Nempe pentecostes qua Spiritus Sanctus est in Discipulos Christi copiose effusus, & qua Petrus primam ad Judæos concionem habuit.

Animæ.] Id est homines, per Synecdochen.

Quasi ter millenæ.] Ecce Simon ille Petrus Piscator tam multos pisces rationales reti prædicationis verbi Dei, cepit Jesu Christo, ad eorum ipsorum salutem.

Vers. 42. Conversionis istorum Judæorum ad Christum, effecta ulteriora, cum Christianæ Ecclesiæ primævæ forma, hic indicantur.

Erant autem perseverantes.] Id est diligenter atque constanter tunc permanentes.

In do-

In doctrina Apostolorum.] Quam à Jesu Christo acceptam Apostoli annunciabant: ei audiendæ assiduo aderant, & eam amplexi firmiter fide tenebant ac meditabantur, atque etiam ad praxim deducebant, & opere ipso exsequebantur.

Et communicatione.] Quidam istam communicationem referunt ad fractionem panis & orationes, ut in his communionem habuerint, isti fideles. Sic vulgatus Interpres Latinus, & Syrus, & Arabs.

Sed quia in Græco textu distinguuntur, ut quatuor sint ea in quibus isti conversi perseverabant; ideo ista communicatio bene intelligitur de communione facultatum, de qua infra ℣. 44, 45. ac Rom. cap. 12. 13. xv. 26. 2 Cor. 8. 4. IV. 13. & de aliis charitatis Christianæ officiis. Potest hic intelligi generaliter illa *sanctorum communio*, cujus in Symbolo Apostolico post *sanctam Ecclesiam catholicam* fit mentio.

Et fractione panis.] Hanc Syrus Interpres interpretatur Eucharistiam, nempe ritum quo panem benedictum frangendo ac comedendo passio Jesu Christi commemoratur cum gratiarum actione, ut Matth. 26. 26. 1 Cor. 10. 16, 17. Quidam tamen, ut Beza, latius hoc sumunt, de communi convictu, seu conviviis. Sed de his videndum postea ad ℣. 46. Quanquam constat, antiquitus, Christianos cum conviviis quas Græca voce Agapas, quasi charitates vocabant, sacram cœnam Dominicam solitos usurpare. Quod liquet ex 1 Cor. 10. 21. & ex Tertulliano, Apolog. c. 39. Tales agapæ Christianorum videntur indicari Judæ ℣. 12. Lorinus hoc loco annotavit fuisse consuetudinem antiquam partiendi Sacramentum pro adstantibus.

Et precationibus.] Preces dirigi solitæ ad Deum, à Christianis etiam ad Jesum Christum, addi solent, & debent aliis Christianæ pietatis officiis, & religionis exercitiis quorum pars magna sunt: idque fieri debet ita ut fiant, non solum privatim ac seorsim ab unoquoque, sed etiam in publico conventu communes.

Vers. 43. *Factus est autem omni animæ timor.*] Id est omni homini. Intelliguntur autem homines illi qui cœtui Christi discipulorum nondum sese aggregaverant: sed ex iis rebus admirandis quas circa Christi discipulos & ab ipsis discipulis fieri videbant, & audiebant oboriebatur in eis metus, & reverentia erga Dominum Jesum ac ejus doctrinam, & discipulos: ita ut eos tanquam homines cœlestes, sanctos Deo eximie charos, & factis illustres, cum horrore metuerent, nec temere tangere aut violare auderent. Similem metum olim Deus incusserat Sichemæ accolis ac vicinis, ne Jacobum ejusque filios molestia afficerent ac persequerentur Gen. 35. 5.

Multaque prodigia & signa.] Hæc quomodo intelligantur, & quatenus inter se differant, dictum est supra ad ℣. 22. *Per Apostolos.*] Ut causas medias. *Fiebant.*] Nempe Deo ac Christo vi Spiritus sui talia miracula operante.

Vers. 44. *Omnes autem credentes.*] Seu qui crediderant in Jesum Christum.

Erant in idem.] Quidam hoc exponunt *eodem loci:* sed videtur indicari non tantum loci sed & personarum conjunctio, ut supra cap. 1. ℣. 15. Et ipse Beza, qui hoc de loco interpretatur, annotat, Ego vero, communes Ecclesiæ cœtus ita existimo significari, cum mutua in eandem doctrinam consensione, & summa animorum concordia.

Et habebant omnia communia.] Quia possessionum atque facultatum suarum usum aliis communicabant, ex charitate. Ut jam olim proverbio dicitur, Amicorum omnia esse communia; quamvis non proprie possessione, sed usu. Ita ut ii qui vel inde ex ipsa Judæa atque Galilæa oriundi erant, sed pauperes, vel ex aliis oris remotis illuc venerant, & ad Christianismum magno numero conversi, post recentem conversionem, in congregatione unanimi studiis doctrinæ Christianæ ac pietatis vacabant unice, ut labore manuum suarum victum quærere eis non vacaret, ab illius loci incolis opulentis per communicationem facultatum victu communi ad tempus justum, donec è loco illo per alia loca dispersi essent sustentarentur.

Sic faciebant & Pythagoræi: videatur Gellius L. 1. c. 9. Apud Essenos similem morem notat Philo de præmiis, & Josephus Flavius. Hinc autem non sequitur necessario quod nunc Communistæ docent, Christianos omnes debere omnium suorum bonorum possessionem prorsus abdicare, & ea semper in commune conferre. De quo erit aliquid dicendum postea: & c. 4. 32. & 5. 4. multo minus existimandum est discipulos illos omnes tunc ita omnino vixisse, sicut nunc vivunt ii qui cœnobitæ, alias Monachi, vocantur.

Vers. 45. *Et possessiones.*] Ut sunt bona quæ vocantur immobilia; sicut agri, qui per *possessionem* intelliguntur Sirac. 28. 27. & 36. 25. Sicut & Arabs hoc loco vertit. Tum etiam domus, præter eas in quibus habitabant, & conveniebant, ut & vers. mox sequente indicatur.

Et facultates.] Per has intelliguntur alia bona, quæ vocantur mobilia.

Vendebant.] Quia eo tempore in illo loco id res ipsa requirebat: quum ii qui ex variis etiam remotis regionibus ac gentibus, quæ supra vers. 9 & sequentibus enumerantur, Jerosolymam advenerant, & magno numero, trium millium, ad Christianismum conuersi erant, atque cum Apostolis & aliis Christi discipulis per dies non paucos commorari volebant, indigerent subsidio pro victu quotidiano.

Ubi talis necessitas non adest, ibi non est necesse vendere bona, præsertim omnia.

Et dispertiebant ea omnibus prout quis opus habebat.] Non omnino æqualiter secundum proportionem Arithmeticam, ut solet inter Monachos fieri, sed pro eo quod personarum major vel minor indigentia & status validior aut ægrior, vel etiam familia paucior aut numerosior requirebant.

Vers. 46. *Quotidieque perdurantes unanimiter in templo.*] Eo conveniebant ad cultum Dei secundum Legem cum aliis Judæis adhuc celebrandum, & ad preces communes, in illa domo Dei religioni ac precibus destinata. Vide Matth. 21. 13. Ac ad colloquia cum Judæis habenda. Id agebant præter illa in separatis congregationibus suis pietatis exercitia de quibus supra vers. 42. & hic mox. *Domatim* in Græco textu proprie est *secundum* vel

per donum. Quod aliqui intelligunt de templo, quod dicebatur domus Dei; sed non recte. Nam hic distinguuntur, imo opponuntur ista, *in templo* & *secundum domum:* sicut etiam infra vers. 42. Ac sicut *secundum urbem* Luc. 8. 1, significat per urbes, seu oppidatim, ita hic secundum domum significat per domos, sive domatim. Non autem in una domo, sed per diversas domos hæc multitudo credentium plusquam trium millium, coibat ad capiendum cibum, de quo hic dicitur.

Frangentes panem.] Hoc aliqui de Eucharistia sola accipiunt, supra vers. 42. Sed alii de victu seu cibo ordinario domestico, ut Chrysostomus, Theophyl. Oecum. Cajetanus, Lorinus. Potest utrumque conjungi. Nam olim cum cœnis domesticis ad quarum convivia convocabantur fratres, quæ Græco nomine charitatem significante vocabantur Agapæ, de quibus in Synodi Gangrensis canone XI fit mentio, etiam Cœna Dominica seu Eucharistia peragebatur.

Percipiebant alimentum in exsultatione.] Id est cum gaudio, & hilaritate, non carnali sed spirituali sancta, non tam ex cibis, quam ex veritate divina cognita & in ea atque in pietate profectu, & ex conversatione mutua lætantes.

Et simplicitate cordis.] Id est cum sinceritate animi, bona fide agentes ut Ephes. 6. 5. Col. 3. 22. vel alacritate liberali cum fratribus egentibus facultates suas communicantes. Simile dictum 2 Cor. 9. 13.

Vers. 47. *Laudantes Deum.*] Celebrantes ejus potentiam ac bonitatem, & gratias ei agentes pro Messia jam exhibito, atque illis etiam revelato, & pro aliis beneficiis.

Habentes gratiam ad totum populum.] Id est grati populo Judaico, simplici, propter virtutes, quas etiam ii qui ipsi non sequuntur, vident, & approbant. Simile quid vide Exod. 11. 3. XII. 36.

Dominus autem.] Nempe Jesus Christus, ille quem Deus fecit Dominum supra ℣. 36. qui ita sub Novo Fœdere vocatur peculiariter, frequentissime per Antonomasiam.

Apponebat salvandos.] Id est tales qui ope Domini per fidem in ipsum Jesum Christum, ac resipiscentiam, sese à vulgo Judæorum incredulorum segregabant, & ita saluti consequendæ erant destinati atque parati. Vide supra ℣. 21 & 40. ut si in statione ista perseverarent, salutem æternam ex Dei gratia consequerentur.

Quotidie.] Subinde per colloquia Christianorum aliqui ex iis qui antea non credebant lucrifiebant.

Ecclesiæ.] Nempe illi discipulorum Christi cœtui. Ut isti recens conversi accederent ad eorum, qui antea crediderant congregationem atque sacram societatem.

CAPUT III.

Vers. 1. *IN idem autem.*] Id est *simul.* Vide supra cap. 1. 15. & 2. 1 & 44. Hæc verba aliqui jungunt fini capitis præcedentis, voce *autem* post nomen *Petrus* collocata.

Petrus & Johannes.] Duo ex Christi Apostolis præcipuis.

Ascendebant in templum.] Ubi cultus Dei publicus solennis ex lege, nondum tunc plane abrogatus, celebrabatur, vide supra cap. 2. ℣. 46. Quamvis autem ibi dictum sit eos perdurasse seu permansisse in templo, tamen hoc non ita simpliciter intelligendum quasi nunquam à templo digrederentur, hinc apparet quod hic dicantur ascendisse in templum certo tempore.

Ad horam precationis nonam.] Erant à Judæorum Senioribus constitutæ præter legem certæ horæ non tantum sacrificiorum Deo offerendorum, sed etiam precum, eæque tres usitatæ. Primum matutina, à Solis exortu tertia, de qua supra cap. 2. 15. Deinde meridiana, post horam diei sextam infra c. 10. 9. Denique vespertina, media inter meridiem & Solis occasum, post nonam horam diei. Quia dies ibi erat divisa in horas duodecim. De ista igitur hora precum vespertina hic est sermo. Vide Psal. 55. 18. qua etiam juge sacrificium vespertinum Deo offerebatur Exod. 29. 39.

Vers. 2. *Et quidam vir claudus ex utero matris suæ existens, portabatur.*] Post descriptum tempus describitur homo circa quem miraculum, paulo post narrandum est factum. Indicatur non ex accidente aliquo quod medicina sanari posset pedes ejus fuisse infirmos, sed à nativitate male formatos, ut tanto illustrius sit hoc miraculum.

Quem ponebant per diem.] Id est quotidie seu singulis diebus.

Ad januam templi.] Usitatum est ut ad fores templorum constituti mendicantes, ab ingredientibus in templa stipem corrogent: ut isti precibus jungant eleemosynam.

Speciosam seu *pulchram.*] Hæc janua seu porta ut dicitur ℣. 10, fuisse dicitur in primo templi ambitu, sive atrio Gentium, ab Herode ædificato, inducta ære Corinthiaco, quod auro non cedebat pretio. Videatur Josephus de bello Jud. lib. 6. c. 6. & lib. 7. cap. 12.

Ut peteret eleemosynam ab ingredientibus in templum.] Exprimitur scopus quem spectabat iste claudus in eo quod se ad portam templi collocari curaret, nempe eleemosynæ ad victum quem sibi non facile parare potuit, emendicatio.

Vers. 3. *Qui videns Petrum & Johannem ingressuros.*] In Græco textu est, quasi dicas *futuros introire.*

Rogavit eleemosynam accipere.] Nempe ut ipsis dantibus stipem ad victum acciperet. Istud *accipere*, redundat.

Vers. 4. *Intendens autem Petrus in eum cum Johanne, ajit.*] Nempe oculos defigens: quippe intuitu miseriæ ejus afficiebantur misericordia, ad eum juvandum.

Aspice in nos.] Ut eum erigeret in spem beneficii ab ipsis accipiendi.

Vers. 5. *Is autem attendebat eis.*] Non tantum auribus auscultans, sed intentis in eos oculis, & animo.

Exspectans aliquid ab eis accipere.] Ut solito more ab aliis accipiebat.

Vers. 6. *Ajit autem Petrus, argentum & aurum non est mihi.*] Posset quis quærere, quomodo Apostolorum primas non habebat pecuniam, quæ hic argenti

argenti & auri nomine designatur, quum jam indicatum sit supra cap. 2. 45, è possessionibus venditis distributum esse omnibus quantum quis opus haberet. Imo infra cap. 4. 34, 35 dicitur, venditarum rerum pretia allata, posita esse ad pedes Apostolorum. Respondetur, pecuniam hanc collatam, non fuisse in peculio Apostolorum proprio, sed communem, ad communes fidelium necessitates sublevandas ex communi consensu dispensandam. Ita pauperes erant Apostoli quia opes non captabant, & eorum primas paupertatem suam confitebatur. At nunc is qui Petri successor censetur, non potest vere dicere, argentum & aurum non habeo, nam solet habere avare collectos thesauros copiosos, ultra necessitatem. Sed vicissim non habet id quod habuit S. Petrus, ut dicat efficaciter claudo, surge & ambula.

Quod autem habeo] Id erat longe præstantius & utilius argento atque auro, habere divinitus facultatem faciendi miracula benefica, ægris sanitatem repente restituere.

Hoc tibi do.] Id est hujus facultatis effectum tibi confero: non enim ipsam facultatem talia miracula faciendi illi dedit. Est hic metonymia causæ pro effectu.

In nomine Jesu Christi Nazarei.] Id est illius à Judæis contemti & crucifixi, authoritate & potestate atque potentia, ob fiduciam in ipsum. Vide infra c. 4. ℣. 7, 10, 30. Confer hic infra ℣. 16.

Surge.] In Græco textu proprie est *excitâre: & ambula* quod adhuc facere non poteras ut pedibus insisteres, & progredereris, hoc nunc fiet.

Vers. 7. *Et prehendens eum dextera manu.*] Id est, illius claudi manum dexteram prehendens.

Erexit.] Nempe jacentem stare non valentem, elevavit manu sua.

Protinus autem confirmatæ sunt ejus plantæ.] Græce *bases:* à verbo quod significat incedere seu gradiri.

Et malleoli.] Vulgata versio Latina hoc loco habet *plantæ*, sed non recte. Nam hic intelliguntur partes plantarum pedum, quas aliqui talos vocant, quæ ad latera pedis infimi supra calcaneum extuberant: quæ partes nisi firmæ sint, incedi firmiter non potest.

Vers. 8. *Et exsiliens.*] Nempe ex grabbato suo, in quo ad templi januam delatus jacuerat; *stetit* erectus firmatis jam pedibus insistens.

Et ambulavit.] Non tantum constitit in loco uno, sed è loco in alium locum pedibus progrediebatur.

Et introivit cum eis.] Id est cum Apostolis Jesu Christi Petro & Johanne, à quibus beneficium sanationis obtinuerat. *In templum.*] In locum sacrum, ut in eo sacrificia gratiarum actionis pro hac à Deo authore profecta gratia ipsi Deo redderet.

Ambulans & saliens.] Utebatur dono divinitus dato, cum alacritate, atque se non jam claudum, sed pedibus firmis ac sanis esse testabatur.

Et saliens.] Non tantum utcunque ingrediens, sed saliendo testatus gaudium ex acquisito repente incessu. Ita illud quod prædictum erat de temporum Messiæ miraculis, Jesai. 35. 6, *claudus sicut cervus saliet*, tunc est impletum.

Et laudans Deum.] Gratus beneficii quod à Deo ut prima causa, per Jesu Christi nomen seu potestatem, opera Apostoli S. Petri, est ei datum.

Vers. 9. *Et vidit eum omnis populus, ambulantem & laudantem Deum.*] Miraculum istud cum effectu suo non fuit occultum, sed innotuit, non uni aut alteri, sed magnæ hominum multitudini.

Vers. 10. *Cognoscebant autem eum, quod iste erat qui ad eleemosynam sedebat apud pulchram portam templi.*] Quia loco celebri, & quidem quotidie conspiciebatur ejus miseria, ideo facile agnoscitur is ipse esse sanatus.

Et impleti sunt pavore & stupore super eo quod contigerat ei.] Quia rei inopinatæ atque admirandæ conspectu percellebantur.

Vers. 11. *Tenente autem illo sanato claudo Petrum & Johannem.*] Nempe ita ut his benefactoribus suis tenaciter adhæreret, ut eos non dimitteret. Similiter Lucæ 4. 42, turbæ tenuisse Jesum dicuntur.

Concurrit ad eos omnis populus.] Miraculi tanti partim conspectus, partim rumor plurimos adtraxit, tum ad Apostolos, qui hoc miraculum sanationis ediderant, tum ad illum olim claudum sanatum, ut tum illos tum hunc spectarent: aliqui id faciebant mera curiositate, alii autem bono rerum divinarum cognoscendarum studio.

In porticu vocata Solomonis.] De qua habetur etiam mentio Joh. 10. 23. Templo structo Rex Solomo adstruxerat ei porticum, valli profundæ imminentem. Quamvis autem ut templum ipsum ita & hæc porticus à Chaldæis seu Babyloniis olim essent destructa; tamen istius porticus quæ erat opus Solomonis, subaixum muris quadringentorum cubitorum, saxis quadratis ingentibus constructa, pars magna remansit, & eodem loco erat postea restaurata ac restituta ab Herode Rege, atque ita eo ipso nomine nominata. Videatur Josephus Flavius Antiquit. lib. 7. c. 11. & lib. 8. 11. xx. c. 8.

Expavefacti.] Nempe homines illi è quibus populus ille constabat. Vox hæc cum nomine *populus* denotante multos, non quidem voce sed sensu convenit.

Vers. 12. *Videns autem Petrus respondit ad populum.*] Id est orsus est loqui ad propositum. Ita sæpe verbum respondendi ponitur in Euangelica historia. Non omisit Petrus sed arripuit hanc concionandi & homines ad fidem in Christum atque pœnitentiam convertendi occasionem, eaque usus est.

Viri Israëlitæ quid miramini.] Non abs re quidem mirabantur, rem miram & insolitam videntes; sed S. Petrus non proprie hoc quærit cur mirarentur, quasi id reprehenderet; verum vult eorum admirationem à facto ad facti authorem seu causam non tam quæ proxima videbatur quam potius superiorem convertere.

Super hoc.] In textu Græco *hoc* est neutrius generis: significat super hoc negotio.

Aut nobis quid intenti estis.] Non suam sed Domini sui gloriam Apostolus quærebat.

Quasi propria vi aut pietate fecerimus ambulare eum?] Populus ille cernens hoc miraculum beneficum, per Apostolos factum, colligebat inde eos esse viros pios atque sanctos, & ob eorum pietatem, Deum, qui nonnisi pios exaudit, ut habetur etiam Johan. 9. 13, facultatem istam mirificam eis dedisse.

Sed non ob solam pietatem hoc dabatur, quasi ea isti id meruissent; nempe ab ipso Deo id datum erat Apostolis, ita ut ipsi illi vi in seipsis perpetuo residente talia facerent miracula. Nunc multi contra ista Petri verba opinantur, homines quos vocant Sanctos, propria pietate aut meritis, ut dicere solent, miranda opera patrare, eosque ideo velut divos non absque idololatria religiose colunt.

Vers. 13. *Deus Abrahami & Isaaci & Jacobi, Deus patrum nostrorum.*] Id est ille Deus altissimus Creator cœli ac terræ, quem Abrahamus pater credentium & author gentis Israëliticæ, & filius ejus Isaacus, & nepos Jacobus seu Israel, colebat, & qui se Deum, id est benefactorem eximium Abrahami, Isaaci & Jacobi, etiam post eorum mortem esse testatus est Exod. 3. 6, 16. Alibi in his verbis ter ponitur *Deus*, hic autem semel.

Glorificavit.] Quem vos ignominiosissime tractastis, eum Deus à mortuis excitatum ad sublimem gloriam cœlestem evexit, & eximiam ei dedit in cœlo potestatem.

Puerum suum Jesum.] Vox Græca quæ puerum notat solet aliquando pro servo seu famulo accipi, ut infra IV. 25. quo sensu etiam de Christo est usurpata alibi, vide notata ad Math. 12. 18. Sed hoc loco significat potius *filium*. Dicitur autem hic Jesus esse filius Dei, non tam eo respectu quod sit è Spiritu Dei admirabili modo conceptus, quod tunc paucis adhuc notum fuit, quam eo quod sit ille Messias Rex populi divini eximius quem hoc nomine Deus decorarat per Davidem Psal. 2.

Hinc apparet Jesum non fuisse Deum altissimum, nec Deum Patriarcharum, quia palam ab eo distinguitur ut ejus filius: & ab ipso glorificatus esse dicitur. Et ipse Jesus Deum Israëlitarum dixit esse Patrem suum Joh. 8. 54.

Quem vos tradidistis.] Nempe præsidi Pilato, crucifigendum.

Et negastis eum.] Nempe istum Jesum esse Messiam, Regem vestrum inficiati estis, vide Luc. 22. 2. Joh. 19. 15 & 21.

Ante faciem Pilati.] Id est coram Pilato, gentili, præside.

Judicante illo esse dimittendum.] Pilatus quamvis Ethnicus, tamen innocentiam Jesu agnoscebat, & volebat ut is absolveretur ac liber dimitteretur. Vide Matth. 27. 17, 18. & 23. Mar. 15. 9, 10. Luc. 23. 4, 14, 20, 22. Joh. 18. 39. XIX. 4, 12. Ita arguit S. Petrus Judæos, quod de Jesu Christo pejus quam iste Ethnicus judicaverint.

Vers. 14. *Vos autem.*] Quamvis sitis non Ethnici sed Israëlitæ, populus Dei electus, cui is Filium suum destinavit.

Illum Sanctum.] A Deo eximie consecratum, & innocentem, nullius peccati convictum. Unde is Messias à Deo ungendus vocatur Sanctus Sanctorum. Dan. 9. 24.

Et justum.] Vide Jesai. 53. 11. (quem & uxor Pilati Ethnica, talem esse agnovit, Matth. 27. 19.) De quo dictum est Psal. 45. 8. *Dilexisti justitiam* &c.

Abnegastis.] Rursus hoc indigne factum eorum de quo proxime dixit, repetit & inculcat, quod Judæi abnegaverint eum, cujus non abnegandi causas validas habuerunt, quum is esset sanctus & justus.

Et petiistis virum homicidam.] In Græco textu, *virum occisorem*, nempe Barabbam, qui in seditione excitata cædem fecerat. Vide Marc. 15. 7. Luc. 23. 19. opponit ista contraria inter se, sanctum atque justum, & ex altera parte homicidam, & tamen hunc vita donatum, illum autem morte affectum: valde injuste & indigne.

Gratuito donari vobis.] In gratiam vestram à supplicio merito liberari, atque dimitti, & vitam quam aliis injuste eripuerat ipsi concedi. Vide Matth. 27. 20, 21. Luc. 23. 18. Joh. 18. 40.

Vers. 15. *At principalem ducem vitæ.*] Qui à Deo datus ac missus est ut vos duceret ad vitam æternam, qui eam annunciavit primus, qui ejus consequendæ viam ac modum ostendit, quique vobis illam dare si eum sequamini est paratus. Qui alibi vocatur præcipuus dux seu author (nempe post Deum Patrem) salutis. Hebr. 2. 10.

Homicidæ vitam eripienti, opponit vitæ authorem atque datorem, & illius condonationi, seu vitæ ipsi concessioni hujus interfectionem, seu vitæ ei ereptionem.

Interfecistis.] Quamvis Judæi non ipsi suis manibus Jesum interfecerunt, tamen illis hoc attribuitur, quia eorum impulsu Pilatus ferme invitus id fecit, per suos milites. Unicuique imputari scimus, quod alter in ejus gratiam fecerit. Vide supra cap. 2. 23.

Quem Deus suscitavit ex mortuis.] Vos illum morte affecistis injuste, Deus autem justus vobis contrarius, eum ex morte in vitam revocavit. Nempe ille Deus Patrum resuscitavit hunc Filium suum, de quo supra ℣. 13. Ergo non ipse Jesus seipsum mortuum è mortuis sua vi resuscitavit.

Cujus nos testes sumus.] Vide annot. ad cap. 2. 32.

Vers. 16. Post declaratam Judæorum circa Jesum indignam actionem, in eo damnando ad mortem, & contra, ejusdem Jesu à Deo resuscitati glorificationem, nunc Petrus miraculum præsens attribuit isti ipsi Jesu Christo, ut per hoc Judæos ad fidem in hunc Jesum impellat.

Et in fide.] Id est per seu propter fiduciam.

Nominis ejus.] Nempe Jesu à Deo suscitati. Nomen autem Jesu, ponitur pro ipso Jesu seu ejus persona. Ut sæpe *nomen Dei*, pro Deo. Ideo Syrus Interpres & Arabs, hoc loco pro vocibus *nominis ejus* posuerunt simpliciter *ipsius*.

Fides porro nominis Jesu, seu fides Jesu, ponitur pro fide in Jesum vel de Jesu potestate. Videantur similia exempla, Marc. XI. 22. Rom. 3. 22. Eph. 3. ℣. 12. Philip. 3. 9. Col. 2. 12. Potest autem intelligi fides tum Petri ipsius, tum etiam istius hominis antea claudi: qui quum audiret ex ore Petri verba *in nomine Jesu Christi Nazaræni surge & ambula*, supra ℣. 6, credidit id Jesu Christi potestate futurum.

Hunc quem spectatis & novistis.] Nempe istum natum claudum.

Confirmavit.] Id est infirmum sanavit.

Nomen ejus.] Id est potentia ac potestas Jesu Christi à Deo glorificati, vel ipse Jesus Christus. Ut habet Syrus & Arabs.

Et fides.] Nunc nomini Jesu seu ejus personæ, nunc autem fidei, idem effectus attribuitur. Ibi ut causæ

causæ principali, hic autem ut causæ mediæ seu instrumentali.

Quæ per eum.] Aliqui ista *per eum* exponunt ita, ut significent *in eum*, nempe Jesum. Nam apud Hebræos ista solent permutari. Vide Rom. 4. 11. 1 Joh. cap. 5. 6. Sed potest etiam significari fides quæ per Jesum ut causam mediam, tendit in Deum, ut causam primam, quia *per Jesum Christum credimus in Deum, qui excitavit eum ex mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides nostra & spes sit in Deum.* Ut idem qui ea quæ hoc loco habentur dixit, Apostolus Petrus scripsit in Epist. 1. c. 1. ℣. 21.

Dedit ei.] Hoc non refertur ad eum de quo proxime dictum *fides quæ per eum*, sed ad illum prius descriptum *quem spectatis & novistis*, nempe illum qui paulo ante claudus fuit.

Integritatem hanc.] Id est integram sanitatem, seu valetudinem: oppositam debilitati quæ prius in eo erat quum claudus esset.

Coram omnibus vobis.] Id est quam sanationem coram oculis vestris manifeste factam, vos ipsi negare non potestis.

Vers. 17. Peccatum Judæorum quod in Jesu Christo ad mortem diram tradendo commiserunt, extenuat S. Petrus, ut eos spe veniæ obtinendæ excitet ad pœnitentiam.

Et nunc, Fratres, scio quod per ignorantiam hoc egeritis.] Ipse Dominus Jesus dum crucifigeretur ignorantiam attribuit iis, qui eum occidebant, ideoque Patrem rogavit, ut id eis remitteret Luc. 23.34. Ita Act. 13. 27. similiter ignorantia eis adscribitur: & 1 Cor. 2. 8. Quamvis ignorantia ista in multis præsertim primoribus Judæorum fuerit satis crassa & fere affectata: quæ eos vix potuit excusare, vide Joh. 15. 22, 24. Sed tamen si plane omnino cognovissent Jesum esse Messiam, non ita cum ipso egissent, præsertim aliqui.

Sicut & principes vestri.] Id est primores populi Judaici: ut erant Sacerdotes primarii, & Seniores, atque Scribæ, & Pharisæi: qui in hoc negotio Jesu Christi damnandi & morte afficiendi præibant populo simplici.

Vers. 18. *Deus autem.*] Ostendit Jesu ad mortem truculentam adductionem, à Judæis procuratam, non absque Dei providentia, consilio & destinatione evenisse. Ut & supra cap. 2. ℣. 23.

Quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum suorum.] Vide Luc. 24. 26, 27 & 44, 46.

Pati Christum.] Seu Messiam passurum esse mortem atrocem.

Implevit sic.] Deus id quod per Prophetas suos prædixit de Jesu Christi perpessionibus perduxit ad exitum, per causas medias, ut homines istos ei inimicos; non tamen ita ut eos ad id faciendum invitos cogeret, sed eorum malitia cum ignorantia juncta usus permisit id fieri, quod deinde convertit in bonum tum ipsius Jesu Christi, tum istorum ejus inimicorum qui sunt ad eum conversi. Simile quid evenit circa Iosephum, qui fuit typus Iesu Christi. Vide Gen. 45. 5. & 1. 20.

Vers. 19. *Resipiscite igitur.*] Ex dictis hanc infert conclusionem nempe Iudæorum adhortationem ad resipiscentiam: per quam spem eis facit gratiæ Dei obtinendæ. Vide supra cap. 2. ℣. 38.

Et convertimini.] Verbum passivum positum pro reciproco, id est *convertite vos*, sicut interpretantur hoc loco Beza & Piscator. Ipsos enim hortatur ut id faciant, sicut etiam ut resipiscant. Quamvis enim in conversione hominis ab incredulitate & peccatis, ac proinde à diabolo, ad fidem ac pietatem, ac consequenter ad Deum, adsit actio Dei convertentis animos per Spiritum suum, & alia media; tamen & ipsi homines in sui conversione non habent se mere passive veluti stipites aut lapides, sed agunt etiam aliquid. Vide præter alia Sacræ Scripturæ loca, Ier. 18. 11. Ezech. 18. 30, 31. XXXIII. 11. Ioël. 2. 12, 13. Zach. cap. 1. 3, 4. converti & resipiscere, idem significare videtur ut Luc. 17. 4.

In hoc ut deleantur vestra peccata.] Id est ut à culpa & reatu peccatorum absolvamini, quasi nihil peccaveritis & sitis innocentes ac justificemini, ideoque etiam à pœna divina quam peccatis meriti estis, liberemini: quod obtinetur per resipiscentiam & conversionem. Nam absque resipiscentia seria hominum, Deus non delebit peccata hominum neque ea illis remittet. Insignem peccatorum remissionem fore Messiæ temporibus prædictum est per Prophetas: ut Ier. 31. 34. XXXIII. 8. Dan. 9. 24. Zach. 13. 1. Quia autem pœna peccatorum maxime propria est mors æterna, ideo in peccatorum deletione seu remissione atque à pœna ista liberatione continetur donatio vitæ æternæ.

Quum venerint vel potius *ut veniant.*] Nam alibi tales particulæ Græcæ ita exponuntur. Matth. 6. 5. Luc. 2. 35. Act. 15. 17. Rom. 3. 4.

Tempora refrigerationis.] Seu refrigerii. Id est quibus post persequutiones & afflictiones fidelium quibus sunt obnoxii in hoc mundo, quæ sunt veluti ustulationes, 1 Pet. 4. 12. succedet ab iis liberatio. Vide Jesa. 49. 10. Apoc. 7. 16. Ita per refrigerationem significatur post calamitates consolatio 2 Tim. 1. vers. 16. Quod fiet plene in futuro seculo, in cœlo.

A facie DOMINI.] Id est ab illo altissimo DOMINO, nempe Deo Patre, quia hic ab isto DOMINO distinguitur mox Jesus Christus: quanquam & iste est Dominus, sed non ille altissimus.

Facies DOMINI. Potest significare ipsam personam DOMINI istius: vel etiam ejus favorem gratiosum. Ut Num. 6. 25, 26. Psal. 4. 7. XVII. 15. LXVII. 2. Dan. 9. 17.

Vers. 20. *Et miserit*] Hoc non potest intelligi de prima Christi missione, primoque ejus adventu, ut quidam voluerunt, nisi improprie: sed de secundo adventu propriè: quando post paratum suis fidelibus locum in cœlo, descendet inde visibiliter cum illustri gloria Patris sui, & veniet ut suos illuc assumat & deducat ad gaudia cœlestia. Matth. 16. 27. Joh. 14. 3. 1 Thess. 1. 10. IV. 16, 17. 2 Thess. 1. 7, & 10.

Illum prius prædicatum vobis.] Qui non tantum per Prophetas olim est prædictus, sed tunc per Apostolos prius quam è cœlis rursus deveniret ad judicium annunciatus est Judæis, ut in ipsum crederent, & porro erat annunciandus.

Quædam exemplaria Græca aliam vocem ei quæ hic vulgo habetur literis ac sono vicinam habent. quæ signi-

significat, quasi manu designatum vel exhibitum seu *præparatum*. Ut habent & Syrus atq; Arabs interpretes.

Deus jam olim ante mundum conditum destinavit istum *Jesum Christum* dandum populo suo, pro Redemtore. Vide 1 Pet. 1. 20.

Vers. 21. *Quem oportet cœlum capere.*] Videtur constructio ambigua, utrum Jesus Christus debeat cœlum capere, an vero cœlum debeat capere Jesum Christum. Illud prius amplectuntur quidam, qui quum Jesum etiam respectu corporis humani ubique esse opinentur, indignum esse putant, ut dicatur, eum cœlo capi.

Sed & Syrus interpres ita vertit, *Quem oportet, cœli capiant*; & Greg. Nazianz. orat. 2. similiter habet eum à cœlo capi. Nempe quando Jesus Christus post suam è mortuis resuscitationem, assumtus est in cœlum, visibiliter, Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. Act. 1. 11. atque illuc vere ascendit; cœlum eum suscepit in se, ut locus rem locatam: non ut illic Jesus velut in carcere concludatur, sicut quidam cavillantur, sed ut ibi habitet, atque regnet: in fine autem seculorum descendet de cœlo ad judicium 1 Thess. 4. 16. Secundum prioris sententiæ patronos etiam tum Jesus capiet cœlum: ergo si hic sensus valeret, non recte adderentur ista verba *usque ad tempora restitutionis omnium*. Hoc dixit Petrus ut occurreret tacitæ Judæorum objectioni, cur ergo iste Jesus si est Messias non regnat nunc inter nos visibiliter?

Quidem.] Particula ista hic ponitur ita, ut ei non respondeat sicut solet, particula *autem*. Sic & Act. 1. vers. 1 & 18. & alibi.

Tempora restitutionis.] Quidam hunc restitutionem intelligunt, de rebus in integrum seu rectum statum restituendis, tempore ultimi adventus Christi. Ut eo fere sensu sumitur verbum à quo hoc nomen est deductum, Math. 17. 11. ubi sub nomine Eliæ de Johanne Baptista dicitur quod sit restituturus omnia. Et ita Tertullianus De resurrectione hæc verba allegans ponit *ad usque tempora exhibitionis omnium* &c. Oecumenius autem hanc vocem ita explicat ut significet *ad terminum venire omnia.*

Omnium quæ loquutus est Deus.] Ut præter alia de Gentium ad gratiam Dei vocatione, de gloriæ Dei per omnes terras propagatione, de reliquiarum Israëlis conversione, de omnibus inimicis sub pedes Christi pro scabello subjiciendis: & cætera ad Messiæ tempora spectantia omnia.

Per os omnium sanctorum suorum Prophetarum, à seculo. Sive Deus loquutus esse à seculo, sive Prophetæ isti à seculo id est jam olim fuisse intelligantur, res eodem redit. Videatur similis loquutio, Luc. 1. 70. Inter istos Prophetas potest numerari Enochus. Vide Judæ vers. 14. tum Moses, & Samuel, de quibus mox, nec non David in Psalmis: tum & cæteri Prophetæ quorum prophetiæ ad tempora Messiæ spectantes in Sacra Scriptura habentur.

Tirinus Jesuita, postquam verba illa *oportet Christum cœlum suscipere*, ita exposuit recte, *seu inhabitantem habere, usque ad diem extremi judicii*; deinde occurrens objectioni contra suorum opinionem, de Iesu etiam nunc quotidie extra cœlum existente plurimis locis, in Sacramento Eucharistico; subjicit: sed huic non repugnat, quod subinde replicetur, seu de novo reproducatur (nempe idem Iesus Christus) etiam in aliis locis, &c. & quando quotidie præsens est in Eucharistia. Neque enim difficile est Deo rem unam eandemque sæpius reproducere, & reproductam in pluribus simul locis præsentem facere. Hæc ille. At id non tantum est difficile, sed impossibile, non respectu omnipotentis Dei sed respectu istius rei. Nam sic implicatur contradictio, si corpus unum totum sit non uno in loco, sed in multis simul totum. Ita unum esset non unum, & indivisum, esset à seipso divisum, per tot locorum intervalla: &c. Sic Christi adventus ad judicium non esset prospectandus è cœlo, quia idem posset venire propius è ciborio.

Vers. 22. Postquam generatim indicavit Prophetarum de Iesu testimonia, hic in specie profert unius insignis insigne testimonium.

Moses.] Unus ex eximiis Dei Prophetis.

Quidem. Et hic ista particula ponitur ita ut ei non respondeat alia: sicut & versu proxime præcedente, & videtur hoc loco redundare, quum sufficiat vocula *enim* quæ mox apponitur.

Ad Patres. Nempe illos Israelitas antiquos, progenitores Iudæorum.

Ajit.] Ita eos alloquutus.

Quod.] Ista particula serviens relationi sermonis alterius, redundat, ut sæpe in historia euangelica.

Prophetam &c.] Hæc verba exstant Deut. 18. 15, 18, 19. Per istum Prophetam aliqui intelligunt solum Christum, ut Eusebius de Demonstr. & Strabus & Cajetanus &c. alii putarunt, à Mose solum Josuam filium Nunis Mosis successorem, significatum esse literali sensu: & allegorice, Christum. Ita exponunt Vatablus & Emmanuël Sà. Sed Augustinus, Liranus, & alii ad literam, de omnibus Prophetis Mosen consequutis, simul & de Christo. Et sane potest intelligi sensu literali etiam alius aliquis Propheta insignis præter Iesum Christum, sed sensu mystico, perfectiore præcipue iste qui est omnium Prophetarum præcipuus, nempe Messias, intelligitur.

Vobis.] Israëlitis, quamvis non illis ipsis quos tunc Moses alloquebatur, sed eorum posteris, qui tamen pro eodem populo habentur. Vide annot. ad Matth. cap. 23. 34, 35. & Ioh. 6. 32. 1 Thess. 1. 15.

Suscitabit.] Id est producet, & exhibebit.

Dominus seu Iehova *Deus vester.*] In Mosis textu est, ut proxime loco *vobis*, positum *tibi*, ita hic, loco *vester* habetur *tuus*. Nempe ille Deus populi Hebræi.

Ex fratribus vestris.] Id est ex gente ista Israëlitica.

Sicut me.] Similem Mosi: nempe excellentem sapientia doctrinæ cœlestis, & magnitudine miraculorum, & insuper Mediatorem inter Deum & populum Dei. Ita Piscator Scholio in hunc locum. Addendum est quod sicut Moses legem à Deo acceptam populo tulit, ita Iesus Christus novam legem, nova promissa & præcepta nomine Dei hominibus attulit. Quamvis igitur aliquatenus sit sicut Moses, tamen est Mose excellentior. Apud Mosen hoc loco verba ipsius Dei introducuntur, & post verba *sicut tu* adduntur ista, *& dabo verba mea in ore ejus, & loquetur ad eos omnia quæ ego præcepero eis*: quorum loco hic sunt alia substituta.

Eum audietis.] Id est auditote, seu ei obéditote. Futurum indicativi positum loco imperativi, per Hebraismum in præceptis usitatum.

Secun-

Secundum omnia quæcunque loquutus fuerit ad vos.] Absque omni exceptione.

Vers. 23. *Erit autem.*] Id est, ita omnino futurum est ex decreto meo nempe DEI, subintellige, ut *omnis anima.* Id est homo. Apud Mosen est *vir.*

Quæcunque non audiverit Prophetam illum.] Moses habet, *non obedierit ad verba mea, quæ loquetur in nomine meo.*

Disperdetur ex populo.] In textu Hebræo est, *ego requiram ab eo* hoc est, ego puniam illum. Ita additur contra Prophetæ istius excellentis nempe Messiæ à Deo constituti contemptores ei inobedientes severa pœnarum Dei comminatio: qua debebant & isti Judæi commoveri.

Vers. 24. *Et omnes autem Prophetæ à Samuele & deinceps qui vel quotquot loquuti sunt.*] Ut David in Psalmis, & Jesaias, Jerem. Ezechiel, Daniel, Oseas. Ioel, & cæteri sequentes plerique. Addit hæc verba Petrus ad tanto majorem ex tot testibus Prophetis Dei fidem Euangelio de Christo conciliandam.

Et prænunciaverunt.] Hæc particula & hoc loco tertio videtur redundare, ut alibi interdum: vel potius sumitur pro *etiam.*

Dies istos.] Id est tempora Messiæ, atque ea quæ in istis temporibus insignia fiunt & fient.

Vers. 25. Iam promissiones de gratia Dei factas, applicat ad præsentes Israëlitas.

Vos estis filii Prophetarum.] Posset hoc accipi proprie: quia Abrahamus progenitor Israëlitarum, fuit Propheta Gen. 20. 7. quo nomine cum illo etiam Isaacus filius ejus, & nepos Iacobus seu Israel nominantur 1 Paral. 16. 16, 22. & Psal. 105. 9, 10, 15.

Sed quia additur *& pacti.*] Videtur id dici per Hebraicum idiotismum, quo filii alicujus non tantum personæ sed & rei, dicuntur ii qui pertinent ad eam, vel ea pertinet ad illos. Vide Matth. 8. 12. IX. 15. Luc. 20. 34. Esd. 8. 35. &c. Potest hoc ita intelligi, ut isti Israëlitæ filii seu posteri Prophetarum, sint etiam ob filiationem hæredes bonorum ad istos spectantium, & in pacto Dei cum illis eorum majoribus comprehensorum. Alias *filii Prophetarum* dicuntur etiam discipuli eorum. Ut 1 Reg. 20. 35. 2 Reg. 2. 3, 5, 15. IV. 38. VI. 1. Amos 7. 14. Hoc quoque modo Israëlitæ atque Iudæi erant filii Prophetarum etiam præter Patriarchas aliorum.

Et pacti quod pepigit Deus.] Verba Græca hic posita proprie significant *dispositionis quam disposuit Deus.* Sed hoc nomen à dispositione sumtum solet usitate notare testamentum, & fœdus, seu pactum. Quod ultimum hoc loco præferendum, ut melius exprimatur ea quæ in Græco textu est nominis hujus cum verbo mox subjuncto à quo derivatur, similitudo *quod pepigit.* Huc spectant verba Rom. 9. 4.

Ad Patres vestros.] Si proxime antecedentia verba vertantur *testamenti, quod testatus est* vel dispositionis quam disposuit, tum vox ista *ad* potest accipi magis proprie. Alias poneretur pro *cum.*

Per Patres intelliguntur Progenitores prisci Israëlitarum, illi antiqui Patriarchæ.

Dicens ad Abrahamum.] Ex istis patribus Israëlitarum seu Patriarchis, memorat præcipuum Abrahamum. Verba quæ hic citantur sumpta sunt non tam ex Gen. 12. 3. quam potius ex XXII. 18. ubi expresse dictum à Deo per angelum Abrahamo, cum juramento, *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quod promissum deinde à Deo repetitum est filio Abrahami Isaaco. Gen. 26. 4. & postea filio hujus Iacobo. Gen. 28. 14.

Et semine tuo benedicentur.] Textus Hebræus habet *in semine tuo.* Sed hic in textu Græco pleraque exemplaria non habent *in.* Benedici vel benedicere se in aliquo, significat primo sensu, felicitatem qualis illi contigit, sibi optare. Ut Gen. 48. 20, Jacob dixit de filiis Iosephi, *In te benedicet Israël, dicendo, ponat te Deus sicut Ephraimum, & sicut Manassen.* Videatur etiam Psal. 72. 17. Sensu autem mystico perfectiore, non solum votum istius felicitatis, sed ejusdem societas atque communio intelligitur. Significatur Abrahami posteros Israëlitas ita ex Dei benedictione, quæ ad eos primo spectat beatos fore, ut etiam eorum beatitatis participes futuri sint alii homines extranei, præsertim sub Christo. Quod exponitur Gal. 3. 8, 14, 16, nempe quod promissa quæ Deus fecit respectu benedictionis suæ servientis Abrahamo & semini ejus, intelligenda sint sensu mystico de benedictione spirituali, complenda in illo eximio semine Abrahami id est Christo & iis qui ad Christum pertinent.

Omnes familiæ terræ.] Apud Mosen Gen. 22. 18, *omnes gentes*, sed hic ex alio loco simili Gen. 12. 3, positum est *omnes familiæ terræ:* quod idem significat. Græca vox hic est talis quæ proprie parentelam notat.

Vers. 26. *Vobis.*] Nempe Israëlitis, Iudæis: posteris Abrahami. Vide supra ℣. 22. & infra cap. 13. 23.

Primum.] Indicatur ad Iudæos primo missum esse eum qui illis erat primario promissus, Messiam: a quibus postea demum ad alias gentes hoc beneficium sit derivandum.

Deus.] Nempe ille altissimus Pater, à quo statim distinguitur Filius ejus Iesus. Ille Deus patrum Israëliticorum de quo supra ℣. 13.

Suscitans.] Suscitare seu excitare, non semper significat è morte in vitam revocare; sed sæpe producere in lucem, & dotibus insignibus instructum, ad munus aliquod obeundum parare, atque promovere. Ut Iudic. 2. 16, 18. III. 9, 15. Ezech. 34. 23. Amos 2. 11. & infra Act. 13. 22 & 23. & supra cap. 2. 30. & hoc ipso cap. 3. supra ℣. 22. quæ verba hic respici videntur. Potest tamen hæc vox suscitandi hoc loco etiam de resuscitatione Christi ex mortuis accipi. Quomodo autem huic acceptioni conveniant verba sequentia; *Misit eum benedicentem vobis*, mox videbimus.

Puerum suum Jesum.] Videantur annotata ad similes voces supra ℣. 13. Quia vero Filius Dei Jesus, est ab alio, nempe à Deo Patre suo suscitatus, hinc patet Jesum Filium Dei non esse ipsum Deum altissimum: nam tali non conveniret ullo modo ab alia persona suscitari.

Misit eum.] Si verba antecedentia de suscitatione Jesu, accipiantur ita, ut significent ejus in lucem productionem, & ad munus propheticum obeundum promotionem; tum ista missio erit accipienda de eo quando Jesus ipse primum in persona sua pro-

diit ut legatus Dei in publicum ad Judæos, ut eis euangelium ore suo prædicaret, de regno Dei resipiscentibus promisso, de quo Matth. 4. 17.

Sed potest dici Jesus postquam est à Deo ex mortuis resuscitatus, ab eodem missus esse adeoque venisse ad Judæos, non in propria persona, sed per suos substitutos atque delegatos, nempe Apostolos, ipsum Petrum & ejus socios, quando per istos Spiritu suo in eos demisso instructos, loquebatur.

Sic infra cap. 26. ℣. 23 dicitur, quod Christus ex resurrectione mortuorum lucem annunciaturus sit populo & gentibus. Sic Eph. 2. 17, idem Christus post mortem crucis, veniens, dicitur prædicasse pacem, & illis qui procul erant, id est Ethnicis, & iis qui prope, id est Judæis. Videatur etiam locus 1 Petr. 3. 18, 19. Et Flaccius ad hæc verba ita annotavit: Mittitur autem, (nempe Jesus) post resurrectionem Israëlitis, dum verbum ac beneficia ejus, ipsis offeruntur.

Benedicentem vobis.] Id est bona ac felicia vobis non tantum verbis optantem, sed & reipsa afferentem. Sicut quando Deus benedicere alicui dicitur, bona ei largiri intelligitur.

Benedicebat istis Judæis Jesus post suam resuscitationem, quum eis offerebat per veritatis suæ agnitionem, peccatorum præteritorum plenam remissionem, ac justificationem, & dona spiritualia, ac præcipue salutem animarum atque vitam æternam: idque faciebat tum per se ac Spiritum suum, tum per Apostolos suos, qui ejus nomine legatione ad Judæos fungebantur.

In averti unumquemque à pravitatibus vestris.] Hæc verba possunt ita accipi, ut significetur Jesus avertere Judæos à peccatis, ut hoc modo eis benedicat seu benefaciat. Sed possunt etiam ita intelligi, ut Judæi sese avertant seu convertant à pravitatibus. Ita interpretatus est Beza, & vulgatus Interpres Latinus, *ut convertat se unusquisque vestrum*, & Syrus atque Arabs: ut indicetur, tum demum Jesum Judæis benedicturum atque reipsa benefacturum, si illi sese à vitiis suis averterint per resipiscentiam.

CAPUT IV.

Vers. 1. Concionis hujus quam Petrus habuit effectus primus hic indicatur, nempe adversariorum ira, & deinde ex ea manans, Apostolorum prehensio atque captivitas.

Loquentibus autem eis ad populum, supervenerunt eis sacerdotes, & dux militum templi.] Videatur annotatio ad Luc. 22. 4 & 52.

Et Sadducæi.] De his notatum jam aliquid ad Matth. 3. 7. Isti sectæ Sadducæorum fuerunt addicti interdum etiam aliqui ex Sacerdotibus. Infra vers. 17. & Synedrii seu Senatus Judaici pars erant ipsi: infra XXIII. 6. ubi quædam de iis videnda ibid. vers. 8.

Hos præ Pharisæis severiores ac rigidiores fuisse in pœnis exigendis, notatum est à Iosepho.

Vers. 2. *Molestè affecti propter hoc quod docerent ii* nempe Apostoli Jesu *populum.*] Similiter etiam nunc sacrifici solent ægre ferre si quis præter eos populum quamvis bene doceat.

Et annunciarent Jesum.] Id est, quod non tantum ipse ille Jesus Nazarænus à Judæis crucifixus, è mortuis resurrexerit; sed etiam per eum atque vi & efficacia ejus, iis qui per ipsum in Deum crederent, esset parata è morte resurrectio. *In* pro *per* ponitur, usitato Hebraismo. Ut & hic infra ℣. 9, 10 & 12.

Resurrectionem ex mortuis.] Hanc maxime negabant, à Pharisæis dissidentes Sadducæi. Vide Matth. 22. 23. & Act. 23. 6, 8. Hoc igitur maxime ægreferebant, quod discipuli Jesu, aliàs etiam aliis Judæorum primoribus & Pharisæis exosi, de resurrectione docerent populum, eamque sententiam confirmarent, & ita Pharisæorum, suorum in hac controversia adversariorum, sententiæ, pondus adderent.

Vers. 3. *Et injecerunt eis manus.*] Ita sæpe adversarii potentes veritatem aversantes, non verbis atque argumentis, sed manuum injectione atque violentia præcones veritatis compescere conantur.

Et posuerunt in custodiam.] Annotarunt quidam vocem Græcam hic in textu positam, non esse intelligendam de carcere, sed de alia custodia: quod Dominus suos tanquam tyrones paulatim cruci ferendæ assuefecerit: quodque carcer in his libris alio nomine Græco vocetur, nempe φυλακή. Sed hanc observationem non esse solidam, patere potest ei qui contulerit textum Græcum, infra cap. 5. ℣. 18. & 19. atque 22. & 25. Quia tamen hic simpliciter vocatur custodia, ibi autem additur publica, fieri potest ut hic non publicus carcer intelligatur, sed ut infra XXIV. vers. 23.

In crastinum: erat enim vespera jam.] Dilationem judicii de Apostolis tempus ipsum effecit.

Multi autem audientium hunc sermonem.] Nempe quem habuit Petrus ad populum, supra cap. 3. à ℣. 12. ad finem capitis. Ejusdem concionis Petri & prædicationis de Jesu Christo effectus alter exprimitur, cum fructu læto, in cordibus auditorum proborum.

Crediderunt.] Ita fides seu persuasio oritur ex auditu sermonum veracium, præsertim à Spiritu Dei dictatorum. Quamvis Euangelii præcones corpore vinciantur, tamen sermo Dei vinciri non potest, 2 Tim. 2. 9.

Et factus est numerus.] Id est atque ita excrevit numerus, per accessionem istorum recentium.

Virorum.] Nempe eorum qui prædicatione Petri commoti ac persuasi fidem in Jesum susceperunt, & Apostolis aliisque Jesu Christi discipulis & eorum Ecclesiæ adhæserunt.

Quasi millia quinque.] Quum antea essent quasi ter mille, supra cap. 2. vers. 41. & aliqui postea accederent ibid. vers. 47. nunc istis accedentibus excrevit omnium Christianorum numerus ad quinque millia.

Nam si voluisset dicere eos qui illa die crediderunt divisos ab aliis qui prius crediderant, fuisse tot, ut nonnulli exponunt, aliter dixisset. Ita ille Petrus piscator hominum, uno atque altero sagenæ prædicationis jactu tot millia Jesu Christo cepit.

Vers. 5. *Factum est autem in crastinum.*] Id est postero die.

Ut congregarentur eorum Principes.] Quales erant primarii sacerdotes.

Et seniores.] Id est Senatores etiam ex ordine Politico pertinentes ad Synedrium magnum.

Et

Et scribæ.] Id est legisperiti qui etiam ad Synedrium advocabantur.

In Jerusalem.] In Græco textu sunt voces quæ proprie significant quasi ad Jerusalem aliunde fuerint congregati. Sed quia dictum vers. 3. vesperi jam Apostolos in custodiam datos, hic autem postridie mox fit congregatio, id vix est verisimile. Hinc aliqui exponunt ita ut intelligantur congregati ii qui in Jerusalem seu Jerosolymæ erant.

Vers. 6. *Et Annas princeps sacerdotum & Cajaphas.*] Videatur annotatio ad Luc. 3. 2.

Et Johannes.] De hoc videatur Iosephus Flavius de Bello l. 2. c. 15.

Et Alexander.] De hoc idem Iosephus Antiquit. l. 20. c. 3.

Et quotquot erant ex genere Pontificali.] Vulgata versio habet *sacerdotali* sed genus sacerdotale erat omnium Levitarum.

At Prin ipes Sacerdotum seu Pontifices dicebantur præter Pontificem maximum, qui ita per excellentiam vocabatur, alii quoque ex Aharonis familia directe descendentes, etiam exautorati, & classium seu stationum Sacerdotalium primores. Videatur annotatio Matth. 2. 4.

Vers. 7. *Et statuentes eos.*] Nempe Petrum & Iohannem nominatos supra cap. 3. vers. 3. quibus manus injectæ erant, hic vers. 3.

In medio.] Scilicet illius Synedrii seu consessus, ut starent coram judicibus.

Percontabantur in qua potentia.] Græcus textus habet propriè *in quali.* Est autem Hebraismus, id est per quam potentiam, seu qua potentia: ut & mox,

Aut in quo seu *quali nomine.*] Id est cujus autoritate atque potestate.

Fecistis hoc vos.] Id est, sanationem claudi; de qua supra c. 3. 6, 7. Horum declaratio est infra vers. 9, & 10.

Vers. 8. *Tunc Petrus repletus Spiritu Sancto.*] Ita ut Spiritus Sanctus à Christo demissus, in eo excitatus, eum totum occuparet, & regeret, atque animum ejus & linguam ardore quodam insigni erga gloriam Christi incenderet, ut is eo flagraret. Ita ut non tam ipse Petrus loqueretur quam per os ejus Spiritus Sanctus Matth. 10. 20. qui Paracletus per Apostolos redarguere debebat mundum Joh. 16. 8.

Principes populi.] Seu primores atque Judices Judæorum in causis præsertim spiritualibus.

Et seniores Israëlis.] Vide supra vers. 5.

Vers. 9. *Si.*] Hoc loco non est particula dubitandi, sed significat *siquidem* aut *quoniam*, ut inter alia Math. 12. 28. Joh. 10. 35 & 38.

Nos hodie dijudicamur.] Seu examinamur in judicio.

Super beneficio hominis infirmi.] Ita textus Græcus habet: quum tamen non ipse ille infirmus hoc beneficium, fecerit, sed illi sit factum. In judicium vocari debent homines ob maleficia, isti autem in jus rapiebantur & judicabantur ob beneficia.

In quo.] Id est, *per quid*, nempe per quam potentiam. Respicit ad quæstionem propositam supra ℣. 7, quod etiam declarat mox ℣. 10.

Iste servatus sit.] Id est sanatus ab ægritudine seu infirmitate. Iste claudus olim, jam sanatus ab Apostolis, qui eis adhærebat tunc una cum ipsis ad judicium adductus, vel ipse ultro adfuit, ut apparet etiam infra ℣. 10 & 14.

Vers. 10. *Notum sit omnibus vobis, & omni populo Israëlis.*] Tum primoribus tum vulgo Iudæorum vult hoc quod de Iesu dicturus est Petrus, palam innotescere: tali utitur parrhesia.

Quod in nomine Jesu Christi Nazaræi.] Videatur supra annotatio ad cap. 3. ℣. 6.

Quem vos crucifixistis.] Exprobrat eis iniquum factum.

Quem Deus excitavit ex mortuis.] Deus vestrum circa illum factum non approbavit, sed refutavit, atque ita demonstravit eum fuisse innocentem & sibi charum, dum eum è morte revocavit ad vitam.

In hoc.] Id est, per hoc nomen Iesu, seu per potestatem ac potentiam ejus, quam is à nobis invocatus exseruit.

Iste adstitit in conspectu vestri sanus.] Qui antea nequaquam stare potuit.

Vers. 11. *Hic.*] Non iste proxime nominatus, qui adstitit sanus, sed ille remotius memoratus, de quo tamen præcipue sermo habetur, nempe Jesus Christus Nazarænus.

Est ille lapis, &c.] Vocula ista *est* hoc loco accipitur improprie non enim Jesus Christus proprie erat lapis, sed lapidi similis.

Pro nihilo habitus a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.] Verborum istorum ex Psal. 118. desumptorum explicatio videatus in annot. ad Matth. cap. 21. 42.

Vers. 12. *Et non est in alio ullo.*] Id est per alium aliquem. Non per Mosem, Patriarchas, Prophetas, Sacerdotes; sed tantum per Jesum Christum.

Salus.] Nempe illa perfecta, æterna, liberatio ab omni malo.

Neque enim nomen est aliud.] Id est persona alia. Sic *nomen Dei*, pro ipso Deo. Psal. 5. 12. & alibi, vide & supra 1. 15.

Sub cœlo.] Non proprie hic locus *sub cœlo* opponitur loco supercœlesti: quasi sub cœlo quidem non sit, sed supra cœlum sit, aliud nomen datum hominibus à Deo, per quod, seu alia persona per quam, ut mediam, consequantur salutem. Sed intelligitur hoc de toto mundo. Ut Jer. 10. 11.

Datum in hominibus.] Id est quod contigerit audiri inter homines. *In* pro *inter* ponitur ut Matth. 20. 26. Luc. 1. 25. loco posteriore, & alibi sæpe: vel potius quod à Deo datum & constitutum sit hominibus.

In quo.] Id est *per quod.* Etiam frequenter *in* ponitur pro *per.* Vide supra ℣. 2 & 9.

Oporteat servari.] Id est liberari à peccatis, eorumque reatu, plene, & à pœna peccatorum propria, nempe à morte æterna. Ipsum nomen *Jesu* quod huic Nazaræno excellenter præ aliis convenit, à salute seu servatione est desumtum. Vide Matth. 1. ℣. 21. Ii qui per ipsum credunt in Deum, eique obediunt, soli salutem æternam ejus ope consequentur. *Nos.*] Id est homines quos ait. Ergo non est opinandum per aliquos alios sanctos vel sanctas, vel per ipsam matrem Jesu Mariam, hominibus salutem conferri.

Verſ. 13. *Spectantes autem Petri & Johannis parrhesian* ſeu *libertatem loquendi.*] Vide ſupra annot. ad cap. 2. 29, hanc eis Spiritus Sanctus ſuppeditabat.

Et deprehendentes quod homines illiterati eſſent, & idiotæ.] Græca vox, primo ſenſu deſignat privatos ſeu plebeios: qui quoniam fere indocti ſunt, & artibus liberalibus non exculti, ideo vox iſta pro inerudítis accipi ſolet. Tales *idiotæ* erant Apoſtoli, olim piſcatores, quos talia loqui mirum videbatur. Ideoque iſti proceres ac judices id *mirabantur*, ut additur.

Agnoſcebantque eos quod cum Jeſu.] Nempe ejus diſcipuli, ab eo qui etiam ipſe Scholas Rabbinorum non frequentavit, & tamen doctiſſimus fuit, edocti. Inde aliquid extraordinarium ac ſupernaturale in eis eſſe ſuſpicabantur.

Verſ. 14. *Hominem autem videntes cum eis ſtantem illum ſanatum, nihil habebant quod contradicerent.*] Rei ipſius manifeſtæ oculis ſubjectæ teſtimonio efficaci, convicti. Talibus enim rebus evidentibus fruſtra opponuntur verba.

Verſ. 15. *Juſſis autem eis extra conſeſſum.*] Non tantum extra ipſum Senatorum cœtum, ſed etiam locum ſeu conclave in quo concilium illud habebatur.

Abire.] Ita jam olim in conſultatione de reis uſitatum, ut aliquantum excedere è loco conſilii vel judicii juberentur, quo commodius in eorum abſentia ſententiæ ferri & conſilia agitari poſſint.

Conferebant ad invicem.] Id eſt conſultabant mutuo.

Verſ. 16. *Dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis? quoniam quidem.*] Hæc vocula *quidem* hoc loco non habet ſibi correſpondentem, ut & ſupra 3. 21, 22.

Notum ſignum factum eſt per eos.] Id eſt notabile & conſpicuum miraculum.

Omnibus habitantibus Jeruſalem manifeſtum, & non poſſumus negare.] Quia hoc miraculum paſſim innotuit tam multis teſtibus oculatis, ideo tegi mendacio non potuit, neque negari, quod libenter voluiſſent iſti primores Judæorum.

Verſ. 17. *Sed ut ne ſuper plus ſeu amplius id perſerpat in populum.*] Volunt contra conſcientiam curſum veritatis, & gloriæ Jeſu, cohibere atque ſiſtere; ſed fruſtra: veluti ſi quis fluvii alicujus fluxum objectis aggeribus vellet inhibere.

Minatione minemur eis.] Eſt pleonaſmus Hebraicus, de quo vide Luc. 22. 15. & ſupra cap. 2. 30. id eſt omnino ſerio graviſſime interminemur.

Ne ultra loquantur.] Homines odio veritatis flagrantes, pertinaces, quamvis de ea convicti, tamen eam agnitam obſtinate impugnare ejuſque propagationem impedire conantur.

In nomine hoc.] Nempe Jeſu, ut mox ℣. ſeq. exprimitur; tanquam ex mortuis reſuſcitati, & Chriſti ac Regis cœleſtis à Deo facti, nomine, doctrinam ejus prædicantes.

Ulli homini.] Ut nemo omnino ab eis hæc de Jeſu audiat ac diſcat. Sed fruſtra, quum jam multi didiciſſent.

Verſ. 18. *Et vocatis eis.*] Nempe illis Jeſu Apoſtolis Petro & Johanni.

Denunciaverunt eis.] Seu præceperunt, quia præſentibus.

Omnino.] Græca vox proprie ſignificat *ſecundùm totum* ſeu univerſaliter.

Ne loquerentur.] Græcum verbum proprie ſignificat ne ſonarent ſeu ſonum ederent.

Neque docerent in nomine Jeſu.] Id eſt ne doctrinam iſtam de Jeſu quod is ſit à mortuis reſuſcitatus & ut Meſſias à Deo exaltatus, porro prædicarent ac diſſeminarent. Similiter & hodie veritas divina premitur authoritate humana, & prohibetur ab hominibus in poteſtate conſtitutis ne doceatur id quod Deus in verbo ſuo expreſſe docuit.

Verſ. 19. *At Petrus & Johannes reſpondentes ad eos, dixerunt.*] Contra procerum illorum minax edictum, atque ſeveram conſtitutionem, proteſtantur Apoſtoli, indicantes quod ei obedire non debeant, ideoque nec velint.

Si juſtum.] Id eſt an juſtum ſit.

In conſpectu Dei.] Qui omnia ſpectat & videt, coram quo cuncta cernente, ob ejus reverentiam non licet facere quidpiam contra ejus voluntatem.

Vos audire magis quam Deum.] Quando Deus nobis mandavit ut hoc doceremus, vos autem mandatis ne hoc doceamus, nonne ratio manifeſte docet, Deo potius quam vobis hominibus obediendum eſſe? Huc ſpectant verba Amoſi 3. 8, videndum & infra cap. 5. 29.

Judicate.] Ipſis adverſariis ſuis proponunt Apoſtoli id quod modo dixerunt, ratione recta dijudicandum. Ut tanto magis proprio animi ſui judicio redarguantur. Ergo rationis rectæ judicium etiam in Theologicis controverſiis non eſt ſpernendum.

Verſ. 20. *Non poſſumus enim nos.*] Aliam rationem afferunt Apoſtoli cur edicto illi parere recuſent. Non ſignificatur impotentia naturalis, ſed moralis. Significatur, hoc non decere neque licere; ideoque eos nolle ſeſe cohibere, ne iſta loquantur. Similiter tales voces ponuntur alibi, ut Deut. 12. 17. Matth. 9. 15. 1 Cor. 3. 11. x. 21. 2 Cor. 13. 8.

Quæ vidimus & audivimus.] Ratio affertur à ſumma eorum quæ Apoſtoli de Jeſu teſtabantur atque docebant, certitudine: quod iſta ipſi oculis ſuis viderint, & auribus ſuis audiverint. Ergo ſenſibus ſuis bene affectis homines fidem adhibere tenentur.

Verſ. 21 *Illi autem comminantes.*] Sacrifici iſti ſacerrimi, impii, abſque ullo prætextu juris divini vel humani aut rectæ rationis, ſolo authoritatis ſuæ pondere Apoſtolos Chriſti volunt premere, eorumque in veritate divina promulganda ſtudium interdictis & cumulata comminatione pœnarum tyrannice opprimere ſatagunt.

Dimiſerunt eos.] Permiſerunt ut tunc liberi abirent.

Nihil invenientes.] Id eſt nullam cauſam ſpecioſam ac probabilem. Ut Luc. 23. 14. & Act. 23. 9. & alibi.

Quomodo punirent eos] Id eſt quo prætextu aut colore juris, eos pœnis afficerent, aut etiam quod cupiebant, interficerent. Quanquam etiam iſtud *quomodo* poteſt accipi pro *ut*.

Propter populum.] Crudelitas procerum iſtorum metu populi frænatur. Populus ſimplex ſæpe de rebus

rebus etiam sacris melius judicat quam sacrifici & summi Pontifices.

Quia omnes glorificabant Deum super eo quod factum erat.] Id est fere omnes, plerique è populo simplici celebrabant Deum ut primarium authorem, & laudabant ejus potentiam atque bonitatem quam per Apostolos in isto claudi sanati miraculo benefico exseruit.

Vers. 22. *Annorum enim erat amplius quadraginta ille homo super quem factum fuerat.*] Miraculum istud exaggeratur ex eo quod ille homo non tantum à nativitate ipsa claudus fuerat, sed etiam per annos tam multos claudus vixerat. Morbi inveterati ipsa diuturnitate confirmati, solent esse respectu curationis desperati. Si paucorum annorum & teneræ ætatis is homo claudus fuisset, facilius potuisset dici non mirum esse quod esset à claudicatione sanatus.

Signum hoc sanationis.] Id est miraculum istud, quod erat sanatio. Iste casus secundus vulgo genitivus, significat hoc loco speciem.

Vers. 23. *Dimissi autem.*] Illi duo Apostoli Christi Petrus & Johannes, postquam à consessu judicium abierunt.

Venerunt ad suos.] In textu Græco est *ad proprios.* Sed *proprius* pro *suo* sæpe accipitur. Ut Joh. 1. 11, 42. x. 3, 4, 12. xvi. 32. xix. 27, & alibi. Venerunt ad suos socios, alios Christi discipulos.

Et renunciaverunt quæ ad eos primarii Sacerdotes & Seniores dixerunt.] Enarrarunt ista sociis, tum propter instituendam cum iis communem deliberationem, tum propter convertendam ad Deum circa hoc negotium precationem.

Quæ.] Græce proprie est *quanta* ut habet hoc loco vulgatus Interpres.

Vers. 24. *Hi autem audientes, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt.*] Ut non ostenderunt ob minas inimicorum aliquam inhonestam suam timiditatem, ita neque ex opposito temerariam ac stolidam securitatem, sed ad Dei opem precibus confugiunt. Ita facere decet veros Christianos. Primum autem in oratione ista describitur Deus talibus epithetis quæ ejus potentiam summam ac potestatem indicant. Ita sternitur fundamentum precum.

Here.] Græce *Despota.* Quod plerique vertunt *Domine*, sed id alia voce Græca designatur. Despotes est is qui ut herus servis imperat. Hinc dicitur imperium despoticum seu herile. Notandum est hunc titulum in Novo Testamento usitate dari soli Deo altissimo Patri Domini Jesu.

Tu Deus.] Videtur hoc loco in Græco textu esse nominativus: unde plerique ita verterunt, *tu es Deus.* Sed non est inusitatum nominativum talem poni pro vocativo. Ut Marc. 15. 34, collato cum Matth. 27. ℣. 46. Vide & Hebr. 1. 8, 9. Aliqua exemplaria hic habent, *Domine, Deus noster.*

Qui fecisti cœlum & terram & mare.] Aliquando mundus totus duobus nominibus, à partibus insignioribus, cœlo & terra, describitur, aliquando autem pluribus ut hic: & Act. 14. 15. Apoc. 14. 7.

Et omnia quæ in eis scilicet sunt.] Ergo & homines vel potentissimos. Deus iste cui hic creatio cœli, terræ, maris, & omnium tribuitur, est Deus Pater Domini Jesu Christi: quia postea in eadem precatione ℣. 27 distinguitur ab eo Jesus filius ejus. Creatio cœli, terræ & maris & omnium nuspiam in Sacra Scriptura Jesu Christo Filio Dei, his vocibus expresse attribuitur.

Gloria Dei ex opere mundi ab eo creati, in quo apparuit ejus omnipotentia, facit ad confirmandam fidelium Dei fiduciam: præsertim quod simul hinc sequatur Dei in omnia potestas, quippe is hæc à se creata omnia pro arbitrio gubernandi habet jus absolutissimum.

Vers. 25. *Qui Spiritu Sancto.*] Quædam exemplaria Græca non habent voces istas: sed habent alia antiqua, ut & Syrus, Arabs, & Latinus vulgatus interpres. Deus dicitur dixisse aliquid Spiritu Sancto, seu per Spiritum Sanctum; unde etiam apparet Spiritum Sanctum non esse primam causam sed mediam, ideoque non Deum altissimum.

Per os Davidis pueri tui dixisti.] Id est *servi tui.* Vide annot. ad Matth. 12. 18, quia pueri inprimis adhibentur ad serviendum.

Quare.] Græce proprie *ut quid*, id est *propter quid*, vel *ad quid*, & sine justa causa, & sine profectu. Sunt verba Psalmi secundi: secundum Græcam versionem.

Fremuerunt gentes.] Seu tumultuatæ sunt. Præteritum ponitur pro præsenti.

Et populi meditati sunt inania?] In textu Hebræo est *meditabuntur inane*, futurum ponitur pro præsenti. Indicantur isti conatus & ista molimina fore frustra absque effectu.

Vers. 26. *Adstiterunt Reges terræ & Principes congregati sunt in idem.*] Potentes homines sed non plenam potentiam habentes, proceres terræ, contra cœlestem Dominum nil valentes, conspirant.

Contra Dominum.] In textu Hebræo Jehovam, ut vulgo legitur, quo nomine denotatur DEUS altissimus.

Et contra Christum ejus.] Seu *Unctum ejus.* Per quem Unctum DEI, in Psalmo intelligebatur primo sensu literali ipse David, quem Deus per Samuelem Prophetam unxerat in id ut esset Rex Israelitarum: contra quem regnare incipientem insurrexerant tum Israëlitæ 2 Sam. 2. 8, 9, tum aliæ gentes 2 Sam. 5. 17. & cap. 8. & 10. Sed sensu mystico intelligitur ille excellentissimus Messias, nempe Jesus Christus, quem unxit Deus ipse Spiritu suo Sancto, in id ut sit Rex cœlestis populi Dei. Quia autem iste Jesus est Christus Dei, seu Unctus Dei, ideo non est ipse DEUS altissimus.

Vers. 27. *Congregati sunt.*] Id est conspirarunt quamvis non omnes isti uno in loco convenerint. Prophetiam illam ex Psalmo jam ad factum præsens accommodant.

Enim.] Videtur hæc particula hoc loco non habere significationem suam usitatam causalem seu rationalem. Nisi aliquid subintelligatur, redundabit.

In veritate.] Id est vere.

In civitate hac.] Nempe Jerosolymis. Quædam exemplaria Græca has voces non habent.

In, id est contra *sanctum.*] Quem Deus sanctificavit seu consecravit Joh. 10. 36, & qui eximia sanctitate vitæ lucebat, nec ullum unquam peccatum commisit.

Puerum tuum.] Id est *Filium.* Ut supra cap. 3. ℣. 13 & 26.

Jesum, quem unxisti.] Exponitur & declaratur dictum Psalmi de Messia seu Christo Dei, idque applicatur ad Jesum filium Dei, indicatur hunc esse Christum seu Unctum Dei, quia Deus eum unxit, non oleo terreno sed cœlesti, unctione Spiritus sui Sancti, in id ut sit non tantum Propheta, sed & Sacerdos & Rex excellentissimus populi Dei.

Herodesque.] Quia in Psalmo secundo nominati sunt Reges insurgentes contra Christum Dei seu Unctum ejus, & per id contra ipsum Deum; hic ostenditur id impletum esse per Herodem, qui etiam erat Rex. Intelligitur autem Herodes non ille Magnus sub quo Jesus est natus; sed ejus filius Antipas, qui fuit tetrarcha Galilææ, de quo vide Matth. 14. 1 & 9. Marc. 6. 14: qui etiam dicitur voluisse Jesum interficere Luc. 13. 31. Iste quippe Herodes tempore Pilati vixit, & in Jesu Christi contemtum atque condemnationem consensit. Vide Luc. 23. 7 & 11.

Et Pontius Pilatus.] Qui potuit inter principes in Psalmo nominatos censeri, quum esset Præses Judææ à Romano Imperatore præfectus, qui Jesum crucifigi Judæis id postulantibus permisit.

Cum gentibus.] Per istas *Gentes* possunt intelligi milites Ethnici seu gentiles, Romani Præsidis, qui Jesum crucifixerunt.

Et populis Israelis.] Plerumque omnes Israëlitæ dicuntur singulariter *populus Israelis:* sed interdum etiam pluraliter. Jacobo filio suo postea dicto Israëli, à quo descendunt Israëlitæ, precatus est Spiritu prophetico Pater Isaacus, ut Deus illum multiplicaret, ut esset in cœtum populorum, Gen. 28. 3, quod etiam in visione Deum sibi dixisse ipse Jacobus seu Israël dixit, Gen. 48. 4. & Judic. 5. 14. Inter Israëlis posteros dicuntur populi: quia erant eorum XII tribus, quæ singulæ multa millia continebant. Ita ergo cum Ethnicis Israëlitæ contra Christum Dei conspiraunt, & contra ejus servos fideles, ut Apostolos. Etiam nunc contra servos Christi fiunt similes conspirationes.

Vers. 28. *Ut facerent quæ manus tua.*] Id est potens constitutio.

Et consilium tuum.] Non proprie intelligitur deliberatio Dei, sed quod deliberationem consequi solet, decretum. Ut supra cap. 2. 23. Vide conjunctam cum consiliis Dei, manum ejus, etiam Jesa. 14. 27.

Præfinivit seu *prius definivit fieri.*] Indicatur hoc quod factum est ab hominibus malis cum Jesu, non temere, contigisse, non ex sola hominum malitia atque voluntate, sed Deum jam multo ante ut id fieret constituisse atque prædestinasse, ut suo tempore hominum jam alioqui per ipsorum malitiam ad id paratorum malitia uteretur ad efficiendum hoc quod in salutem generis humani, atque Dei & Jesu Christi ipsius gloriam cederet. Ita scelerati aliquando id quod Dei voluntati aliquatenus congruit exsequuntur, nec tamen idcirco à culpa sunt immunes: quia illi non eo animo nec eo fine quo Deus talia faciunt. Dicitur autem manus & consilium Dei id prius definivisse, improprie: nam hæc actio est propria personæ, qualis persona non est manus vel consilium. Sed intelligendum est Deum id fecisse per manum suam & consilium suum: Ita non raro actiones personarum non personis attribuuntur.

Vers. 29. *Et nunc*] Orationis istius peroratio exprimitur. Quasi dicatur, Tu ô *Domine* supreme qui in cœlis habitas, qui antea etiam illorum qui adversus Christum tuum inania sunt meditati, consilia vidisti, ut est in Psalmo secundo scriptum, eaque irrita fecisti; etiam hoc tempore adversus servos tuos & Christi tui, insurgentes, è cœlo videns ac despiciens.

Intuere super minas istorum.] Ita ut has minas impias cernens, earum effectus reprimas easque irritas reddas; ut non impediant cursum euangelii tui.

Et da servis tuis cum libertate dicendi omni.] Vide supra 2. 29.

Loqui sermonem tuum.] Nempe etiam in mediis periculis. Vide Ephes. 6. 19.

Vers. 30. *In extendendo manum tuam in sanationem.*] Subintelligitur adsis etiam servis tuis, vel tale quid: aut vocula *in* redundat priore loco. Indicatur ægrorum sanationes miraculosas quæ per servos Dei fiebant, ipsius Dei potentia veluti manu, factas esse.

Et signa & prodigia fieri.] Scilicet *da* ut fiant. Vide annot. supra c. 2. vers. 22.

Per nomen.] Quod antea dictum est *in nomine* c. 3. 6. IV. 7, 10. id hic declaratur. Nempe nomine Jesu Christi à discipulis ejus pronunciato & invocato, vi ac potentia ipsius Jesu, cui ea à Deo data est talia opera miranda efficiebantur. Id spectabat eo ut Deus cum filio suo Jesu, qui per talia signa miranda Messias esse declarabatur glorificaretur, & ut homines probi his permoti ad fidem in Christum converterentur.

Sancti.] Vide supra annot. ad vers. 27.

Pueri tui Jesu.] Vide supra ad cap. 3. 13.

Vers. 31. *Et precatis eis.*] Aliqui exponunt *precantibus* id est dum adhuc orarent. Sed videtur potius id factum esse mox post precationem finitam:

Concussus est locus in quo erant congregati.] Id est ita commotus atque agitatus ut tremeret: quod factum est non à causa naturali, sicut solet fieri tremor terræ, sed à supernaturali Dei potentia atque efficacia ejusque Spiritu, qui instar venti cœlitus supervenit, ut supra cap. 2. ℣. 2. Cujus Spiritus Dei etiam hic mox subjungitur mentio. Videatur etiam infra cap. 16. vers. 25 & 26. post precationem similis effectus miraculosus. Hoc signo miraculoso Deus significavit istam precationem à se esse exauditam & effectum obtenturam. Quamvis non in templo precabantur. Tali terræ commotione videtur significasse Deus se præsentem suis adesse velle potenter, & inimicis eorum quamvis terribilibus fore terribiliorem. Vide Psal. 18. 7, 8. & CXIV. 6. Vel etiam regnum Christi mundum hunc & ejus incolas concussurum atque ut ad Christum convertantur commoturum. Vide Hag. 2. 7, 8.

Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.] Jam antea erant Spiritu Sancto repleti, saltem Apostoli c. 2. 4. At videtur iste ignis cœlestis in eis non semper in flammam exarsisse, sed per intervalla & denuo accedente ista Dei virtute vel magis sese exserente mentes eorum

rum occupante, fervore quodam insigni & alacritate atque animi fortitudine flagrasse.

Et loquuti sunt sermonem Dei cum libertate dicendi.] Impetrarunt id à Deo quod fine versus 27. petierunt: id factum est per Spiritum Sanctum afflatum Dei, eos corroborantem & animis eorum fidentiam addentem. Describitur status illius primæ Christi Ecclesiæ Sanctæ.

Vers. 32. *At multitudinis credentium.*] Vel potius, *eorum qui crediderant.* Nempe in Christum.

Erat cor & anima una.] Post *cor* subintelligitur *unum.* Significatur proverbialiter animorum magnus consensus, & summa concordia, posita per Metonymiam causa pro effectu. Ex uno corde seu animo & una anima uno tempore tantum unum sentire & velle procicisci solet, ubi ergo una sententia & una voluntas apparet, ibi cor unum & una anima esse videtur. Impletum hic est illud in discipulis Jesu quod ipse à Deo Patre petebat Joh. 17. 11, 21, 22. ut 1 Paral. 2. vers. 38. 2 Par. 30. 12. Qualis concordia declaratur 1 Cor. 1. 10. Philip. 1. 27. II. 2. 1 Pet. 3. 8.

Et neque unus quidquam existentium ei, seu, eorum quæ possidebat, dicebat proprium esse.] Seu suum quamvis id possideret & possessione suum esset.

Sed.] Sublato discrimine inter meum & tuum.

Erant eis omnia communia.] Quoad usum: jam supra cap. 2. 44. id etiam dictum. Hic illud addere libet ex Tertull. Apologet. c. 39. Vide quam se diligant Christiani & Nos ex substantia familiari fratres sumus quod penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos: præter uxores. In illo loco consortium solvimus in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant sed & sua amicis patientissime subministrant: ex illa credo majorum & sapientissimorum disciplina Græci Socratis &c. Plato Socratem præceptorem suum refert docuisse in Rep. debere etiam uxores esse communes.

Vers. 33. *Et magna vi.*] Vulgata versio hic ut alibi sæpe habet *virtute.* Sed nomen virtutis est ambiguum, potest notare & virtutem moralem. Hic autem agitur de potentia. Potest hoc intelligi ita quod id fecerint non debiliter, sed potenter, cum zelo & parrhesia, & cum insigni energia persuadentes. Potest etiam exponi ita ut id fecerint potentia Spiritus Sancti, eis robur suppeditante, & quidem ut non tantum animose id assererent, sed etiam miraculis vi Spiritus divini editis confirmarent. Videantur loca infra v. 12. VI. 8. XIX. 11. Rom. 15. 19. 1 Cor. 2. 4. Col. 1. 29. 1 Thess. 1. 5. 2 Thess. 1. 11.

Reddebant testimonium Apostoli resurrectionis Domini Jesu.] Quædam exemplaria addunt, *Christi.* Hoc erat maxime proprium munus Apostolorum testari de Jesu resuscitato. Vide Act. 1. 22. quia tunc de ista Jesu resuscitatione maxime inter Judæos dubitabatur & litigabatur: atque ea probata simul totius doctrinæ Christianæ veritas probabatur.

Gratiaque magna erat in vel super omnes eos.] Videtur quibusdam hoc intelligendum de gratia hominum, ut supra 2. 47, Sed quia hic absque adjectione simpliciter ponitur gratia, satius est eam intelligi de gratia Dei. Ut ad Ephes. fine. Et 1 Tim. fine, & 2 Tim. fine, Titi fine.

Potest autem ista gratia Dei accipi non tantum pro eorum protectione ab omni malo, sed etiam pro donis tum ad spiritum, tum ad corpus spectantibus. Vide Luc. 2. 40.

Vers. 34. *Neque enim.*] Hæc vocula *enim* potest videri hoc loco redundare: sed potest etiam ratio reddi cur gratia eis adfuerit: quia ita in egenos erant benefici. Vide Deut. 15. 4. 6, 10.

Egens quisquam exstabat in eis.] Id est inter eos. *In* pro *inter.*

Quotquot enim possessores agrorum aut domorum existebant, vendentes ferebant pretia venditorum: Declaratur ratio atque modus sublatæ inter illam Christi discipulorum multitudinem inopiæ. Quamvis autem tunc Jerosolymis fiebat talis venditio domorum, propter peculiarem tunc vigentem causam, de qua supra ad cap. 2. 45. tamen non constat id factum esse ex præcepto, ita ut, & ibi semper, & alibi ubicunque erant Christiani necessario perpetuo vigeret. Vide infra 11. 29. XII. 12. XXI. 8. & 16.

35. *Et ponebant apud pedes Apostolorum.*] Utpote Christianæ Ecclesiæ præsidum: ut hoc eorum arbitrio submitteretur. *Apud pedes* non est necesse in ipso solo seu terra pecuniam esse positam. Ut ap. Cic. orat. pro Flacco. Quia Apostoli forsan superiore loco considebant utpote Doctores atque Concionatores, quo eorum sermones melius à multitudine auditorum exaudirentur, ideo ista pretia inferiore loco in aliquibus subselli iis posita ad pedes eorum dicuntur collocata. Vide Act. 22. 3. imo & VII. 58.

Dividebatur autem cuique prout quis opus habebat.] Quia forte aliqui erant pauperiores quam alii, vel infirmiores, vel etiam domesticis pluribus onerati. Ergo non observatur in distribuendo proportio Arithmetica, sed Geometrica.

Vers. 36. *Joses.*] Aliqua exemplaria habent *Joseph.* Vide supra c. 1. 23.

Autem.] Quidam interpretantur *ergo.* Quia non aliquid diversum à superiore dicto narratur, sed ejus quod generatim dictum est, exemplum speciale subjicitur.

Barnabas.] Non *Barsabas*, ut habetur loco modo citato: quanquam & hic ita habent quædam exemplaria Latina vulgata.

Filius consolationis.] Vox Græca *paraclesis* quæ hoc loco ponitur, non tantum significat consolationem, sed etiam adhortationem. Ut infra 13. 15 Aliqui exponunt ita quasi Hebraice dictus sit filius Prophetiæ, at hic Græce vertatur filius paracleseos, quæ significat adhortationem & consolationem quæ in munere prophetandi continetur. Tamen hic pro consolatione hæc vox accipienda, & interpretanda ex voce Syriaca, *Nabja* & contracte *Naba* quæ significat proprie consolabitur. Sed hoc futurum, ut non raro fit habet vim participii præsentis. Videtur autem iste Joses seu Josephus ita cognominatus, ideo quia suis & moribus ac factis & dictis, erat solatio fidelibus Christi.

Levites.] Ex tribu Sacerdotali.

Cyprus.] Genere ex Cypro insula maris meditar-

ranei oriundus. Ita Israëlitæ post dispersionem præsertim tempore persequutionis ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ factam, in variis regionibus habitabant, & ab eis denominabantur.

Vers. 37. *Quum esset ei ager.*] Quamvis Levitæ alioqui non possiderent agros, tamen poterant habere aliquid fundi in suburbiis, ut Num. 25. 3, 4. vide & Jos. ult. & Jerem. 32. 7. Potuit etiam fundus iste pertinuisse ad uxorem Barnabæ.

Vendito eo attulit pecuniam, & posuit apud pedes Apostolorum.] Sicut & alii è Judæis conversi ad Christum faciebant. Vide supra ℣. 34, 35. Sed iste Barnabas specialiter memoratur quia forsitan inter primos qui id fecerant exstitit, vel quia eximie præ cæteris & insigniter id fecit.

CAPUT V.

Vers. 1. *Vir autem quidam Ananias nomine cum Sapphira uxore sua.*] Unus ex iis qui ex Judæis conversi erant ad fidei in Christum professionem.

Vendidit.] Quasi bono animo in usus fratrum egentium: velut æmulatus eos de quibus dictum fine capitis præcedentis; & præsertim Barnabam.

Possessionem.] Sive agrum, ut aliqui vertunt. Vide & infra vers. 4 & 8. sive vineam, ut alii exponunt.

Vers. 2. *Et subduxit à pretio.*] Proprie separavit clam, sive callide surripuit, nempe ut sibi vetineret; ex eo quod Domino & ejus Ecclesiæ consecraverat. In quo commisit quasi sacrilegium, cum hypocrisi. Simile verbum Jos. 7. 1. & 2 Macc. 4. 32. & Tit. 1. 10. Non sincera erat hæc beneficentia, sed mista cum ambitione, quia videtur affectasse famam ac laudem liberalitatis atque sanctitatis, & cum parca tenacitate.

Conscia & uxore suâ.] Cum qua maritus consilium communicaverat. Hoc videtur additum propter id quod narratur infra vers. 7, 8. &c.

Et afferens partem quandam.] Non totum illud pretium seu integram pecuniæ pro agro acceptæ summam, sicut alii probi faciebant.

Apud pedes Apostolorum posuit.] Respice annot. supra ad cap. 4. 35.

Vers. 3. *Ajit autem Petrus.*] Apostolus Christi primarius qui cæteris præibat, (quanquam non dominabatur) qui Spiritu Sancto à Christo sibi communicato revelante, & fraudem ipsius hypocritæ cognoscebat, & cognitam occultare nolebat.

Anania propter quid implevit Satanas cor tuum.] Nempe malis afflatibus & cogitationibus improbis. Non tam autem interrogat Petrus Ananiam cur Satanas hoc fecerit, quam potius, cur Ananias hoc à Satana in se animoque suo fieri permiserit: cur ejus malæ suggestioni locum dederit, neque ei restiterit, eamque rejecerit. Ipsius Ananiæ culpa hic indicatur, vide infra ℣. 4.

Ut mentireris Spiritum Sanctum.] Græca exemplaria pleraque habent, *mentiri te Spiritum Sanctum.* Quod plerique interpretantur *fallere.* Non simulare seu fingere Spiritum Sanctum vel ejus instinctum, ut aliqui exponunt: nam acceptio ista hujus verbi & rarissima ac fere tantum poëtica est, & cum mox sequentibus non apte cohæret, & cum eo quod dicitur ℣. 9. Quædam exemplaria Græca habent *mentiri te in Spiritum Sanctum.* Ut & Col. 3. 9, dicitur, *Ne mentiamini in alios alii*, id est erga alios. Quæ præpositio etiamsi hic esset suppressa, posset subintelligi. Sed sicut alia quædam verba construuntur aliquando cum dativo casu, aliquando autem cum accusativo, ut Euangelizo tibi, & éuangelizo te, benedico tibi & benedico te, imo etiam benefacere aliquem pro alicui. Matth. 5. 44. & Mar. 14. 7, ita etiam Græce dicitur, non tantum mentior tibi, sed & mentior te. Cujus constructionis exemplum citatur & ex Aristophane Comico Græco: & ex Græca versione Bibliorum, Proverb. 14. 5. & 4 Reg. cap. 4. 16. Porro *falleres* recte exponitur per fallere velles atque conareris quantum in te erat: Nam tamen mentiendo ac simulando non fefellit. Fallere autem volebat Ananias mendacio suo Spiritum Sanctum, nempe quatenus Spiritus Sanctus in Apostolis degens operabatur. Bene hoc loco Piscator, in scholiis, *Spiritum Sanctum*, id est, nos Apostolos in quibus agit Spiritus Sanctus, & quibus revelat quæ opus est, ad ædificationem Ecclesiæ. Metonymia adjuncti.

Et subduceres à pretio prædii?] Nempe ita ut tamen velles videri te totum pretium apud nos deponere.

Vers. 4. *Nonne manens tibi manebat.*] Id est prædium istud si mansisset non venditum, tuum & tui juris erat, licebat tibi si voluisses, non vendere illud, sed eo uti frui: & postquam id vendere placuit licebat tibi pretium ejus vel totum retinere, vel quantum velles ex eo in usus aliorum conferre. Bene vertit Syrus, annon tuus [ager] erat antequam venderetur? & postquam venditus esset, tu potestatem habebas in pretium ejus. Si præcepto velut divino necessario, vel etiam voto suo obstrictus fuisset Ananias, ad bona sua omnia cum aliis communicanda, non ita ei dixisset S. Petrus. Nam hoc posito nequaquam licuisset ei hoc retinere. Vide Deuter. 23. 21, 22, 23. Ergo apparet illam bonorum communionem non fuisse ex præcepto omnino necessariam, sed liberam: præsertim si absque ista Ananiæ prædii venditione & pretii in usum communem collatione satis prospectum esse potuit fidelium necessitatibus.

Et venditum in tua potestate existebat.] Non proprie ipsum præditum venditum, quia jam in alienas manus erat traditum: sed prædii venditi pretium.

Quid quod.] Id est cur, versu superiore dixit, *propter quid* seu *cur implevit satanas cor tuum* &c. Hic autem dicit, *quid quod posuisti in corde tuo rem hanc.* Unde apparet id quod satana suggerente in animo suo cogitavit & fecit Ananias, ipsius Ananiæ instinctui satanæ obedientis culpam intervenisse.

Non mentitus es hominibus, sed Deo.] Quasi dicat tu Anania putasti tibi rem esse tantum cum hominibus, nempe cum nobis Apostolis, quos mendacio tuo fallere voluisti: interim autem scias te quando nobis, & per nos Spiritui Dei in nobis existenti mentiri es ausus, Deo ipsi à quo & iste Spiritus emanavit, & cujus nos legati sumus, mentitum esse. Ita dicit ut crimen ejus magis exaggeret. Simile huic dictum

dictum est Exod. 16, ubi postquam ℣.2 scriptum est congregationem Israëlitarum murmurasse contra Mosen & contra Aharonem; deinde ℣. 8 dicitur: Non contra nos murmurationes vestræ, sed contra DOMINUM. Et Num. 20. postquam dictum ℣.3, jurgatum esse populum cum Mose, postea ℣. 13, dicitur ibi tunc jurgatos esse filios Israëlis cum DOMINO; seu Jehova. Vide etiam Matth. 10. 40. XVIII. 5. Marc. 9. 37. Luc. 10. 16. 1 Cor. 8. 12.

Huc faciunt etiam illa verba 1 Thess. 4: ubi postquam dixit Apostolus ℣.2, se præcepta dedisse per Dominum Jesum, id est ejus authoritate, in eaque re esse voluntatem Dei, postea ℣. 8, ait eum qui ista rejicit, non hominem rejicere sed Deum, qui etiam (addit) dedit Spiritum suum Sanctum in nos. Non recte ergo hinc quidam concludunt Spiritum Sanctum hoc loco expresse vocari Deum. Non magis bene, quam si ex superius citatis aliquis concluderet Mosen esse ipsum Deum, & eos qui nomine Christi venientes vel recipiuntur vel rejiciuntur esse Christum, imo etiam ipsum Deum. Propterea ita dicitur, ut jam innuimus, quia in Apostolis, quanquam hominibus, erat Spiritus Sanctus, qui ab ipso Deo emanavit, & Dei erat Spiritus atque afflatus: ideo quod ei fiebat, ad Deum ipsum pertinebat.

Vers. 5. *Audiens autem Ananias sermones istos, cadens exspiravit.*] Morte subita exstinctus, non ipsis istis verbis Petri prostratus: sed vi Dei vel Christi miraculosa, eum percellente, & animam ex eo expellente: ad vindicandam ejus perversitatem, & ad terrorem aliis incutiendum. Non igitur constat Petrum Apostolum ipsum id fecisse. Neque hinc argumentandum est, licere etiam nunc Ecclesiæ præfectis hæreticos quos vocant morte afficere. Nam primo ut jam dictum est, non Apostolus ipse id fecit, sed divinitus id factum est: quidam id per angelum esse factum existimarunt, ut Origen. Isidorus Pelusiota, Cassianus, Tirinus: deinde si concedatur Deum aut Christum per Petrum exequutionem hujus pœnæ fecisse, non error sed malitia ac perversitas, quæ Spiritu Dei evidenter erat agnita, est punita, idque non humano ordinario modo, sed extraordinario miraculoso.

Et factus est timor magnus in omnes audientes ista.] Ex pœna ista divinitus miraculose illata, orta est inter homines insignis reverentia Dei. Ut Luc. 5. 26. non sine metu, ne si quis etiam à Deo improbitati alicui deditus agnosceretur, similiter puniretur.

Vers. 6. *Surgentes autem juniores.*] Seu juvenes, ut infra ℣.10. Nempe qui aderant Petro & aliis Apostolis, in illo cœtu.

Corripuerunt.] Vel potius amicierunt, componentes eum ad sepulturam: ut & Syrus est interpretatus.

Et efferentes vel *elatum sepeliverunt.*] Etiam malo mortuo administrata sepultura. Saltem propter vivos, ut cadaver ab iis amoveretur.

Vers. 7. *Factum est autem quasi horarum trium intervallum, & uxor ejus.*] Nempe Ananiæ, Sapphira, postquam exspectasset aliquamdiu uxor, quum maritus non reverteretur.

Nesciens quod factum erat.] Nempe de mariti subita morte. Si scivisset, non itaegisset.

Introivit.] In eam domum, in qua tunc degebant Apostoli.

Vers. 8. *Respondit autem ei Petrus.*] Non proprie ad interrogationem quæ non exprimitur: sed sermonem orsus ad eam loquutus est. Ut Matth. 11. 25. XII. 38. & alibi sæpe.

Dic mihi si.] Id est *an.*

Tanti.] Subintelligitur nominatio summæ quam dixerat Ananias.

Prædium vendidistis.] In Græco textu est vox quæ proprie significat *reddidistis.*

Ea autem dixit: Ita, tanti.] Ex compacto cum marito facto ut maritus Ananias mentitus est ita & uxor ejus Sapphira est mentita.

Vers. 9. *At Petrus ajit ad eam, Quid est quod conspiraſtis.*] Græce proprie est *consonuit vobis.*

Tentare Spiritum.] Dum ita vos gereretis, ut explorare velletis, an nos, Apostoli, quos Spiritu Dei præditos esse vobis constare debuit, fraudem vestram istius Spiritus divini ope essemus cognituri. Isti veluti velle experiri visi sunt an Deus, & Spiritus in Apostolis, sit istam simulationem animadversurus, ut Flaccius ad hæc verba annotavit. Quamvis hæc tentatio ab eis dirigeretur ad Apostolos, tamen per hos spectabat ea ad Spiritum Dei, quo Petrus Apostolus erat repletus, & ad ipsum Deum à quo iste Spiritus erat inspiratus. Vide supra ℣. 3 & 4.

Spiritum Domini.] Sive Dei altissimi Patris, sive etiam Jesu Christi, qui eum à Patre acceptum, effudit in Apostolos. Ut supra cap. 2. 33.

Ex eo autem ipso quod iste Spiritus, appelletur *Spiritus Domini* patere potest Spiritum Sanctum non esse ipsum DOMINUM, seu Deum. Nam Relata non sunt idem. Atqui Dominus & Spiritus Domini sunt relata. Ergo non sunt idem.

Ecce pedes eorum qui sepeliverunt virum tuum, ad ostium.] Scilicet sunt, forsan redeuntium à sepultura mariti ejus.

Et efferent te.] Quia ut maritus tuus ob mendacium, repente mortuus est, ita & tu ipsa mox hic morieris. Non inferebat Sapphiræ Petrus ipse mortem, sed eam à Spiritu Dei in se existente sibi revelatam, prædicebat inferendam à Deo, vel à Domino Jesu Christo, vi miraculosa.

Vers. 10. *Cecidit autem confestim.*] Nempe illa Sapphira.

Apud pedes ejus.] Id est Petri.

Et exspiravit.] Repente mortua sicut antea maritus ejus.

Ingressi autem Juvenes.] Nempe illi qui Ananiam ejus maritum modo sepeliverunt.

Invenerunt eam mortuam, & elatam sepeliverunt ad virum ejus.] Ut ii qui antea conjugii vinculo, postea mendacio & ejus pœna conjuncti fuere, etiam sepultura conjungerentur.

Vers. 11. *Et factus est timor magnus in totam Ecclesiam.*] Vide supra vers. 5. Ecclesia seu multitudo eorum qui crediderant in Christum tanto miraculo geminato commovebantur ad Deum & Christum tanto magis revererendum: & ad venerandos etiam Ministros Dei, quorum illusionem Deus tam severe vindicavit.

Et in omnes qui audiebant ista.] Non tantum ii qui

isti facto ipsi aderant, & id videbant, sed etiam alii qui quid factum esset acceperant ex aliorum narratione, tam repentina horrenda pœna hypocritis inflicta, pavore atque horrore percellebantur. Non omnes mendaces ac hypocritas Deus ita visibiliter & repente in hoc seculo punit, sed tamen omnibus pœnæ horrendæ à Deo sunt metuendæ, quæ si non in hoc certe in futuro seculo infligentur.

Vers. 12. *Per manus autem Apostolorum.*] Vel quia manibus pleraque opera peragi solent: vel intelligitur, per Apostolos, seu ministerio Apostolorum, ut Jesa. 20. 2. *dixit Deus per manum Jesaiæ*, id est per Jesaiam, & Dan. 9. 10. quas (leges) dedit *in manu servorum suorum.* Id est per servos. Mal. 1. 1. *per manum Malachiæ*, id est per Malachiam, seu Malachiæ ministerio. Vide & Act. 7. 35. Indicatur Apostolos non fuisse istorum miraculorum causas principales, sed instrumentales: quum Deus & Christus Spiritu suo eis dato, per eos ista fecerit.

Fiebant signa & prodigia in populo multa.] Vide supra cap. 2. 43. & IV. 30.

Et erant.] Hæc verba parenthesi includenda sunt, usque ad vers. 15. in quo rursus de miraculis sermo resumitur.

Erant unanimiter omnes.] Nempe Apostoli ibi versabantur conjuncti non tantum corporum propinquitate sed etiam animorum concordia.

In porticu Solomonis.] De hac vide supra annot. ad cap. 3. 11. *erant* autem ibi Apostoli & cæteri Discipuli Christi non perpetuo, sed quum ad templum accederent religionis causa, quod faciebant quotidie. Vide supra cap. I. 13. II. 46. III. 1. In loco illo publico celebri, palam versati prædicando & miracula edendo, Euangelii Christi negotium agebant.

Vers. 13. *At reliquorum.* Nempe Judæorum, qui non erant membra Ecclesiæ Christi.

Nemo audebat.] Propter recentem insignem pœnam Ananiæ & uxoris ejus: ac propter alia miracula multa: tum metus tum reverentia Judæos reliquos ab eis removebat. Quia Apostoli erant sicut Angeli admirabiles, gravitate venerabiles, oratione cœlestes, moribus divini, nil nisi ignem spirantes, charitatis, devotionis & zeli, ut scripsit Chrysostomus.

Jungi illis.] Græca vox proprie significat *agglutinari*, id est arcte adhærere, seu familiariter sese jungere.

Sed magnificabat eos populus.] Indicat quamvis populus Judaicus cum Apostolis non haberet familiaritatem, id non ex odio aut contemtu esse profectum, sed interea tamen populum eos magni fecisse atque honorasse, tum etiam laudibus & præconiis non vulgaribus celebrasse.

Vers. 14. *Magis autem apponebantur.*] Quamvis ii Judæi qui non credebant in Christum, non auderent Apostolis jungi familiariter, tamen id non obfuit progressui fidei & propagationi Christianismi: tamen erant ex populo non pauci qui ad fidem veram accederent.

Credentes Domino.] Id est fidem in Dominum Jesum suscipientes: ob Apostolorum non tantum prædicationem Euangelii sed & miracula addita.

Multitudines.] Non pauci aliqui, sed magnus numerus.

Virorumque & mulierum.] Utriusque sexus.

Vers. 15. *Ita ut.*] Redit post parenthesin ad id quod de miraculis per Apostolos editis vers. 12. dicere cœperat.

Secundum plateas.] Non simpliciter *in plateas*, sed hinc inde per singulas plateas. Ut infra 22. 19.

Efferrentur infirmi nempe è domibus *& ponerentur in lectis.*] Quibus ob infirmitatem erant quasi affixi.

Et grabbatis.] Sunt lecti viliores. Vide Marc. 2. 4.

Ut venientis Petri etsi umbra inumbaret alicui eorum.] Magna fiducia istorum de obtinenda per hoc medium sanatione: sed magna etiam Dei & Christi potentia quam per servum suum hoc modo exserebat. Iis quæ hic de Petro dicuntur, similia facta per Paulum narrantur infra XIX. 12.

Vers. 16. *Conveniebat autem & multitudo circumquaque Civitatum in Jerusalem, ferentes infirmos.*] Id est multi homines, ex civitatibus quæ erant circa Jerusalem, etiam non proxime vicinis, Jerosolymam ad Apostolos Christi adveniebant, ægros suos illuc portantes sanitatis obtinendæ causa.

Et turbatos.] Vel vexatos.

A spiritibus impuris.] Id est à cacodæmonibus, eos occupantibus: hos dæmoniacos distinguit ab aliis infirmis ut magis afflictos.

Qui.] Nempe infirmi ægroti, & dæmoniaci. *Curabantur.*] Hoc proprie solet significare curationem morbi per remedia: sed in his libris notat sæpe sanationem miraculosam absque adhibitis remediis; sanabantur autem isti per Apostolos Christi.

Omnes.] Non tantum aliqui sunt sanati, sed quotquot Apostolis offerebantur.

Vers. 17. *Exsurgens autem.*] Id est novam actionem exorsus. Ut Exo. 32. 1. Deut. 32. 38. Esd. x. 6. & alibi.

Primarius Sacerdos.] Seu Pontifex Maximus Judæorum. Is tunc videtur adhuc fuisse Annas, vel Cajaphas. De quibus vide Luc. 3. 2. & Act. 4. 6.

Et omnes qui cum eo scilicet *erant.*] Nempe ejus socii, sacerdotalium familiarum principes, vide etiam supra 4. 6.

Quæ est hæresis.] Nomen Græcum notat electionem. Inde sumi solet pro certa & peculiari quam sibi aliquis elegerit disciplinæ formula, & studio atque factione. Jam autem usitate hæresis sumitur pro tali à salutari fide & doctrina aberratione, ut quis errorem qui veram fidem & pietatem evertit pertinaciter defendat, & à vera Ecclesia prorsus dissideat.

Sadducæorum.] Vide supra 4. 1. Non à justitia ita denominati, alioqui nimis severi in judiciis, imo sævi; sed à Sadoco vel Saduco Antigoni Sochæi discipulo. De eorum à Pharisæis dissidio infra cap. 33. 8. Non recipiunt ii præter Scripturam S. Traditiones, quas tuentur Rabbinistæ Thalmudistæ: à quibus illi vocantur Karaim seu Caræi, à Lectura, quasi Lecturarii seu Scripturarii, vel Textuales. A quibus in oriente etiam nunc degentibus, implacabili odio dissident Judæi Thalmudistæ, fere magis quam à Christianis. Ecce tunc in illo populo Judaico Sadducæi quamvis pro hæreticis habiti, primatum obtinebant.

Repleti sunt zelo.] Fervore quodam, quasi pro tuenda religione patria, sed zelo amaro, non sine æmula-

æmulatione prava, atque invidia. vide supra cap. 4. 1,2. fuit zelus iste non secundum scientiam. Rom. 2. 2. isto zelo seu fervore pravo ideo flagrabant isti quod ægreferrent, Apostolos minis ipsorum nuperis spretis tamen doctrinam de Jesu prædicare, ac miraculis confirmare, atque ita multos è populo Judaico ad fidem in Jesum allicere, ut indicatum superius.

Vers. 18. *Et injecerunt manus suas super Apostolos.*] Non reveriti sunt eos ita isti primates zelo inflammati sicut populus, supra vers. 13. sed persequutionem seu afflictionem in eos quamvis insontes excitarunt.

Et posuerunt eos in custodia publica.] Id est carceri in quem vulgo malefici compingebantur eos inclusserunt; & quidem sicut antea IV. 3, vesperi: quod utrumque apparet ex sequentibus. Quanquam vox Græca hic posita, *servationem* proprie significat: versu autem sequente alia vox custodiam.

Vers. 19. *Angelus autem &c.*] A terrena potestate pressi pii, cœlitus liberantur.

Domini.] Sive Dei Patris, ut alibi hoc intelligitur, Matth. 1. 20. II. 13, sive etiam Jesu Christi, quem Deus fecit Dominum, supra cap. 2. 36. Nempe Dominum cœli, etiam angelis quos ipsi Deus subjecit, imperantem. Is ergo Dominus ad istos servos suos liberandos misit istum nuncium cœlestem.

Per noctem.] Seu noctu, quum homines dormirent, neque quid ageretur scirent.

Aperuit fores custodiæ.] Id est carceris illius clausi januam miraculose reclusit.

Educensque eos.] E carcere, rursus clauso, ut apparet infra ℣. 23, in liberum locum. Ab hominibus malis conclusi innoxii, ab angelo bono liberantur. *Dixit.*] Dei vel Christi nomine dedit eis mandatum.

Vers. 20. *Vadite, & stantes.*] Concionabundi, fidenter. Respice ad annot. supra cap. 2. 14.

Loquamini.] Quamvis isti primores populi, vetuerunt loqui, supra cap. 4. 18. tamen vos contra eorum interdictum Deo ita jubente loquamini.

In templo.] Loco publico celeberrimo, gloriæ Dei destinato.

Populo.] Non istis primoribus populi obstinatis, sed hominibus simplicibus, inter quos non pauci probi.

Omnia verba vitæ hujus.] Non istius vitæ temporariæ, ut 1 Cor. 15. 19, sed vitæ æternæ, vide Joh. 6. 68. Seu sermonem vitæ Philip. 2. 16, ubi etiam vita simpliciter per excellentiam de vita æterna intelligitur. *Verba vitæ* significant Euangelium Christi, quia hoc spectat ad vitam æternam hominibus conferendam. Similiter ut dicitur *sermo salutis hujus* infra cap. 13. 26. Sed quia præter morem addi pronomen *hujus* durum videtur, quidam hæc exponunt per Hebraicam hypallagen, quasi dictum sit *verba vitæ hæc.* Ut etiam Syrus & Arabs sunt interpretati. Similis hypallages exempla citantur ex Exod. 25. 5, *pelles arietum rubricatorum*, pro *rubricatas.* Et 1 Sam. 2. 4, *arcus fortium fractorum* pro *fracti.*

Vers. 21. *Audientes autem.*] Apostoli obedierunt dicto angeli Dei: quamvis viderent sibi inde imminere periculum ab hominibus, tamen fecerunt officium.

Introierunt sub diluculum.] Absque mora, non exspectato die pleno, mox exsequebantur mandatum cœleste, summo manè.

In templum, & docebant.] Quod jussi erant facere id fecerunt.

Adveniens autem primarius Sacerdos & qui cum eo erant.] Vide supra cap. 4. ℣. 6, & hic ℣. 17.

Convocaverunt synedrium seu *consessum.*] Id est eos qui ad consessus judiciales de rebus religionis pertinebant, concilium, præcipue ex Sacerdotibus, & Legisperitis.

Et omnem Senatum.] A Senio dictum, id est Senatores, quia Senes ætate & experientia maturi, ad consilia adhiberi solent & ad senatorium ordinem.

Filiorum Israëlis.] Non tantum Senatores urbis Jerosolymitanæ, seu & alios qui tum adesse potuerunt. Ut ab isto Consistorio numeroso cum majore authoritate & potentius Apostoli Jesu opprimerentur.

Et miserunt.] Nempe ministros seu apparitores suos, ut mox seq. vers. indicatur.

In carcerem.] Hoc loco Græcè est nomen à vinculis deductum, non ut superius à custodia.

Ut adducerentur ipsi.] Nempe ii qui inclusi erant, discipuli Jesu Apostoli.

Vers. 22. *At ministri.*] Nempe illi missi ad adducendos è carcere Apostolos.

Venientes non invenerunt eos in custodia, reversi autem.] Nempe ad illos à quibus missi erant ad Sacerdotes atque Senatores congregatos in concilio.

Vers. 23. *Dicentes quod.*] Vocula ista hoc loco redundat ut sæpe in referendo sermone alicujus.

Carcerem quidem invenimus clausum in omni securitate.] Id est, cum omni certitudine vel munitione. *In* pro *cum.*

Et custodes extra stantes, ante fores, aperientes autem, intus neminem invenimus.] Tanto magis mirum fuit hoc miraculum cum Apostolis factum per Angelum, quod forium carceris apertionem & captivorum istorum inde eductionem, ii qui ibi aderant appositi custodes, non animadverterint.

Vers. 24. *Ut autem audierunt sermones istos, & Sacerdos.*] Ita simpliciter per excellentiam hic vocatur summus Sacerdos. Seu Pontifex Maximus, ut 4 Reg. 12. Jojadas, & 2 Paral. 24. 2. 20. & Simon 1 Mach. 15. 1. qui mox ibid. magnus Sacerdos.

Et militiæ præfectus templi.] Vide supra 4. 1. videtur fuisse etiam è numero Sacerdotum, inter quos ponitur in medio, cujus officium erat, manu militum seu ministrorum armatorum, è Judæis collectorum, ipsi commissorum, prehendere eos qui in Sacra peccarent.

Et primarii Sacerdotes.] Nempe alii præter illum summum, qui modo simpliciter nominatus est Sacerdos.

Ambigebant.] Non tantum dubitabant, sed erant perplexi & consilii inopes. Vide supra 2, 12.

De eis.] Nempe Apostolis Jesu.

Quidnam fieret hoc.] vel esset, ut infra cap. 10. 17. quod inclusi carceri, è carcere clauso evaserint.

Vers. 25. *Adveniens autem quidam renunciavit eis dicens, Quod.*] Etiam hic redundat vox ista, ut supra vers. 23.

Ecce viri quos posueratis in carcere, sunt in templo stantes

stantes & docentes populum.] Ignaris ubi essent isti, Apostoli è carcere elapsi, & quid agerent ac nosse id cupientibus, ecce hoc indicatur, quod fuit præter opinionem.

Vers. 26. *Tunc abiens militiæ ductor seu præfectus cum ministris.*] Nempe armatis, seu militibus, sibi commissis, de quibus paulo ante dictum. Tales ministri ii de quibus Joh. 7. 32. & 45. & XVIII. 12. & hic vers. 22.

Duxit eos.] Nempe Apostolos è templo.

Non cum vi.] Seu violenta aliqua eorum raptatione aut pulsatione.

Timebant enim populum ut ne lapidarentur.] Quia populus simplex, sincere judicans, Apostolis, quorum & conversationem honestam & miracula experiebatur, favebat, supra 2. 47. eosque magnifaciebat hic supra vers. 13.

Ita Tyranni sæpe eos qui ipsis sunt subjecti metuunt. Sic Matth. 21. 46.

Vers. 27. *Ducentes autem eos.*] Vel potius *quum adduxissent.*

Statuerunt in Synedrio, seu concilio, & interrogavit eos Primarius Sacerdos.

Vers. 28. *Dicens, Nonne præcepto præcepimus vobis.*] Id est omnino serio præcepimus. Hebraismus: ut supra cap. 4. 17. ubi etiam vers. 18. expressum est hoc præceptum. Ita Tyranni jussa sua quamvis injusta loco rationis sufficientis urgent; ut apud eos dicentes Sic volo sic jubeo, *sit pro ratione voluntas.*

Non docere.] Seu ne vos doceretis.

In nomine isto?] Non exprimunt cujus sit hoc nomen, etiamsi mentio ejus non præcessit proxime. Ita de Jesu sibi inviso loquuntur contemtim, ut nec nomen ejus velint nominare, ut & mox in fine versiculi istius.

Et ecce.] Vocula copulativa & hoc loco ponitur pro adversativa *at.*

Replevistis Jerusalem doctrina vestra.] Non obedientes nobis qui sumus Magistratus, & nostro edicto.

Et vultis inducere in nos sanguinem hominis istius.] Nempe Jesu. Sæpe *sanguis* Hebræis notat non tantum ipsam cædem sed etiam crimen cædis & pœnam cædis. Vide annot. ad Mat. 27. 25. Quasi dicat, vultis nos onerare crimine, quasi hominem istum cujus vos discipuli estis, & de quo populum docetis, nempe Jesum Nazarænum, injuste ad mortem adegerimus: sic homicidii imo Christicidii ut sic dicam, quasi Messiam seu Christum morte injusta affecerimus nos accusatis atque ut reos arguitis. Duo crimina isti Sacerdotes & alii Senatores objecerunt Apostolis, primo quod essent inobedientes seu contemnentes interdictum ipsorum, secundo quod ipsos illos magistratus accusarent sceleris commissi, nempe cædis injustæ Jesu.

Vers. 29. *Respondens autem Petrus & Apostoli.*] Quamvis & Petrus erat unus ex Apostolorum numero, tamen ab eis distinguitur, ut eorum primas ac præcipuus, etiamsi non eorum Dominus aut Monarcha. Ergo voces istæ, *& Apostoli*, ita sunt intelligendæ quasi scriptum esset, *& cæteri Apostoli*; qui cum Petro, ut ejus socii idem loquebantur.

Dixerunt, Obedire oportet Deo magis quam hominibus.] Respondent primo ad objectum crimen primum inobedientiæ. Si homines, præsertim in magistratu & dominio positi, velint & jubeant aliquid conveniens cum Dei præceptis, vel eis non repugnans, tum eis est obsequendum: sed si imperent quidpiam Dei mandato expresso contrarium, potius est obediendum supremo Domino, nempe Deo, qui inobedientes magis punire potest, quam Dominis inferioribus qui sub illo sunt. Hoc agnoverunt & Ethnici, ut Socrates in Apologia apud Platonem: dicens judicibus Athenienſium, *Parebo Deo magis quam vobis.* Exstat simile dictum apud Herodotum. Hoc spectarunt & illi juvenes Hebræi Dan. 3. 17, 18. & ille Eleazarus 2 Mach. 6. 26, 22. & Matathias 1 Mach. 2. 19, 20, 21, 22. & Apostoli Christi tum supra cap. 4. 19. tum hoc loco.

Et Hieron. ad Ephes. 6, de servorum officio annotavit, cum Dominus carnis à Domino spiritus diversum imperat, non est obediendum. Et idem alibi; In illis tantum debent dominis & parentibus esse subjecti, quæ contra Dei mandatum non sunt. Verbum Græcum hic positum πειθαρχεῖν est compositum ex parendo, & ex principe vel magistratu: quasi dicat parere magistratui.

Vers. 30. Jam ad alteram criminationem de injusta cæde Christi respondent, docentes se jure ac vere ad Judæorum proceribus objicere.

Deus Patrum nostrorum.] Ne quis existimaret à Jesu & ipsius Apostolis alium Deum esse prædicatum & cultum, quam eum quem coluerant Abrahamus, Isaacus & Jacobus, majores Israëlitarum. Vide supra cap. 3. 13.

Excitavit Jesum.] Id quidam exponunt ita, quod eum Deus ad fungendum munere Messiæ seu Christi erexerit, atque ad id vocaverit & promoverit. Vide supra cap. 3. ℣. ult. Sed nihil obstat quominus id hoc loco de excitatione Jesu ex mortuis à Deo facta intelligatur. Vide supra cap. 3. 15. & infra x. 40.

Quem vos interfecistis.] Græcum verbum proprie significat *manibus confecistis.* At hoc loco notat *occidistis*, ut & infra cap. 26. ℣. 21. quamvis isti Judæorum primores non suis manibus, sed per manus Ethnicorum militum id effecerint.

Suspensum in ligno.] Id est in lignea cruce. Morte dira, ignominiosa, à Deo ipso maledicta. Deut. 22. ℣. 22, 23.

Vers. 31. Jam porro istum à Judæis damnatum & ignominiosa morte affectum Jesum magnifice celebrant.

Hunc.] Id est Jesum in ligno crucis suspensum, Judæorum instigatione interfectum, ita contumeliose & crudeliter tractatum.

Deus.] Nempe ille Deus Patrum, ut modo est nominatus, qui est Pater omnium, & ipsius Jesu. Joh. 8. 54. Act. 3. 13.

Principalem ducem.] Vox Græca non simpliciter principem notat, quia est composita ex principe & ductore, ideoque ita interpretanda ut hic interpretamur. Est autem Jesus post Deum præcipuus Dux, vitæ nempe æternæ, vide supra cap. 3. 15 & salutis. Hebr. 2. 10.

„Recte hæc verba interpretatus est Beza, ac si „dictum esset, Deus hunc extulit in principem ac „servatorem: seu sursum sublatum, constituit prin„cipem ac servatorem. Hæc ille. Quamvis enim

Jesus

Jesus adhuc in terra versatus fuit dux vitæ & servator, aliquo modo & gradu, tamen plenius & perfectius in superiore gradu talis evasit post exaltationem in cœlum, ad dexteram Dei. Unde & idem Petrus supra cap. 2. 36. dixit quod Jesum à Judæis crucifixum Deus fecerit Dominum ac Christum. Et Author ad Hebr. 5. 9 scripsit, de eodem Christo, quod is factus perfectus, hoc est immortalis, evaserit omnibus obedientibus ipsi, causa salutis æternæ: nempe perfectiore modo. Simile exemplum est Act. 7. 35. de Mose, quod Deus eum, principem & redemtorem miserit, id est in id ut esset princeps & redemtor seu liberator.

Exaltavit dextra sua] Vide supra annotationem ad cap. 2. 33.

Ut det] Sive Deus is qui Jesum exaltavit, det per Jesum, ut causa prima per mediam: sive ipse Jesus potestate à Deo accepta, det, ut causa media. Et quidem hoc posterius magis indicatur Luc. 24. 47. Act. 13. 38. 39.

Israël.] Id est illius Jacobi qui Israël dictus est, posteris, Israëlitis.

Resipiscentiam, & remissionem peccatorum.] Vide annot. ad Luc. 24. 47. Resipiscendum est à peccatis si quis velit sibi per Christum dari peccatorum remissionem plenam, in qua salus æterna continetur.

Dare autem dicitur Deus per Christum, resipiscentiam, non quod homines nolentes & invitos ad se convertat vi irresistibili: sed quod eis causas & media atque modos resipiscendi conferat, ac tempus & locum concedat: si modo homines velint accipere, ut Joh. 6. 33.

Vers. 32. Id quod de Jesu exaltatione modo dictum ut verum ac certum confirmatur testimoniis evidentibus.

Et nos.] Apostoli quibus vos interdicitis ne in nomine Jesu doceamus.

Sumus ejus testes.] Nempe oculati, testantes de eo id est Jesu ea quæ ipsi vidimus cum eo facta. Vide supra Act. 1. 8. II. 32. & infra 13. 31.

Verborum istorum.] Id est rerum istarum, nempe Jesu è mortuis resuscitationis, & exaltationis in cœlum à Deo. *Verba* pro *rebus* sæpe ponuntur per Hebraismum. Vide Luc. 1. 37. II. 15. Act. 10. 37.

Et Spiritus autem ille Sanctus] Cum testimonio suo Apostoli conjungunt testimonium majus, Spiritus Sancti, afflatus divini, cœlitus in eos demissi, quo quum Apostoli essent repleti, is per eos miracula insignia efficiebat, quibus is, seu Deus per eum ut vim suam atque afflatum attestabatur & confirmabat ea quæ ipsi asserebant de Jesu, esse verissima.

Ita & alibi ista testimonia Spiritus Sancti Apostolis dati, & ipsorum Apostolorum, conjunguntur. Ut Joh. 15. 26, 27. & Heb. 2. 3, 4.

Quem dedit Deus.] Nempe ut vim à se manantem, ut donum cœleste eximium: dedit autem Deus per ipsum Jesum exaltatum. Vide supra 2. 17. & 33. 38. Vide & Luc. 11. 13. vel hinc apparet Spiritum Sanctum non esse Deum altissimum, quia à Deo altissimo datur hominibus, ut donum. Nam de persona Dei altissimi ita loqui quod ab aliquo detur alicui, nefas est: quia in potestate & arbitrio dantis est id quod datur.

Obedientibus sibi.] Præcipue id hoc loco intelligendum de iis qui Euangelio nomine Dei à Jesu prædicato fidem adhibuerunt, ut erant ipsi Apostoli, & proinde etiam præceptis Euangelio additis, obsequentes, à peccatis resipuerunt, & voluntati Dei morem gesserunt. Syrus & Arabs habent *credentibus ipsi.* Sed recte hoc loco annotavit Beza, nulla est vera obedientia absque fide, neque vera fides absque obedientia. Notandum iis demum Deum dare Spiritum Sanctum, qui ipsi DEO obediunt. His dictis Petrus cum aliis sociis Apostolis conabatur illos Judæos si adhuc sanabiles essent, ad resipiscentiam & ad fidem in Jesum ut Messiam adducere.

Vers. 33 *Ipsi autem audientes.*] Quamvis recte redarguti, tamen ad resipiscendum & crimen suum confitendum non sunt permoti, sed in scelere obdurati.

Dissecabantur.] Quasi serra scinderentur, cum magno dolore, ut fiebat interdum pro pœna, vide 2 Sam. 12. 31. & 1 Paralip. 20. 3. & Hebr. 9. 37. A serra enim verbum hoc Græcum deducitur. Significatur ergo istos de quibus hic dicitur per verba illa dolore cordis gravi affectos fuisse, ista dicta ægerrime ferentes, cum summa iracundia. Non satis recte quidam hoc interpretantur *frendebant*, & exponunt, declarari gestum eorum, qui præ rabie dentibus strident, veluti si quis serram trahat. Nam etsi alias hoc verbum posset tale aliquid significare, tamen infra cap. 8. 54, & hoc dicitur de cordibus, quod ibi exponitur *findebantur*, & præterea additur, & stridebant dentibus.

Et consultabant abolere eos.] Vel perimere; sive vi, ut factum postea Stephano, sive per judicium magistratus externi, ut factum Jesu Christo: quia ipsi Judæi non habebant tunc in potestate supplicia capitalia. Ita hostes veritatis dum ipsam refutare non possunt, ejus confessores vi opprimere conantur: Quando telo mendacii nihil efficiunt, alterum telum crudelitatis arripiunt, eoque uti volunt.

Vers. 34. *Surgens autem.*] Nempe quasi concionabundus, vel simpliciter novam actionem orsus. Videatur annot. supra ad vers. 17.

Quidam in concilio Pharisæus.] Adversarius sectæ Sadducæorum, quæ in hoc negotio primas partes tenebat supra vers. 17.

Nomine Gamaliel Legis doctor.] Celebris inter Judæorum Rabbinos, & ut videtur nepos Hillelis celeberrimi. Ejus mentio fit & infra cap. 22. 3.

Æstimabilis toti populo.] Qui in pretio & honore erat, propter dotes suas: ut doctrinam, atque prudentiam, & vitæ integritatem, quibus rebus sibi authoritatem comparavit.

Jussit extra paulisper Apostolos educi.] In Græco textu proprie *breve quid Apostolos extra fieri.* De hoc more, vide supra cap. 4. 15. Sed præterea potuit illud spectare Gamaliel, ne videretur auribus Apostolorum Jesu, præsentium aliquid dare.

Vers. 35. *Dixitque ad eos.*] Non ad Apostolos, quanquam hi proxime sunt nominati, sed ad suos in isto consessu seu concilio collegas.

Viri Israëlitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid

quid sitis acturi.] Quasi dicat, videte quid agatis, ne quid temere, sed caute ne nimio zelo abrepti turbas excitetis absque necessitate.

Vers. 36. Exemplis docet quosdam magna sed vana sine Dei mandato molitos, male periisse, sine procerum Judaicorum cura atque labore.

Ante hos enim dies.] Id est *hæc tempora.* Nam anni etiam non pauci intercessisse videntur, de quo mox.

Surrexit.] Seu exortus est, in publicum prodiit, aliquid agere aggressus.

Theudas.] Syriacum nomen, idem fere significans quod Jehuda seu Judas. Ejus nominis plures videntur inter Judæos exstitisse seditionum authores. Ut ille de quo scripsit Josephus Antiquit. lib. 20. cap. 11. Sed is posterior fuit isto, de quo hic agitur. Iste enim ante finem Herodis Magni exstitit, ut & Origen. contra Celsum notavit, imperante Octaviano Augusto: alter vero sub imperio Claudii. Videatur Josephus Antiq. lib. 17. cap. 12. & xx. 4. Dicens esse aliquem seipsum.

Aliquem.] Quidam libri addunt *magnum*, ut infra VIII. 9. Sed non est necesse, nam hoc subintelligitur in talibus dictis, ut 1 Cor. 3. 7. x. 19. Gal. 2. 6. VI. 3. Jactabat forsan iste Theudas seu Thodas se esse eximium Dei servum, ab eo missum ad liberandum è servitute populum Judaicum: instar Messiæ.

Cui agglutinatus est seu adhæsit, *numerus virorum quasi* vel *circiter quadringentorum:* adhæsissent forsan & plures nisi eum Deus brevi tolli voluisset.

Qui sublatus est.] Nempe è vita, occisus.

Et omnes quicunque assensi sunt ei.] Ejus sectatores.

Dissoluti sunt.] Ita solet fieri ut Duce è medio sublato sectatores ejus dissipentur ac dilabantur. Vide Matth. 26. 31.

Et facti sunt in nihilum.] Seu redacti sunt ad nihilum. At Jesu Nazaræno quamvis per mortem atrocem sublato, tamen ejus asseclæ non sunt redacti in nihilum.

Vers. 37. *Post hunc surrexit Judas ille Galilæus.*] Alias dicitur Gaulonites, Josepho Antiquit. XVIII. cap. 1 & 2, quanquam ab eodem etiam Galilæus vocatus ibid. cap. 11. & de bello lib. 2. cap. 12.

In diebus descriptionis.] Non illius de qua Luc. 2. 1. Sed posterioris, post Herodis filium Archelaum depositum ac relegatum, Judæa in provinciam à Romanis redacta, instituta capitatione hominum, ac tributo imposito. Unde orta Judæorum isto Juda authore seditio.

Et avertit populum multum post se: & ille periit, & omnes quotquot assensi sunt ei, dispersi sunt.] Alterum hoc exemplum simile priori, similem vanæ seditionis exitum miserum declarat.

Vers. 38. *Et nunc.*] Id est nunc igitur.

Dico vobis, abscedite seu *abstinete.*] Ut veterunt Syrus, Pagninus, & Tigurini.

Ab hominibus istis, & finite eos.] Istis exemplis allatis subjicit conclusionem: adhortans collegas ne in Apostolos temere sæviant. Apparet Gamalielem istum non alieno à Christi discipulis fuisse animo: vel saltem ingenio non sævo, sed miti ac moderato. Cujus istud consilium valde laudat Bullingerus comment. in hunc locum. At Calvinus sævus, libro contra Servetum, hanc Gamalielis sententiam arguit imperitiæ, quod pessundet omnem ordinem politicum, & Ecclesiæ disciplinam enervet. At & Apostolorum disciplina non fuit enervis quamvis caruerit violentis Calvini nervis. Et ordo Politicus manere potest in peccatis controversia carentibus: at de hæreticis valde controversa res est, & disputationi subjecta: ideoque non carnali brachio violenter tractanda, sed post tentata media spiritualia, Dei judicio relinquenda. Consentientem huic Gamalielis sententiæ sententiam protulit ipse Christus, Matth. 15. 13.

De Gamaliele tamen Rabbi Moses Maimonides Misnæ suæ To. 1. L. 11. Tract. de Oratione & Benedictione Sacerdotum, scripsit, eum contra Hæreticos in diebus ipsius multiplicatos qui Israëlitas ad defectionem à Deo sollicitabant (ita describuntur Christiani) composuisse precationem, postulantem à Deo ut perdere velit istos Minæos seu speciales, id est, Hæreticos. Sed potest fieri, ut hoc alter Gamaliel fecerit: vel si iste, ut antea quidem ita fervidus fuerit, postea autem deserbuerit: vel denique ut si modo eos hæreticos impios esse constet, tamen non vi humana, sed divina eos opprimendos censuerit.

Quoniam.] Id quod proposuit de sinendis Apostolis Jesu, confirmat adhuc rationibus: quarum prior formatur per dilemma. Istud negotium discipulorum Jesu & doctrina eorum, aut est ex hominibus, aut ex Deo; Sin ex hominibus, tum absque vestra opera dissipabitur; Si autem ex Deo nequaquam poterit opera vestra dissipari. Itaque sive illud sive hoc sit, frustra laboratis, & operam perditis.

Si sit ex hominibus consilium hoc, aut opus hoc.] Nempe quod isti Jesu Nazaræni discipuli agitant, atque moliuntur. Ficta & vana non perpetuo vigent. Religiones pravæ ab hominibus excogitatæ, tandem dissolvuntur. Quanquam non sunt talia commenta neglectim spectanda; at non violentis mediis humanis repellenda, sed spiritualia mala spiritualibus armis debellanda.

Vers. 39. *Si autem ex Deo est.*] Ita ut hujus negotii Deus sit author.

Non potestis dissolvere illud.] Neque potestis, quia Deus est omnipotens, quod is vult effici id etiam per maxima obstacula efficietur & consistet. Nam, non est sapientia, neque intelligentia, neque consilium contra Dominum, Prov. 21. 30: sed neque debetis id velle conari, non tantum frustra, sed & impie, ideoque noxie. Ut mox indicatur, quod pro alio novo argumento est quo sævitia in Apostolos, eorumque conatibus resistentia dissuadetur.

Ne forte.] Hæ voces & eæ quæ sequuntur connectendæ videntur cum illis, *finite eos:* intermediis velut per parenthesin interjectis. Alias esset ellipsis, ut subintelligatur *videte.* Ut Gen. 4. 22.

Et cum Deo pugnantes.] Non tantum hominibus sed illi supremo rerum creatori & moderatori, repugnare; quod est maxime inconveniens, inane, irriti laboris & perniciosum negotium. Simile dictum infra cap. 23. 9.

Inveniamini.] Id est palam appareatis. Vide annot. ad Matth. 1. 18, ad voces *inventa est.*

Ad hoc Gamalielis consilium ita annotavit Tirinus Jesuita: ad ℣. 38. Ergo & à puniendis hæreticis abstinete, inferunt iidem hæretici: sed perperam. Nam

Nam causa hæreticorum non est Ecclesiæ judicibus dubia, (ut erat Judæis hæc Apostolorum) sed constat illis falsam esse, erroneam, & sæpius ac manifeste ab Ecclesia damnatam ac proscriptam; unde non amplius probanda aut excutienda, sed plectenda, & ne ulterius serpat, pluresque inficiat, succidenda. Hæc ille. At nonne ii qui in concilio isto Judaico sedebant, etiam dicere potuerunt, causam istorum Jesu discipulorum non esse sibi dubiam, sed constare sibi eorum doctrinam esse falsam, erroneam & manifeste ab Ecclesia sua Judaica damnatam, tum in Jesu ipso ut blasphemo & seductore ad mortem diram condemnato, tum in ejus discipulis, de ea omnino silere jussis, quibus in nomine Jesu docere vetitum jam fuit, supra cap. 4. 18, & hic mox ℣. 40. Num ideo juste egerunt cum Apostolis?

Vers. 40. *Assensi sunt autem ei.*] Nempe eatenus, ne eos occiderent ut antea volebant ℣. 33. Sed non ut penitus sinerent, sicut Gamaliel consulebat. In cujus dilemmate pars prior ℣. 38, potest pati instantiam, quod etiam religiones quædam falsæ ab hominibus fictæ non brevi dissolvantur, ut Ethnica &c. Sed id fit dum hominum potentium armis ac tyrannide fulciuntur, Deo permittente: at ubi hæc desunt, collabuntur. Apostolorum autem doctrina nulla humana potentia fulciebatur.

Et advocatis Apostolis.] Seu quum advocassent Apostolos.

Verberatis.] Forsan ex more plagis quadragenis, propter inobedientiam scilicet: ne concilium illud frustra contra immerentes congregasse viderentur.

Præceperunt ne loquerentur in nomine Jesu.] Tamen in prohibenda doctrina Apostolica de Jesu pertinaciter manserunt.

Et dimiserunt eos.] Id est permiserunt ut tunc abirent.

Vers. 41. *Ipsi quidem.*] Istud *quidem* etiam hoc loco redundat, ut supra c. 1. 18. III. 21 & 22. IV. 16.

Ergo ibant, gaudentes.] Quanquam verbera passi non sine dolore; sed à patientia ad causam respiciebant, quia solatium est pro honesto, & multo magis pro Deo & Christo, dura tolerare: nam præmii spe sua damna levabant. Ita implebant Christi monitum Matth. 5. 10, 12. Vide & 1 Petr. 1. 6, 7, 9. & IV. 13. & Jac. 1. 2, 12.

A facie synedrii.] Ab illis qui in consessu illo atque concilio Judaico considebant, ipsosque judicabant.

Pro nomine ejus.] Nempe Jesu Christi, id est pro ipso, seu ipsius causa, aut propter ipsum: non ipsius vice ac loco.

Digni habiti sunt contumelia affici.] Mirum oxymoron, quum contraria videantur dignitas & contumelia, tamen illi contumeliam habebant pro dignitate & honore, non quatenus erat contumelia & ignominia, sed quatenus tolerabatur pro Christo Jesu, Domino cœlesti; qui non cujusvis sanguine sed servorum suorum lectissimorum utitur ad propagandam gloriam suam: ac idem contumeliam suis in præsenti seculo illatam, incomparabili gloria futuri seculi abunde compensabit. Itaque pii quum illis offertur occasio pro Christo patiendi, id pro dono reputare debent. Vide Philip. 1. 28, 29, is est supremus patientiæ Christianæ gradus.

Vers. 42. *Omnemque diem.*] Id est singulis diebus, nullo prætermisso.

In templo.] Loco publico, Judæorum conventibus religiosis & sacris peragendis dicato.

Et secundum domum.] Non tantum publice, sed etiam in locis privatis, domatim, hinc inde. Vide annot. supra ad cap. 2. 46.

Non cessabant docentes.] Id est docere, & euangelizare seu prædicare. Nihil curabant hominum Deo repugnantium interdicta, minas, & verbera, atque ab iis pericula. Ita decet facere veros Christi servos; propter adversa non segnescere in officio pietatis neque deficere: cuivis Christiano dici recte potest Tu ne cede malis, sed contra audientior ito.

Et evangelizantes.] Id est bono ac læto nuncio annunciantes, seu prædicantes.

Jesum Christum.] Id est doctrinam de Jesu Christo. Ita & alibi Christus ponitur pro doctrina de Christo. Ut 1 Cor. 2. 2. Eph. 4. 20. Philip. 1. 16, 18. Col. 2. 8.

CAPUT VI.

Vers. 1. *IN diebus autem istis, multiplicatis &c.*] Hactenus inter credentes in Jesum Christum pauciores sed ferventiores, erat egregia concordia, vide supra cap. 2. 44 & IV. 32. jam autem crescente numero, & decrescente fervore atque charitate, oriuntur interna dissidia. Inter multos simul degentes multo magis oriri possunt disceptationes & murmura, quam inter paucos: nam multis satisfacere est difficilius.

Discipulis.] Nempe Christi: qui fidem in Christum, atque doctrinam ejus amplectebantur.

Factum est murmur.] Quædam indignatio & querimonia, quasi ob injuriam, & malam tractationem.

Hellenistarum.] Hellenes Græca lingua vocantur Græci ipsi: sed in his Sacris libris, latius extenso isto nomine, comprehenduntur omnes præter Hebræos populi, variarum gentium, quos solemus vocare Ethnicos. Ut Marc. 7. 26. Actor. 14. 1. XVIII. 4. XIX. 10. XX. 21. Rom. 1. 16. II. 9. 1 Cor. 1. 22 &c. Hellenistæ autem ab utrisque aliquomodo diversi, intelliguntur ii qui non erant Hebræi genere, neque religione Ethnici, sed qui ex Ethnicis facti erant proselyti, suscepta fide Judaica: quales distinguuntur ab aliis Judæis etiam supra cap. 2. & infra 10. XI. 19, 20. XIII. 43. Hi ergo ex gentibus proselyti, qui susceperant Judaica Sacra, vocantur, non Hellenes seu Græci, vitandæ æquivocationis causa, ne putentur jam tunc Gentiles recta admissi ad Christi Ecclesiam, quod demum à Cornelii centurionis conversione est factum, infra cap. 10. sed Hellenistæ quasi Græcanici, vel si ita loqui liceat, Græcistæ. Ut infra 9. 29. & XI. 20. etiam postquam ad Christianismum sunt conversi, ita in illo initio appellabantur.

Adversus Hebræos.] Significat eos qui à prima origine erant ex natione Hebræa, posteri Abrahami: qui non Judæorum sed Hebræorum antiquiore nomine opponuntur Hellenistis Judaica Sacra professis. Paulus Apostolus quamvis extra Judæam natus, Tarsi Ciliciæ, inter eos qui Hebræis vocabantur Græci, & Græca lingua passim uteretur, tamen se nominat Hebræum, 2 Cor. 11. 22. Philip. 3. 5.

Ex his duobus hominum generibus nempe Hebræis natis, & ex Gentilissimo Judaicis proselytis, dictis Hellenistis seu Græcanicis Judæis ad Christum conversis, constabat tunc Ecclesia Christianæ Jerosolymitana.

Quod despicerentur in ministerio quotidiano] Græce *diaconia.* Quod eis minus ministraretur, seu suppeditaretur ad victum, ex mensis de quibus versu mox sequente. Hæc subministratio seu suppeditatio rerum ad victum pertinentium vocatur diaconia. Ut Mat. cap. 8. 15. Luc. 8. 3. x. 40. Joh. 12. 2. Act. 11. 29. Rom. 15. 25. 2 Corinth. 8. 19, 20. IX. 1, 12, 13.

Viduæ eorum.] Nempe Hellenistarum, quæ non erant ortæ ex genere Hebræo; quum præter pauperiem cum aliis communem, essent aut infantibus vel pueris teneris oneratæ, & minus curarentur quam eæ quæ erant genere Hebrææ, ac in distribuendo minus eis quam cæteris ad victum subministraretur. Quia initio Apostoli ad impertiendum ex communi collecta, quo cuique opus esset supra 2. 45. forsan adhibebant non certos homines, sed nunc hos nunc illos, & quidem ut apparet genere Hebræos, qui magis suorum consanguineorum ut fieri solet respectum habebant, quam alienigenarum, advenarum. Hinc orta murmuratio, & querimonia. Aliqui putant eas viduas vel non admissas ad id ut fidelibus ministrarent, vel in ministrandi vicibus præteritas esse. Sed de eo forsan non fuisset tanta querela.

Vers. 2. *Advocantes autem illi* XII.] Nempe Apostoli: ad quos ut Ecclesiæ præsides seu gubernatores, istæ querelæ delatæ fuerant; & forsan rogati sunt ab iis qui injuriam passi videbantur, ut ipsi Apostoli per seipsos distributionem istam victus administrarent. Notandum non solum Petrum huic negotio præsedisse velut Monarcham, sed Apostolos omnes.

Multitudinem discipulorum.] Non tam suorum quam Jesu Christi Magistri communis, cujus doctrinam amplexi Ecclesiam Christianam constituebant.

Dixerunt, non æquum est.] In Græco textu proprie habetur, *Non placitum est*, sed hic potius affertur causa cur id placere non debeat, quia nempe est inconveniens.

Nos nempe Apostolos, *derelicto sermone Dei.*] Id est euangelii prædicatione, quod erat eorum officium excellens, & saluti animarum humanarum necessarium: quod minus curare eique non adeo multum vacare possent, si aliis negotiis inferioribus distinerentur, atque distraherentur.

Ministrare mensis.] Id est victui qui ad mensas dabatur, in conviviis, de quibus supra cap. 2. 46, distribuendo: quanquam hic per Synecdochen intelliguntur omnia quæ ad curandas necessitates fidelium, respectu corporum, spectabant.

Vers. 3. *Dispicite igitur fratres*] Apostoli non ipsi pro arbitrio suo delegerunt Diaconos, sed cœtui fidelium commiserunt eligendos. Ut non sine populi suffragiis atque consensu expresso constituerentur; quod est notandum.

Viros ex vobis] Ex numero auditorum, & quidem, ut verisimile est, etiam eorum, qui conquerebantur de neglectu suorum, nempe Hellenistarum.

Testimonio probatos.] Id est testimonium bonum habentes, ut dicitur 1 Tim. 3. 7. &c. nempe quod sint vitæ honestæ.

Septem.] Quia magnus numerus fidelium collectus fuit Jerosolymæ supra 4. 4; ideo requirebantur multi qui procurandis iis quæ ad illorum victum pertinebant vacarent. Et forsan septem fuerunt loca in quibus conventus & Agapæ fieri solebant.

Plenos Spiritu Sancto.] Quos appareat Spiritu Dei Sancto ex eoque manantibus effectis spiritualibus esse præditos.

Et sapientia.] Nempe spirituali, per Spiritum Dei Sanctum infusa, consistente in rerum notitia, non tantum simplici, theoretica, sed etiam practica, ad actiones spectante, quæ prudentiam complectitur. Oportet enim Diaconos non tantum ea quæ ad victum fidelium spectant prudenter procurare ac distribuere, sed etiam iis monitiones reprehensiones consolationes adhibere, prout res requirit.

Quos constituamus super necessitatem hanc.] Id est ut eos præficiamus huic negotio vel curæ, id est tali diaconiæ: ita ex malis intribus bonæ leges nascuntur.

Vers. 4. *Nos autem.*] Nempe Apostoli, ad talia munia mere spiritualia a Domino vocati, & ordinati.

In precatione.] Nempe non tantum privata sed etiam præcipue publica, in qua aliis Christi fidelibus præibant.

Et ministerio sermonis.] Nempe divini, id est in prædicatione Euangelii.

Perseverabimus.] Seu his actionibus sacris diligenter assiduo incumbemus: quod erat officium multo magis necessarium & saluti animarum utile, & Apostolis peculiariter à Christo ad ejus regni propagationem demandatum. Matth. 28. 19, 20. Mar. 16. vers. 15. Luc. 24. 47, 48.

Vers. 5. *Et placuit hic sermo coram omni multitudine.*] Est Hebraismus, id est ista res quæ hoc sermone proponebatur, placuit universæ illi multitudini seu Ecclesiæ Christianæ: omnia ejus membra huic consilio Apostolico recto acquieverunt & consenserunt.

Et elegerunt.] Ex numero sui electos, nominarunt & Apostolis proposuerunt.

Stephanum.] Primum ac præcipuum.

Virum plenum fidei.] Potest sumi *fides* hoc loco pro doctrina de fide in Deum & Christum ut infra ℣. 7. Rom. 1. 5. Gal. 1. 23. III. 2, 5, 25. Vide 1 Tim. 3. 9. Sed simul quoque pro fiducia in Deo & Christo collocata; vel etiam pro fidelitate in negotiis juste & sincere administrandis.

Et Spiritus Sancti.] Vide annot. supra ad ℣. 3. & infra ℣. 8 & 10.

Et Philippum.] De hoc plura infra cap. 8. 5, 12, & 26. & XXI. 8. Diversus is fuit à Philippo illo qui erat ex numero XII Apostolorum.

Et Prochorum.] Quæ sub nomine Prochori circumferuntur gesta S. Joh. Apostoli, etiam à Pontificiis quibusdam suppositiia judicantur.

Et Nicanorem, & Timonem & Parmenan.] Nomina hæc omnia Græca sunt, nullum eorum est Hebræum. Quanquam autem & Hebræi quidam tunc Græca nomina usurparent, ut & inter Apostolos aliqui; tamen quia hic nullum nomen Hebraicum ponitur, videntur Diaconi isti saltem plerique ex Hellenistis seu Græcanicis proselytis electi fuisse: præsertim quum ob Hellenistarum viduas neglectas murmur obortum, esset per eos sedandum.

Et

Et Nicolaum proselytum Antiochenum.] Non quod alii sex non essent etiam proselyti, sed quod forsan illi erant Jerosolymitani, iste autem Antiochenus ex Ethnico factus Judæus respectu religionis, & postea Christianus. Ab hoc Nicolao existimantur nomen & ortum duxisse Nicolaitæ, de quibus Apoc. 2. 6 & 15, vide ibid. ℣. 14. Quanquam aliqui existimant non ipsum Nicolaum prava docuisse, sed verba ejus in pravum sensum detorta esse à quibusdam, ejus nomine abutentibus. Ut eum excusant Clem. Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis & Augustinus.

Vers. 6. *Quos statuerunt in conspectu Apostolorum.*] Ut isti qui Ecclesiam gubernabant, eos pro idoneis ad id officium agnitos, ordinarent & consecrarent.

Et.] Id est *qui*, nempe Apostoli.

Precati.] Nempe Dominum cœlestem, ut istos ad hoc officium magis magisque instrueret, & eorum diaconiæ benediceret.

Imposuerunt eis manus.] Per hunc ritum fiebat ordinatio ad ministeria sacra, jam olim, apud populum Dei; ut quum Josuas ex præcepto Dei substitueretur in functione Mosi, id factum est per manuum Mosis impositionem, Num. 27. 18, 23. Ita fiebat & postea inter Israëlitas atque Judæos. Et inter Christianos Act. 13. 3. 1 Tim. 4. 14. v. 22. 2 Tim. cap. 1. 6.

Vers. 6. *Et sermo Dei crescebat.*] Id est cuangelii prædicatio per Apostolos, & eorum socios facta, vires sumebat, & effectum pariebat, qui mox subjungitur.

Et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem, valde.] Tunc simpliciter *discipuli* vocati ii, qui Jesum esse Christum credebant ac ejus doctrinam profitebantur, qui postea dicti Christiani. Infra cap. XI. ℣. 26.

Multaque turba Sacerdotum.] Mirum esse videtur quod hic dicitur, sed non est impossibile. Primò Levitæ aliquando Sacerdotibus accensentur. Deinde ex captivitate Babylonica reversi Sacerdotes numerantur, quater mille, ducenti & octuaginta novem: Esd. 2. 36, 37, 38, 39, quos postea multum auctos esse est credibile. Ex his præter classium 24 Principes, qui à turba eximi possunt, multos tum sermone Apostolorum Jesu à Spiritu Sancto dictato, tum eorum sanctitate & constantia atque patientia; tum miraculis insignibus ac evidentibus per eos editis, permotos, ad fidem in Jesum ut Christum accessisse, non magis est mirandum aut dubitandum, quam quod in Jesum adhuc in statu humiliationis versantem, multi & ex Principibus seu Primariis Judæorum credidisse dicuntur, quamvis id non confiterentur, Joh. 12. 42.

Tunc autem efficacia divina animos eorum impellente & percellente, potuerunt deposito metu sociorum suorum & aliis affectibus carnalibus excussis, discipulis Jesu Christi sese ita adjungere, ut fidem in eum & amplecterentur, & profiterentur.

Obediebant fidei.] Id est doctrinæ de fide in Jesum, ut Messiam seu Christum, per euangelium annunciatæ, agnoscentes eam esse veram, assensum præbuerunt. Ita *fides* pro doctrina de fide non semel sumitur. Ut annotatum supra ad ℣. 5, quibus adde Rom. 16. 26. Tit. 2. 2. Judæ ℣. 3 & 20. Apoc. cap. 2. 13.

Vers. 8. *Stephanus autem.*] Ille Diaconus primarius, de quo hic pertexitur historia.

Plenus fidei.] Vide notata supra ad ℣. 5. Pro *fidei* quædam exemplaria habent *gratiæ*.

Et potentiæ.] Nempe divinæ, id est Spiritus Sancti: qui superiore versu modo nominato, cum fide in eodem Stephano conjungitur. Is Spiritus etiam alibi vocatur potentia, quia est potens & efficax.

Faciebat prodigia & signa magna in populo.] Nempe ope ac vi istius Spiritus divini sibi communicati edebat miracula varia. Vide supra cap. 2. 22. Quædam exemplaria in fine hujus commatis addunt, *per nomen Domini Jesu Christi.*

Vers. 9. *Surrexerunt autem quidam.*] Surgere interdum significat, novam actionem exordiri. Respice annot. supra cap. 5. 17 & 34.

Ex synagoga.] Præter templum omnibus Judæis commune, habebantur synagogæ diversis locis multæ, in quibus conventus Sacri Judæorum peragebantur. Vide Matth. 4. 23. In ipsa Jerosolyma narrantur fuisse 480. Inter has synagogas videntur fuisse Collegia ad juvenum in studiis Theologicis informationem instituta.

Dicta Libertinorum.] Apud Romanos qui ex servis, cujuscunque gentis essent, libertate donabantur, dicti *Liberti*, & eorum posteri *Libertini*. Forsan ex istis fuere qui religionem Judaicam amplexi Jerosolymam venerant & ibi synagogam suam habebant. Sed quidam docti existimant non eos qui à Romanis illuc advenerunt, sed qui apud ipsos Judæos servierant & religione Judaica suscepta circumcisi atque etiam baptizati à Judæis erant, atque ad omnia jura Judaica admissi ac in Judaismum cooptati, & eo ipso libertate ab ipsis donati erant, hoc nomen quamvis à Romanis desumtum, apud Judæos habuisse, ut tales vocarentur *Libertini*, ad differentiam aliorum proselytorum, qui ex ingenuis Ethnicis ad Judæorum religionem accesserant. Aliqui autem putant, ex Judæis in servitutem à ducibus Romanis abductis, prognatos, libertate donatos hic vocari Libertinos.

Et Cyrenæorum.] Aliqui putant unam synagogam hic notari, quæ esset communis omnibus Judæis Libertinis, cujuscunque gentis ii essent, sive Cyrenæi ex Cyrena regione Africæ orti sive Alexandrini, sive Cilices, sive Asiatici. Sed nihil obstat, quominus diversorum istorum nominum per copulas disterminatorum ac distinctorum homines, diversas synagogas habuerint: quamvis uno nomine singulari *synagoga* ad singula ista nomina subintellecto comprehendatur. Ut 1 Reg. XI. 7.

Et Alexandrinorum.] Qui erant oriundi Alexandria urbe Ægypti, ab Alexandro Magno Macedone condita, in qua multi Judæi olim habitabant.

Et eorum qui erant à Cilicia.] Cujus metropolis erat Tarsus, patria Sauli Tarsensis de quo postea,

Et Asia.] Scilicet minore, ubi metropolis Joniæ Ephesus.

Disputantes.] Seu proprie *disquirentes*. Discoptabant autem de religione & ejus controversiis.

Cum Stephano.] Illo Diacono. Cum hoc præcipue,

pue, vel quia is fervens Spiritu eos disputando aggressus, ad fidem in Jesum Christum convertere conabatur, vel etiam quia ut quidam suspicantur fuit aliquando istorum socius, & forsan quorundam discipulus, aliorum autem condiscipulus.

Vers. 10. *Et.*] Videtur positum pro *sed:* ut & alibi non raro.

Non potuerunt obsistere] Ita eos potenter coarguebat Stephanus, ut non haberent quod ejus dictis opponerent.

Sapientiæ & Spiritui.] Id est sapientiæ quæ ei à Deo infusa erat, circa rerum divinarum ad religionem spectantium notitiam, per Spiritum Sanctum: secundum promissum Christi, Matth. x. 20. & Luc. cap. 21. 15, quod hic etiam est impletum. Quidam ista verba *Sapientiæ & Spiritui* exponunt ita, id est sapientiæ Spiritus. Sic alibi baptizabit Igni & Spiritu, id est igni Spiritus aut igneo Spiritu, vel spirituali Igne.

Quo loquebatur.] Quia Spiritus Divini Sancti afflatu mens & lingua ejus impellebatur & regebatur in disserendo, ideo dicitur loquutus esse Spiritu. Quædam exemplaria Græca hic addunt verba non pauca, *propterea quod redarguerentur ab eo cum omni libertate, non valentes autem obnuti veritati. Tunc* &c. quorum partem habet Latina versio vulgata.

Vers. 11. *Tunc subjecerunt.*] Seu submiserunt, aut subornarunt, dolose & falsiciter.

Viros dicentes.] Quosdam ex numero suorum sociorum, accusatores.

Quod.] redundat in referendo sermone aliorum, ut sæpe.

Audivimus eum loquentem verba blasphema in Mosen & Deum.] Similiter, præsertim quod ad Deum attinet, Jezabelis jussu, falsi testes, accusarunt Nabotum, 1 Reg. 21. 13. Ita solent veritatis inimici facere, quum ejus professores argumentis refutare non possunt, ad calumnias & falsas criminationes convertuntur, ut eos violenter opprimant. Sæpe ut blasphema traducunt dicta in quibus nulla est blasphemia. Quod factum & ipsi Christo: Matth. 26. vers. 65.

Forsan ex ea occasione id objectum est Stephano, quod diceret Legem Mosaicam ritualem jam esse abolendam, præstantiora quædam præ Mose Deum jam tradere per Jesum, qui sit Mose excellentior, in quem Jesum credi oportet.

Vers. 12. *Commoveruntque populum & Seniores, & Scribas.*] Illi calumniatores contra Stephanum insontem concitarunt diversorum ordinum homines, ut ei velut blasphemo essent infensi, tum è plebe tum ex senioribus seu senatoribus, tum ex Legisperitis.

Corripuerunt eum.] Violenter, rapuerunt.

Et adduxerunt in Synedrium.] Ad Concilium, ut ibi à talium controversiarum judicibus judicaretur.

Et instantes, vel *supervenientes.*] Ut alibi vertitur, aut *adorti.* Nempe vi aggressi. Scilicet illi ex Synagoga qui in disputatione ejus dictis resistere non potuerunt, supra vers. 9, 10.

Vers. 13. *Stiteruntque testes.*] Fors illos eosdem de quibus dictum vers. 11. vel etiam alios, alia addentes.

Falsos.] Ita interdum vocantur etiam ii qui ea quæ vere dicta aut facta sunt narrant, sed ea falso & criminose interpretantur, ut quod factum 1 Sam. 21. 6. & 9. quum narrasset Doëgus Saulo cap. 22. 9, 10. quod tamen David vocavit mendacium Psal. 52.

Dicentes homo iste.] Ostendunt manu Stephanum.

Non cessat loquens.] Id est loqui, per Græcismum, quasi dicant, non semel dixit sed sæpe & fere perpetuo loquitur.

Verba blasphema.] Non tantum simpliciter famam alicujus, bonam lædentia, ut alibi hæc vox significat, sed res sacras contumelia afficientia, cum impietate.

Contra locum sanctum hunc.] Potest intelligi non tantum templum Jerosolymitanum, sed etiam ipsa urbs Jerosolyma quæ dicebatur urbs sancta. Vide Matth. 4. 5. XXVII. 53. & XXIV. 15.

Et Legem.] Nempe Mosaicam. Hæc versu mox sequente declarantur.

Vers. 14. *Audivimus enim eum dicentem.*] Propositionem accusationis suæ confirmant ac probant, calumniose.

Quod Jesus ille Nazarænus.] Nempe qui ut seductor & blasphemus, merito (ex eorum opinione) est ignominioso supplicio affectus.

Is.] Vel redundat hæc vox hoc loco: vel habet emphasin, ut quasi monstrando dicant, iste Jesus ille Nazarænus, contemtus, talia facturus prædicatur.

Destruet.] Græce est dissolvet. Similis vox simili sensu Matth. 26. 61. Marc. 14. 58. XV. 29.

Locum hunc.] Vel Jerosolymam urbem, vel præcipue in ea templum, domum Dei, cultui divino consecratam.

Et mutabit mores.] Seu consuetudines aut potius ritus. Qui quoniam magna ex parte dependebant à templo Jerosolymitano, ut victimarum, & hostiarum oblatio &c. ideo, templo illo sublato etiam isti ritus sublati. Vide Dan. 9. 26, 27.

Quos tradidit nobis Moyses.] Dicitur Moses tradidisse ritus, quamvis non tantum ore eos protulerit, sed etiam scripto consignaverit. Ergo traditiones possunt vocari etiam ea quæ sunt literis conscripta.

Ita autem crude simpliciter dicta Stephani referunt accusatores, quum ille proculdubio cautius fuerit loquutus.

Vers. 15. *Et* pro *tunc.*

Intendentes in eum omnes sedentes in Synedrio.] Id est oculis intentis diligenter eum intuentes.

Viderunt faciem ejus quasi faciem Angeli.] Simile fere dictum Gen. 33. 10. (quanquam ibi est vox quæ & Deum significat: Sed & angeli dicti sunt Dii) & 1 Sam. 29. 9. 2 Sam. 14. 17. Quibus in locis facies Angeli notat faciem serenam, jucundam. Sed notat alibi etiam faciem augustam & reverendam. Ut ad Estherem additionibus cap. 15. vers. 11. al. 13. Hic potest utrumque conjungi, ut significetur vultus plenus gravitate atque majestate, quam DEUS & filius ejus Jesus huic servo suo tunc circumfuderat, ita ut in ejus vultu insigniter reluceret, cum animositate, & simul cum serenitate atque tranquillitate, nullo metu confusa ut hominis bene sibi conscii, & Spiritu Sancto repleti.

CAPUT

CAPUT VII.

Vers. 1. *Dixit autem primarius Sacerdos, Anne hæc ita habent?*] Interrogatio habens vim mandati, ut Stephanus ad objecta responderet. Iste Pontifex, simulat justum judicem, quod nolit accusatum indicta causa damnari, sed ei quoque aurem alteram, ut dicitur, relinquat. Interim tantum de facto inquirit, an ista quæ objecta sunt, Stephanus dixerit, non cogitans quo jure id fecerit, quatenus, & quo sensu, ista protulerit.

Vers. 2. *Is autem.*] Nempe Stephanus.

Ajit.] Oratione prolixa declarans Dei erga Hebræos ab antiquo gratiam, & deinde populi istius Israëlitici erga Deum ingratitudinem.

Vers. 2. *Viri Fratres & Patres.*] Juniores compellat fratres, seniores autem Patres. Potuit hæc dicere & proselytus. Sed tamen ex his dictis non continuo sequitur Stephanum fuisse proselytum, quod non contentus dicere *fratres* addiderit & *patres*, quia nimirum proselyti, eorum à quibus legem acceperant Judæorum filii censerentur, ut quidam vir doctissimus argumentatur. Cujus argumenti infirmitas apparet inde, quod etiam Paulus Apostolus qui non erat proselytus, sed origine Hebræus, iisdem verbis compellet Judæos, infra Act. 22. 1.

DEUS *gloriæ.*] Id est Deus ille gloriosus imo gloriosissimus seu gloria & majestate plenus. Ut Ps. 29. 3. qui etiam dictus Rex gloriæ Psal. 24. 7, 8, 9, 10. Ita de Deo loquens Stephanus indicat se falso accusatum quasi Deum blasphemaret.

Visus est seu apparuit *Patri nostro Abrahamo.*] Hoc Patriarcha eximio ut gentis suæ authore gloriabantur Judæi. Vide Matth. 3. 9. Joh. 8. 33, 39. quem pro patre suo agnoscere potuit etiam proselytus non origine Judæus, sed Judæorum religioni insertus, Deum Abrahami colens. Accusatus Stephanus quod templi Jerosolymitani excidium & rituum Mosaicorum abolitionem prædiceret, historiam veterem percurrens, indicat, Dei favorem nulli loco, nec templo, fuisse adstrictum. Incipit ab Abrahamo celeberrimo post diluvium Patriarcha Hebræorum, qui Deo placuit & rite ac recte eum coluit ante institutos ritus Mosaicos, & exstructum tabernaculum, atque templum.

In Mesopotamia.] Ita dicta Græce regio, inter amnes duos Tigrim & Euphratem, quasi Interamnia. Cui accensetur etiam Chaldæa seu Babylonia, ut apparet etiam hic infra ex vers. 4.

Priusquam habitaret is in Charan.] Nempe prius in Chaldæa urbe Ur ab igne dicta, ubi ignis pro Deo colebatur; Ubi Abrahami pater Thare habitans trans fluvium, nempe Euphratem, diis alienis serviisse dicitur Jos. 24. 2. Ibi Deus Abramo apparuit, & dixit ei ista quæ sequuntur. Inde egressus Thare cum Abramo ab oriente versus occasum, substitit Charane seu Carris Assyriis, cis Euphratem. De quo loco Lucan. Crassus ut Assyrias maculavit sanguine Carras. Nempe Marcus Crassus triumvir Romanus ad hanc urbem cæsus est cum exercitu à Parthis ante natum Christum annis 50.

Vers. 3. *Et dixit ad eum.*] Nempe Deus ad Abramum quum adhuc Ure Chaldæorum habitaret. Videtur Stephani narratio discrepare à Mose qui postquam narravit Abramum cum patre habitasse Charane, tum demum ait Gen. 12. 1, *Et dixit Deus Abramo: Exi* &c. Unde aliqui existimant, hanc quam Stephanus memorat, fuisse priorem Abrami à Deo vocationem, Ure Chaldæorum, quam Moses prætermiserit, & tantum secundam quæ facta est Charane, narraverit. Sed id non est verisimile, Mosen id neglexisse, & quod is de Abramo non scripsit id Stephanum recitasse. Ut nec illud, Abramum jam in Chananæa degentem annis prope 60 inde in Mesopotamiam & paternam domum è qua exierat remeasse, & demum rursus jubente Deo in Chananæam regressum esse. Potius igitur dicendum, Gen. cap. 12. 1, quod vulgo vertitur *dixit* DOMINUS, vertendum esse, *dixerat.* Nempe antea, priusquam Charanem venisset.

Exi ex terra tua & ex cognatione tua.] Et patriam in qua natus erat & cognatos ac consanguineos suos relinquere jubetur à Deo Abramus.

Et veni in terram quam tibi demonstravero.] Non indicato ei loco certo, fidei ejus explorandæ causa.

Vers. 4. *Tunc exiens ex terra Chaldæorum*] Deo jubenti è patria exire, obedivit Abramus, quamvis nondum tunc sciens quonam eundum esset, & ubi habitandum; subnixus fide insigni de Dei providentia atque gratia, vide Hebr. xi. 8. In quo est imitandus iis quibus ob religionem diversam patria, in qua Deum secundum conscientiam colere non possunt, est relinquenda & in exsilium abeundum, etiamsi ignorent ubi sit consistendum.

Habitavit in Charran.] De quo dictum supra ad vers. 2.

Et illinc postquam mortuus est pater ejus.] Nempe Thare. Vide Gen xi. 32.

Transmigrare fecit eum.] Seu transportavit, nempe Deus.

In terram hanc.] Non generaliter Chananæam; nam in hanc venerat Abramus multo ante mortem Patris, per eamque vagatus erat; sed in eam partem istius terræ in qua postea consedit tribus Judæ, à qua denominati Judæi.

In qua vos nunc habitatis.] Nempe Abrahamus habitavit prope Hebronem; annis sexaginta elapsis post exitum è Charane.

Vers. 5. *Et non dedit ei hæreditatem in ea neque passum* vel potius *vestigium pedis.*] Id est nihil, quod ut suum proprium haberet. Ut Deut. 2. 5, nempe ex Dei donatione. Nam alias emerat sibi Abrahamus pecunia locum ad sepulchrum in illa terra, Gen. 23. vers. 16, 17.

Et.] Pro *sed*, vel pro *etsi.* Ut Psal. 51. 18.

Promisit ei dare in possessionem, eam, & semini ejus post eum.] Gen. 12. 7. xiii. 15.

Quum non esset ei natus.] Id est quum Abrahamus jam ævi maturus, nullum omnino adhuc filium, nec ullam prolem haberet, tamen Deus ejus semini id est proli se hanc terram obtinendam daturum esse est pollicitus: quod mirum videbatur: tamen data ei prole, imo posteris numerosis, è lumbis Abrami seu Abrahami egressis, Deus terram illam postea dedit in possessionem.

Verſ. 6. *Loquutus eſt autem ita Deus* &c.] Vide Geneſ. 15. 13.

Quod erit ſemen ejus.] Eſt hic ſermonis alterius perſonæ relatio obliqua. Sed quædam exemplaria habent *ſemen tuum*, qua ratione redundaret quidem particula *quod* more ſolito, ſed mimeſis recta, magis conveniret cum verbis verſiculi ſequentis.

Semen ejus.] Id eſt ex eo progenita proles.

Inquilinum.] Ut advena non in patria habitans.

In terra aliena.] Id eſt in Ægypto. Vide infra ℣ſ. 17, 19 & 34.

Et ſervitute ſubjicient & male tractabunt illud.] Non dicitur expreſſe quiſnam id ſit facturus, ſed ſubintelligitur, nempe, homines illius terræ alienæ. Vel hæc verba activa ſumenda ſunt paſſive ut ſignificent ſervituti ſubjicietur, & male tractatur, ſeu affligetur, ſemen tuum, id eſt poſteri tui.

Annos quadringentos.] Atqui à deſcenſu Jacobi & ejus filiorum in Ægyptum, uſque ad exitum ex Ægypto non effluxerunt tot anni, tantum ducenti & tredecim. Sed intelligendum eſt numerum iſtum annorum inchoari non ab initio ipſo ſervitutis Ægyptiacæ, ſed ab eo fere tempore quo Deus id Abrahamo eſt loquutus, vel ſaltem à nato Abrahami filio Iſaaco. At ab exitu Abrahami ex Ure Chaldæorum anni 430. qui expreſſi Exod. 12. 40. & Gal. 3. 17.

Verſ. 7. *Et.*] Pro *ſed* particula copulativa pro adverſativa. Ut ſæpe.

Gentem cui ſervierint.] Nempe Ægyptios.

Judicabo ego.] Id eſt *puniam.* Ut 2 Paral. 20. 12. Job. 36. 31. Pſal. 9. 20. Hinc *judicium* ſolet poni pro *pœna*, ut Exod. 12. 12. Proverb. 19. 29. Hoſ. 5. 1. Rom. 13. 2. &c.

Ajit Deus.] Repetit hæc dixiſſe Deum, non alium aliquem.

Et poſt hæc exibunt.] Nempe inde ex ſervitute.

Et ſervient mihi in loco iſto.] Hæc verba non habentur apud Moſen Gen. 15. 14, ſed tantum ℣ſ. 16 dicitur, *& in quarta generatione huc revertentur.*

Verſ. 8. *Et dedit ei.*] Id eſt Abramo qui nominatus ſupra verſ. 2: Sed jam vocato Abrahamo ſeu Patri multarum gentium futuro.

Pactum ſeu *fœdus, circumciſionis.*] Vide Gen. cap. 17. 9, 10, 12, 13, quod ibid. verſ. 11 vocatur *ſignum fœderis.* Neque enim ipſa circumciſio proprie erat fœdus: Sed poſt promiſſa eximia data Abrahamo, ſub conditione obedientiæ, Gen. 12. 2, 3. & XVII. 2, 6, 7, 8. Ubi fœdus cum eo jam fuit conſtitutum, addita eſt circumciſio, ut eſſet ſignum notabile iſtius fœderis cum Abrahamo & ſemine ejus facti, in corpore ejus & poſterorum ejus maſculorum, & quidem in membro genitali: quia prolis numeroſæ generatio ſignificabatur. Ante hoc tempus incircumciſi pii ab initio mundi placebant Deo.

Et ita genuit Iſaacum.] Quædam exemplaria Græca habent *& is genuit*, nempe cui data eſt primum circumciſio; id eſt Abrahamus. Sed ſi retineatur vulgata lectio, ſenſus erit, & ita Abrahamus poſt ſuſceptum fœdus cum Deo, & ſignum fœderis nempe circumciſionem, genuit Iſaacum. In quo quidem impleri cœpit promiſſum à Deo factum Abrahamo, quum præter naturæ vires miraculoſe in ſenio genuerit iſtum filium. Vide Gen. 21. 2, 4, 5, 6. Particula *ita* ponitur hoc loco pro deinde, vide Act. 20. ℣ſ. 11. *Et circumcidit eum die octavo.* Vide Gen. 21. 8.

Et Iſaacus Jacobum.] Scilicet tum genuit, tum circumcidit. De nativitate Jacobi vide Gen. 25. verſ. 24, 26.

Et Jacobus XII Patriarchas.] Authores duodecim tribuum Iſraëlitarum, de quorum generatione narrat Moſes, Gen. 29. 32 & ſeqq. & xxx.

Verſ. 9. *Et Patriarchæ invidentes.*] Seu invidia laborantes. Verſio Latina vulgata vertit *æmulantes.* Quod quidem etiam vox Græca ſignificare poreſt, ſed fuit ibi pluſquam æmulatio. Tangit vitium illorum à quibus ut authoribus ortum ducebant Iſraëlitæ, quod fratri inſonti inviderint imo eum odio habuerint. Vide Gen. 37. 4.

Joſephum fratrem vendiderunt in Ægyptum.] Id eſt vendiderunt eum abducendum procul in Ægyptum, vide Gen. 37. 28. Ita etiam ab iſtis Patriarchis orti Judæi, eum cujus Joſephus typum gerebat, nempe Jeſum ex invidia tradiderunt Romanis.

Et Deus.] Particula *&* etiam hoc loco non eſt copulativa verum adverſativa, ponitur pro *at*, quaſi dicat, Patriarchæ fratres Joſephi, invidia contra eum & odio moti, ipſum vendiderunt deducendum procul à Patre, in terram alienam ignotam, at Deus etiam ibi non deſeruit eum.

Deus erat cum eo.] Id eſt favebat ei, gratia ſua eum juvans, & facta ejus proſperans. Vide Gen. 39. ℣ſ. 21 & 23, quod & hic mox declaratur.

Verſ. 10. *Et eripuit eum ex omnibus afflictionibus ejus.*] Per media, vide Gen. 41. 14. & Pſal. 105. 20.

Et dedit ei gratiam & ſapientiam.] Id eſt data ei ſapientia, ob iſtam ſapientiam conciliavit ei etiam gratiam. Vide Gen. 41. 37, 39.

Coram Pharaone Rege Ægypti.] Antiqui Reges Ægypti ſeu Mitzraimi vocati Pharaones.

Et conſtituit eum.] Particula *&* ponitur loco pronominis relativi *qui*, nempe Pharao Rex.

Conſtituit eum ductorem ſuper Ægyptum & totam domum ſuam.] Seu præfectum. Vide Gen. 41. verſ. 40, 44.

Ita malum quo fratres affecerunt Joſephum, Deus convertit in ejus bonum, vide Gen. 50. 20. Similiter factum cum antitypo Joſephi iſtius nempe cum Jeſu, quem à Judæis, cognatis, male tractatum, Deus præfecit cœlo & toti mundo, ac inprimis domui ſuæ id eſt Eccleſiæ.

Verſ. 11. *Venit autem fames ſuper totam terram Ægypti.*] Vide Gen. 41. 54, 55. De fame ſeu inopia cibi dicitur *venit* tanquam eſſet aliquod ſuppoſitum.

Et Chanaan.] Id eſt terram illam Chananæam, ita dictam à Chanaane Noachi per Chamum nepote: de quo vide Gen. 9. 6 & 15, in qua habitabant poſteri Abrahami, Jacobus cum ſuis filiis.

Et afflictio magna.] Ob penuriam & famem gravem Gen. 43. 1 & 8.

Et non inveniebant.] Iſtud *&* videtur hic pro *nam*, poſitum eſſe.

Cibos.] Græca vox proprie ſignificat graminea pabula ſeu ſaturamenta, ſi ita loqui liceat: ſed per Synecdochen ſpeciei pro genere, notantur qualeſcunque cibi.

Patres nostri.] Id est illi filii Jacobi seu Israëlis, dicti patriarchæ supra ℣. 8, à quibus sunt propagatæ tribus Israëlitarum.

Vers. 12. *Audiens autem Jacobus, quod essent frumenta in Ægypto emisit patres nostros.*] Id est filios suos decem illos Patriarchas, in Ægyptum. Ut Gen. 42. 1, 2, 3.

Primum.] Seu *primo*, prima vice.

Vers. 13. *Et in secundo.*] Nempe aditu, aut secunda missione, vel simpliciter, *secundo* id est secunda vice, opposite ad id quod modo dictum *primum.*

Notificatus est Josephus fratribus suis.] Non ipsi eum agnoverunt, sed is se eis ignaris notum fecit ac manifestavit. Ita Jesus Judæis initio ipsum non agnoscentibus, postea se eis revelavit & agnoscendum dedit ex parte tunc quum per Apostolos prædicaretur, & deinde plenius id faciet.

Et manifestum factum est Pharaoni genus Josephi.] De ista Josephi notificatione insperata, & de subsequuta Pharaonis ea de re cognitione, habetur historia Gen. 45. 3 & 16.

Vers. 14. *Mittens autem Josephus transvocavit patrem suum Jacobum, & omnem cognationem suam.*] Non exprimitur quos miserit, sed videatur Gen. 45. vers. 21 & 27.

In animabus.] Id est hominibus. Vide supra 2. 41.

Septuaginta quinque.] Est in hac narratione Stephani discrepantia à narratione Mosis, qui Gen. 46. postquam vers. 26 animas quæ cum Jacobo venerant in Ægyptum quæ exierunt ex lumbis ejus præter uxores filiorum Jacobi, numeravit omnes animas sexaginta sex: postea vers. 27 computat omnes animas domus Jacobi ingressas in Ægyptum, septuaginta, annumerato scilicet illis prius dictis & ipso Jacobo, & Josepho cum duobus filiis. Hic autem Stephanus numerat animas seu personas septuaginta quinque. Varias hujus nodi solutiones commenti sunt eruditi. Videtur ea esse commodissima, ut exclusis duobus nepotibus Judæ, tunc nondum natis, & Josepho cum duobus filiis, jam tum in Ægypto existentibus, atque ipso Jacobo hujus familiæ auctore, qui à Stephano seorsim nominatur, addantur filiorum Jacobi undecim uxores, quæ cum maritis venerunt in Ægyptum, & pertinent ad istam cognationem; ita evadet numerus personarum septuaginta quinque. Nam corruptio textus quam aliqui suspicantur, non facile est comminiscenda, quando nulla varia lectio in exemplaribus occurrit. Ex tam pauco numero familiæ Jacobi postea valde numerosa proles prodiit.

Vers. 15. *Descendit autem Jacobus in Ægyptum.*] Profectus est, & migravit in terram alienam, Deo svadente: vide Gen. 46. 3, 4, 5, 6.

Et defunctus est ipse.] Gen. 49. 33.

Et patres nostri.] Filii Jacobi Exo. 1. 6.

Vers. 16. *Et transpositi sunt in Sichem, & positi sunt in monumento.*] Nempe tum Jacobus tum ejus filii, Patres Israëlitarum, de quibus modo dictum. Post mortem eorum corpora vel ossa sunt ex Ægypto transportata in terram promissam Chananæam. De Jacobo vide Gen. 47. 30. & 1. 13, ubi narratur Jacobus à filiis sepultus in spelunca campi Machpela quam Abrahamus emerat in possessionem sepulchri, ab Ephrone Hettæo, contra Mamre. De Josephi ossium translatione in terram promissam ab ipso cum fide mandata, vide Gen. 1. 24, 25. & Exod. 13. 19. & Jos. 24. 32, ubi dicuntur ejus ossa sepulta in Sichem, in parte campi quod emerat Jacobus à filiis Hemoris patris Sichemi. Civitas ista *Sichem* ita denominata forsan à Sichemo Hemoris filio, sita fuit in latere montis Garizim, quæ cessit in hæreditatem tribui Ephraimi. Alios Patriarchas esse exemplo Jacobi post mortem deportatos in campum Hebronis ibique eodem sepulchro conditos, narrat Josephus Flavius Antiquit. lib. 2. cap. IV. Quanquam Hieronymus aliud dicit: ossa aliorum Patriarcharum cum Josephi ossibus Sichemi sepulta. Sed aliqui ita hæc conciliant, ut primum Sichemi posita, deinde à filiis seu posteris Hemoris, quos ad id adhibuerint filii Patriarcharum, ab agro Sichemitico transposita sint alio, nempe in sepulchum Abrahami prope Hebronem.

Quod emerat Abraham pretio argenti.] At Moses scripsit Gen. 23. 16. Abrahamum emisse ab Ephrone filio Socharis campum in usum sepulchri. Cum quibus videntur non concordare verba hæc Stephani vel Lucæ ea scribentis. Aliqui existimant errorem hic subesse. Ut vel lapsu memoriæ aut studio abbreviandæ & contrahendæ historiæ duo facta similia sint confusa, nempe emtio transacta ab Abrahamo, de qua Gen. 23. 16, cum ea emtione quæ facta est à Jacobo Gen. 33. 19, vel ut nomen istud *Abraham* per errorem hic sit insertum. Quidam argutantur, quum articulus Græcus non sit nomini *Abraham* præpositus posse hoc nomen non in Nominativo, sed in Dativo casu usurpari, ut intelligatur Jacobus emisse hunc agrum Abrahamo, quamvis tunc jam mortuo, nempe in usum posterorum ejus. Denique voces istas *à filiis Hemor* non cum verbo emit, sed cum *positi sunt* construenda putant, ut sensus sit, Patriarcharum ossa, primum ex Ægypto translata Sichemum, inde rursus transposita esse à filiis Hemoris, ut paulo ante dictum, seu ab agro eorum, in agrum illum quem Abrahamus emerat.

Hemor Sichemi.] Græcè τοῦ Συχέμ, quasi dictum sit Hemorem fuisse filium Sichemi. Quia hoc loquendi modo sæpissime id solet notari. Moses autem scripsit Hemorem fuisse patrem Sichemi Gen. 33. 19. & Jos. 24. 32. Sed primum non semper in talibus loquutionibus subintelligitur *filius.* Nam interdum subintelligitur *vir, uxor.* Deinde fieri potuit ut nomine isto Hemoris, non tantum pater Sichemi, sed etiam filius Sichemi fuerit nominatus. Vel denique ut Sichem non pro hominis sed pro loci nomine ponatur, & intelligatur, id factum esse à filiis Hemoris, seu ab Hemorreis, incolis Sichemæ.

Vers. 17. *Ut autem appropinquavit tempus promissionis.*] Nempe implendæ seu præstandæ illius promissionis, de Abrahami posterorum per Dei benedictionem multiplicatione Gen. 13. 16. &c. tum etiam ex servitute eductione Gen. 15. 14, 16, tum terræ Chananææ eis largitione Gen. 12. 7, 13, 15.

Quam juraverat Deus Abrahamo.] Quicquid Deus dicit cum affirmatione vehemente id pro juramento haberi potest. Talis est affirmatio illa *cogno-*

ſcendo cognoſces Gen. 15. 13. Sed poteſt juramentum contineri in fœdere illo de quo ibid. verſ. 18, & poteſt hic reſpici juramentum illud quod eſt expreſſum Gen. 22. 16, 17.

Crevit populus.] Nempe Iſraëliticus.

Et multiplicatus eſt in Ægypto.] Vide Exod. 1. 7.

Verſ. 18. *Uſque quo ſurrexit.*] Id eſt, exortus eſt vel regnare cœpit.

Rex alius.] Nempe in Ægypto, alius Pharao.

Qui non ſciebat Joſephum.] Poſt Joſephi mortem, & quidem non ſtatim: qui Rex non noverat & ipſum Joſephum, & ab eo collata in Ægypti reges ac regnum beneficia non agnoſcebat. Joſephus hiſtoricus ſcripſit, tunc regnum Ægypti tranſlatum fuiſſe in aliam familiam: unde tanto minus iſte novus Rex putavit ſe Joſepho ejuſque cognatis obligatum.

Verſ. 19. *Hic.*] Non refertur ad propius nominatum *Joſephum*, ſed ad remotius memoratum Regem.

Aſtute circumveniens.] Græca vox ſumpta à ſapiente commento. Ut etiam in loco ad quem hic reſpicitur, Exod. 1. 10, in ſermone Regis de iſto populo Iſraëlitico dicitur, *ſapiamus in illum* &c.

Genus noſtrum.] Id eſt gentem Iſraëliticam.

Malis affecit patres noſtros.] Id eſt majores ac progenitores Iſraëlitarum. Primo affligens eos laboribus gravibus, vide Exod. 1. 11 & 14. deinde jubens filios eorum recens natos abjici in flumen. Exod. 1. verſ. 22.

Ut facerent expoſitos infantes ſuos.] Eo illos adegit, ut & ipſi prolem ſuam exponerent, ſeu ejicerent.

Ne vivi ſervarentur.] Aliqui exponunt, *ne ſoboleſcerent.* Verbum Græcum proprie ſignificat vivum generare. Sed hic notat vivum conſervare. Hoc enim ipſum verbum uſurpatum eſt de obſtetricibus natos illos in vita conſervantibus, in Græca verſione Exod. 1. 17 & 18. & de populo Ægyptiaco, cui imperabat Pharao, ut Hebræorum filias in vita ſervarent, ibid. verſ. 22.

Verſ. 20. *In quo tempore natus eſt Moſes.*] Ab extrahendo ita vocatus poſtea, quia ex aquis extractus eſt. Vide Exod. 2. 10.

Et erat venuſtus.] Vox Græca alias ſignificat proprie urbanum: ſed hic bella & pulchra atque elegante forma corporis præditum. Quod & parentes ejus & poſtea filiam Pharaonis commovit ad eum ſervandum. Joſephus Antiq. l. 2. c. 5. ſcripſit *forma divinus.*

Deo.] Vel intelligitur quod divinitus eo munere ornatus fuerit: ut 2 Cor. 10. 4. vel quod revera talis fuerit, ut Gen. 10. 9. vel denique, & forſan potiſſimum, quod talis eſſet valde ſeu excellenter. Ut Jonæ 3. 3. Ninive dicitur fuiſſe civitas *magna Deo.* quod plerique exponunt, *magna valde.*

Qui nutritus eſt menſes tres in domo Patris ſui.] Occulte. Vide Exod. 2. 2.

Verſ. 21. *Expoſitum autem eum.*] In ſiſcella juncea, ſeu ſtorea, flumini impoſitum.

Suſtulit eum.] Id eſt aſſumſit ex flumine hæc vox *eum* ſecundo poſita, redundat more Hebraico: niſi legatur ſuperius, *expoſito autem eo:* ſicut habent quædam exemplaria Græca.

Filia Pharaonis.] Illius ipſius ſævi Buſiridis, qui pueros iſtos necari imperabat. Hæc Regis filia erga hunc puerum expoſitum miſericordia commota, eum ſervavit.

Et enutrivit eum.] Et quidem per ipſius iſtius pueri matrem, pretio conductam pro nutrice ei aſſumtam.

Sibi in filium.] Ita ut illum puerum Hebræum in filium ſibi adoptaret. Ita mira Dei providentia à cunabulis apparuit circa Moſen, per quem poſtea Deus mira effecturus, & populum ſuum ex Ægypto liberaturus erat.

Verſ. 22. *Et inſtitutus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum.*] Apud Ægyptios olim excolebantur ſtudia ſapientiæ, tum in Mathematicis, Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia, tum in Phyſicis & Medicina, tum in Ethicis & Politicis. Ita ut etiam Græcorum ſapientes ac Philoſophi quidam in Ægyptum peregrinationes ſuſciperent, ſapientiæ augendæ cauſa. Ut teſtantur vitæ Philoſophorum Diogenis Laërtii, & hiſtoria Diodori Siculi, & cæterorum. Abrahamo coævus ibi viviſſe perhibetur Hermes ille Triſmegiſtus, ſapiens: à quo Hermetici Philoſophi denominantur. Hæc ſapientia quamvis Ethnica, etiam Moſi profuit ad rerum quarundam peritiam.

Erat autem potens in ſermonibus & operibus.] Id eſt multum pollebat atque valebat, & dictis doctis, & factis ſeu rebus geſtis inſignibus. Simile dictum habetur de Jeſu Chriſto Luc. 24. 19.

Verſ. 23. *Quum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus.*] Quum jam ad ætatem virilem maturam perveniſſet.

Aſcendit in cor ejus.] Hebraiſmus, id eſt venit hoc ei in mentem, nempe Deo animum ejus excitante.

Inviſere fratres ſuos.] Id eſt conſanguineos ac populares. Quos videbat valde afflictos ac ſervitute gravi preſſos, ipſe liber, imo honoratus ut Regiæ filiæ filius, & divitiis affluens, aulam Regiam reliquit, & acceſſit ad populum Dei afflictum. Quam ejus egregiam pietatem fide nixam egregie commendat Author ad Hebr. 11. 24, 25, 26.

Filios Iſraëlis.] Id eſt poſteros Jacobi, jam pronepotes atque abnepotes.

Verſ. 24. *Et videns quendam.*] Nempe ex Iſraëlitis.

Injuria affectum.] Scilicet à quodam Ægyptio, ut mox indicatur. Vide Exod. 2. verſ. 11.

Tutatus eſt.] Seu defendit eum.

Et fecit vindicationem oppreſſo.] Tum liberationem, tum ultionem.

Percutiens Ægyptium.] Nempe ita percuſſit ut eum occiderit. Nam narrat ipſe Moſes ſe eum percuſſum abſcondiſſe in arena Exod. 2. 12.

Verſ. 25. *Exiſtimabat autem intelligere fratres ſuos.*] Vel ex hoc ipſo quod aula Regis Ægypti relicta Ægyptio injuria afficiente liberavit unum è popularibus ſuis; eos agnoſcere poſſe ac debere putavit.

Quod Deus per manum ejus daret eis.] Jam dare inciperet, & porro quoque daturus eſſet.

Salutem.] Id eſt è tyrannide Ægyptiaca quæ eos ſerviliter premebat, liberationem. Quanquam in hac liberatione Moſen zelo ductum, aberraſſe, quod attinet

attinet ad temporis circumstantiam, & liberationis rationem, quam ex prædictionibus cognoverat, annotavit Beza.

Ii autem non intellexerunt.] Non agnoverunt quonam hoc spectaret.

Vers. 26. *At sequente die apparuit eis pugnantibus.*] Id potuit fieri & verborum contentione atque rixa ut Joh. 6. 52. unde quidam vertunt *litigantibus*; sed videtur quod rixa ista à verbis progressa fuerit ad verbera. Vide Exod. 2. 13. ubi Moses dixit, *quid percutis proximum tuum?* Ita Israëlitæ quamvis servitute dura ab Ægyptiis pressi, tamen etiam ipsi inter se non pacate vivebant.

Et compulit.] Seu redegit *eos*, *in pacem*, seu concordiam. Id est conciliare conabatur. Sæpe in his libris dicitur aliquis fecisse aliquid quod facere studebat, ut eventus poniatur pro conatu. Et verbum hoc compellendi, quod alias violentiam notat, hic pro enixa & impensa agentis instantia ponitur.

Dicens, viri, fratres estis vos.] Id est consanguinei, quos decet pacate vivere & ab injuriis inter se abstinere.

Ut quid injuria afficitis alii alios.] Id est cur vos læditis invicem? quanquam unus ex iis id præcipue fecit, ut mox additur.

Vers. 27. *Is autem qui injuria afficiebat proximum.*] Iste & tunc jam malus erat, & postea pejor.

Repulit eum.] Noluit audire justa monentem: sed ferociter eum rejecit, eique restitit.

Ajens, Quis te constituit principem, & judicem super nos?] Ita Judæi plerique Jesum Christum Mosis antitypum rejecerunt, & pro Liberatore ac Messia agnoscere recusarunt.

Vers. 28. *Num interimere me tu vis, quem ad modum interemisti heri Ægyptium?*] Ita homines injusti, dum monentur ne injusta faciant, injuria se affici putant: & monitoribus asperi, eos criminari consueverunt.

Vers. 29. *Fugit autem Moses.*] Quia hoc facto propalato, metuebat ne Rex Ægypti id resciscens ipsum interficeret, itaque periculum fugâ evitavit. Vide Exod. 2. 14, 15.

In sermone isto.] Id est propter sermonem istum ita interdum *in* sumitur loco *propter*. Ut Levit. 18. ℣. 5. Psal. 9. 15 loco poster. Esai. 14. 21. Ezech. cap. 3. 19. Matth. 6. 7.

Et factus est advena in terra Madiam.] Seu Madian inter posteros Abrahami ex Cethura Gen. 25. vers. 1, 2.

Ubi genuit filios duos.] Ex filia Sacerdotis Madianitarum. Vide Exod. 2. 21, 22. & XVIII. 3 & 4.

Vers. 30. *Et impletis annis 40.*] Nempe à fuga Mosis ex Ægypto. Ergo tunc Moses erat annorum octuaginta.

Visus est ei in deserto.] Quum Moses ex aulico factus pastor pecorum, pasceret gregem soceri sui. Exod. 3. 1.

Montis Sina.] Idem mons alio nomine dictus Choreb. Vide Exod. 3. 1. Nominatus autem *Sina* à rubi copia, quasi dicas rubetum seu spinetum.

Angelus DOMINI seu JEHOVÆ.] Id est DEI Altissimi nuncius, ab eo missus legatus, vide Exod. cap. 3. 2. Ergo non ipse Deus altissimus, vide infra ℣. 35, quanquam aliqui Jesum Christum hic intelligi opinantur, qui sit ratione essentiæ Jehova, at ratione officii minister ac nuncius: & putant hic manifeste asseri Christi divinitatem, nempe supremam. Sic inter alios Flaccius: qui addit, nam Pater non potest dici angelus, quia à nemine mittitur. At si filius est æque Deus altissimus, æque à nemine mitti deberet; quia hæc missio ministerialis non convenit Deo altissimo.

In flamma ignis rubi.] Id est, in igne flammante in rubo, qui ignis fuit signum ulciscendarum injuriarum populi Dei, ut 2 Thess. 1. 8. Rubus autem iste igne ardens, & tamen non conflagrans, erat imago populi Israëlitici, inter afflictiones non consumendi.

Vers. 31. *At Moses videns, admiratus est hoc visum.*] Illud mirum factum quod ei vigilanti apparebat, quod nempe rubus repente absque causa naturali, flagrarer igne, & tamen non conflagraret.

Adveniente autem eo ut considerare.] Nempe ad rubum accedebat, ut hoc mirum factum quod circa eum fiebat, propius intueretur.

Facta est vox DOMINI ad eum.] Ex medio rubi, ut habetur Exod. 3. 4. Quanquam ibi in rubo non erat ipse ille DOMINUS seu DEUS altissimus, persona sua, sed Angelus DOMINI, ut dictum est versu præcedente; & idem patet infra ex vers. 35. & 37. tamen quia iste Angelus personam DEI repræsentabat, ideo loquitur ut ipse Deus: quod cum Augustino de Trin. l. 3. c. ult. agnovit Thomas Aquinas Prima Secundæ sub qu. 98. art. 3. & alii.

Vers. 32. *Ego* subintelligitur *sum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi.*] Quid sit Deum alicujus esse, vide annot. ad Mat. 22. 32. quis autem sit iste Deus patrum Hebræorum, vide Act. 3. 30. Ubi etiam quum semel ponatur nomen istud *Deus*, non autem ter, ut hoc loco, apparet in eo nihil esse mysterii.

Tremefactus autem Moses, non audebat considerare] Id est inspicere, seu intueri, ut habetur in verbis textus Hebræi quæ hic citantur, Exod. 3. ℣. 6.

Vers. 33. *Dixit autem ei Dominus, solve calceamentum pedum tuorum.*] Ne forte immunditie aliqua calceis adhærente locus ille pollueretur: vel significatur ad sacra accedendum esse caute, sicut faciunt qui nudis pedibus incedunt.

Nam locus in quo stetisti terra sancta est.] Ratio calceorum à pedibus exuendorum affertur ex loci illius sanctitate, quia Dei personam repræsentans angelus eum locum præsentia sua sanctificavit. Sic & Josuæ 5. 15. Hinc moris est Judæis, imo & Machometanis loca sacra adituris calceos deponere.

Vers. 34. *Videns vidi.*] Hebraismus: id est omnino vidi.

Afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitum eorum audivi.] Declarat Deus suam erga populum suum misericordiam.

Et descendi eripere eos.] Id est eximere ac liberare ex ista afflictione, & ex servitute Ægyptiaca.

Et.] Vocula ista videtur hic posita pro *itaque*. Sicut Deut. 7. 11. Ezech. 9. 10. Dan. 3. 29. Marc. cap. 9. 5 loco posteriore.

Nunc adesdum, mittam te in Ægyptum.] Ut legatum

legatum meum ad Pharaonem Regem Ægypti: non illum ipsum à cujus facie fugerat Moses, nam is jam tunc mortuus erat, ut scriptum Exod. 2. 23, sed alium, ejus successorem.

Vers. 35. *Hunc Moysen.*] Passim hoc nomen scribitur *Moses*, sed interdum *Moyses*. Notant aliqui lingua Ægyptiorum antiqua *Moy* significare aquam: ex aqua autem Moses fuit extractus. Hebraice autem denominatur à verbo quod extrahere significat. Vide supra ad ℣. 20.

Quem negaverunt.] Nempe Israëlitæ &c. id est, non agnoverunt Servatorem seu Liberatorem.

Dicentes, Quis te constituit Principem & Judicem?] Vide supra ℣. 25 & 27.

Hunc.] Nempe ita abnegatum ab Israëlitis, seu rejectum & improbatum.

Deus Principem &c.] De quo illi interrogabant, *Quis te constituit Principem* &c. ignorantes voluntatem Dei, hunc ecce Deus etiam invitis illis constituit & fecit talem, imo præstantiorem, Principem populi sui, id est ut esset Princeps &c. Ut supra 5. 31.

Et Redemtorem misit.] Redemtor proprie est qui è vinculis solvit aliquem, persoluto pro eo lytro seu redemtionis pretio. At Moyses nullum pretium proprie dedit pro populo Israëlitico, Regi Ægypti. Unde liquet nomen Redemtoris non necessario inferre pretii solutionem. Sæpe in Sacris Literis *redimere* ponitur pro *liberare* simpliciter etiam absque pretio. Vide notata ad Matth. 22. 28. & Luc. 1. 68. Beza hoc loco Redemtoris nomen de Mose ponere refugiens, vertit *Liberatorem:* quasi per hoc fieret injuria Christo si præter eum etiam Moses vocetur Redemtor: quum tamen Moses in hac liberatione populi è servitute corporali, quæ liberatio sæpe in Sacris Literis vocatur *redemtio*, ut Exod. 6. 6. xv. 13. Deut. 7. 8. 2 Sam. 7. 23. Psal. 77. 16. LXXVIII. 42. CXI. 9. & alibi, fuerit typus Jesu Christi Redemtoris nostri. Quæ etiam redemtio seu liberatio, typus & figura fuit præstantioris redemtionis seu liberationis populi Dei è servitute spirituali, per Jesum Christum, impenso in id sanguine ipsius.

Innuitur Jesum Christum etiam similiter à Judæis rejectum, illis invitis esse à Deo constitutum Principem & Redemtorem eximium populi Dei.

In manu Angeli.] Hebraismus, id est per manum, seu per ministerium Angeli. Ut Jes. 20. 2. Dan. 9. 10. Mal. 1. 1. vel ex hoc ipso patet Angelum istum non esse Angelum increatum, qui Angelus sit ipse DEUS altissimus, ut aliqui opinantur Nam nec DEO altissimo convenit esse Angelum seu legatum alicujus, nec per manum ejus seu ministerium aliquem alium aliquid facere. Præterea palam hoc loco DEUS nempe ille unicus altissimus, ab isto Angelo distinguitur, & quidem ita ut DEUS per manum istius Angeli Mosem misisse dicatur. Bene Andr. Osiander ad Exod. 19. annotavit, DOMINUM loquutum esse Mosi per Angelum, qui in persona Dei tanquam Dei cancellarius promulgavit Legem.

Qui visus est ei in rubo.] Qui Angelus superius introducitur loquens ita quasi esset ipse DEUS; quia personam ipsius Dei repræsentabat, & actionem istam eductionis populi Israelitici per Mosen ut Dei legatus eximius administrabat. Vide Num. 20. 16.

Vers. 36. *Hic eduxit eos.*] Posset intelligi Angelus, ut propius nominatus, qui etiam miracula faciebat: sed potius intelligitur Moses: ut annotavit & Piscator in Scholiis: qui Moses etiam mox nominatur versu subsequente 37. Vide & infra vers. 40. Quamvis & Deus eduxit Exod. 20. 2. ut causa principalis, & Angelus Dei, Moses tamen etiam eduxit, ut causa instrumentalis.

Faciens prodigia & signa.] Id est miracula: quæ descripta Exod. 7. 10. & cap 8. & 9. & 10.

In terra Ægypti.] Id est terra seu regione illa quæ est Ægyptus. Genitivus specici.

Et in rubro Mari.] Nempe illo sinu maris qui alluit isthmum Ægypti: hoc mare Hebræis dictum *mare Suph*, ab alga, seu junco. Sed Græcis & Latinis vocatur à rubedine. Non respectu aquæ ejus aut arenæ, rubescentis: sed ab Ædomo: quod est Esavi cognomen, ductum à rubedine: quia Esavus cum suis posteris Edomæis seu Idumæis oram illi mari adjacentem incolebant. Etiam Curtius ab Erythro seu Rubro Rege ita dicto hoc mare Erythræum denominari scripsit. In hoc mari rubro, Deus per Angelum interveniente etiam opera Moysis edidit insigne miraculum, ut marinis undis diductis atque diremtis Israëlitæ per fundum maris siccatum transierint.

Et in deserto.] In itinere illo, quo Israelitæ Moyse ductore in deserto versabantur, multa miracula facta sunt à Deo per Angelum, nonnulla etiam per Moysis operam.

Annos quadraginta.] Tempore tam longo quo Deus populum illum per desertum ductavit, ut eum exploraret; quanquam potuit eum recta via breviore tempore in terram Chananæam perducere.

Vers. 37. *Hic est ille Moyses qui dixit filiis Israëlis, Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester, ex fratribus vestris, sicut me, ipsum audietis.*] Indicat S. Stephanus Mosen ipsum quem magni faciebant Judæi, promisisse eis futurum Prophetam insignem à Deo mittendum, quem loco Mosis audire debeant. Is autem Propheta est Jesus ille Christus, quem Stephanus prædicabat. Horum porro verborum expositio videatur supra cap. 3. 22.

Vers. 38. *Hic.*] Nempe Moyses.

Est ille qui fuit in Ecclesia.] Seu, in congregatione convocata, sive cœtu populi: Quo nomine interdum notatur qualiscunque hominum etiam profanorum conventus, ut Act. 19. 32. sed præcipue & usitatissime congregatio populi Dei, evocata è numero aliorum hominum per verbum Dei. Hic intelligitur illa multitudo hominum ductu Moysis ex Ægypto in desertum egressa, præcipue quum conveniret ad montem Sina. Quidam exponunt *cum Ecclesia*: nam *in* sæpe per Hebraismum ponitur pro *cum:* præsertim quod illa populi concio seu corona tunc procul à Moyse in montem admisso constiterit.

In deserto.] Ecclesia Dei tempore Mosis in deserto fuit, non in urbe aliqua, non in templo magnifice exstructo.

Cum Angelo loquente ei.] Seu alloquente eum, nempe Moysem. Intelligitur autem hic non illud Angeli alloquium de quo supra vers. 30. Sed id quod fiebat

fiebat postea quum Lex in conventu populi promulgaretur, nomine Dei, per Angelum, qui ut Deus loquebatur ad Mosen Exod. 19. 19, 20. & XXI. 21, 22.

In monte Sina.] In quo monte deserti antea Angelus soli Mosi apparuerat, vide supra vers. 30. ex eodem monte Lex est promulgata.

Et cum patribus nostris.] Nempe Israelitarum antiquis majoribus. In textu tantum est *& patribus nostris:* Indicatur præter Israëlitas adfuisse illi cœtui etiam alienigenas.

Qui accepit eloquia.] Id est edicta à Deo voce pronunciata: Nempe illa præcepta DEI antiqua.

Viva.] Piscator annotavit in Scholiis ita dicta esse quod viva voce essent pronunciata: Nam ut exponantur *vivifica*, id alienum esse à natura Legis Mosaicæ, de qua hic sermo habetur. Respexit scilicet verba illa 2 Corinth. 3. 7. ubi Lex dicitur esse *ministerium mortis.* Sed nihilominus non male Beza exposuit intelligenda eloquia vivifica. Nam dictum est de statutis illius Legis, *si quis ea servasset victurum esse in eis*; seu per ea, Levit. 18. 5. Vide & Deut. 30. 19, 20. XXXII. 47. & Ezech. 20, vers. 11, 13. Nempe si quis Legis Mosaicæ præcepta omnia, semper, perfecte servasset, vitam beatam etiam æternam consequuturus fuisset ex Dei beneficio. Sed illud erat valde difficile, ac fere impossibile: sensu tamen imperfectiore, statui populi illius Israelitici carnalis accommodato, poterat Lex observari & per ejus observationem vita in terris beata obtineri. Vide Deut. 5. 16. & Rom. 7. 10. Atque inter Judæos plerique existimabant se per Legem Mosaicam obtenturos vitam æternam. Vide Joh. 5. 39. Hactenus Mosen, de quo criminose accusabatur, Stephanus, quasi in eum verba blasphema loqueretur, egregie & prolixe commendavit. Sed indicavit simul ante legem per Mosen datam & absque ista lege pios Deo placuisse.

Vers. 39. Hic jam Stephanus incipit directe & ex professo Judæorum majores reprehendere: qui Mosis instituta, parum curaverunt.

Cui.] Id est Moysi, quamvis tam eximio viro Dei, ipsorum liberatori, & Legislatori.

Noluerunt obedientes fieri.] Id est obedire recusarunt, & contra eum murmurarunt, non semel. Vide Exod. 16. 2, 27. XVII. 2. Num. 14. 2 & 40, 44. XXI. 5. Non mirum ergo quod Judæi similiter non obedierint Jesu Christo, cujus typus fuit Moyses.

Sed repulerunt.] Scilicet eum. Ut Num. 16. 1, 2, 3.

Et versi sunt cordibus suis in Ægyptum.] Volentes redire eo ubi servitute misera premebantur, tum propter desiderium inordinatum ciborum variorum, vide Exod. 16. 3. Num. 11. 5. tum propter metum Chananæorum XIV. 3, 4. Ita quidam à mundo exeuntes ad Deum conversi, rursus corda sua ad mundum immundum avertunt. Sed hic propter mox sequentia intelligi potest potissimum illud quod Israëlitæ quamvis corporibus suis ab Ægypto remoti, ad Ægyptiacos mores atque instituta, ut ad idololatriam fere Ægyptiacam, corda seu animos suos averterint.

Vers. 40. *Dicentes Aharoni.*] Fratri Mosis.

Fac nobis Deos.] Vox Hebræa *Elohim*, posita Exod. 32. 1, potest & solet notare Deum, etiam singularem unum. Et tunc idolum quod Deum vocabant, unum erat factum. Quanquam aliqui existimant Israelitas voluisse plura simulacra, repræsentantia non tantum DEUM altissimum, sed etiam Angelos Dei, sibi ab Aharone confici. Miseri sunt Dii qui ab hominibus sunt faciendi.

Qui præeant nobis.] Ut eos velut itineris duces spectemus.

Nam Moses hic qui eduxit nos è terra Ægypti.] Qui aberat ab eis aliquamdiu, per dies quadraginta in monte Sina versatus, quum acciperet divinitus varia instituta, quæ populo proponeret.

Nescimus quid factum sit ei.] Nominativo absolute posito, indirecte istæ voces adjunguntur per Hebraismum. Sensus est Mosi huic &c. nescimus quid acciderit.

Vers. 41. *Et vitulum fecerunt in diebus illis.*] Quia viderunt in Ægypto Apin seu Apidem Deum coli in juvenco seu bove; forsan quia ex somnio de bobus seu vaccis, Ægyptus fuit à fame servata, ideo id fecerunt ad Ægyptiorum imitationem: forsitan ut in Ægyptum revertentes, cum Ægyptiis, quorum sacris sese accommodarent, in gratiam redirent. Et quidem Aharon frater Mosis, designatus Pontifex Maximus in populo Dei, vitulum istum ex auro ab Israëlitis collato efformavit; peccato eorum gravi, nempe idololatriæ consentiens. Hæc eorum stultitia reprehenditur etiam Psal. CVI. 19, 20.

Et deduxerunt victimam.] Seu obtulerunt hostias ac sacrificia. Vide Exod. XXXII. 6.

Idolo.] Quod illi instar Dei, cujus formam ipse eis videndam præbere noluit, habuerunt, & vocarunt id Deum, qui eos ascendere fecerit, seu eduxerit ex Ægypto. Vide Neh. 9. 18. Certe quamvis peccarunt in eo valde Israelitæ, tamen non ita fuerunt omni ratione privati, ut hunc ipsum vitulum aureum, qui in deserto recens factus erat, existimarent esse ipsum illum Deum, qui Mosen alloquutus, eos ex Ægyptiaca servitute per eum liberavit, sed ejus imaginem seu simulacrum. Etiam Aharon proclamavit festum Jehovæ seu Dei tunc celebrandum fuisse. Exod. 32. 5.

Et tamen hoc merito habetur pro idololatria: quia Deus vetuit severe ullam imaginem aut similitudinem ad cultum religiosum. Non ergo hæc sola est censenda idololatria si quis imaginem vel statuam esse ipsum Deum existimet.

Et oblectati sunt.] Nempe edendo, bibendo, ludendo circa illum vitulum. Vide Exod. 32. 6.

In operibus.] Istud *in* vel redundat hoc loco, ut sæpe, vel sumitur pro *ex* aut *de.*

Operibus manuum suarum.] Opera manuum, sæpe sumuntur pro idolis, seu simulacris, ab hominibus fabricatis; ut Psal. 115. 4. CXXXV. 15: quæ quum sint homine ipso qui ea fabricavit indigniora, stulte eis honor religiosus ab ipsis hominibus, etiam eorum fabricatoribus & creatoribus ut Esai. 44. 9 vocantur, defertur. Vide Baruch. 6. per totum & Sap. cap. 13. & XV. 6, 16, 17.

Vers. 42. *Vertit autem se Deus.*] Nempe qui antea faciem suam benignam seu favorem ad eos converterat, postquam ii, corda sua in Ægyptum & in ido-

in idololatriam verterunt, Deus quoque se alio vertit seu animum suum ab eis avertit.

Et tradidit eos.] Non proprie ad id adegit, vel vi impulit, sed permisit eos cupiditatibus ipsorum, ut propria culpa in pejora ruerent. Videantur dicta similia Rom. 1. 24 & 26 & 28. & Psal. 81. 13.

Servire militiæ cœli.] Id est ut colerent religiose astra cœlestia: quæ alibi vocantur *exercitus cœlorum* Deut. 4. 19. XVII. 3. 2 Reg. 17. 16. Psal. 33. 6. Jer. 8. 2. XIX. 13. Soli, Lunæ, Stellis, & præsertim Planetis, Ethnici deorum nomina dabant, & ut deos ista colebant, à quibus etiam Israëlitæ sunt hac labe infecti.

Sicut scriptum est in libro Prophetarum.] Nempe unius ex Prophetis, Amosi cap. 5. 25. Plurale pro singulari. Forsan ideo quia duodecim Prophetæ minores inter quos est Amosus, propter brevitatem singulorum uno volumine ab Hebræis comprehenduntur.

Num victimas & hostias.] Id est sacrificia ex pecoribus mactatis, & alia munera seu oblationes, ut placentas &c.

Obtulistis mihi.] Nempe Deo vero: quasi dicat, etsi quadantenus mihi vos religiosum cultum exhibere putastis, tamen non tam mihi eum exhibuistis, quam idolis, imo dæmonibus, ut dicitur Deut. 32. ℣. 16, 17.

Annis 40 in deserto.] Post eductionem ex Ægypto tam diu fere per desertum ducti.

O domus Israëlis.] Est vocativus: compellat Israëlitas.

Vers. 43. *Et.*] Particula copulativa ponitur pro adversativa *sed*. Ut sæpe, per Hebraismum.

Suscepistis.] Id est susceptum, & in humeros sublatum, portastis, seu bajulastis.

Tabernaculum Molochi.] Nomen hoc factum ex *Melech*, quod Hebræis notat Regem Et in Amosi textu habetur Malchechem, id est Regem vestrum. Plerumque sumitur pro Ammonitarum Deo; seu idolo, ut 1 Reg. 9. 5, 7, 33. Vide de eodem 2 Reg. cap. 23. 10. Jer. 32. 35. Sed & aliarum gentium dii hoc nomine, addito aliquo epitheto, designati videntur, ut Adra-melech, & Ana-melech 2 Reg. 17. ℣. 31. Molochum plerique Saturnum planetarum supremum, alii autem Solem exponunt. Eundem quidam putant esse cum Bahal-pehor, idolo Moabitarum Num. 25. 3. Nam ut *Melech* Regem, ita *Bahal*, Dominum significat.

Et sidus Dei vestri Remphan.] De nomine hoc non parva quæstio est. Primum in textu Amosi, ponitur *Cijun* seu Kijun: quod nomen Arabibus Saturnum designare fertur. Ex hoc aliqui factum esse putant Syriaca pronunciatione Remvan, aliqui *Remphan* mira literarum metamorphosi. Alii putant idem esse cum Remmon, de quo 2 Reg. 5. 18. Diodor. Siculus, lib. 1. Histor. scripsit fuisse Regem Ægypti quendam nomine Remphin.

Septuaginta Interpretes Biblia Græce interpretati, apud Amosum pro *Cijun* posuerunt *Rephan*. Nomen autem hoc *Rephan* apud Ægyptios significare Saturnum testantur eruditi. Cui hic per Epenthesin euphoniæ causa insertum est *m* ut sit *Remphan*.

Figuras quas fecistis ut adoraretis eas.] Icones seu statuas sibi fabricaverant, ut eas religiose colerent per idololatriam.

Et transmigrare faciam vos.] Hoc loco vocula *&* ponitur pro *ideo*, sicut Deut. 7. 11. Ezech. 9. 10. Dan. 3. 29.

Trans Babylonem.] Apud Amosum est, *trans Damascum*. Quia tunc Hasael Rex Damasci metropolis Syriæ, multos Israëlitas afflictos in Syriam captivos abduxerat; & illi tamen hoc facto non sunt commoti ad resipiscentiam; ideo Deus minatus est se eos longius transportaturum, ultra Damascum nempe ut idololatras ad populum idololatriæ deditum: quod factum est illis decem tribubus Israëlitarum, quum à Salmanassare Assyriorum Rege sunt deportatæ usque in civitates Medorum 2 Reg. 17. 6. Medorum autem regio erat & ultra Damascum & adhuc ultra Babylonem. Itaque quod Amosus dixerat obscurius, id Stephanus enunciavit clarius. Beza non convenienter transtulit *ad Babylonis fines*. Quia putavit hic agi de tribu Judæ à Rege Babylonis in Babyloniam transportata.

Vers. 44. Perstrinxit Stephanus Judæorum majores quod quum tabernaculum Sacrum Dei veri cultui dicatum haberent, interim tabernaculum Molochi portarent: Hic autem indicat se tabernaculi usum non prorsus reprehendere, quum id fuerit à Deo institutum ad tempus, antequam templum ædificaretur.

Tabernaculum testimonii.] Quod alioqui tabernaculum conditionis seu tentorium conventus dictum, ut Exod. 27. 21. XXIX. 11. & alibi, id etiam dicitur tabernaculum testimonii, ut Num. 6. 15, & XVII. 8. utrumque autem hoc, & conditio, seu conventus, & testimonium, quamvis à diversis radicibus oriatur, similibus literis Hebraice notatur. Quanquam videtur per *tabernaculum conventûs* seu congregationis intelligi illud quod erat velut vestibulum, in quo populus conveniebat; at per *tabernaculum testimonii* illud adytum seu sanctissimum sacrarium in quo erat arca testimonii seu fœderis, apud quam Deus Mosen & Sacerdotem summum conveniebat.

Hinc Num. 17. 4 dicitur, *relinques eas*, (nempe virgas) *in tentorio congregationis, ante testimonium, ubi vobiscum convenio.*

Erat in patribus nostris.] Quidam interpretes omittunt præpositionem *in*; quasi redundet. Vulgatus interpres vertit *cum patribus*, ut sane *in* non raro significat *cum*. Sed videtur potius exponendum per vocem *inter*. Nam ita etiam frequenter accipitur: & tabernaculum illud in medio inter castra Israëlitarum collocabatur.

In deserto.] Olim ante multos annos prius quam templum Jerosolymæ ædificaretur.

Sicut disposuit præcepit, *ille loquens Mosi.*] Nempe ille Angelus personam Dei repræsentans, de quo supra vers. 30. & 35. & 38.

Ut faceret illud secundum exemplar quod viderat.] Ostensus est prius Mosi cœlitus archetypus, seu forma istius tabernaculi sacri, rerumque ad id pertinentium, ut ad hunc modum istud fabricaretur. Vide Exod. 25. 40.

Vers. 45. *Quod.*] Nempe tabernaculum.

Et id est etiam, *suscipientes* scilicet per manus traditum

traditum à Mose & Aharone & aliis senioribus qui in deserto occubuerunt. Et quidem similiter sublatum portarunt ut illud tabernaculum Molochi de quo supra vers. 43.

Introduxerunt Patres nostri.] Id est progenitores, atque antecessores.

Cum Jesu.] Nempe illo filio Nunis ex tribu Ephraimi, antea dicto Hosea, postea appellato Jehosua seu Josua: Vide Num. 13. 9 & 17: qui à Mose jussu Dei est consecratus ut esset successor illius, in populi Israëlitici regimine Num. 27. 18. & Deut. 34. ỳ. 9. Is etiam vocatur contracte *Jesus*, quod nomen idem fere est cum Jehosua seu Josua; utrumque descendit à voce quæ servationem significat. Is Josuas fuit etiam typus nostri Jesu Christi, in eo quod post Mosen populi Dei Servator & Rector fuerit, quodque eum in terram promissam introduxerit: quum Moses non introduxisset: sed & ipse in deserto occubuisset.

In possessione.] Ita proprie significant verba Græca, quæ ideo Beza ita transtulit, *in ipsa occupatione gentium*, ut sensus sit, eo tempore id factum esse quum Israëlitæ illas gentes inciperent occupare seu obtinere. Sed satius est hæc ita interpretari *in possessionem.*

Gentium.] Nempe in illam terram quam antea Chananæi posteri Chanaanis, filii Chami, Chettæi, Jebusæi, Amorræi, Ferezæi, Chevæi, Gergesæi, possederant, introductum esse illud tabernaculum: ut vocula Græca ἐν, sumatur pro εἰς, sicut nonnunquam sumitur.

Introductum est autem istud tabernaculum in terram Chananæorum, primum quum Arca Fœderis est translata trans Jordanem Jos. 3. 17. & 4. 11, 18. Deinde quum terra illa subacta seu occupata, tabernaculum illud in Silo collocaverunt. Jos. cap. 18. 1.

Quas expulit Deus à facie Patrum nostrorum.] Per rumores de miraculis divinitus circa Israëlitas factis, & proinde terrores vocatos crabrones incussos Chananæis, qui ideo præ metu fugiebant Israëlitas adventantes, eisque cedebant: quanquam & per ipsorum Israelitarum manus Deus illos expellebat atque delebat. Vide Exod. 23. 27, 28 & 30, 31. & Jos. 24. ỳ. 12. & Psal. 44. 3, 4.

Usque ad dies Davidis.] Id est usque ad ea tempora quibus David regnabat; nempe tam diu tabernaculum istud sacrum fuit sub tentorio, non illatum loco fixo.

Vers. 46. *Qui.*] Nempe David.

Invenit gratiam in conspectu Dei.] Id est fuit gratus & acceptus Deo, ab eo in Regem populi Israëlitici loco Saulis rejecti electus, ac postea quoque ei probatus. Vide inter alia Psal. 89. 21, 22.

Et petiit invenire.] Id est desideravit ut posset Deo monstrante locum parare seu facere. Ita verbum istud inveniendi sumitur etiam alibi. Ut Jesai. 58. ỳ. 3, 13. Ose. 12. 8. Verba autem hæc de Davide videntur esse desumta ex Psal. 132. 5. De eodem Davidis desiderio, vide 2 Sam. 7. 2. 1 Paral. 28. 2.

Habitaculum.] Græcam vocem hic positam plerique vertunt *tabernaculum*, sed in textu ponitur vox nonnihil immutata ab ea qua supra est notatum tabernaculum. Jam tabernaculum habebatur antea, adhuc in deserto, supra ỳ. 44. Sed hic opposite ad illud tabernaculum portatile, intelligitur sedes firma & fixa qualis est domus. Quam hactenus in terris non habuit Deus, ut neque ea indiguit.

Deo Jacobi.] Quem ille Jacobus Patriarcha nepos Abrahami Progenitor Israelitarum colebat, & benefactorem suum experiebatur.

Vers. 47. *Solomo autem.*] Filius Davidis, pacificus & sapiens, typus Jesu Christi. Is demum hoc implevit. Vide 1 Reg. 6. 1, 38. Quia David ob multum sanguinem in bellis effusum, fuerat ab isto opere prohibitus, vide 1 Paral. 22. 3. & XXVIII. 3.

Ædificavit ei domum.] Nempe templum magnificum, in parte montis Sionis, dicto Moria, in illo loco ubi angelus cessavit ab interficiendis per pestem Israëlitis, ubi David altare Deo extruxerat, vide 1 Paral. capitis XXI fine, & initio XXII. & 2 Paral. cap. 3. 1. Id templum cœptum est ædificari, anno quadringentesimo octuagesimo post exitum Israëlitarum ex Ægypto, ut scriptum est 1 Reg. 6. 1, vel potius post eorum è deserto in terram Chananæam ingressum. In quod templum illata est Arca Fœderis, & tabernaculum conventus, & omnia vasa sacra. Vide 1 Reg. 8. 1, 3, 4, 6.

Vers. 48. *Sed.*] Quia Judæi videbantur existimare templum illud Jerosolymitanum, quod dicebatur domus Dei, ita Deo placere, ut id velut domum suam in qua habitet, perpetuo conservare velit, eam opinionem falsam refellit S. Stephanus, & simul reddit rationem eorum de quibus erat accusatus respectu dictorum de templo illo ejusque destructione futura. Supra Act. 6. 13, 14.

Ille Altissimus.] Hoc est epithetum Dei, vide Gen. 14. 18, 22. Psal. 57. 3, quod absolute positum, est ei proprium. Ut Psal. 9. 3. XVIII. 14. XXI. 8. LVI. 3. LXXV. 6. XCI. 1, 9 & alibi. Ille solus est Altissimus Psal. 83. ult. nempe non tantum respectu habitationis, sed etiam respectu supremæ & incomparabilis potentiæ atque potestatis.

Non in manufactis templis habitat.] Tanquam in domo propria & sede quietis suæ. Ipse Solomo qui templum illud Deo ædificavit, hoc ipsum agnovit. 1 Reg. 8. 27. 2 Paral. 6. 18.

Sicut Propheta dicit.] Nempe Jesaias, cap. 66. vers. 1 & 2.

Vers. 49. *Cœlum mihi thronus.*] Quasi sedes Regalis seu solium. In cœlo nempe illo supremo tertio ut in sede sua Deus habitare dicitur, & alibi sæpe. Ut Deut. 26. 15. 1 Reg. 8. 30, 39, 43, 49. Psal. 2. ỳ. 4. XXXIII. 13, 14. CXXIII. 1. Eccles. 5. 1. Mat. 5. 34 &c.

Interim ut Sol supposito suo in cœlo situs, radios suos spargit etiam extra locum in quo ipse est, ita Deus ex cœlo per Spiritum suum ubique operatur quæ vult.

Et terra.] Vocula & non proprie hic est copulativa, sed adversativa, posita pro *at* vel *autem.*

Scabellum pedum meorum.] Ita vile quid apud apud Deum est terra, sicut apud homines est scabellum pedum. Ideoque non est existimandum in hoc scabello Deum sedem sibi ac domum deligere, in qua perpetuo velit habitare.

Qualem domum ædificabitis mihi, dicit DOMINUS, *aut quis est locus requietis meæ?*] Ubi tanquam in sede à vobis ô homines Judæi mihi parata, consistam atque degam? ut vos opinamini.

Vers. 50. *Nonne manus mea fecit hæc omnia?*] Non tantum orbem terræ, sed & alia aspectabilia, Deus quum hæc antea non essent fecit & creavit. Ergo non desiderat ad usum suum templum aliquod ab hominibus factum, quod exiguum est si cum operibus à Deo ipso factis comparetur.

Vers. 51. Post istam narrationem convertit S. Stephanus orationem ad reprehendendos illos Judæos qui tunc eum judicabant: quum per Spiritum Dei in se habitantem videret eorum improbitatem, ac perversitatem.

Duri cervice.] Hæc reprehensio sumta est ex ipsis Dei verbis Exod. 32. 9. XXXIII. 3. & 5. & Mosis Deut. 9. 6. & 13. XXXI. 27. Vide & Esa. 48. 4. ubi populus Israeliticus in universum ita vituperatur, ut ejus contumacia & obstinatio notetur: quod nolint isti Judæi colla sua jugo Dei submittere, eique obedire.

Et incircumcisi corde.] Quamvis carne circumcisi, de qua circumcisione ipsi gloriabantur præ aliis gentibus, quum tamen & Ismaelitæ ex Abrahamo orti, ut etiam Edomæi circumciderentur; sed corde id est animo erant incircumcisi seu præputiati affectibus pravis non coërcitis. Hoc eis etiam objicit ipse Deus Levit. 26. 41. Ut & Moses idem in illis notat, simul cum dura cervice, Deuter. 10. 16. Vide & Jer. 4. 4. & IX. ult.

Et auribus.] Etiam aures incircumcisas, id est ad audiendum verbum Dei non bene dispositas, ipsorum vitio, objecit olim Judæis Jerem. 6. 10.

Vos semper Spiritui Sancto obnitimini.] Seu resistitis, sive adversamini, vel repugnatis. Verbum Græcum significat ex adverso ruere. Notat eos DEO per Spiritum suum in servis suis existentem eos monenti, refractarios fuisse. Videtur respexisse verba Jes. 63. ℣. 10. Eodem spectant etiam verba Dei quæ habentur Jer. 7. 24, 25, 26, 27, 28. Aliqui ex eo quod Judæi Spiritui Sancto resistere dicantur, probare conantur Spiritum Sanctum esse personam divinam. Sed dicuntur similia etiam respectu rerum quæ non sunt personæ. Ut quod aliqui resistant dispositioni seu ordinationi Dei. Rom. 13. 2. Et sanæ doctrinæ 1 Tim. 1. 10. & Apostolicis sermonibus 2 Tim. 4. 15. Vide & Rom. 7. 23. Gal. 5. 17. Hic potest quæri, Quomodo spiritui Dei potenti possit homo resistere? Respondeo, vel ex hoc ipso patere, Deum in convertendis hominibus ad se atque ad viam salutis, non agere vi omnino cogente ita ut resistentiam omnem tollat, ut homo se habeat in hoc actu mere passive, sicut aliqui docent. Alioqui si homines Deo per Spiritum Sanctum eos moventi, necessario assentirentur & obsequerentur, vel qui non assentiuntur nec obsequuntur, quamvis eos Deus & Spiritus ejus moveat, id facerent ideo quod non plane potenter moverentur, quod in eis resistendi potentia & voluntas à Deo ipso non tollatur. Quomodo etiam iidem recte monerentur, ut audientes vocem DOMINI non obdurent corda sua? Psal. 95. 7, 8. & Heb. 3. vers. 7, 8.

Sicut Patres vestri.] De Patribus seu Majoribus Judæorum quomodo Deo non paruerint ostendit superius: hic dicit illius temporis Judæos non degenerasse hac in re neque discivisse à Majorum ac Progenitorum suorum moribus; quasi dicat esse malorum corvorum mala ova. Simile proverbium Ezech. cap. 16. 44. Videtur tamen non esse necesse, ita hæc verba verti, sicut vertit Beza, *quales fuerunt Patres vestri tales & vos estis.*

Et vos.] Recte his vocibus præponitur subintellecta particula *ita*, sicut etiam Matth. 6. 10, nempe similiter resistitis, quando viri Spiritu divino afflati vos officii vestri commonefaciunt.

Vers. 52. *Quem Prophetarum non persequuti sunt Patres vestri?*] Plerosque Prophetas Dei singulares famulos Israelitæ male tractarunt. Vide 1 Reg. 19. 10. Neh. 9. 26. Matth. 5. 12. XXIII. 30, 31, 35. Luc. cap. 13. 34.

Et occiderunt eos, qui prænunciarunt de adventu hujus.] Prophetæ prædicentes adventum Messiæ occidebantur ab Israelitis.

Justi.] Nempe Jesu Nazaræni; qui fuit eximie justus, insons ac nullius criminis reus, imo perfecte sanctus. Vide Jesai. 53. 9 & 11. & Zach. 9. 9. & supra Act. 3. 15.

Cujus nunc vos proditores & occusores facti estis.] Quamvis non ipsi Judæi suis manibus Jesum interfecerint, tamen hujus interfectionis apud Pilatum cui eum tradiderunt, authores fuerunt. Magnum & grave crimen est justum interficere. Hæc Stephani adversus Judæos dicta, non fuerunt convitia ex animo impotenti profecta, sed à Spiritu Dei dictata exprobratio criminum, ob quæ nisi resipiscerent manebant eos à Deo pœnæ gravissimæ.

Vers. 53. *Qui accepistis Legem.*] Nempe illam à Deo per Mosen vobis latam atque traditam. Quamvis non ipsis istis Lex data fuit sed eorum priscis progenitoribus: tamen hoc ita dicitur, quia cum majoribus suis isti unum populum constituebant. Vide annot. ad Matth. 23. 35.

In dispositiones.] Numero plurali in Græco textu. Non tam autem his verbis significatur per ministerium Angelorum Legem esse latam, quamvis & hoc verum sit, quam potius, ad dispositiones seu secundum ordinationes Angelorum: seu Angelis eam disponentibus, ordinantibus, atque præcipientibus, nomine Dei, cum authoritate. *In* ponitur pro *per* frequenti Hebraismo.

Angelorum.] Pluribus Angelis promulgatio Legis attribuitur, ut etiam Gal. 3. 19. & Hebr. 2. 2, quum supra ℣. 38 unius Angeli cum Mose in monte Sina loquentis mentio fiat. Id fit vel ideo, quod illi uni Angelo præcipuo, personam Dei sustinenti, multi alii Angeli tunc adfuerint. Vide Deut. 33. 2, vel quod non per unum Angelum omnia ad Legem spectantia mandata & instituta, sint pronunciata; sed per plures: fieri potuit ut unus Angelus Decalogum nomine Dei pronunciaverit, alii autem Angeli huic succedentes, reliqua, ut ad judicia atque ad ritus pertinentia, ejusdem Dei nomine promulgaverint.

Si Filius Dei Legem illam pronunciasset, ut aliqui opinantur, non ita loquutus fuisset S. Stephanus, sicut

sicut etiam S. Paulus ad Galatas, & Author ad Hebræos. Tirinus Jesuita hoc loco annotavit: ordinatione Angelorum Michaelis ejusque sociorum concinnatam Legem accepistis.

Et non custodiistis.] Id est attamen illam Legem, Angelorum ordinatione Majoribus vestris vobisque traditam, non observastis, sed transgressionibus & peccatis vestris violastis.

Crimen objectæ sibi à Judæis contra Legem dictæ blasphemiæ, supra cap. 6. ℣. 13 retorquet Stephanus in ipsos Judæos adversarios suos, quod illi ipsi Legem illam quam sibi datam gloriabantur, contemserint.

Vers. 52. *Audientes autem hæc.*] Orationis Stephani eventa narrantur: primum in illius Concilii Patribus seu Senatu Ecclesiastico.

Dissecabantur cordibus suis.] De hoc verbo dictum supra ad cap. 5. 33.

Et stridebant dentibus in eum.] Ab ira, qua erant per dicta Stephani quamvis vera, accensi, furentes frendebant, & animorum indignationem erumpentem etiam signis externis testabantur: quasi eum etiam dentibus mordentes lacerare atque dilaniare cuperent.

Vers. 55. *Existens autem plenus Spiritu Sancto.*] Jam antea dictum est Stephanum fuisse repletum isto afflatu Dei sacro Act. 6. 5. Tunc vero Spiritus iste Sanctus magis vim atque efficaciam suam in illo exserens, velut ignis excitatus flammabat.

Intendens in cœlum.] Nempe oculos animi & corporis eo dirigens, impense & enixe, quo tendebat, ad Deum & Christum; & ad cœlestia gaudia, afflictionem quæ ei in terra jam imminebat, compensatura.

Vidit.] Et animo à Spiritu Dei quo plenus erat illustrato, id contemplabatur; sed & oculis ejus credibile est oblatam esse ejusmodi visionem, cœlitus, qua recrearetur, atque confirmaretur, & ex ea solatium insigne afflictionis suæ atque mortis atrocis jam imminentis perciperet.

Gloriam Dei.] Id est gloriosam majestatem Dei altissimi, in cœlesti throno supremo residentis: instar Regis in majestate summa effulgentis. Sicut Jes. cap. 6. 1. & Ezech. 1. 26, 27, 28. & Dan. 7. 9. Vel etiam lucidum splendorem, quo thronus Dei circumfulget. Nam non raro *gloria* pro splendore illustri ponitur. Ut Luc. 2. 9. & IX. 31, 32. Act. 22. 11. & 1 Cor. 15. 41. 2 Cor. 3. 7.

Et Jesum.] Hic Jesus aperte distinguitur à Deo, nempe illo Altissimo ad cujus dexteram consistere dicitur. Ergo apparet Jesum non esse ipsum Deum Altissimum, qui est unicus, nec esse idem numero Ens cum Deo Altissimo, qui est indivisus.

Stantem ex seu *à dexteris.*] Nempe quasi partibus.

Dei] Alibi de Jesu in cœlum exaltato, dicitur, quod sedeat ad dexteram Dei, ut Marc: 16. 19. Luc. 22. 69. Act. 2. 34. Ephes. 1. 20. Heb. 1. 3. VIII. 1. X. 12. XII. 2, ad declarandam ejus Regiam majestatem, majestati Dei Altissimi secundam: hic autem narratur visus esse stare, ut hoc ipso ostenderet, se quasi è sede sua surgentem, esse paratum ad opem ferendam huic servo suo eximio. Ita aliquando & Deus oratur ut exsurgat, ad suos liberandos, vide Num. 10. 35. Psal. 3. 8. LXVIII. 1. Potest dici tunc Jesus ita repræsentatus fuisse ut & pugili huic suo in agone cum adversariis decertanti velut agonotheta brabæum ipsi paratum ostenderet, & contra adversarios ejus insurgeret.

Vers. 56. *Et ajit, ecce spectio.*] Quod miraculum ad gloriam Jesu Christi cujus famulus erat, revelatum, contemplabatur, id non silentio premit, sed enarrat ac profitetur coram adversariis infensis, in gloriam Domini sui.

Cœlos apertos.] Vide annotata ad Matth. 3. 16.

Et filium hominis.] Illum Jesum Nazarænum, qui sæpissime ipse sese hoc nomine designabat, de quo vide annot. ad Matth. 8. 20, qui etiam dixerat adversariis suis Judæis quum in eorum judicio staret; videbitis filium hominis sedentem à dextris potentiæ (nempe Dei) & venientem in nubibus cœli. Matth. cap. 26. 64. Et credibile est Jesum quanquam corpore non jam carneo, sed spirituali subtili in cœlis præditum, licet oculis carneis videri non posset, tamen exhibuisse tunc sese servo suo videndum ea forma humana in qua antea dum in terris versaretur, conspiciebatur.

Ex dexteris stantem Dei.] Vide annot. ad ℣. proxime antecedentem. Stephanus testatur Judæis adversariis, Jesum illum ab eis injuste & indigne crucifixum, quem ab ipso celebrari ægre ferebant supra cap. 6. 14. se jam oculis cernere redivivum, & quidem in cœlo existentem, Deo proximum; simulque eos terret ostenso judice atque vindice.

Vers. 57. *Clamantes autem voce magna.*] Ut Stephani dicta Jesu Nazaræni gloriam cœlestem asserentia, quæ illis maxime adversa & ingrata erant, ac blasphema videbantur vociferatione sua opprimerent. Ita se isti Judices, Senatores, indigne gerebant.

Continuerunt aures suas.] Vel manibus totis obturantes, vel digitis in aures insertis; vel etiam infima auricula molli intra aures inflexa: velut verba indecora & infanda atque absurda minime audienda, dicerentur.

Et irruerunt unanimiter in eum.] Quasi zelo, sed amaro, impulsi; quo contra Stephanum quasi contra blasphemum efferbuerunt: non disquirentes num recte an secus diceret; violenter eum aggressi, quamvis jam sub Romanorum potestate viventes, non haberent jus ipsi capitali supplicio aliquem puniendi, vide Joh. 18. 31. Sed videntur id fecisse jure extraordinario Zelotarum, de quo videantur notata ad Luc. 6. 15. Quidam existimant eos id fecisse permissu præsidis Pilati.

Vers. 58. *Et ejectum extra civitatem.*] Id est expulsum, seu extrusum.

Lapidabant.] Lapidationis pœna in Lege Mosaica erat constituta ei qui vel nomen Dei blasphemaret, vide Levit. 24. 14. vel aliquem à veri Dei cultu ad Deorum alienorum cultum seu ad idololatriam abducere vellet. Vide Deut. 13. 6, 7, 8, 9, 10. Isti autem Zelotæ excœcati, Stephanum idololatriæ, & abductionis ad Deum alienum nequaquam convictum, tali supplicio affecerunt. Ita solent veros Dei & Christi ejus servos ii qui ipsi veritatem non agnoscunt falsis criminibus damnare, & suppliciis

afficere, vide Joh. 16. 2, 3. Lapidationis modus à Rabbi Mikotzi, ita describitur, quod viro lapidando, quatuor à lapidationis loco cubitis distanti vestes detraherentur, solis pudendis ab anteriori tectis. Locus lapidationis habebat (inquit) altitudinem duarum staturarum, ad quem reus vinctis manibus ascendebat. Illum alter testiumad lumbos pulsatum præcipitabat in terram: ex qua si mortuus non esset, elevabant testes lapidem ibi collocatum pondere duorum hominum, quem alter testium supra eum projiciebat: quod si ne sic quidem moreretur, lapidabatur ab omni Israële.

Et testes.] Hi debebant incipere lapidationem ex Lege Deut. 17. 7. istius juris speciem observare isti videri volebant.

Deposuerunt vestimenta sua.] Nempe superiora; quidam vertunt pallia: ideo autem ea deponebant, ut commodius absque impedimento & expeditius lapidationem peragerent. Non de Stephani vestibus depositis hic dicitur, ut existimavit Bernhardus. Quanquam & lapidandi vestibus spoliabantur.

Apud pedes juvenis vocati Sauli.] Non plane adolescentis, ut plerique vertunt, nisi abusive, sed jam adulti. Ut is ea custodiret. Vide infra Act. 22. 20.

Vers. 59. *Et lapidabant Stephanum.*] Primum Martyrem Christi qui post ipsum Jesum Christum primus est propter fidem Christi dira morte necatus; vel potius, quod nomen ejus Græcum coronam significans notat, coronatus.

Invocantem.] Id est precationem religiosam pronunciantem opem supernaturalem cum fiducia implorantem. Quem autem ea precatione invocaverit, mox significatur dum ista invocatio declaratur.

Et dicentem Domine Jesu.] Dominum Jesum, cujus erat discipulus & servus Stephanus, quem post resurrectionem, in cœlum exaltatum esse, & omnem potestatem in cœlo atque terra à Deo patre datam obtinuisse credebat, proindeque quod precabatur facere eum posse persuasus erat, quem ad dexteram Dei situm videbat, & quem filium hominis esse profitebatur supra vers. 56. hunc religiosa precatione invocabat ejusque opem implorabat: quum propter fidem in ipsum interficeretur. Quoniam autem Stephanus vir Sanctus & Spiritu Sancto plenus Dominum Jesum in cœlis existentem religiose invocavit; hinc sequitur, etiam nos eundem Dominum Jesum quamvis is non sit ipse Deus altissimus precibus invocare licite posse, imo, quum res requirit, etiam debere. Quod autem quidam Judaizantes, Jesum Christum precibus invocari licere negantes, ut hoc eludant, comminiscuntur, has voces *Domine Jesu* intelligendas esse de Deo Patre, quasi Stephanus illum precatus dixerit, Tu qui es Dominus Jesu; ut nomen istud *Jesu* non sit vocativi sed genitivi casus; vel si vocativi, ut per *Jesum* quod nomen Hebræum Servatorem seu salvatorem significat, ipse DEUS altissimus, qui est Pater Jesu Christi, intelligatur, qui etiam Servator est primario: futilia & inepta commenta sunt. Nam & nusquam in Sacra Scriptura Deus pater ita describitur ut Dominus Jesu vocetur; & si is sensus esset, non Κύριε Ἰησοῦ sed Κύριε, ὁ Ἰησοῦ. dicendum fuisset: & quamvis nomen Jesu à salute deducatur, tamen nuspiam, pro appellativo nomine, sed semper pro proprio ponitur. Simili porro invocatione Domini Jesu concluditur à Johanne liber Apocalypseos cap. 22. vers. 20.

Suscipe Spiritum meum.] Nempe illam potiorem partem substantiæ hominis, jam à corpore mox sejungendam. Precatur Stephanus ut Dominus Jesus in cœlis cum DEO Patre regnans, Spiritum ejus quem ipsius Domini Jesu causa amittebat, in manus suas susciperet, eumque conservaret, postea ei ultimo die reddendum per gloriosam resuscitationem. Imitatus est hac in re ipsum Dominum Jesum, qui in cruce exspiraturus, Deo Patre invocato, in ejus manus spiritum suum deposuit. Luc. 23. 46.

Vers. 60. *Positis autem genibus.*] Sicut fieri solebat in precibus intensioribus.

Clamavit voce magna, non submissa, sed intensa & clara ut ab omnibus qui aderant exaudiretur.

Domine.] Nempe Jesu, eundem enim tunc quem & paulo ante, compellavit.

Ne statuas eis hoc peccatum.] Verbum Græcum hic positum, sumtum ab eo quando aliquid ponderatur, seu appenditur, ut fit in pecuniis ex debito reddendis. Hoc autem voluit significare Stephanus, ne Dominus Jesus istis inimicis ipsius, peccatum istud, quod ipsum insontem crudeliter interficerent, velut debitum quoddam appensum, imputare, idque postea ab eis exigere, seu eos hac de causa severe punire vellet. Hac in re Stephanus, & moniti Domini Jesu, Mat. 5. 44, & facti talis Luc. 23. 34, memor, id ipsum fecit: in extremo vitæ actu, jam spiritum efflaturus & fidem in Dominum Jesum DEI filium, & charitatem erga proximos etiam inimicos declaravit: Omnibus Christi servis piis imitandus.

Et quum hoc dixisset obdormivit.] Quum spiritu à corpore separato, vita hac temporali privaretur, ac moreretur, obdormivisse dicitur, quasi somno ad tempus sopitus; quia in morte non manebit, sed ex ea velut è somno expergiscetur, ac resuscitatus à Domino Jesu resurget, ac reviviscet, ad vitam æternam.

Ita & alii in Domino mortui, obdormiscere dicuntur, ut 1 Cor. 15. 18, 20, 51. 1 Thess. 4. 13, 14, 15. Hinc loca ubi Christiani mortui sepeliuntur, vocantur ex Græco, Cœmeteria, quasi dormitoria.

CAPUT VIII.

Vers. 1. *Saulus autem.*] Ille juvenis de quo cap. proxime præcedente vers. 58. cujus nomen idem quod illius primi Regis Israëlitarum qui ex eadem tribu Benjamitica fuit, & lupo, cui Benjaminem Jacobus Patriarcha assimilavit Gen. 49. vers. 27, similis; sicut ille Rex Davidem, ita iste eum cujus David typus fuit, nempe Jesum Christum ejusque fideles crudeliter persequebatur. Ex Hebræo significat idem quod *petitus*.

Erat consentiens.] Plus aliquid notat vox Græca, quasi dicatur *condelectatus*, nempe ut alii qui Stephanum interficiebant, ejus velut blasphemi & impii, nece delectabantur, ita & Saulus simul cum iis illa delectabatur: eaque illi etiam placebat, ut zeloso Pharisæo. Vide infra 26. 9. Gal. 1. 14.

Facta est autem in illa die.] Non tantum illla una die hæc

hæc persequutio est facta, sed per plures dies, ut colligi potest ex sequentibus præsertim vers. 3. Sed illo die orta, ex occasione Stephani, vigebat circa illud tempus.

Persequutio magna in seu *contra Ecclesiam illam* [quæ erat] *in Jerosolymis.*] Quasi omnes discipuli Jesu in Stephani persona atque judicio damnati, ut perinde blasphemi, deberent affligi & necari.

Omnesque dispersi sunt.] Plerique discipuli Christi, persequutionem illam vitantes. Videntur præcipue significari tales qui in Ecclesia erant alicujus nominis, & qui præire in docendo poterant, ut illi septuaginta discipuli, olim etiam à Christo ad euangelizandum missi, & è Diaconis præter Stephanum reliqui: & alii similes. Nam ut ex illis quinque millibus fratrum, de quibus supra cap. 4. 4. nullus Jerosolymis maneret apud Apostolos, vix est credibile. Vide infra ℣. 3. sed fugiebant ii quibus fugere commodum erat.

Per regiones Judææ.] Extra Jerosolymam. *Et Samariæ.*] Illi vicinæ.

Præter Apostolos.] Aliis diffugientibus ob persequutionem, ex urbe Jerosolyma, Apostoli excellentissimi servi Christi, noluerunt tunc inde fugere, sed aliquamdiu ibi adhuc manserunt constanter: quamvis quia ipsi maxime ab adversariis impetebantur credibile sit eos latitasse. Ut primi post Christum Ecclesiæ fundatores, in statione sua persistentes, Ecclesiam inchoatam non desererent, sed præsentes magis stabilirent atque firmarent. Postea tamen & hi digressi sunt Jerosolymis vigente pace, ut Petrus, infra cap. 9. 32. & Gal. 2. 11. & alii, vide Gal. 1. vers. 18, 19.

Vers. 2. *Comportarunt autem.*] Id est collatis operis exportarunt, ut exposuit Piscator, vel una extulerunt. Quidam exponunt *collegerunt* nempe corpus ejus lapidibus contusum. Aliqui ut vulgatus Interpres *curaverunt*, id est funus ejus exsequiis ac sepultura honorarunt. At forsan absque prælatis crucibus & cereis interdiu accensis. Vide supra 5. 6. Syrus Interpres habet, *positum in arca sepelierunt.* Non asservatum est in aliqua theca corpus ejus religiose colendum, nec dissectum in frusta quæ aliis Christianis dono mitterentur vel divenderentur.

Stephanum.] Id est corpus Stephani jam anima vacuum: per Synecdochen integri pro parte.

Viri religiosi.] Seu pii, ejus socii.

Et fecerunt planctum magnum super eo.] Planctus proprie significat id quando pectora manibus percutiuntur, quod est signum magni mœroris & luctus. Vide Luc. 18. 13. XXIII. 27 & 48. Notatur autem hac voce etiam quævis rei dolendæ deploratio.

Non temere ob Stephani viri tam pii & sancti mortem truculentam isti viri religiosi luctum excitarunt. Dolendum est enim quando Ecclesia viris insignibus qui ei ædificandæ adhuc operam impendere possent, privatur.

Vers. 3. *Saulus autem vastabat Ecclesiam.*] Nempe discipulorum Christ: à Stephani cæde cui consentiebat quamque bene cessisse existimabat, animatus, atque efferatus, etiam alios Christi discipulos vexabat, eos perdere conatus: habens zelum Legis, sed non secundum scientiam.

Per domos invadens.] Hinc inde per varias ædes in quibus Jesu Nazaræni discipulos versari rescisceb at, incursabat violenter, ut emissarius Seniorum, Pharisæorum & Sacerdotum, eorum authoritate fretus. Vide infra cap. 26. 10.

Trahensque.] Ut solent trahi malefici criminum rei, perdendi. Sicut lupus oves.

Viros & mulieres.] Etiam huic sexui molliori ac debiliori non parcebat, etiam in fœminas sæviebat.

Tradebat in custodiam.] Id est in carcerem, ut ibi inclusi custoditi non tantum vinculis coërcerentur, sed & inde educti in Synagogis seu conventibus cæderentur verberibus. Ut infra cap. 22. 19.

Vers. 4. *Illi quidem igitur.*] Istud *quidem* redundat, vide supra 5. 41.

Dispersi.] Nempe Jerosolymis ob persequutionem egressi.

Pertransibant.] Id est peragrabant regiones, tum ipsius Judææ, vide supra ℣. 1, tum ulteriores, vide infra cap. XI. ℣. 19.

Euangelizantes.] Id est annunciantes, seu prædicantes.

Illum sermonem.] Non vulgarem aliquem, sed illum excellentem, nempe sermonem Dei, à Deo profectum, Euangelium de Jesu Christo, deque consequenda per fidem in eum ex Dei gratia, vita æterna. Et alibi iste sermo excellens absolute ita vocatur; ut Matth. 13. 21, 23. Marc. 6. 14. Infra cap. XI. 19. Gal. 6. 6. 2 Tim. 4. 2. Aliquando autem expresse vocatur *sermo Dei*, ut Luc. 8. 11. & Act. 6. 2. & infra ℣. 14.

Ita etiam in fuga persequutionis, & in dispersione, non sunt otiati servi Christi, sed dispersi doctrinam Christi salutarem hinc inde inter homines spargebant ac disseminabant. Ita ipsæ persequutiones quibus Satanas per homines doctrinæ veræ infensos conatur euangelii Christi cursum impedire ac sufflaminare, per Dei providentiam eidem Euangelii cursui promovendo inserviunt. Ut ignitæ particulæ hinc inde disjectæ, plura incendunt. Verisimile est inter istos multos dispersos, euangelium prædicantes, fuisse nonnullos qui non erant ad euangelii prædicationem proprie ordinati ut Doctores, & tamen id prædicarunt, ducti zelo gloriæ Christi.

Vers. 5. *Philippus autem.*] Socius Stephani paulo ante lapidati, ei sicut loco ita pietate atque zelo proximus, unus ex numero illorum septem Diaconorum: qui non ad verbum Dei prædicandum, sed ad ministeria mensarum erant ordinati, ut dictum supra cap. 6. vers. 2 & 3, tamen sicut ejus socius & collega Stephanus, præter munus ministrandi mensis quod erat Diaconis ordinarium, extraordinarie ex instinctu Spiritus Sancti quo plenus erat, de doctrina salutari cum adversariis disserebat, ita etiam Philippus faciebat: præsertim quum in dispersione Ecclesiæ à diaconia illa vacaret; ex Diacono factus Euangelista.

Deveniens in civitatem Samariæ.] Seu urbem. Alias Samaria etiam regionem denotat, ut supra ℣. 1. Sed hic urbem illius regionis Metropolim, ut & infra vers. 8, quæ in monte quem Amri Rex Israëlitarum à Semero quodam emit, exstructa, ita est nominata. Vide 1 Reg. 16. 24: quam, & ejus territorum Rex Assyriorum Salmanassar abductis inde

decem tribubus Israelitarum, aliis colonis Ethnicis complevit, vide 2 Reg. 17. 6, 24, qui religionem ex Israelitica & Ethnica mistam sectabantur. Vide ibid. vers. 33 & 41. *In urbem Samariæ* significat in urbem Samariam, ut sit genitivus specici, sicut supra cap. 7. vers. 36, 40.

Prædicabat eis.] Id est ejus urbis Samariæ incolis. Quamvis Christus antea vetuerat discipulis suis ne irent ad Samaritanos Matth. 10. 5, sed postea jussit Act. 1. 8, quod nunc Diaconus iste ad effectum deducere cœpit.

Christum.] Id est doctrinam de Christo, & de fide in eum. Hoc sensu & alibi ponitur Christus. Ut Act. 2. 42. Eph. 4. 20. Philip. 1. 16, 18.

Vers. 6. *Attendebantque turbæ iis quæ dicebantur à Philippo, unanimiter.*] Samaritæ à Judæis pro hæreticis habiti, auscultabant pie doctrinæ Euangelii Christi quam Jerosolymorum Proceres & Sacrosanctum Sacerdotum Concilium rejiciebant, & in ejus confessoribus persequebantur.

Quum audirent ii & viderent.] In textu Græco est, *in audire eos & videre*, id est dum audiebant & videbant, seu propterea quod audiebant & videbant.

Signa.] Id est miracula insignia, per synecdochen generis pro specie. Hæc miracula evidentiæ doctrinæ sanæ addita per Philippum edita, partim audita partim visa, commovebant eos ut illi auscultarent.

Vers. 7. *Multorum enim.*] Signa ista quæ fuerint, hic declaratur.

Habentium Spiritus immundos. Id est cacodæmones, qui homines occupabant. Post has voces subauditur pronomen *ii*. Nempe Spiritus immundi.

Clamantes voce magna voce, exibant.] Ægre ferentes se ex hominibus quos inhabitarent expelli, angorem suum inde ortum vociferatione significabant.

Multi autem paralytici & claudi sanati sunt.] Miracula benefica, hominibus utilia, qualia etiam faciebat Jesus & ejus Apostoli, à Philippo quoque fiebant.

Vers. 8. *Et factum est gaudium magnum in civitate illa.*] Nempe Samariæ. Ortum tum inde quod homines illius loci à malis illis per Philippi miracula benefica liberarentur: tum etiam multo magis quod his permoti ad Messiam ejusque Euangelium & lætum nuncium de regno cœlesti per fidem ac resipiscentiam capessando converterentur.

Vers. 9. *Vir autem quidam nomine Simon prius erat in ea civitate.*] Nempe Samariæ.

Magiam exercens.] Magiæ & Magorum nomen Persicum per se non malum; abusu ad artes miras nefandas cacodæmonum ope patratas, & ad earum studiosos, devenit. Videatur Annotatio ad Matth. 2. 1.

Et obstupefaciens gentem Samariæ.] Miris quibusdam factis, seu præstigiis, in admirationem magnam atque stuporem adducens. Vide infra vers. 11. ita fascinans ut omnes quasi in ecstasin raperentur.

Dicens esse seipsum aliquem magnum.] Nempe quempiam virum divinum, numine plenum.

Vers. 10. *Cui attendebant.*] Græcum verbum proprie significat *adhibebant* subintelligitur, animum seu mentem. Ita ei auscultabant, ut eum observarent, eique etiam obtemperarent. Simile dictum supra vers. 6.

Omnes à parvo, usque ad magnum.] Id est omnes omnino, tam minimi, quam maximi, nempe non tantum viles sed & excellentes homines, ut infra 26. vers. 22. & Heb. 8. 11.

Dicentes iste est potentia Dei illa magna.] Id est in isto seu per istum potentia seu vis Dei insignis exseritur, quasi plenitudinem potestatis talium operum insignium efficiendorum à Deo haberet. Ut de Mose miracula edente dictum *digitus Dei est.* Exod. 8. 19.

Vers. 11. *Attendebant autem ei propter hoc quod multo tempore magiis obstupefecisset eos.*] Præter miranda facta per magicas artes diabolicas patrata, ipsa temporis diuturnitas qua talia is exercebat homines hisce dementatos, ad obediendum huic seductori obligabat atque obfirmabat. Tanto magis postea ibi Christi potentia & gloria effulsit, quando ab isto tam potenti Satanæ ministro illos abduxit.

Vers. 12. *Quum autem credidissent Philippo euangelizanti ea quæ de regno Dei.*] Id est de beatissimo statu cœlesti ex Dei gratia ab hominibus consequendo. Vide Marc. 1. 14, 15. Luc. 9. 2. qui idem status vocatur regnum cœlorum. Matth. 4. 17 & alibi:

Et nomine Jesu Christi.] Hic nomen Jesu Christi non notat vocabulum, sed videtur significare ipsum Jesum Christum. Vide infra vers. 35. vel potestatem & gloriam ejus. De Jesu illo Nazaræno prædicabat Philippus ut & Apostoli faciebant, quod is à DEO sit ita exaltatus ut sit factus Christus seu Messias, Rex cœlestis populi DEI, in quem miraculis celebrem, à Judæis Crucifixum, sed à DEO resuscitatum, & in cœlo collocatum, si quis credat, fiduciam in eo collocans, ejusque mandatis obediens, vitam æternam eo largiente sit certo consequuturus.

Baptizabantur.] Id est postquam crediderunt, & fidem sunt professi, in religionis Christianæ susceptæ & regenerationis perficiendæ signum, in aqua immergebantur: Ex præcepto Christi, Marc. 16. vers. 16.

Virique & mulieres.] Credentes, seu fidem profitentes. Non infantes, qui quum omnino non intelligant Euangelium prædicatum, ei assentiri id est credere non possunt.

Vers. 13. *Simon autem.*] Ille Magus, qui jam populo illo à se ad alium converso destituebatur.

Et ipse credidit.] Nempe permotus miraculis magnis, à Philippo editis, fidem de Jesu Christo quem Philippus prædicabat, professus est. Sed fidem istam in eo non fuisse perfectam atque solidam & sinceram ac vivam, postea res declaravit. Ita fere credidit sicut cacodæmones credere dicuntur Jac. 2. 19.

Et baptizatus.] Quum suscepit signum regenerationis, sed tamen non fuit per baptismum regeneratus, quod patuit brevi, de quo infra ℣. 18 & 19.

Erat adhærens Philippo.] Nempe ita ut eum assectaretur, sicut discipulus magistrum, & prædicationi ejus assidue attenderet.

Spectansque signa & potentias magnas fieri.] Id est admiranda opera ab insigni Dei potentia profecta. Vide Matth. 7. 22. & XIV. 2. & Act. 2. 22.

Obstupescebat.] Quamvis ipse Simon Magus, per magicas

magicas artes, dæmonum ope, quædam miranda patraret, & ideo homines talia cernentes multo tempore in admirationem sui & stuporem raperet, ut dictum supra ℣. 9, 10, 11; Tamen postquam animadvertit potentiorem eo qui in ipso erat Spiritum in Philippo esse & per illum miracula solida magna operari, ita ut etiam dæmones ipsos quorum ope Simon illa mira efficiebat, à Philippo ex hominibus quos occupaverant videret expelli invitos, de quo supra ℣. 7, rerum tam insperatarum conspectu in admirationem magnam atque stuporem rapiebatur.

Vers. 14. *Audientes autem qui in Jerosolymis erant Apostoli.*] Qui tum quum alii discipuli Christi ob persequutionem Jerosolymis excederent, ibi remanserant. Vide supra ℣. 1.

Quod recepisset Samaria.] Id est Samaritani cives, per metonymiam subjecti.

Sermonem Dei.] Nempe eximium illum, id est euangelium, de regno Dei, ac vita æterna, & de Jesu Christo. Vide supra ℣. 12.

Miserunt ad eos.] Ex numero suo ablegarunt Apostoli istos legatos, ut in Samaria doctrinam de Christo à Philippo Diacono prædicatam confirmarent, & Apostolica authoritate Ecclesiam in ea urbe constituerent.

Petrum.] Illum in Senatu Apostolico Primatem, non tamen illius Senatus & totius Ecclesiæ Monarcham, ut aliqui volunt. Nam si talis Monarcha & caput Ecclesiæ, fuisset Petrus, non fuisset ab Apostolis cæteris ut collegis suis ita missus, velut Legatus: quum majorem atque superiorem à minoribus & inferioribus atque subjectis ipsi, mitti & ad legationem adhiberi, sit prorsus inconveniens. Existimo Papam nunc non passurum dici se aliquo mitti à Cardinalibus.

Et Johannem.] Illum gratia & dilectione à Domino Jesu insigniter honoratum, Petro proximum Apostolum.

Vers. 15. *Qui descendentes.*] Seu quum descendissent, id est Jerosolymis profecti essent, & Samariam venissent.

Precabantur pro eis.] Id est ad Deum vel Dominum Jesum preces dirigebant, ut illis Samaritanis conversis ad fidem Christi impetrarent donum eximium cœleste.

Ut acciperent Spiritum Sanctum.] Nempe afflatum divinum, quo tunc passim ii qui fidem in Jesum Christum suscipiebant, non tantum qui euangelium prædicaturi & Ecclesiæ gubernationi præfuturi erant miraculose donabantur per Christum: ut facultatem prophetandi & linguis variis loquendi adepti, doctrinam Christi quæ tunc nova erat, confirmarent. Vide supra cap. 2. 38. & infra x. 44, 45, 46. & xix. 6. & 1 Cor. 12. 8, 9, 10.

Vers. 16. *Nondum enim erat super ullum eorum.*] Non statim cum fide in Christum dabatur ordinarie, extraordinarius iste Spiritus Sanctus mirificus, propheticus.

Illapsus.] Nempe è cœlo missus ac cum impetu quodam descendens, & in homines superveniens, afflatus ille Dei. Ut infra x. 44. xi. 15.

Solum autem baptizati erant in nomen Domini Jesu.] Id est per ritum sacrum immersionis in aquam, nominato super eos nomine Jesu Christi, ipsi Christo ut Magistro ac Domino suo spirituali cœlesti sunt consecrati, & doctrinæ ejus initiati. Vide annotationem ad Matth. 28. 19. ad voces *in nomin Patris, & Filii* &c. & hic supra cap. 2. 38.

Vers. 17. *Tunc imposuerunt manus super eos.*] Ritus iste ut ab aliquibus personis eminentibus imponerentur aliis manus, qua manuum impositione mediante, peculiaris gratia Dei conferebatur iis, qui per eam à viris sacris consecrabantur, erat olim usitatus. Vide annot. ad Matth. 19 13, 15.

Et.] Conjunctio ista copulativa diversas personas quasi easdem sed tantum diversa effecta facientes, conjungit. Ut & supra cap. 6. ℣. 6.

Accipiebant Spiritum Sanctum.] Nempe illi homines quibus ab Apostolis manus impositæ erant. Quidam ex hoc loco probant Sacramentum illud quod vocant Confirmationis: quod solet peragi ab Episcopo tantum, cujus pollice chrismate seu oleo consecrato in hominis antea baptizati jam ad aliquam ætatem progressi, fronte crucis forma cum certis verbis & gestibus appingitur, alapa etiam ei inflicta, per quæ Spiritus Sanctus illi homini detur, qui eundem anima & corpore perficiat atque adversus omnes hostes præsertim spirituales, vires ei suppeditet, & regenerationis augmentum conferat, ut ajunt. Sed frustra iste ritus hinc colligitur. Nam hic neque olei ullius, neque crucis fit mentio: ut de aliis taceam: & non apparet regenerationis augmentum his esse collatum; quum id videre Simon non potuisset, qui tamen mox dicitur vidisse Spiritum Sanctum illis hominibus esse datum.

Vers. 18. *Spectans autem.*] Nempe agnoscens ex effectis quæ à Spiritu Sancto profecta sensibus subjacebant: quale effectum erat prophetia & linguarum variarum quas antea ignorabant proloquutio. Ut Act. x. 46. & xix. 6.

Simon.] Ille Samaritanus Magus, de quo supra ℣. 9 & sequentibus. A cujus Simonis nomine denominata est Simonia, peccatum nempe illud quo quis res sacras pretio mercatur. Cujus hic specimen in ipso habemus. Quod peccatum sæpe factis committunt etiam ii qui id maxime verbis vituperare solent: res sacras tum ementes, tum vendentes: apud quos cœlum est venale Deusque ut cecinit ipsorum vates Joh. Spagnolus Mantuanus Carmelita. Hi non Simonis Petri, ut videri volunt, sed Simonis Magi sunt successores. De hoc Simone plura narrantur à quibusdam, ut de primo sub Novo Fœdere Hæresiarcha. Qui non tantum à divina potentia Syzygias quasdam seu conjugatas facultates proficiscentes comminiscebatur, sed etiam seipsum Deum nuncupans, apud Samaritanos quidem ut Patrem, apud Judæos autem ut filium, apud alias gentes denique ut Spiritum Sanctum, versari dictitabat, ac ut alii scribunt apud Judæos Messiam apud gentiles autem Jovem se esse jactabat. Idem suos assecias quæcunque eis libuissent facere sinebat, quod absque bonis operibus per solam gratiam salutem essent consequuturi. Quidam addunt eum postea Romæ versatum præstigiis suis Romanos dementasse, & quum tempore Neronis dæmonum ope in sublime subvolasset, Petri & Pauli Apostolorum precibus esse in terram præcipitatum.

tatum. Videantur de his, Euseb. Hist. Eccl. lib. 2. Et Justinus Martyr Apologia 2. & Irenæus lib. 1. Et Arnobius 2. & Cyril. Catech. 6. & Theodoretus in Hæreseon epitome, & Sulpitius Severus Hist. Sac. L. II.

Quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus.] Si Spiritus Sanctus esset persona Dei Altissimi, non convenienter de ipso ita diceretur quod hominibus daretur, & quidem per impositionem manuum Apostolicarum.

Attulit eis pecunias.

Vers. 19. *Dicens, date & mihi potestatem hanc, ut cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum.*] Hypocrita scelestus, proditus est à sua ambitione & avaritia, quibus vitiis laborans, id affectabat ut pretio emtam facultatem largiendi Spiritus Sancti, partim superbe gloriæ suæ causa ostentaret, partim etiam rursus aliis pretio Spiritum Sanctum avare venditaret.

Vers. 20. *Petrus autem ajit ad eum.*] Iste insignis Apostolus non tulit hanc speciem nefarii sceleris patienter, sed istum hominem impium graviter objurgavit.

Argentum tuum.] Id est pecunia tua, per metonymiam materiæ.

Tecum sit in perditionem.] Non tantum simpliciter recusat Petrus pecuniam istam oblatam accipere, sed eam summopere aversatur, ac devovet, quasi dicat, maneat tecum tecumque pereat eodem exitio quod tibi merito imminet, nempe nisi resipiscas. Hæc enim conditio hic subintelligitur, ut apparet infra ℣. 22. Ista Petri verba non tam imprecationem continere quam comminationem & prophetiam seu prædicationem, notavit Beda: & Glossa ordinaria.

Quoniam donum Dei.] Hic donum Dei videtur vocari ipse Spiritus Sanctus, qui à Deo gratis seu ex gratia datur seu donatur hominibus. Quem Spiritum Sanctum velut in possessione sua habere voluit iste Simon, ut pro arbitrio suo cui vellet eum largiretur. Quanquam posset per donum Dei hoc loco intelligi & ipsa ista facultas conferendi Spiritum Sanctum alicui: quæ per singularem gratuitam Dei donationem Apostolis erat quadantenus concessa, non quod ipsi proprie darent Spiritum Sanctum, sed quod ad impositionem manuum eorum, & ad preces, quod dictum supra ℣. 15 daretur Spiritus Sanctus, nempe à Deo, per Christum.

Existimasti per pecunias possideri.] Vel potius acquiri, seu comparari, ut possideatur.

Vers. 21. *Non est tibi pars neque sors.*] Id est ne speres te posse esse participem & compotem hujus rei: non spectat hoc ad te ullo modo.

In sermone isto.] Sermonem aliqui hoc loco accipiunt pro re ista, id est dono Spiritus Sancti. Quia solet per Hebraismum poni *verbum* pro *re*. Vide Luc. 1. 37. II. 15. Act. 10. 37. Imo & *sermo* pro *re* ponitur Rom. 9. 28. Quidam sumunt sermonem pro negotio isto, quod nempe spectat ad Spiritum Sanctum. Sed alii *sermonem* accipiunt pro Euangelio, quod est sermo Dei, vide supra ℣. 14. Imo & absolute vocatur *sermo* ut supra ℣. 4. Sed ita ut in isto sermone seu Euangelio, eatenus partem habere negetur iste Simon, quod ad eum non pertineant promissa Dei eximia in Euangelio comprehensa, credentibus vere assignata; inter quæ promissa est tum Spiritus Sanctus, tum etiam remissio peccatorum, & vita æterna.

Nam cor tuum non est rectum.] Id est animus tuus non est sincerus, sed perversus.

In conspectu Dei.] Quod Deus videt: tu autem Deum omnia etiam intima spectantem, non respicis. Perversæ enim cogitationes separant à Deo, & in maleficam animam non introibit sapientia &c. Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum, & amolietur se à cogitationibus stultis. Sap. 1. 3, 4, 5.

Vers. 22. *Resipisce igitur à malitia tua ista.*] Quamvis improbum, graviter reprehensum atque territum, tamen Apostolus ne ei spem gratiæ Dei omnem præcidisse videatur, commonefacit ad resipiscentiam, quam si egisset serio, mente sua à malo & vitioso statu mutata in bonum, non desperabat de ejus salute. Unde discere debemus, nec nobis de peccatoribus quantumvis magnis esse desperandum: sed eos esse ad resipiscentiam seriam exhortandos.

Et deprecare Deum.] Post peccatum commissum, resipiscentiæ adjungenda est enixa ad Deum pro peccati remissione & pœnarum per id commeritarum remotione deprecatio.

Si forte remittatur tibi.] Dubitanter loquitur, propter ejus magnam pravitatem resipiscentiæ veræ obstantem, quam se agnovisse verbis mox sequentibus indicat: non tamen absque spe; si serio & vere resipisceret. Ut etiam Dan. 4. 27. Joël. 2. 14. Jon. cap. 3. 9. Si remittatur culpa remittitur etiam ea quæ nonnisi ob culpam infligenda est pœna: quamvis interdum propriâ peccati pœnâ remissâ, inferantur aliquæ leviores castigationes.

Cogitatio cordis tui.] Id est ista machinatio vafra & prava, abutendi dono Dei ad ambitionem atque avaritiam.

Vers. 23. *In felle enim* &c.] Græcus textus proprie habet *in fel, & colligationem.* Quod etiam aliqui putant retinendum in interpretando, ut significetur per Hebraismum eum factum esse quasi ipsum fel & colligationem iniquitatis. Ut Esa. 1. 31. in Hebræo & Heb. 1. 5. Sed non est insolitum, particulam Græcam εἰς id est *in* cum Accusativo, permutari cum ἐν, quod est *in* cum Ablativo. Ut Mar. 5. 34. XIII. 16. Luc. 16. 8. Act. 2. 27. & hic Act. 8. 40. Fel *amaritudinis* significat fel amarum per Hebraismum. Notatur iste Simon fuisse malitia quæ felli amaro similis est, prorsus imbutus. Plus enim est aliquem esse in felle quasi immersum, quam fel esse in aliquo. Videntur respici verba Mosis, Deut. 29. 18, vel etiam XXXII. 32. Ubi & fellis seu veneni, nam vox Hebræa utrumque significat, & amaritudinis fit mentio.

Et colligatione injustitiæ.] Id est animo ita velut vinculis devincto ac colligato, à vitiis, ut hypocrisi, ambitione, avaritia, ut difficile sit ista dissolvere, nisi accedente singulari atque extraordinaria Dei gratia ac misericordia. Jesa. 58. 6 etiam memorantur *colligationes impietatis.*

Video te existentem.] Videbat id Petrus tum ex effectis ipsius quibus prodebat iste Simon quid intus in corde ejus esset, tum ex Dei per Spiritum Sanctum revelatione.

Vers. 24. *Respondens autem Simon ajit: deprecamini vos.*] Ut viri sancti, Deo chari.

Pro me.] Nempe peccatore, qualem se esse sensit. Sic olim Abrahamus pro Abimelecho & domo ejus precatus. Gen. 20. 7, 17. & Jobus pro amicis non satis amicis Job. 42. 8, 9, 10.

Ad Dominum.] Nempe Deum, vide supra ℣. 22.

Ut nihil superveniat super me horum quæ dixistis.] Supra ℣. 20 & 21. Dicit autem pluraliter, quia quamvis Petrus illa dixisse narretur, tamen etiam Johannes, socius ejus illa verba approbavit, vel eis similia addidit. Aliquando impii præ se ferunt pœnitentiam, ut Saulus Rex 1 Sam. 15. 24, 25. & Achabus 1 Reg. 21. 27.

Vers. 25. *Illi.*] Nempe qui recens Jerosolymis illuc missi erant Apostoli, Petrus & Johannes, vide supra ℣. 14.

Quidem igitur.] Istud *quidem* redundat, ut supra cap. 5. 41.

Testificati.] Seu obtestati, serio commonefacientes illos Samariæ urbis incolas, ut Euangelio suscepto adhærerent, in eoque perseverarent.

Et loquuti sermonem Domini.] Id est postquam doctrinam Christi ibidem in urbe Samariæ docuerunt, illosque homines in religione Christiana instituerunt. Nam non solius impositionis manuum causa illuc advenerant.

Reversi sunt in Jerusalem.] Ut ibi in ista Judæorum metropoli adhuc opus Domini promoverent.

Multosque vicos Samaritanorum euangelizarunt.] Non tantum in ipsa metropoli, sed in aliis quoque oppidis illius regionis per quæ transibant, Euangelium incolis prædicarunt. Euangelizare aliquem, & euangelizare alicui, id est bonum nuncium ei prædicare, eodem sensu dicitur, ut non tantum benedicere alicui, sed & benedicere aliquem, dici solet.

Vers. 26. *Angelus autem Domini* &c.] Miro modo Dominus cœlestis nempe Jesus Christus ordinavit media ut homo quidam ad cognitionem ejus salvificam adduceretur. Ecce Angelum nuncium cœlestem, qui nuncii jam Jesu Christo in cœlum evecto sunt ei subjecti, 1 Petr. 3. 22, misit eo fine, is autem,

Loquutus est ad Philippum.] Illum Diaconum, & jam Euangelistam, qui in Samaria doctrinam Christi prædicavit, & miraculis corroboravit.

Dicens, surge & vade versus meridiem, ad viam descendentem ab Jerosolymis.] Quia ea via profectu rus erat is homo qui erat ad fidem in Jesum Christum convertendus.

In Gazam.] Hæc urbs Samsonis gestis, & morte celebris, Judic. 16. 1. seqq. & 21. Olim erat una ex quinque Philistæorum urbibus principalibus 1 Sam. cap. 6. 17. Vide & Jer. 25. 20. & Amos. 1. 6. & Sophon. 2. 4, de qua his locis prædicitur quod esset vastanda.

Hæc est deserta.] Hoc quidam referunt ad viam, quæ respectu alterius viæ eodem tendentis non admodum trita fuerit. Sed alii potius ad Gazam: quæ ab Alexandro Magno Macedone fuit expugnata & diruta, mansitque deserta: postea autem in alio loco alia ejus nominis est ædificata. Hoc dictum de loco deserto videtur additum vel loco causæ, cur jussus sit Philippus ire eo, quo alias ipse non fuisset iturus, non sperans se in ea solitudine aliquid eximium effecturum: vel propter occupandam objectionem.

Vers. 27. *Et.*] Vel qui nempe Philippus, *surgens* seu operi se accingens.

Profectus est.] Voci Angeli obsequutus.

Et ecce vir Æthiops.] Id est homo quidam ex Æthiopia, regione alioqui contemta, à filio Chami, Chus, Hebraice nominata. Ea putatur esse quæ nunc vocatur regnum Abyssinum.

Eunuchus.] Nomen hoc Græcum quidam derivant ab eo quod bonam mentem habeat, quia castrati, qui proinde casti erant, hoc nomine vocati: ii adhibebantur reginarum servitiis, Terent. in Eunucho Act. 1. sc. 11. ultra med. Sed alii idem nomen deducunt ab eo quod cubile seu cubiculum nempe regium habeat seu teneat ac observet, quasi εὐνὴν ἔχων ut significet cubicularium, quamvis non castratum: seu aulicum. Ut Gen. 37. 36. & xxxix. 1. Potiphar vocatur Eunuchus, qui tamen uxorem habuit, ibid. ℣. 7. Sin iste Æthiops fuit eviratus seu spado, tum potest videri impletum esse in eo quod de Eunuchis prædictum fuit Jesa. 56. 4, 5.

Dynastes.] Ita Græce à potentia seu potestate vocantur viri magnifici & præfecti insigniores: tales è cubicularii fiebant, Satrapæ.

Candaces Reginæ Æthiopum.] Reginarum Æthiopiæ tunc temporis hoc nomen Candace fuisse commune indicant Plin. l. vi. c. 29. & Strabo & Euseb. sicut Regum Ægypti olim Pharao, postea Ptolomæus.

Qui erat supra omnem gazam ejus.] Gaza dicitur esse vox Persica, quæ significat thesaurum. Fuit igitur iste, præfectus thesauri regalis: qualis vocari solet Thesaurarius.

Qui venerat adoraturus.] Nempe Deum verum per sacrificia.

In Jerusalem.] Loco cultui Dei solenni destinato: vel à majoribus jam suis, addictus religioni Judaicæ, quam aliqui existimant ab Æthiopibus olim susceptam fuisse, tunc quando Regina illa Sabæa à Solomone rediit. Quanquam hæc non ex ista regione Æthiopica fuisse videtur, de quo dictum ad Matth. cap. 12. 42. Fieri potest, quod aliqui indicant, ut ab Israëlitis per dispersionem in Æthiopiam quoque profectis, religio ipsorum illic fuerit propagata, vel ipse iste Eunuchus factus proselytus. E longinqua ac valde remota regione tam procul iverat religionis gratia, unde apparet ejus pietas.

Vers. 28. *Erat autem revertens.*] Nempe post sacra Jerosolymis peracta, jam domum in Æthiopiam redibat.

Et sedens in curru suo.] Curru suo proprio vehebatur, sicut homo potens ac dives, idque ut probabile est non absque comitatu.

Et legebat Prophetam Esaiam.] Egregium specimen pietatis, quod etiam in itinere, Sacræ Scripturæ lectioni deditus fuerit, etiamsi esset laicus ut vulgo vocant, & Politicus. Nam & talibus commendata est Sacræ Scripturæ lectio, ut Deut. 17. 18, 19. & Jos. 1. 8. Huic actioni Sacræ intentum eum Dominus in pleniorem rerum sacrarum notitiam adducere voluit.

Verſ. 29. *Ajit autem Spiritus Philippo.*] Vel angelus, qui etiam eſt Spiritus, qui ſupra verſ. 26 narratur Philippum alloquutus: vel potius Spiritus Sanctus intus id ei dictans.

Accede & adhære currui huic.] Græcum verbum proprie ſignificat, *agglutinator:* ut acceſſu propiore haberet occaſionem colloquii ſacri.

Verſ. 30. *Accurrens autem Philippus.*] Obſequutus alacriter dictamini ſpiritus divini.

Audivit eum legentem Prophetam Eſaiam, & ajit numne intelligis quæ legis?] Ex iis quibus eum occupatum deprehendit, captavit occaſionem docendi eum. Legere aliquid & non intelligere parum prodeſt.

Verſ. 31. *Is autem ajit quomodo enim poſſim, niſi quis in viam duxerit me?*] Indicavit iſte Æthiops non potuiſſe ſe, illius Scripturæ Sacræ ſenſum intelligere, niſi quis alius eum illi oſtendiſſet: ideo quia Scriptura illa erat prophetica: prophetiæ autem pleræque ob ſenſus myſticos difficulter poſſunt intelligi, ab iis qui eo à quo illæ dictatæ ſunt ſpiritu Prophetico carent. Vide 2 Petr. 1. 20. Sæpe in talibus ex eventu demum quo prophetiæ implentur, & illius ad has applicatione, quid ſibi eæ velint, percipitur. Neque vero tunc quum nondum Chriſtus fuit paſſim revelatus, ſed velata erant de eo myſteria, neceſſarium fuit ad ſalutem ut Prophetarum de eo verba myſtica ab omnibus plane intelligerentur: quæ ſuo demum tempore erant patefacienda. Hinc autem non conſequitur quod aliqui volunt, Sacras literas in rebus quoque ad ſalutem unicuique neceſſariis tanta eſſe obſcuritate involutas, ut nequaquam poſſint intelligi ab hominibus, etiam animum & diligentiam adhibentibus, & divinam opem ſincere implorantibus, niſi eis ab Eccleſiæ præſidibus omnia explicentur. Bene ſcripſit Auguſtinus, de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 6. Magnifice & ſalubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere de illis obſcuritatibus, eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur. Et Chryſoſtomus in 2 Theſſ. Homil. 3. de divinis literis loquutus, ait, omnia neceſſaria ſunt aperta & manifeſta. [Et Cyril. cont. Julian. 50. 9. Nihil in Scripturis difficile eſt iis qui in illis verſantur ut decet. Et Epiphan. in Hæreſi 75. Omnia clara ſunt in divina Scriptura his qui cum ratiocinatione divinum ſermonem audire volunt.] In obſcurioribus Sacræ Scripturæ locis explicandis merito conſulendi ſunt peritiores qui in eis ſunt multum verſati. Sed ita conſulendi ut ii conſulant & rationibus perſuadeant id quod verum eſſe videtur, non ut imperent ſequendum eſſe ſenſum ab iis indicatum quamvis ab auditoribus non intellectum. Nam & hic de Sacræ Scripturæ intelligentia mentionem fecit Philippus; itaque intelligi oportet ea quæ ſunt credenda.

Rogavitque Philippum ut aſcendens ſederet cum eo.] Magna fuit iſtius Dynaſtæ viri inſignis probi modeſtia atque humanitas, & magnum veritatis ſanctæ cognoſcendæ ſtudium, qui homini ignoto & ut apparebat ignobili, non ſolum reſpondit comiter, ſed etiam ultro amanter in currum ſuum ad ſeſſionem & colloquium atque Scripturæ ſibi non claræ declarationem invitavit.

Verſ. 32. *At locus.*] In Græco textu eſt vox à continendo ſeu comprehendendo derivata: quod aliquam ſermonis partem contineat.

Scripturæ quam legebat, erat iſte.] Sunt verba ex Eſa. 53. 7, 8.

Ut ovis ad mactationem ductus eſt, & ut agnus coram tondente ipſum mutus.] Alia animalia pleraque ſi non tantum ad occiſionem ſed etiam ad tonſuram ducantur ſolent id immodeſte ferre, ac reſiſtere & vociferari: At oves & agni modeſti & manſueti, talia placide tolerant. Modeſtia & patientia Meſſiæ ad tormenta & cruciatus ducendi, his Prophetæ verbis per ſimilitudinem deſcribebatur.

Ita non aperit os ſuum.] Loquutus quidem eſt Jeſus Chriſtus coram judicibus aliqua, ſed non defendebat oratione cauſam ſuam, & quum patiendum erat non conviciabatur adverſariis, neque minabatur. Vide 1 Petr. 2. 23. ita patiens erat iſte agnus Dei.

Verſ. 33. *In humiliatione ejus judicium ejus ſublatum eſt.*] Hebræus textus apud Jeſaiam habet, *de clauſura & de judicio ſublatus eſt.*

Poſſet verti etiam *à vel ex clauſura & ex judicio* quod hic notatur præpoſitione *in.*

Aliqui exponunt, Chriſtum per humiliationem & oppreſſionem, à judicibus non juſto judicio è medio ſublatum ſeu morte damnatum & interfectum eſſe. Alii autem eundem, ex contumelioſa condemnatione & ſupplicio miſerabili quo affectus eſt poſtea eductum ſurſum ſublatum ſeu exaltatum eſſe. Poſita ſunt autem iſta Prophetæ verba in præterito, quum habuerint ſignificationem futuri.

At generationem ejus quis enarrabit?] Per hanc generationem aliqui intelligere volunt ex Dei Patris eſſentia filii Dei prææternam emanationem, quæ ſit omnino ineffabilis. Sed de hac loquutum eſſe Prophetam nullo argumento firmo probari poteſt. Etiam ea Jeſu filii Dei generatio qua abſque viri ope per Spiritus divini Sancti operationem in virgine eſt formatus, enarrari plene non poteſt. At vox generationis in Sacris Libris varias habet ſignificationes. Sæpe per Hebraiſmum ſignificat non actum quo quis gignitur, ſed nationem ſeu homines alicujus gentis, præſertim una ætate viventes, ut Gen. 7. 1. Eccl. 1. 4. Pſalm. 24. 6. Matth. 11. 16. XVI. 4. XXIV. 34. Marc. 13. 30. Luc. 17. 25. XXI. 32. Aliquando ſeculum, ut Geneſ. 6. 9. Pſalm. 100. 5. Jeſ. 51. 8. Epheſ. 3. 5, 21. Aliquando progeniem ſeu poſteros, ut Levit. 25. 30. Pſal. 112. 2. Hic ſive gentis illius Judaicæ quæ ſeculo Chriſti vixit eumque innocentem ad mortem diram damnavit malitiam ac perverſitatem magnam, intelligamus, ſive Chriſti progeniem ſpiritualem numeroſam, ſive ejuſdem Chriſti poſt mortem reſuſcitati ævum durans in ſecula ſeculorum, omnia iſta enarrare eſt difficile. Videatur de his, inter Pontificios Lyranus, Vatablus, Arias Montanus, inter Reformatos autem Zuinglius, Calvinus, Piſcator, Ravanellus.

Quoniam tollitur à ſeu *è terra vita ejus.*] In Hebræo textu Prophetæ, *abſciſſus eſt de terra viventium:* indicatur vita hæc quam in terra vivebat ei eſſe per mortem atrocem ademta.

Verſ. 34. *Reſpondens autem eunuchus Philippo, ajit.*] Id eſt, loqui orſus, quamvis non ad interrogationem aliquid

aliquid regerens. Sæpe verbum *respondendi* in his libris ita accipitur.

Oro te, de quo Propheta dicit hoc? de seipso? an de alio quopiam?] Non absurde quidem de ipso Esaia qui à Judæis multa mala pertulit, intelligi ista possunt, aliquatenus, sensu typico. Sed sensu eminentiore de alio, nempe de Jesu Christo.

Vers. 35. *Aperiens autem Philippus os suum.*] Id est, orationem prolixam dicere exorsus, ut Math. 5. ℣. 2.

Et incipiens à Scriptura ista.] Id est, ab hoc qui præ manibus erat Scripturæ loco, à verbis hisce Esaiæ, initio capto, ulterius progressus,

Euangelizavit ei Jesum.] Docuit eum, doctrinam de Jesu Nazaræno, cujus typum ac figuram aliquatenus gessit Esaias, in quo Jesu & hæc & alia Prophetarum vaticinia eximio modo sint impleta. Enarravit ei, quod is Jesus, è familia Davidis ortus, Bethlehemi natus, ex virgine, Spiritu Dei Sancto abundantissime præditus, Euangelio annunciato, & miraculis multis insignibus confirmato, quum peccatum nullum commisisset, morte truculenta affectus fuerit: sed postea die tertia Deus eum ex morte resuscitatum in cœlum assumserit, ad dexteram suam collocaverit, omnia ei subjecerit, & dederit ei facultatem omnes fideles è morte suscitandi & perducendi ad vitam æternam. In quem proinde Jesum ut Messiam seu Regem populi Dei sit credendum, & ei obediendum, & fidem istam professos ac resipiscentiam suscipientes, baptizari debere in remissionem peccatorum: & alia ejusmodi quæ etiam alibi iis qui ad Jesum Christum adducebantur, ab Apostolis enarrata legimus.

Vers. 36. *Quum autem proficiscerentur.*] Aliqui codices addunt, *disquirentes invicem.*

Secundum viam venerunt ad quandam aquam.] Fluvium aliquem forsan, vel torrentem.

Et inquit Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizari?] Apparet eum à Philippo inter alia quæ ab eis qui Jesum essent pro Domino suo habituri, requirebantur, inter differendum audivisse de baptismo aquæ à talibus suscipiendo. Igitur doctrinam de Jesu Christo edoctus vult ei adjungi baptismum.

Vers. 37. Quædam exemplaria totum hunc versiculum omittunt. Qui tamen nequaquam est omittendus: continet enim Confessionis fidei quæ à baptizandis tempore Apostolorum exigebatur summam: & aperte declarat quid sit in nomen Jesu Christi baptizari: ut Beza annotavit.

Ajit autem Philippus, Si credis.] Hæc est conditio quæ à baptizandis jure prius requiritur, ut fidem habeant in Christum, & eam fidem confiteantur, ac tum demum liceat eis baptizari: absque hac fide præcedente aliquem baptizari in nomen Christi, est inconveniens, scilicet ut fiat Christianus ac pro Christiano habeatur is de quo non constat an credat in Christum, vide Marc. 16. 16. Fidei autem isti addendum vel includendum est propositum obediendi præceptis Christi. Ut Matth. 28. 20, seu resipiscendi. Act. 2. 38. & xx. 21.

Ex toto corde.] Non satis est fidem ore profiteri, sed eam in corde plene habere sinceram oportet, ut quis sit de eo quod se credere ait firmiter persuasus hoc esse verum, & nihil dubitet. Vide Rom. 10. cap. 9, 10.

Filium Dei esse Jesum Christum.] In textu partes Enunciationis sunt transpositæ; rectus ordo est, credo quod Jesus Christus, sit Filius Dei. Hæc est brevis summa fidei Christianæ, qualis etiam proponitur 1 Joh. 5. 5. & Joh. 20. 31. & 1 Joh. 4. 15, vide etiam Matth. 16. 16. Joh. 6. 69. infra Act. 9. 20. Sed in ea paucis verbis, res multæ continentur. Nam qui credit firmiter Jesum illum ex Spiritu Sancto Dei conceptum, mortem diram passum, à Deo resuscitatum, esse Christum seu Messiam, Regem populi Dei à Deo exaltatum, & quod idem est ex Psal. 2. Filium Dei, nempe illum unigenitum, qui factus est hæres omnium, cui si quis fide vera adhæreat eique obediat is sit ab eo ad hæreditatem regni cœlorum admittendus, is etiam præceptis ejus, obediet, sine qua obedientia se gratiam ejus salutarem non speret obtenturum.

Non videtur iste Æthiops tunc quum fidem istam profiteretur adeo supra id quod oportet sapuisse, [vel potius desipuisse] ut crederet, eum qui esset Christus, seu Unctus Dei, & Filius Dei, esse simul ipsum Deum Altissimum, illum unicum.

Vers. 38. *Et jussit stare currum.*] Id est aurigæ suo imperavit, ut currum sisteret.

Et descenderunt ambo in aquam, & Philippus & Eunuchus.] Et baptizaturus & baptizandus tempore Apostolico in aquam descendebant: ideo quia ille istum non tantum aqua aspergere, sed in aquam immergere debuit. De quo videatur inter alia annotatio ad Matth. 3. 6 & 16. Quod etiam ex versu hic mox subsequente apparet. Is mos immutatus est post tempora Apostolorum, & non obtinet inter eos Christianos qui maxime gloriantur de antiquitate Apostolica.

Et baptizavit eum.] Nempe Philippus Eunuchum aquæ immersit, in nomen Jesu Christi quem professus est, idque in signum ablutionis peccatorum ac resipiscentiæ.

Vers. 39. *Quum autem ascendissent ex aqua.*] Post absolutum baptismum.

Spiritus Domini rapuit Philippum.] Quædam exemplaria hoc loco habent, *Spiritus Sanctus incidit in Eunuchum, Angelus autem Domini rapuit Philippum.* Ut & Hieronymus citavit, & Erasmus ac Beza, annotarunt. Id si amplectamur, agnoscendum erit ante ullam manuum impositionem Eunuchum istum accepisse extraordinarie Spiritum Sanctum, ut Cornelius cum domesticis suis accepit eum adhuc ante baptismum, infra x. 44, 47. De Elia è conspectu abeunte, olim creditum, eum à Spiritu Dei rapi, & alio transferri, 1 Reg. 18. 12. & 2 Reg. 2. 16. Sin hoc de Angelo accipiatur, consentiet cum eo quod scriptum est in Additionibus ad Danielem, cap. 14. ℣. 35 & 38. Abacucum Prophetam esse ab Angelo transportatum in alium locum. Translatus est autem Philippus alio, cum corpore, postquam id ad quod missus à Deo erat, peregit, quia alibi ejus opera opus erat. Probabile est hunc raptum Philippi factum esse spectante Eunucho, ut is addito doctrinæ isto miraculo magis in fide in Jesum Christum confirmaretur.

Et non vidit eum amplius Eunuchus.] Ab hoc in Æthiopiam reverso, fertur ibi disseminata esse religio Christiana: quæ nunc admistis erroribus, & retentis præterea Judaicis ceremoniis, ab Abyssinis utcunque tenetur.

Proficiscebatur enim via sua, gaudens.] Nempe quod intellexisset ex Philippo Prophetias de Messia jam impletas esse, & Messiam jam existere; quodque fidem in eum & viam rectam perveniendi in regnum cœleste ad vitam æternam esset assequutus: per hunc virum singulari Dei providentia sibi insperanti oblatum. Ob hæc Dei beneficia insignia, gaudium in animo ejus est exortum: veluti si thesaurum pretiosum absconditum invenisset. Vide Matth. 13. vers. 44.

Vers. 40. *Inventus est.*] Non significat eum quæsitum esse: Sed ibi exstitisse, & apparuisse. Ita vox *inveniendi* non raro accipitur. Ut Exod. 35. 23. Esth. 1. 5. Jer. 23. 11. Thren. 2. 9. Mal. 2. 6. vide etiam Matth. 1. 18.

In Azoto seu *Azoti.*] In textu Græco est *in Azotum.* Est nomen urbis Philistinorum, unius è quinque principalibus. Vide supra 26. annot. & Jos. 13. ℣. 3. Dicitur à Gaza distare 40 milliaribus.

Et transiens.] Seu peragrans, scilicet illam regionem, ab Azoto, ad Cæsaream.

Euangelizabat civitatibus omnibus.] In Græco textu est *euangelizabat civitates omnes.* Sicut supra vers. 25.

Usque dum veniret ipse, in Cæsaream.] Seu Cæsaream. Hæc urbs ad mare meditarraneum sita, quæ olim vocabatur Turris Stratonis, deinde ab Herode Magno Rege restaurata & egregie exornata, in gratiam Cæsaris Augusti vocata est Cæsarea. Videatur Josephus de bell. Jud. lib. 1. c. 16. Alia ab hac fuit Cæsarea Philippi de qua Matth. 16. 13.

CAPUT IX.

Vers. 1. *AT Saulus.*] Ut lupus rabidus, respice annot. ad c. 8. ℣. 1.

Adhuc spirans minas & cædem.] Quippe plenus spiritu Pharisaico, infesto Jesu Christo & ejus discipulis, ita ut eum horum perniciem & internecionem anhelare appareret: hoc toto animi ardore cupiebat, ita ut ex ejus oculis, vultu, & ore hujus ardoris flamma veluti emicaret. Ita Cicero dixit, Catilinam, scelus anhelantem, pestem patriæ molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem.

In discipulos Domini.] Per hunc Dominum intelligitur ille Jesus, quem Deus Dominum & Christum fecit, supra cap. 2. vers. 36. cui Christiani serviunt, & per eum Deo altissimo. In has oves innocuas iste lupus sæviebat. Cujus fervor imo furor in Christianis persequendis ideo describitur, ut deinde tanto magis mirandum opus Christi in eo convertendo appareat.

Accedens principem Sacerdotum.] Pontificem Maximum, ut Synedrii seu Concilii præsidem, qui tunc adhuc Cajaphas fuisse censetur.

Vers. 2. *Petiit ab eo Epistolas.*] Et simul ab aliis senioribus. Vide infra Act. 22. 5. & 26. 12. ut hac authoritate Pontificia armatus, haberet licentiam istos qui pro hæreticis habebantur, comprehendendi.

In Damascum.] Urbs hæc Syriæ antiqua & potens, à quodam Semi nepote condita narratur Jos. Antiquit. lib. 1. c. 7. dicitur ab Jerosolyma distitisse milliaribus German. 40. Nomen Hebræum habet à sanguine: quod eo loco sanguis Abelis à Caine primo fratricida effusus dicatur.

Ad Synagogas.] Damasci fuit magna Judæorum frequentia, quæ inde colligi potest, quod sub Nerone Damasceni Ethnici decem millia Judæorum in publicas thermas collecta trucidasse narrentur, à Josepho, de bello Jud. lib. 2. cap. 25. Probabile est multos è Judæis factos Christianos, illam Jerosolymitanam persequutionem fugientes, confugisse Damascum. Itaque Saulus non contentus eos vexasse Jerosolymæ, etiam illuc eos persequendi laborem ultro desumit. Magistratus autem Damascenus tunc Judæis favebat & in talibus coöperabatur, ut apparet 2 Cor. 11. 31.

Ut.] Scilicet per istas Epistolas efficeretur ei potestas ac licentia id faciendi, nempe ut *si quos invenisset* &c.

Virosque & mulieres.] Absque sexus discrimine, vide supra 8. 3.

Vinctos.] Seu vinculis ligatos, ut oves mactationi destinatas.

Duceret in Jerusalem.] Ut ibi potissimum in ista metropoli Judæorum, ad terrorem aliis incutiendum suppliciis afficerentur. Vide Joh. 16. 2.

Hujus viæ existentes.] Id est sectæ, seu religionis, nempe Christianæ; per Metaphoram. Ita & infra XIX. 9. & 22. & XXII. 4. & XXIV. 14.

Vers. 3. *Inter proficiscendum autem, factum est ut is appropinquaret Damasco.*] Illi urbi in qua minas suas in Christianos ad effectum deducere volebat.

Et ex improviso circumfulsit eum lux à cœlo.] Instar fulguris, sed magna lux lucidior Sole: de qua vide infra cap. 22. 6. & XXVI. 13. Ut Saulus zelo inconsiderato obtenebratus & quasi occœcatus, hac luce cœlesti perstringeretur ac percelleretur.

Ita infensum valide adversarium, zelo amaro flagrantem, miraculose ab eo averti, & ad Christum converti oportuit.

Vers. 4. *Et cadens in terram.*] Quia illius lucis à cœlo ad se venientis fulgore magno repentino perculsus ac quasi sideratus fuit.

Audivit vocem dicentem sibi.] Nempe è cœlo prolatam, unde & lux descenderat.

Saul.] Non Saule; retenta vox Hebræa, quia Hebraicè facta est hæc alloquutio. Vide infra XXVI. vers. 14.

Quid seu *cur me persequeris?*] Quia Jesu Christi discipulos persequebatur, ideo ita loquitur Jesus Christus, qui quod suis fit id ita accipit quasi ipsi fiat. Vide Matth. 25. 40 & 45. Luc. 10. 16. Quippe fideles Christi sunt corpus & membra ejus.

Vers. 5. *Ajit autem: Quis es domine?*] Videtur Saulus dum lux illa è cœlo appareret, priusquam ipse ea perstrictus luminum suorum seu oculorum usu privaretur, & priusquam in terram procideret, vidisse personam quandam augustam, in cœlo sese exhibentem, quæ erat Jesus, sed Saulus tunc adhuc eam esse Jesum ignorabat, forsan putabat esse Angelum

gelum Dei, aliquem, ideo interrogat *quis es*, agnoscit tamen esse dominum, quippe qui dominica quadam potestate eum ita perculerat.

At Dominus.] Nempe is quem Christiani pro Domino cœlesti quem Deus talem fecit, supra cap. 2. 36, agnoscunt.

Ajit: Ego sum Jesus.] Addunt quædam exemplaria, *ille Nazaræus.* Hæc autem apparitio Jesu glorificati, quamvis è cœlesti sede non descendentis, fuit similis illi quam vidit Stephanus, de qua supra cap. 8. 55, 56.

Quem tu persequeris.] Nempe dum meos famulos fideles infestas.

Durum tibi.] Id est difficile, & noxium est.

Contra stimulos calcitrare.] Est loquutio proverbialis, sumta similitudine à jumentis ut bobus, qui si aratrum aut currum trahentes stimulo puncti ac fodicati recalcitrent, dum stimulo nocere volunt, non illi sed sibiipsis nocent; quia in stimulum acutum ejusque cuspidem calcem impingentes, suos ipsi pedes lædunt. Simile adagium reperitur apud Æschylum, Agamemnone, & apud Euripidem Bacchis & Peliasi. Etiam apud Terent. dicitur Phormione, Act. 1. sc. 2. Nam quæ inscitia est adversum stimulum calces? Indicat Dominus Jesus, Saulem imprudenter & frustra ei resistere, eumque oppugnare in ipsius discipulis, nam quanto magis id fecerit, tanto magis à potentia sua sensurum esse noxam & detrimentum.

Vers. 6. *Tremensque & pavens.*] Nempe Saulus, cujus mentio prius facta: perculsus mirabili cœlesti lumine & voce: jam è feroce domitus, inclinatus ad obediendum isti Jesu Christo, quem antea spernebat eique resistebat; nunc autem eum præter opinionem suam in cœlo apparentem, agnoscit Dominum: ex lupo fero factus repente mitis ut ovis.

Ajit, Domine, quid me vis facere?] Jam victus, dat manus, ac semet dedens atque subjiciens huic Domino, nempe Jesu Christo, quærit ab ipso modum ipsius reconciliandi, paratus ipsi obedire. Magnus iste Jesu Christi adversarius magna quidem ipsius potentia pulsabatur, sed tamen non vi irresistibili ac violenta animus ejus cogebatur ut converteretur, sicut quidam opinantur: nam Deus & Dominus Jesus non amat invitum obsequium; quod neque obsequium proprie dici potest, si quis violenter ad id trahatur: sed permovet variis mediis varios animos, ut commoti libere se ac libenter ei dedant eumque sponte sequantur.

Et Dominus.] Nempe Jesus Christus.

Ad eum.] Scilicet dixit.

Surge & ingredere in civitatem.] Nempe Damascum.

Et.] Id est, tunc, quædam exemplaria habent *& ibi*, id est Damasci.

Dicetur tibi quid te oporteat facere.

Vers. 7. *At viri qui simul iter faciebant cum ipso.*] Comites Sauli: testes futuri istius miraculi quod circa Saulum est factum.

Steterunt attoniti.] Id est manserunt in loco, in quo eos hæc res stupenda deprehendit, ita ut præ novitate rei mirabilis stupore perculsi non progrederentur; quamvis non proprie starent, sed in terram prostrati essent, vide infra 26. 14. Ita *stare* pro simpliciter manere ut non progrediaris; ponitur Gen. cap. 19. 17.

Audientes quidem vocem.] Quæritur hic, de cujus voce hæc intelligantur. Aliqui existimarunt intelligendum hoc de voce Sauli, qua alloquebatur quempiam, ℣. 5 & 6 quum comites ejus neminem viderent cum quo colloqueretur: Ut hæc verba concilientur cum illis quæ habentur infra cap. 22. 9. Sed non opus est eo confugere: de illis verbis illic erit aliquid notandum. Hic autem significatur vox illa Jesu Christi cœlitus demissa, quæ istorum aures feriebat, quamvis confuse, ita ut significatio ejus ab ipsis non perciperetur. Ut Joh. 12. 29.

Neminem autem spectantes.] Nempe quamvis forsan oculos versus cœlum unde sonus edebatur, attollerent, eo fine ut cernerent eum qui loqueretur cum Saulo, tamen non cernebant. Tantum Saulus cernebat. Vide simile quid Dan. 10. 7.

Vers. 8. *Surrexit autem Saulus à terra.*] Græcum verbum proprie significat, *excitatus est.*

Apertis autem oculis suis.] Id est, palpebris quæ antea erant occlusæ, diductis, conabatur videre; sed *neminem videbat.*] Id est nec comites suos: nam fulgore illo cœlesti erat obcœcatus: ut apparet ex vers seq. & 12, 17, 18. & infra cap. 22. 11.

Manuducentes autem eum.] Nempe illi qui cum eo iter faciebant. Ita Saulus qui Christianos vinctos Damasco Jerosolymam ducere volebat, tunc ipse velut victus Damascum ducebatur.

Introduxerunt in Damascum.] Probabile est manuductionem istam à comitibus multis, per urbem, observatam, præbuisse occasionem historiæ ejus rei miraculosæ quæ Saulo accidit, divulgandæ.

Vers. 9. *Et erat dies tres non videns.*] Isto triduo, quum visu corporali esset destitutus, credibile est Dominum Jesum ei per internas animi visiones voluntatem suam patefecisse, ut verè dicere posset, se Euangelium non ab homine ullo mortali accepisse ac didicisse, sed per Jesu Christi revelationem. Gal. cap. 1. 12.

Et non manducavit neque bibit.] Jejunio vacabat diu, ut factum olim ab Israëlitis Est. 4. 16. Id autem faciebat tum ob pœnitentiam anteactorum, tum ut commodius vacaret precibus & sacris contemplationibus atque meditationibus.

Vers. 10. *Erat autem quidam discipulus in Damasco, nomine Ananias.*] Nempe discipulus Jesu Christi; & quidem, ut probabile est, non vulgaris. Aliqui eum existimant fuisse unum ex illis LXX discipulis qui in terris versanti Jesu Christo adhærebant, Apostolis proximi. Sic Oecumenius: qui etiam eum vocat diaconum. Augustinus autem vult fuisse presbyterum. Dorotheus scribit eum postea factum esse Episcopum Damasci.

Et ajit ad eum Dominus in visione, Anania.] Sive in aperta visione, sive in ecstasi, sive in somnio; fieri potuit ut angelus Jesu Christi speciem referens Ananiæ isti apparuerit.

Is autem ajit, Ecce ego Domine.] Nempe adsum paratus alacriter facere quod jubes. Vide Matth. 21. vers. 30.

Vers. 11. *At Dominus ad eum: Surgens vade in vicum vocatum Rectum.*] Id est plateam Damasci

ita nominatam, quod aliis plateis rectior esset.

Et quære in domo Judæ, Saulum nomine, Tarsensem.] Oriundum è Tarso urbe Ciliciæ, vide infra cap. 21. 39. & XXII. 3.

Ecce enim orat.] Saulus in conversionis actu constitutus, jejunio diuturno addidit preces.

Vers. 12. *Et vidit.*] Nempe Saulus. Quidam existimant hæc verba esse Domini Jesu, narrantis ista Ananiæ. Sed potius videtur historicus qui hoc scripsit, nempe Lucas, narrare his verbis ea quæ interea dum Dominus cum Anania loqueretur, de Saulo, eodem tempore de eodem negotio, ipsi Saulo apparuerint, atque ita hæc verba accepit vulgatus Interpres qui parenthesi hunc versum inclusit. Præsertim quum non conveniens videatur, ut Dominus Jesus ipsi Ananiæ hoc narrans dixerit, *vidit virum nomine Ananiam*, dixisset potius *vidit te.* Pro altera parte posset afferri ratio quæ suadeat hæc à Christo narrari Ananiæ, quod alias non exprimeretur quid esset Ananiæ faciendum. Sed etiam sic non expressa essent plene quæ narrantur infra ℣. 17 & 18. Videtur Dominus Jesus de eo dixisse Ananiæ plura quam hic exprimuntur.

In visione.] Quamvis oculis corporeis adhuc occæcatus esset, nec videre potuerit; tamen oculis animi vidit hoc quod ei intus ostendebatur, eo modo quo apparuerat eventurum. Ut eventu postea subsequuto, magis confirmaretur in persuasione, hoc Domini providentia singulari evenisse.

Virum nomine Ananiam, introeuntem.] Virum hunc nominari Ananiam, Dominus Jesus Saulo ignoranti revelavit: ut illi mox accessuro magis fideret.

Et imponentem sibi manum, ut visum recipiat.] Hoc est idipsum quod Dominus Ananiam Saulo facere voluit: quod impletum est infra ℣. 17.

Vers. 13. *Respondit autem Ananias, Domine audivi à multis de viro isto.*] Affert rationes ob quas id videatur non faciendum, ex iis quæ de Saulo infesto Christi discipulis narrata fuere: ignarus quid Dominus cum eo agere cœperit.

Quanta mala fecerit.] Supra cap. 8. 3.

Sanctis tuis.] Ita vocantur Christiani passim: tum quia per ipsam Christi doctrinæ ac fidei in ipsum professionem sunt à vulgo hominum infidelium separati, ac Deo ad servitia consecrati, tum quia vitæ sanctitate cujus professionem faciunt præ aliis hominibus lucere debent, & si sint veri Christiani, etiam solent.

In Jerusalem.] Urbe Judææ primaria.

Vers. 14. *Et hic.*] Id est Damasci.

Habet potestatem à primariis Sacerdotibus, ligare omnes.] Vide supra ℣. 1 & 2.

Invocantes nomen tuum.] Ita describuntur Christiani: quia ii non tantum Deum Patrem, sed etiam Jesum Christum ab eo exaltatum, persuasi de ejus regno cœlesti & divina potestate, in necessitatibus suis, auxilium ab eo petentes, precibus religiosis invocare solent. Hi iidem ita describuntur etiam 1 Cor. 1. 2, vide & Rom. 10. 13. & 2 Tim. 2. ℣. 22. *Nomen* autem alicujus significat illum ipsum cujus est hoc nomen. Unde sequitur Jesum Christum religiose esse invocandum. Vide supra ad c. 7. ℣. 59 annotationem.

Vers. 15. *Ajit autem ad eum Dominus: Vade.*] Jubet Dominus Jesus Ananiam seposita excusatione & cunctatione ire ad Saulum.

Quoniam rationem affert, *vas electionis.*] Hebraismus, id est, *vas electum.* Similes Hebraismi Luc. 16. 9. XVIII. 6.

Per *Vas* intelligitur instrumentum utile ad aliquid efficiendum. Confer 2 Tim. 2. 21.

Mihi est iste.] Nempe Saulus.

Ad portandum nomen meum coram gentibus, &c.] Quasi præco aut etiam signifer, id est ut mihi ministret ad notificandum & palam manifestandum nomen meum, id est me gloriamque meam, variis hominibus. *Gentibus*, nempe præter Israëlitas extraneis, quibus antea Christus non annunciabatur.

Et Regibus.] Non tantum hominibus vulgaribus, sed & in excelso dignitatis gradu positis, Paulus Apostolus de Christo ejusque doctrina rationem reddebat, ut Agrippæ Regi infra cap. 16. & Neroni Cæsari.

Filiisque Israëlis.] Etiam Israëlitis.

Vers. 16. *Ego enim ostendam ei.*] Non tantum mandato, sed etiam ipsis experimentis. Ut Psal. 60. ℣. 5. & LXXI. 20.

Quanta oporteat eum propter nomen meum pati.] Odia, carceres, verbera, pericula, & mortem atrocem. Qualia aliis mei causa fecit, talia ipse propter me feret ac patietur, & tamen nomen meum inter ista & istis non obstantibus, prædicabit.

Vers. 17. *Abiit igitur Ananias, & introivit in illam domum.*] Nempe de qua dictum supra vers. 11, in qua Saulus diversabatur.

Et imponens in eum manus.] Quamvis Ananias non erat Apostolus, tamen ad ejus manuum, jussu Domini Jesu impositionem, sequuta sunt effecta singularia, à Domino Jesu ipso circa Saulum facta. Ut Marc. 16. 18.

Ajit, Saul frater.] Jam illum olim persequutorem, Christi discipulorum, sed jam conversum, & ab ipso Christo commendatum, appellat fratrem.

Dominus misit me, Jesus.] Postquam dixit *Dominus*, quia hoc ambiguum erat, & potuisset Saul hoc nomen de ipso Deo Altissimo accipere, ideo declarat statim quis sit iste Dominus, nempe *Jesus*: cui & Ananias jam ut Domino suo cœlesti serviebat, & Saulus eidem servire debebat.

Qui visus est tibi in via qua veniebas.] Ulterius eundem Dominum describit, ab apparitione ipsius, ipsi Saulo facta: quam apparitionem videtur ipse Dominus Jesus Ananiæ ignoranti revelasse. Quidam opinantur Dominum Jesum tunc præter cœlum supremum in quo habitat, fuisse præsentem persona sua infra in aëre. Sed potuit Dominus, quando voluit videri in cœlo supremo manens, cœlis apertis, se, Saulo exhibuisse, ut factum Stephano supra cap. 7. 56, vel visum Sauli sublimasse, aut speciem sui illustrem oculis ejus quamvis longe distantibus impressisse per miraculum. Præsertim quum visio fiat per specierum à re visibili radiantium, in oculos impressionem atque receptionem: & quum stellas satis procul ab oculis nostris dissitas in cœlo sitas, tamen videamus. Ad hanc visionem Jesu Christi videtur respicere Paulus 1 Cor. 15. 8, ut ex ea potuerit

tuerit testari de Jesu Christo redivivo à se conspecto.

Ut visum recipias.] Quem lumine cœlesti perstrictus amisisti. Vide supra ℣. 8.

Et implearis Spiritu Sancto.] Alias donum istud eximium conferebatur per Apostolicarum manuum impositionem. Vide supra cap. 8. 15, 17. Hic autem absque Apostolica opera confertur, à Domino Jesu.

Vers. 18. *Et statim deciderunt ab oculis ejus quasi squamæ.*] Quæ tum quum oculi Sauli luce cœlesti perstricti essent, humoribus è cerebro deductis & coagulatis concreverant.

Visumque recepit illico.] Ablatis ab oculis visionis impedimentis, seu obstaculis.

Et surgens baptizatus est.] Monente eodem Anania, ut narrat infra cap. 22. 16, ut Christo initiaretur, ejusque discipulum se esse testaretur, atque sordes peccatorum se abluere velle profiteretur.

Vers. 19. *Et sumto cibo, corroboratus est.*] Quia per triduum jejunaverat, ut indicatum supra ℣. 9. Quod jejunium tam diuturnum, præter consternationem quæ ei miraculose evenerat, vires corporis ejus debilitaverat, has igitur tunc refecit.

Fuit autem Saulus cum iis qui in Damasco discipulis.] Id est Christi asseclis, his se mox conjunxit.

Dies aliquot.] Quia digressus fuit inde brevi recta in Arabiam, ut scripsit ipse, Gal. 1. 17.

Vers. 20. *Et statim.*] Absque mora, quod sibi cœlitus revelatum agnovit, id professus est, & alios docuit.

In Synagogis.] Nempe Judaicis conventibus, urbis Damasci, publicè.

Prædicabat Christum.] Quædam exemplaria habent *Jesum*, quod nomen erat istius Domini proprium, ei ab ipsa nativitate inditum. Sed etiam Christi cognomen jam ei quasi proprium nomen evasit. Et si id hic retineatur, ipsum hujus personæ nomen significabit, non autem ejus munus Regium, quod alias eo designari solet, ut infra ℣. 22.

Quod is sit ille Filius Dei.] Nempe ille eximius, de quo dictum Psal. 2. 7, qui idem est Messias seu Unctus Dei, Græcè Christus, ut ibidem vocatur vers. 2. Nempe Rex divinus, à Deo Altissimo constitutus supra Sionem, ut ibidem dicitur ℣. 6. Respice annot. supra ad cap. 8. 37.

Vers. 21. *Obstupescebant autem omnes audientes.*] Non simpliciter mirabantur, sed cum stupore, ob subitam & magnam mutationem in contrarium.

Et dicebant; Nonne hic est ille qui populabatur seu *expugnabat in Jerusalem.*] De hoc vide supra cap. 8. vers. 3.

Invocantes nomen istud.] Nempe Jesu Nazaræni, id est eum ipsum religiose colentes. Vide supra ad vers. 14.

Et huc.] Nempe Damascum.

In hoc venit ut vinctos eos duceret ad primarios Sacerdotes?] De his supra ℣. 2 & 14.

Vers. 22. *Saulus autem &c.*] Similis in hoc aliquatenus illi Saulo filio Cis qui mutato statu, quum esset in Regem Israëlitarum unctus, Spiritu Domini super eum descendente, prophetavit, & mutatus est in alium virum. Ut dicitur 1 Sam. 10. 6. & 9.

Magis corroborabatur.] Per Spiritum Dei, tum in fide ac religione Christiana, tum in libertate loquendi de ea.

Et confundebat Judæos.] Nempe quum eos valide confutaret, & convinceret, ad perturbationem eos adducebat, quia ejus dictis resistere firmiter eaque refellere non poterant, ut supra cap. 6. 10.

Habitantes in Damasco seu *Damasci.*] Ibi ubi ipse Christianos, Judaico spiritu persequi voluit.

Instruens.] Vox Græca est à compactione sumta, quum quis aliquid compingit. Quidam hoc ita exponunt quod ut artifices compacturi singulas partes inter se conferunt & conjungunt, ut aliæ aliis quadrent, ita Saulus, Scripturæ Sacræ locos conferret & connecteret, ut ea quæ asserebat, confirmaret & persuaderet. Alii simpliciter significare putant quod eos instrueret docendo. Sicut vox ista sumitur alibi, ut 1 Cor. 2. 16, & apud LXX Interpretes Bibliorum Græcos, non raro.

Quod hic.] Nempe is de quo erat magna controversia, scilicet Jesus ille Nazarænus, à Judæis non pridem crucifixus, quem jam Saulus prædicabat, de quo supra ℣. 20.

Sit ille Christus.] Quod antea dictum est, *quod is sit ille Filius Dei* ℣. 20, id hic dicitur quod *sit ille Christus.* Pro eodem ergo ista accipiuntur, esse illum filium Dei, nempe excellentissimum, & esse Christum, seu Messiam. Vide etiam Matth. 16. 16. Confer Marc. 8. 29. Luc. 9. 20. XXII. 67, 70. & XXVI. 63. & Joh. 6. 69. & 1 Joh. 5. 1 & 5.

Vers. 23. *Quum autem impletæ essent dies multæ.*] Græcè propriè *sufficientes.* Dies pro tempore etiam longiore annos complectente sumuntur per Hebraismum, ut Gen. 5. 5 & 8, 11. & seqq. VI. 3. Matth. 2. ℣. 1. iij. 1.

Isti dies, seu ista tempora, complectuntur circiter triennium à conversione Sauli; Quum is postquam Damasci, aliquot diebus tantum esset commoratus, ut dictum supra vers. 19 abiisset inde in Arabiam, ibique in loco à Judæa remotiore versatus, postea rursus rediisset Damascum; ut ipse iste Saulus seu Paulus testatur Gal. 1. 17, 18. Cujus intermediæ in Arabiam profectionis nullam hic mentionem faciens Lucas, cum priore Damasci commoratione hanc secundam immediate connectit.

Simul seu inter se, *consilium inierunt Judæi, interimere eum.*] Ita solent adversarii veritatis, quum eam refellere non possunt, ejus confessores & præcones opprimere & è mundo ac vita tollere conantur.

Vers. 24. *Notum factum est autem Saulo.*] Sive ab ipso exploratum aut aliquo modo cognitum, sive à quopiam ei nunciatum.

Hoc in eum consilium eorum.] Plerique vertunt *insidiæ.* Sed vox Græca propriè significat initum consilium in aliquem, seu adversus aliquem.

Adservabantque portas dieque & nocte, ut eum interimerent.] Tantopere diligentes ac seduli erant in malo proposito exsequendo.

Vers. 25. *Sumentes autem eum discipuli.*] Non ipsius Sauli sed Christi, ita tunc absolute vocabantur Christiani.

Noctu demiserunt per murum, fune submittentes in sporta.] Inimicorum insidias vitare licet servis Dei & Christi; tum ex præcepto ipsius Domini, Mat. x.

verſ. 23. tum exemplo, Matth. 12. 15. & Joh. 7. 1. & VIII. 59.

De hoc autem Pauli effugio vide etiam quod ipſe narrat 2 Cor. XI. 32, 33.

Verſ. 26. *Adveniens autem Saulus in Jeruſalem.*] Illam Iudæorum metropolim, in qua prius Chriſti diſcipulos ipſe perſequebatur, in qua tunc degebant præcipui Chriſtiani, Apoſtoli. Illuc mox poſtquam periculum illud Damaſcenum evaſit, advenit, vide Gal. I. 18. Quum iter Arabicum inter duas ejus Damaſci commorationes medium interveniſſet. Videatur annotatio ſupra ad verſ. 23.

Tentabat.] Id eſt conabatur ac ſtudebat.

Jungi diſcipulis.] Nempe Chriſtianis, cum iis ut fratribus volens familiariter converſari.

Et.] Videtur hæc vocula alias copulativa hic poni pro *ſed* adverſativa.

Omnes timebant eum.] Ut oves lupum, memores perſequutionis ab eo excitatæ ſupra cap. 8. 3. IX. 1, ignorantes autem ejus converſionem.

Non credentes.] Quia id omnino inopinatum & inſperatum erat, de tam crudeli perſequutore, ſeu vexatore diſcipulorum Chriſti, ideoque incredibile videbatur.

Quod eſſet diſcipulus.] Nempe Chriſti, id eſt Chriſtianus.

Verſ. 27. *Barnabas autem.*] Ille de quo dictum ſupra cap. 4. 36 & 37, quem aliqui ajunt fuiſſe olim Saulo familiarem, & ſub Gamaliele condiſcipulum.

Apprehendens eum.] Quidam exponunt, ſuſcipiens eum pro fratre. Sed hoc jam præſuppoſito, videtur potius hic ſignificari quod eum manu prehenderit. Ut Luc. 9. 47. XIV. 4. Hebr. 8. 9.

Duxit ad Apoſtolos.] Qui tunc Hieroſolymæ erant; nominatim ad Petrum, cujus viſendi cauſa Saulus potiſſimum illuc venerat, & ad Iacobum fratrem Domini. Vide Gal. I. 18, 19.

Et enarravit eis.] Nempe Barnabas teſtimonium de Saulo præbens, ut à fratribus ſuſciperetur pro fratre.

Quomodo in via vidiſſet Dominum &c.] Nempe Saulus.

Et quod loquutus eſſet ei.] Vide ſupra verſ. 3, 4, 5, 6. & ſeqq.

Et quomodo in Damaſco libere loquutus eſſet in nomine Jeſu.] Palam & aperte cum fiducia diſſerens, de Jeſu, ejus poteſtate atque authoritate fretus, ejuſdemque virtute adjutus, in ejus etiam gloriam. Vide ſupra verſ. 20 & 22. Hæc omnia Barnabas reſcivit, non tantum ut probabile eſt quod ab ipſo Saulo ei eſſent narrata, ſed etiam vel quod forſan ipſe Damaſcum profectus à Chriſtianis ibi habitantibus ut ab Anania, iſta cognoviſſet, vel etiam quod aliqui fratres Damaſci habitantes Jeroſolymam venientes Barnabæ iſta enarraſſent.

Verſ. 28. *Et erat cum eis.*] Nempe cum Apoſtolis, Saulus. Etiam hic factum eſt aliquid ſimile ei quod cum Saulo illo filio Cis de quo dicebatur, num etiam Saulus inter Prophetas? 1 Sam. X. 11.

Ingrediens & egrediens.] Id eſt verſatus familiariter, munus ſuum exſequens. Ut ſupra cap. 1. 21.

In Jeruſalem.] Nempe Jeroſolymis ita verſabatur: non longo tempore, tantum dies quindecim ut ipſe narrat, Gal. I. 18.

Et libere loquens in nomine Domini Jeſu.] Vide annot. ad verſ. proxime præcedentem. Velut palinodiam canens eorum quæ prius contra Jeſum ibidem Ieroſolymis dicebat ac faciebat.

Verſ. 29. *Loquebaturque & diſceptabat adverſus Helleniſtas.*] Quinam per hos intelligantur dictum eſt ſupra ad cap. 6. 1. Nempe ex Græcis ſeu Ethnicis, Judæorum proſelyti. Nam, ut Chryſoſtomus notavit, à prima origine Hebræi, nec videre Saulum ita mutatum ſuſtinuiſſent.

Tales Helleniſtæ videntur fuiſſe & illi qui cum Stephano diſceptabant. Supra cap. 6. 9.

Illi autem conabantur eum interimere.] Quum ejus argumentis reſpondere ſufficienter non poſſent, loco ſermonum lapidibus forſan vel aliis violentis mediis diſputare cum eo volebant.

Verſ. 30. *Cognoſcentes autem id* ſeu *cognita ea re fratres.*] Nempe in Domino, id eſt Chriſtiani.

Deduxerunt eum in Cæſaream.] Non illam de qua ſupra cap. 8. 40: ſed aliam, quæ dicta Cæſarea Philippi. Vide Matth. 16. 13, hæc enim propior Tarſo.

Et dimiſerunt eum in Tarſum.] Urbem Ciliciæ, patriam ipſius Sauli, ut ſupra verſ. 11. & infra XXI. verſ. 39 eo, ſicut credibile eſt, fine ut ibi populares ſuos ad Jeſum Chriſtum etiam converteret. Erat autem jam monitus à Domino Saulus ut excederet Jeroſolymis. Vide quæ ipſe narravit poſtea, infra cap. 22. 17, 18.

Verſ. 31. *Illæ quidem igitur Eccleſiæ per totam Judæam & Galilæam & Samariam.*] Aliqui codices habent ſingulariter *illa Eccleſia.* Erant ſecundum loca diverſa diverſæ congregationes Chriſtianorum: ſed tamen omnes illæ ut partes conſtituebant unam Eccleſiam Chriſti.

Habebant pacem.] Poſt illam perſequutionem, de qua ſupra cap. 8. 1. Ita Dominus poſt afflictiones dat aliquando fidelibus ſuis reſpirium, & quædam halcyonia. Putant aliqui hanc ejus pacis cauſam fuiſſe quod Tiberius Cæſar, auditis mirandis Jeſu Chriſti geſtis, vexatoribus Chriſtianorum fuerit comminatus ſupplicium: quod teſtantur Tertul. Apologet. cap. 5. & Euſeb. in Chronico.

Ædificatæ.] Fundabantur ut domus ſpiritualis Dei & Chriſti. Ut 1 Petr. 2. 5. *Ædificari*, ſignificat proſperari. Ut Iob. 22. 23. Pſal. 28. 5. Jer. 12. ỷſ. 16. XXXI. 4. Mal. 3. 15.

Et pergentes, in timore.] Græcus textus non habet *in.* Sed interdum hæc particula omiſſa ſubintelligitur ut in verſione Bibliorum Græca, 2 Sam. 15. 11. Pſal. 81. 14. LXXXIX. 31. Proverb. 28. 26.

Timore Domini.] Non ſervili, ſed filiali, ex quo manat obedientia erga præcepta ejus.

Et conſolatione Sancti Spiritus.] Per quem, ut paracletum, Deus & Dominus Jeſus illa Eccleſiæ membra, ſpe vitæ æternæ conſolabatur: vel etiam efficiebat ut alii ex aliorum donis gaudium perciperent mutuum.

Multiplicabantur.] Ita ut augeretur numerus fidelium, ſicut ſupra cap. 2. 11 fine.

Poſſunt hæc verba etiam ita accipi, ut poſt vocem *pergentes* ponatur comma, reliquæ autem voces ſignifi-

significent, Ecclesias illas, timore Domini & consolatione Spiritus Sancti crevisse, seu esse multiplicatas. Ita pace atque tranquillitate sibi beneficio Dei ac Domini Jesu concessa, illi fideles non sunt abusi ad licentiam carnalem, ut aliqui facere solent, sed bene usi, ad studia pietatis promovenda.

Vers. 32. *Factum est autem ut Petrus transiens per omnes.*] Nempe visitans eos omnes qui in illa regione Judææ, Galilææ & Samariæ erant Christo addicti. Est hoc officium eorum qui in Ecclesia donis Dei sunt præ cæteris exornati, ut fideles Christi hinc inde sparsos subinde visitent, ut eos doceant, confirment, consolentur, atque officii ipsorum admoneant.

Deveniret & Sanctos.] Id est Christianos. Vide supra annot. ad vers. 13.

Inhabitantes Lyddam.] Civitatem inter Judææ toparchias connumeratam.

Vers. 33. *Invenit autem illic hominem quendam Æneam nomine.*] Græcum nomen, significat laudabilem.

Ex seu *ab annis octo decumbentem in grabbato.*] Ipsa temporis diuturnitate morbus inveteratus erat ad sanandum desparatus.

Qui erat paralyticus.] Græce hoc loco positum est non nomen sed participium deductum à verbo quod significat resolvere: nempe nervis resolutis. Vide Matth. 9. 2.

Vers. 34. *Et ajit ei Petrus, Ænea, sanat te Jesus.*] Indicat donum sanationis non à se conferri, sed à Domino Jesu, quem etiam statim describit quod sit *ille Christus*, nempe Messias, qui olim populo Israëlitico promissus est à Deo Rex populi Dei constitutus, atque factus, ut & hunc ægrum & alios ista audientes ad fidem in Jesum adducat. Vide supra cap. 3. 6, 12.

Surge & sterne tibi ipsi.] Nempe in grabbato, cujus facta mentio vers. præcedente, jubet ut lecti sternia, forsan incomposita, componeret, atque complanaret, & cubationi in posterum aptiora redderet: quod valetudinis restitutæ erat evidens argumentum. Non jubet eum tollere grabbatum, & abire, ut jussit similem ægrum Christus, Matth. 9. 6, quia ille extra domum suam erat, iste autem domi, ut videtur.

Et statim surrexit.] Dicti Petrini effectus mox apparuit, quum ille qui lecto affixus movere se non poterat, è lecto surrexisset, & se sanatum esse ostendisset.

Vers. 35. *Et viderunt eum omnes qui inhabitabant Lyddam.*] Quorum plerique eum antea gravissime ægrotantem & cubili affixum noverant, nunc autem sanum ac vegetum miraculose redditum non sine admiratione spectabant.

Et Saronem.] Aliqua exemplaria Græca habent Assaronem. Non tantum urbs, sed regio campestris ferax & compascua, ad oram maris mediterranei, dicta Saron seu Græca terminatione Seronas 1 Paral. cap. 27. 29. Esa. 33. 9. xxxv. 2. lxv. 10.

Qui conversi sunt.] Vel converterunt se, ut vertit Beza, & Piscator. Vide & supra cap. 3. 19, moti nempe illa Æneæ miraculosa sanatione.

Ad Dominum.] Nempe ad Jesum, ut fidem in eum amplecterentur, credentes eum esse Messiam, seu Christum.

Vers. 36. *In Joppe autem.*] Alias *Japhe*, civitate ad mare mediterraneum celebri, de qua Jon. cap. 1. 3.

Quædam erat discipula.] Nempe Christi, ut viri Christo addicti vocati *discipuli*, ita hæc fœmina, *discipula*, id est Christiana.

Nomine Tabitha.] Est nomen Syriacum: quod hic mox exponitur, dum additur *quæ explicata*, nempe si hoc nomen explicetur *dicitur* seu significat *Dorcas* Græcè, at Latinè *Caprea*.

Hæc erat plena bonorum operum.] Id est abunde ea faciens, quasi eis referta. Intelliguntur præter alia pia facta, præcipue beneficia in pauperes collata, ut appareat infra ℣. 39, & hic dum additur,

Et eleemosynarum quas faciebat.

Vers. 37. *Factum est autem in diebus illis ut infirmata ea.*] Nempe quum morbo affecta ægrotasset.

Moreretur.] Etiam boni homines atque pii ægrotant ac moriuntur, Deo naturæ cursum non inhibente, imo talia fieri permittente.

Lavantes autem eam.] Jam olim moris erat mortuorum corpora lavari, ante sepulturam: hoc erat signum eam esse vere mortuam.

Posuerunt in exedra.] In loco ædium superiore.

Vers. 38. *Quum autem esset Lydda prope Joppen.*] Paucis milliaribus dissita.

Discipuli.] Nempe Christo addicti homines, qui habitabant Joppæ.

Audientes quod Petrus esset in ea.] Nempe Lydda.

Miserunt duos viros.] Non unum: majoris auctoritatis & fidei conciliandæ gratia.

Ad eum, rogantes ne pigraretur.] Seu, ne cunctaretur, vel gravaretur.

Transire usque ad eos.

Vers. 39. *Surgens autem Petrus simul venit cum eis.*] Postulato honesto ac justo morem gerens.

Quem advenientem deduxerunt in exhedram.] Nempe eo ubi corpus mortuæ erat collocatum, supra vers. 37. Non narratur hic expresse eos rogasse Petrum ut eam è morte excitaret: sed hoc subintellitur ex effectis huic fini destinatis, quæ hic describuntur.

Et adstiterunt ei omnes viduæ.] Pauperes, à Tabitha seu Dorcade beneficiis affectæ.

Flentes & ostendentes.] His S. Petrum commovere volebant ad commiserandum, eamque resuscitandam.

Tunicas, interiores, *& vestimenta.*] Nempe superiora ut pallia. Monumenta manuum illius, facta & donata istis viduis pauperibus.

Quæ faciebat cum eis existens.] Id est quum existeret seu esset, viva Tabitha. Vide supra ℣. 36.

Dorcas.] Illa fœmina pia ita dicta Græcè, quæ Syriacè Tabitha vide supra ℣. 36.

Vers. 40. *Ejectis autem extra omnibus Petrus.*] Seu expulsis, id est exire jussis. Turbam fugit, solus esse voluit, ut liberius ardentius preces funderet. Sic olim Elias, 1 Reg. 17. 19, 20. Et Elisæus 2 Reg. cap. 4. 33. Similiter fecit Christus, Matth. 9. 25, quamvis alia de causa.

Positis genibus, oravit.] Cum magna non animi

tantum sed & corporis coram Domino submissione.

Et conversus ad corpus, ajit, Tabitha, surge.] Corpus adhuc anima carens alloquitur tanquam personam vivam; quia Spiritus Domini in ipso existens dictabat ei impetratam esse per ipsum fœminæ hujus mortuæ resurrectionem.

Illa autem aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.] Non vana fuit Petri precatio & mortuæ alloquutio; ecce effectus optatus resuscitationis est consequutus.

Vers. 41. *Data autem ei manu, erexit eam.*] Adhuc debilem, ut firma staret.

Vocatis seu *accersitis autem Sanctis.*] Nempe illis discipulis Christi qui ibi aderant, de quibus dictum supra ℣. 38.

Et viduis.] Quæ ob ipsius beneficia eam mortuam deplorabant, supra ℣. 39.

Stitit eam vivam.] Quæ jam mortua erat eam redivivam exhibuit ad eorum solatium. Si post mortem pii mox in cœlum abeunt & fruuntur conspectu Dei, atque gaudiis cœlestibus & summa beatitate, non exspectata resurrectione universali, ut aliqui opinantur, certe Petrus hanc fœminam piam jam defunctam, ad vitam terrenam reducens, non beneficio eam affecit, sed maleficio atque damno.

Vers. 42. *Notum autem factum est hoc per totam Joppen.*] Tam insigne miraculum in mortua ex morte erepta ostensum.

Et multi crediderunt in Dominum.] Nempe in Jesum Christum, cujus vi hoc miraculum insigne ab ejus servo Petro est factum. Is est finis miraculorum, à Domino cœlesti profectorum, ut homines nondum credentes, per ea ad fidem in istum Dominum suscipiendum commoveantur.

Vers. 43. *Factum est autem ut dies multos.*] Græcè proprie *sufficientes.*

Maneret is.] Non Dominus cujus proxime facta mentio, sed Petrus, qui est remotius nominatus.

In Joppe.] Illa civitate maritima celebri, de qua dictum supra ad ℣. 36. In qua commoratum credibile est eum id spectasse ut messem ibi copiosam Domino meteret, ac plures ei lucrifaceret.

Apud quendam Simonem coriarium.] Qui pelles animalium depilatas, subigebat atque macerabat, atque ex eis coria conficiebat. Apud hominem conditione ac genere vitæ vilem, sed ut credibile est pietate non postremum, Petrus Apostolus excellens diversabatur; vel quia ab isto hospite erat exoratus ut apud eum diversorium habere vellet; vel quia ipse Petrus apud virum probum quamvis non clarum modestiæ causa hospitium paupertinum elegerat.

CAPUT X.

Vers. 1. NArraturus quendam ad Christum conversum, describit eum.

Vir autem quidam erat in Cæsarea.] Nempe illa de qua supra cap. 8. 40. Nam ea propior Joppæ.

Cornelius.] Nomen Romanum (non prænomen) cujus nominis fuerunt Romæ familiæ quædam celebres. Quanquam fieri potuit ut is non ex aliqua earum oriundus, sed adscitus fuerit; præsertim quum non exprimatur cognomen; qualia erant Scipionum, Lentulorum, Syllarum.

Centurio.] Centum militum Præfectus proprie, ut & ille Matth. 8. 5, à militia carnali ad spiritualem vocandus.

Ex cohorte vocata Italica.] Videtur cohors hic latius sumi, pro legione, quæ multas in se cohortes continebat: quum Tacitus in Historiis sæpe faciat mentionem legionis Italicæ. Singulæ enim legiones Romanorum habebant nomina sua: quædam à numero, quædam à locis, aliæ aliunde ut infra cap. 27. 1. Annon hic ab urbe Hispaniæ dicta Italica, è qua ortus Silius Italicus? vel quod ex ipsis Italis non aliis exteris collecta.

Vers. 2. *Pius & timens Deum.*] Jam idem vir describitur à moribus: quos in viro militari, & quidem Ethnico, repertos esse, mirum est: quod pietati & cultui Dei secundum eam quam habebat notitiam operam daret. Apparet fuisse proselytum; quanquam non omnino proselytum justitiæ, quales ad sacra Judaica plane ab Ethnicismo transibant: sed proselytum domicilii, seu habitationis. Tales dum Respub. Israëlitarum libera esset, erant ii qui juris Noachidarum capitum septem, observationem suscipiebant. Inter quæ erat ut Idololatriam abdicarent, caverent blasphemiam nominis Dei veri, & sanguinis humani effusionem injustam, & membri animalis cum sanguine esum, & incestum, & prædationes, & denique ut servarent judicia, ut Rabbini memorant. Tales fuerunt illi Græci seu gentiles Thessalonicæ, qui colentes Deum vocantur infra cap. 17. 4. Tunc quum jam Judæi sub alieno imperio essent ut sub Romano, etiam inviti tolerabant Ethnicos inter se viventes, ut Romanos, quamvis impios. Sed hunc apparet ex Judæorum conversatione aliquam veri Dei & religionis notitiam jam habuisse, & Judæis saviisse, ut mox indicabitur: fuisseque similem illi de quo scriptum est Luc. 7. 5.

Cum tota domo sua.] Id est domesticis ad familiam suam spectantibus, patremfamilias bene præeuntem sequentibus, qui nempe erant per ætatem capaces pietatis & timoris Dei: quod ad infantes si qui tum in domo ejus erant, nondum actu pertinebat.

Faciensque eleemosynas multas populo.] Eleemosynas quæ sunt officium charitatis, mirum est factas à milite: quum milites ut Harpyjæ aves rapaces potius aliena auferre quam sua aliis conferre soleant. Populus hic significatur Judaicus: non tantum quia hoc actum in Judæa: (nam alioqui tunc inter Judæos Ethnici non pauci vivebant) sed quia in his libris hoc nomine *populi* simpliciter solent denotari Judæi, opposite ad Ethnicos, qui non censebantur pro populo Dei. Ut Act. 21. 39, 40. XXVI. 17. & 23.

Precans Deum.] Ut eleemosynæ, charitatis erga proximos, ita preces crebræ pietatis erga Deum effecta.

Semper.] Nempe quantum per negotia licebat.

Vers. 3. *Is.*] Particula hæc in Græco textu non expressa, videtur supplenda, ut fecit & vulgatus Interpres Latinus, etiamsi voces superioris versiculi de precatione, hisce copulaverit.

Vidit in visione manifeste.] Non in ecstasi, nec in somnio, sed vigilans, oculis corporeis: quia Angelus apparuit

apparuit ei in corpore quopiam assumto, ut Zachariæ Sacerdoti Luc. 1. 11, & veste splendida, vide infra vers. 30.

Quasi hora nona diei.] Quæ erat hora precationis publicæ apud Judæos, qua tunc & Cornelius ut est probabile precibus erat intentus.

Angelum Dei introeuntem ad eum.] Quamvis non Israëlitam sed Ethnicum at probum. Vide notata supra ad cap. 3. 1.

Et dicentem ei, Corneli.] Compellat eum nomine.

Vers. 4. *Ille autem intentus ei & expavefactus.*] Quia subito ingressus, nemine aperiente, & forma augustiore quam humana.

Ajit, quid est Domine?] Non putabat Cornelius hanc personam ad se venientem esse Deum. Nam solet hæc appellatio, domini, tribui etiam viris honoratis.

Ajit autem ei.] Nempe Angelus.

Preces tuæ, & eleemosynæ tuæ.] Quamvis nondum fide plena præditus esset Cornelius, quum se populo Dei Israëlitico inter quem vivebat non prorsus adjunxisset, neque Legis Mosaicæ præcepta omnia quæ tunc adhuc vigebant observanda suscepisset, ut nec circumcisionem Abrahamo datam, vide infra ℣. 45. & cap. XI. 3. Tamen aliqua erga Deum fide seu fiducia generali erat præditus, quæ describitur Heb. XI. vers. 6. sine qua nemo Deo placere potest: credebat quippe Deum esse, & iis qui ipsum quærunt, id est gratiam ejus per pietatem ambiunt, fieri remuneratorem, ex qua fide manabant non absque gratia Dei juvante ista bona opera, quæ hic ei adscribuntur, quæ Deo placuerunt, ita ut his motus perfectiorem sui voluntatisque suæ & fidei plenæ etiam in Christum cognitionem eidem impertiri voluerit. Cæterum jam tunc Cornelium habuisse fidem in Christum, & quidem talem ut crederet se ejus merito & satisfactione quam sibi applicaret, vitam æternam possessurum, ut aliqui opinantur, probari non potest. Certe non credebat Jesum esse Christum, imo id ignorabat, ut fatetur Piscator, observatione ad hunc locum.

Ascenderunt.] E terra in cœlum velut holocausta vel thymiamata. Apoc. 5. 8. VIII. 3, 4. vide & Hebr. 13. 16, 16.

In memoriale.] Plerique vertunt *in memoriam*, sed vox Græca est diversa, significat monimentum. Quasi dicat Deum ex istis reminisci Cornelii, velut humano more, per metaphoram. Vide & infra vers. 31.

In conspectu Dei.] Seu coram Deo.

Vers. 5. *Et nunc.*] Pro *igitur nunc* vel *ideo nunc* per Hebraismum. Ut Marc. 9. 5.

Mitte in Joppen viros.] Scilicet aliquos.

Et accerse Simonem quendam, qui cognominatur Petrus] Saulo futuro Apostolo, Dominus Jesus ipse videndum sese exhibuit, eumque de mysteriis fidei eloquit: at Cornelium mediante Petro Apostolo docere voluit. Non jubetur Cornelius ad Petrum ut Monarcham Ecclesiæ proficisci, eumque adorare, sed Petrum ut ad ipsum veniret advocare.

Vers. 6. *Hic hospitatur apud quendam Simonem Coriarium, cui est domus juxta mare.*] Indicat Angelus ut Simon Petrus iste sit quærendus, apud alium Simonem.

Hic dicet tibi.] Non Simon Coriarius, quamvis propius nominatus, sed Simon Petrus, remotius at principaliter indicatus.

Quid te oporteat facere.] Vide infra cap. XI. 14. Non relinquitur Cornelius internis visionibus, quales fere solas curant fanatici Enthusiastæ, neque etiam fidei implicitæ carbonariæ quam commendant laicis Pontificii.

Vers. 7. *Ut autem abiit Angelus ille loquens Cornelio.*] Id est qui loquebatur.

Vocatis duobus domesticis seu *famulis suis & milite pio.*] Apparitore, qui erat similis Domino ac Ductori suo. Vide supra vers. 2. *Cum tota domo sua:* quanquam iste miles à domesticis famulis distinguitur, ut & Matth. 8. 9. Alias miles pius rara avis in terris, alboque simillima corvo. At iste pius officio pio adhibetur.

Ex iis qui assiduo aderant ei.] Vulgatus Interpres vertit, *qui illi parebant*, non recte; nam & alii omnes milites qui in illa centuria erant, huic Centurioni suo parebant: at hic distinctionis causa ita vocantur ii qui huic Ductori suo peculiariter præ cæteris addicti, & familiarioris admissionis fueruut. Non unum ablegavit Cornelius ad Petrum, sed plures, nempe tres, ut major fides & authoritas huic legationi conciliaretur.

Vers. 8. *Et quum eis exposuisset omnia.*] Nempe de Angeli apparitione, ejusque sermone.

Misit eos in Joppen.] Absque mora & dilatione exsequens mandatum cœleste, cum obedientia.

Vers. 9. *At postridie iter facientibus illis, & civitati.*] Nempe Joppæ,

Appropinquantibus, ascendit Petrus super tectum.] Ut ibi liberius sine interpellatione precaretur. Tecta in Judæa erant plana, super quæ homines commode commorari & negotia peragere poterant. Videantur notata ad Matth. X. 27. & XXIV. 17.

Precari, circa horam sextam.] Nempe à Solis ortu, id est circa meridiem: quando solebant etiam preces publicæ fieri. Vide supra annot. ad cap. 3. 1.

Vers. 10. *Factus est autem valde esuriens, & voluit gustare.*] Non significat hoc loco tantum primis labris attingere: sed comedere, seu prandere: quia esuriebat, ut hic dicitur.

Parantibus autem illis.] Non exprimitur quinam sint illi qui paraverint, & quid paraverint; sed subintelligitur, domesticos illius domus, in qua Petrus tunc degebat, parasse ei cibum.

Incidit in eum ecstasis.] Significat hoc loco mentis excessum talem, quo quis quasi extra se raptus, & à sensilibus quæ adsunt subtractus, usque ad oblivionem eorum externatur.

Vers. 11. *Et spectat.*] Præsens pro præterito, id est *spectabat*, nempe non oculis corporeis sed mente, quia in ecstasi.

Cœlum apertum.] Ut solitum fieri in cœlestium rerum apparitionibus. Ut Ezech. 1. 1. Matth. 3. 16. Act. 7. 56.

Et descendens super se vel *ad se vas quoddam ut linteum magnum quatuor initiis.*] Id est extremitatibus.

Vinctum seu *alligatum*, *& demissum in terram.*

Vers. 12. *In quo existebant omnia.*] Id est omnis generis seu quarumlibet specierum, ut Esa. 2. 2. Non solum ea quæ secundum Legem erant munda, sed præcipue immunda, ut apparet ex sequentibus.

Quadrupedia terræ.] Animalia terrestria intelliguntur hic domestica, ut inter alia sunt porci atque sues, cameli, canes, equi.

Et feræ.] Distinctæ à prius nominatis quadrupedibus: ut lepores, cuniculi, ursi, lupi, leones &c.

Et reptilia.] Ut serpentes, lacertæ, limaces, ranæ. Sub his autem comprehenduntur & pisces, anguibus similes, ut anguillæ, congri, muræna, mustelæ fluviatiles, ophidia.

Et volatilia.] Ut aquila, corvus, noctua, accipiter: & alia per Legem Mosis edi vetita, vide Levit. cap. XI.

Cœli.] Quæ volitant in cœlo infimo, id est aëre. Ut Matth. 6. 26, per genitivum subjecti, ut & paulo ante, *quadrupedia terræ*, per hæc animalia varia, significabantur homines cujusque gentis, imo & qualiscunque vitæ etiamsi peccatores immundi esse censeantur.

Vers. 13. *Et facta est vox ad eum.*] Nempe è cœlo.

Surgens, Petre, macta & manduca.] Nempe quæcunque horum absque discrimine: significatur à talium usu non esse abhorrendum.

Vers. 14. *At Petrus ajit: Nequaquam Domine.*] Recusat Petrus facere id quod cœlitus imperabatur: existimans id explorandi sui causa factum esse.

Quia nunquam manducavi.] Recusationis causam affert, quod id esset contra consuetudinem, quæ Lege Mosaica nitebatur.

Omne.] Id est quidquam, seu ullum. Ut Rom. cap. 3. 20.

Commune aut impurum.] Quædam exemplaria Græca pro *aut* habent *&*. Aliqui hæc distinguunt ita, ut *commune* dicatur, quod non est natura sua impurum, sed lege vetitum: *impurum* autem, quod etiam natura sua tale videtur, ut sunt reptilia. Alii tamen hæc pro eodem accipiunt, ut prius vocabulum exponatur per posterius. Quod videntur firmare verba vers. seq.

Vers. 15. *Et vox rursus* [*ex*] *secundo* seu *iterum ad eum: quæ Deus purificavit.*] Id est tum pura effecit, tum pro puris habenda declaravit, ut ista cœlitus demissa.

Tu.] Est antithesis; quasi dicat quoniam *Deus* hoc sanctificavit, ideo *tu* homuncio qui nequaquam es Deo comparandus, ne teipsum veluti opponas Deo, eique resistas.

Ne communia facito.] Græcè unica voce hoc exprimitur, quasi dicat ne communica. Significat autem ne communia seu polluta facito, id est pro pollutis habeto vel polluta esse dicito. Ut Levit. 13. 3, 8, 11, 15, 20, &c. vide hic infra ℣. 28. Factum ponitur pro conatu faciendi. Potuit initio Petrus existimare hoc ostento id tantum indicari, jam permitti Judæis ad Christum conversis libertatem cibis Lege Mosaica vetitis vescendi. Sed postea, vocatus ad Cornelium Ethnicum, & ire jussus, intellexit hoc esse præcipue designatum, alienigenas, incircumcisos, postquam cœlesti ope ab idololatria & aliis impiis moribus purgati sunt, non esse aversandos velut impuros, nec ab eorum conversatione & communione abstinendum. Quod declaratur infra ℣. 28.

Vers. 16. *Hoc autem factum est* [*per*] *ter.*] De iteratione ista, potest dici illud quod de somnio Pharaoni iterato dictum Gen. 41. 32, quod hæc res esset parata ac firmata à Deo. Et quidem tertiata repetitio, perfectam atque constantem & certam ejusdem rei significationem indicat.

Et rursum receptum est illud vas in cœlum.] Ut ex cœlo sublimi erat demissum deorsum ad terram, ita rursus à terra ad cœlum sursum est sublatum: non ut proprie intelligatur vas tale immundis bestiis plenum in cœlo collocari, sed quia aliquatenus elevatum, disparuit.

Vers. 17. *Quum autem in seipso ambigeret Petrus.*] Jam ab ecstasi ad se reversus.

Quidnam esset hoc visum quod viderat.] Id est quid significaret, seu quid rei portenderet. Esse ponitur pro significare.

Et ecce.] Particula *&* hoc loco redundat. Ut Matth. 28. 9 & alibi. Interim dum Petrus non intelligens quid hoc ostentum cœleste sibi vellet, de eo hæsitaret ac secum quæreret, adsunt isti qui ei dubii istius facto ipso interpretationem afferant.

Viri missi à Cornelio, inquirentes domum Simonis.] Nempe Coriarii.

Adstiterunt ad portam.] Nempe illius domus.

Vers. 18. *Et vocantes.*] Seu quum vocassent, seu voce editâ acclamassent, subintellige aliquem ex illius domûs domesticis.

Percontabantur si.] Id est *an.*

Simon cognominatus Petrus isthic hospitaretur.] Seu diversaretur.

Vers. 19. *At Petro cogitante de illa visione, ajit ei.*] Accedit iterum vox è cœlo, quæ exponit illam visionem, novo mandato.

Spiritus.] Id est Deus, vel Christus, per Spiritum suum seu afflatum, in cor seu animum Petri immissum.

Ecce viri tres quærunt te.] De quibus supra ℣. 7.

Vers. 20. *Sed.*] Id est *itaque.*

Surgens descende, & vade cum eis.] Nempe eo quò te vocant, ad Cornelium.

Nihil dijudicans.] Significat hoc loco, dubitans; quia dubitantis judicium quasi distractum in partes diversas propendet, modo in affirmationem, modo in negationem.

Dubitationis ac hæsitationis causam, & quidem magis ad negationem inclinantem, habere potuit Petrus, quod is ad quem accerseretur non ex natione Judaica esset, sed Ethnicus, quales homines nisi Judaismum essent amplexi, à gratia Dei prorsus alieni esse putabantur: nec licitum esse existimabatur cum talibus conversari. Vide infra ℣. 28.

Quia ego misi eos.] Nempe is qui per Spiritum loquebatur, Deus, fuit author istius missionis à Cornelio factæ.

Vers. 21. *Descendens autem Petrus ad illos viros missis à Cornelio ad eum.*] In quibusdam codicibus Græcis, ut etiam versione Latina vulgata, & Syriaca, non habentur ista verba; & videntur absque necessitate addita; quum nomini *viros* præfixus articulus

articulus Græcus, qui significat *illos*, hoc ipsum indicet.

Dixit ad eos: Ecce ego sum quem quæritis: quæ causa est propter quam adestis?] Quia ignorabat quamobrem eum accerserent, ideo interrogat.

Vers. 22. *Ii autem dixerunt, Cornelius Centurio, vir justus & timens Deum.*] Commendant Cornelium, ne Petrus vir Dei sanctus ab eo visendo abhorreret. Vide supra ℣. 2.

Testimoniumque habens à tota gente Judæorum.] Non ab uno aut altero teste, laudem habens pietatis, sed à multis, hujus nationis cujus tu es, quamvis ipse non sit ex hac natione, sed extraneus. Intelliguntur autem præcipue illi Judæi qui Cæsareæ ubi ille quoque degebat, habitabant, aut etiam in locis vicinis.

Oraculo admonitus est ab Angelo sancto.] Nuncio cœlesti divino: unde apparet hanc esse Dei voluntatem.

Ut accerseret te in domum suam, & audiret verba à te.] Nempe de iis quæ oporteat eum facere, quæ à te dicenda fore Angelus indicavit, supra ℣. 6.

Vers. 23. *Introvocatos igitur eos hospitio excepit.*] Nempe Petrus humaniter: ut ibi cœnam sumerent & pernoctarent, quia jam dies ad vesperam inclinaverat.

At postridie Petrus exivit cum eis.] Profectus Cæsaream ad Cornelium.

Et quidam fratrum à Joppe comitati sunt eum.] Prudenter hos è Judæis factos Christianos assumsit in re tali Petrus, ut essent eorum quæ fierent, testes; & quidem non pauci, sed sex, ut expressum infra cap. XI. 12.

Vers. 24. *Et postridie introierunt in Cæsaream.*] Nempe Petrus cum illis comitibus.

At Cornelius erat exspectans eos.] Id est exspectabat seu præstolabatur diligenter.

Convocatis cognatis suis & necessariis amicis.] Non solus hoc bono spirituali, notitiæ voluntatis Dei revelandæ, frui volebat, sed alios etiam sibi sanguine vel amicitia junctos ejusdem participes fieri optabat. Sic debent facere pii.

Vers. 25. *Quum autem factum est ut introiret Petrus.*] Non *quum introisset*, ut habet vulgata versio; nam postea demum vers. 27, dicitur introiisse, nempe in domum ipsam; sed hic erat in introitu in vestibulum domûs, ante januam.

Occurrens ei Cornelius, cadens ad pedes, adoravit.] Submisse veneratus; non quod Petrum coleret ut ipsum Deum, sed ut Dei legatum excellentem, per quem ei Deus voluntatem suam se declaraturum indicavit, supra vers. 5 & 6. Tirinus Jesuita ad hæc verba annotavit: ut Prophetam adoravit adoratione religiosa, non tamen latreutica, sed humana, quomodo olim Abraham adoravit filios Heth. Gen. 23. vers. 7.

Vers. 26. *At Petrus eum erexit, dicens: Surge.*] Quamvis olim veneratio tam submissa, quæ adoratio dicitur, exhibita fuerit hominibus honoratis, præsertim Prophetis Dei, ut Eliæ 1 Reg. 18. 7. 2 Reg. 1. 13. & Elisæo 2 Reg. 4. 37, de qua videantur etiam annotata ad Matth. 2. 2 & 11; tamen quia hæc veneratio quamvis civilis valde humilis erat, & quoad gestum externum vix differens ab adoratione religiosa, & potuit videri latreutica, ut ait Tirinus qualis debetur Deo vel ei qui divinam potestatem sibi datam possidet, ut Domino Jesu Christo, ideo S. Petrus ex modestia ac demissione animi, recusavit talem adorationem. At is qui se S. Petri successorem jactat, etsi divinis donis quæ in S. Petro erant manifesta, caret, tamen submissam adorationem ab hominibus ad pedes suos procumbentibus eosque osculantibus, non recusat, nec solum eam admittit, sed etiam superbe requirit.

Et ego ipse homo sum.] Nempe terrenus, sicut & tu, conservus tuus, ergo non est cur me tantopere venereris velut Deum.

Vers. 27. *Et colloquens ei* seu *cum eo, intravit.*] Nempe Petrus, in domum ipsius Cornelii.

Et invenit.] In Græco textu est verbum præsens, pro præterito. Invenit autem quamvis non quæreret, id est reperit, vel deprehendit.

Multos qui convenerant.] Vide supra ℣. 24.

Vers. 28. *Fatusque est ad eos: Vos scitis quomodo nefas sit viro Judæo, adjungere se aut accedere alienigenæ.*] Id est quod pro re illicita hoc censeatur. Non proprie ex Lege Dei, sed ex instituto Majorum Rabbinorum, qui à Gentilium incircumcisorum contactu immunditiam contrahi docebant: ut tanto magis ab eorum consortio arcerent suos. Hinc factum ut in Pilati Præsidis prætorium introire nollent Judæi, ne polluerentur, Joh. 18. 28. Quia prætorium illud refertum erat gentilibus.

Adjungere se.] Græcè propriè *agglutinari*, id est familiarem conversationem habere.

Et mihi.] Particula copulativa & hoc loco ponitur pro adversativa, *sed*: ut & alibi.

Deus ostendit.] Nempe per illam visionem monstratam cœlitus, supra ℣. 15.

Ut nullum communem.] Id est pollutum, exponit hoc quum addit *aut impurum dicerem*, nempe ob cæremonialem immunditiem, *hominem*, ideo tantum quod sit incircumcisus, atque Ethnicus. Alioqui homo qui est corruptis moribus, etiamsi ex populi Dei numero censeatur, est pollutus & impurus. Tit. 1. 15, cum tali non licet conversari familiariter neque cibum capere. 1 Cor. 5. 9, 11. 2 Thes. 3. 6, 14.

Vers. 29. *Ideoque absque contradictione veni accersitus.*] Dei mandato potius quam Judæorum institutis obsequens.

Percontor ergo qua ratione.] Id est quam ob rem, seu propter quam causam.

Accersiveritis me?] Hoc interrogat Petrus præsentibus aliis, ut habeat Cornelius occasionem exponendi ea de re mandati divini: & ipse Petrus justiorem causam de religione ibi differendi.

Vers. 30. *Et Cornelius infit: A quarta die usque ad hanc horam.*] Videtur hic dici per quatriduum Cornelium jejunasse. Sed non de eo agitur quamdiu, sed quando jejunaverit. Nam & non dicit *jejuno* sed *eram jejunans* seu jejunabam. Quasi dicat quartus dies est ab hac hora quæ nunc est, retro computando, quando me jejunio dabam, seu quarta ab hinc die hoc factum est. Id colligitur ex ℣. 9 & 23 & 24. Quippe post jejunium, & post visionem quæ Cornelio apparuit, altera die nuncii à Cornelio missi, venerunt

venerunt ad Petrum. Postridiè, id est tertia ab illo tempore die, Petrus cum eis Joppâ discessit Cæsaream versus: sed demum sequente die, manè ut credibile est ingressus est Cæsaream, & venit ad Cornelium, nempe ab illo jejunio quarta die. Si aliter, id est illo prius indicato sensu verba hæc accipiantur, nempe ut per quatuor dies Cornelius jejunaverit, tunc non intelligetur ex his verbis, cujus diei, an quartæ, an tertiæ, an secundæ, horâ nonâ Angelus ei apparuerit.

Eram jejunans.] Imitatus Judæos religiosos, à cibo abstinebat, interim rebus sacris occupatus. Forsan propterea etiam id narravit, ne quis diceret, ei ex ebrietate aliquam illusionem phantasiæ factam esse, in ea quam narrat visione.

Et nona hora orans.] Etiam in hoc Judæos imitabatur. Vide supra ad ℣. 3.

In domo mea.] Non in Synagoga Judaica, ad quam ut incircumcisus non pertinebat.

Et ecce vir.] Id est viri specie, Angelus sanctus: quem non hominem esse deinde agnovit.

Stetit coram me veste splendida.] In quali soliti apparere Angeli cœlestes. Ut Matth. 28. 3. Luc. 24. 4.

Vers. 31. *Et infit, Corneli, exaudita est tua oratio.*] Qua instanter oras Deum pro salute tua & tuorum: quam orasti ac imploraſti à Deo gratiam, eam exorasti atque impetrasti.

Et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.] Respice supra ad vers. 4. Similis phrasis circa rem contrariam Apoc. 16. 19.

Vers. 32. *Mitte ergo in Joppen, & advoca Simonem qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur in domo Simonis Coriarii, juxta mare, qui adveniens loquetur tibi.*] De his vide supra ℣. 5 & 6.

Vers. 33. *Ex eadem.*] Aliqui subintelligunt *hora.* Alii autem hæc habent pro voce composita, significante confestim. Ut & Marc. 6. 25. & infra c. XI. 11. XXI. 32. XXIII. 30. & Philip. 2. 23.

Ergo misi ad te.] Indicat quam festinaverit in Dei mandato de Petri advocatione exsequendo.

Tuque bene fecisti adveniens.] Id est quod adveneris. Laudat Petri factum, atque indicat ad sibi gratum esse, ut 2 Petr. 1. 19. & 3 Joh. 6.

Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei adsumus.] Ita compositis animis, ut persuasi simus Deum nos spectare. Pro his tamen verbis alii habent, *in conspectu tui.* Ut Syrus, & Arabs, & Latinus vulgatus Interpres.

Ut audiamus omnia imperata tibi à Deo.] Declarat Cornelius Petro suam suorumque promtitudinem ad audienda ea quæ is à Deo demandata haberet ut proponeret.

Vers. 34. *Aperiens autem Petrus os, ajit.*] Respice supra ad cap. 8. 35.

In veritate deprehendo.] Id est vere, reipsa experior, ita esse. Quod per visionem miraculosam è cœlo ostensam ænigmatice ei indicatum fuerat, id nunc ex re præsenti clarius se comperisse, profitetur. In exordio concionis suæ vult amovere fidei auditorum obstaculum ex communi Judæorum opinione, quasi gratia Dei salutaris ad solos Israëlitas pertineret.

Quod non est personarum acceptor Deus.] Personam vel potius faciem quasi oculis expositam, accipere per Hebraismum dicitur is qui alicui præ altero favorem seu gratiam ostendit, ob aliquas ejus qualitates externas ad causam ipsam seu negotium nihil facientes: ut ob formam seu speciem externam, vel gentem, vel natales, vel divitias &c. alium autem contra aversatur ob horum contraria. Hoc vitium Græce vocatur Prosopolepsia: quæ est præpostera benevolentia. Id in judiciis fieri vetuit Deus, ut Levit. 19. 15. Deut. 1. 17. Idipsum ipse Deus facere negatur, Deuter. 10. 17. Job. 34. 19. Rom. 2. 11. 1 Petr. 1. 17 & alibi. Qui non solum in judiciis suis sed & in beneficiis distribuendis, quod liberum esset, non habet talem delectum & respectum personarum.

Persona in talibus loquutionibus non significat substantiam ipsam, sed ejus qualitatem, ad rem non pertinentem.

Vers. 35. *Sed in omni gente.*] Non tantum in Abrahami atque in Israëlitis posteris, qui se solos Deo charos ob idipsum esse existimabant. Vide Matth. 3. vers. 9, sed etiam in Ethnicis.

Timens eum.] Nempe Deum, religiose colens.

Et operans justitiam.] Id est juste vivens, quod rectum & bonum esse novit, secundum conscientiam faciens atque operibus ipsis exsequens.

Acceptus ei est.] Ergo opera bona conciliant hominibus charitatem Dei. Sed alias Sacra Scriptura testatur Deum homines adhuc peccatores, charitate sua prævenisse. Rom. 5. 8. 1 Joh. 4. 10. Respondeo: Deus gratiam Euangelicam universalem obtulit hominibus absque respectu operum ipsorum antecedentium, etiam injustos & peccatores paratus ad eam admittere, dummodo per fidem & resipiscentiam ad eum accedere velint. Quanquam & hic probitas seu recte agendi, ac id quod Dei voluntati quatenus ea homini etiamsi nondum plene innotescit, faciendi, studium, prodest ad id ut Deus alicui favorem suum ostendat & gratiam conferat, vide Joh. 7. 17 ut patet in hoc ipso Cornelii exemplo. Sed ad plenam gratiæ Dei perfruitionem, requiritur ut is qui ea potiri velit, voluntati Dei sibi revelatæ obediens, opera justitiæ ac sanctimoniæ quantum potest exerceat. Piscator ad hunc ipsum locum talem adscripsit observationem. „ Quod ad primam conciliationem „ amoris Dei attinet, illa non efficitur per nostram „ pietatem, &c. Quod vero attinet ad amoris Dei „ nobis semel conciliati conservationem, & incre- „ mentum, illa sane efficitur ex nostra pietate &c.

Vers. 36. *Sermonem quem misit &c.*] Est hic Hebraismus, Accusativo posito pro Nominativo. Sicut Hag. 2. 6. & Zach. 7. 7. & VIII. 17, in textu Hebræo. Et Matth. 21. 42. Sensus est quasi dicat, is est sermo quem misit, nempe Deus. Syrus Interpres ita vertit; Sermo enim is est quem misit. Per *sermonem* hic intelligitur Euangelium, ille sermo salutis, qui à Deo posteris Abrahami missus esse dicitur etiam infra cap. 13. 26.

Misit.] Mittere verbum seu sermonem suum dicitur Deus alias quando extra-ordinarie jubet aliquid fieri, ut Psal. 107. 20. & CXLVII. 18. Hic autem significat eum voluntatem suam per Euangelium patefecisse.

Filiis Israëlis.] Id est Israëlitis, posteris Abrahami per Jacobum qui cognominatus est Israël. His Deus

Deus olim primario promiserat Messiam, his etiam primò eum misit cum Euangelio. Vide supra cap. 3. ult. & XIII. 32 & 46.

Annuncians.] Id est prædicari jubens, aliquid bonum atque lætum. Græce enim est *euangelizans.*

Pacem.] Id est felicitatem eximiam, de salute æterna ex gratia Dei consequenda, per fidem ac resipiscentiam. De hac pace vide Luc. 2. 14. Rom. 5. 1. Eph. 2. 17. Huc etiam spectant verba Jesa. 56. 1. & LVII. 19.

Per Jesum Christum.] Deus ut causa principalis hoc Euangelium prædicari curavit, per Jesum illum ad hoc à se missum, qui Jesus dicitur Christus, ut per causam mediam.

Hic est omnium Dominus.] Jesus Christus evasit Dominus, talis ut habeat dominium super omnes tum Judæos tum Ethnicos, quos omnes beare potest, si ei obediant, vide Rom. x. 12. Hoc autem dominium habet à Deo Altissimo, qui eum post mortem exaltatum fecit Dominum & Christum seu Messiam, id est Regem populi Dei cœlestem. Act. 2. 36. & v. 31.

Vers. 37. *Vos scitis.*] Non tantum Judæi, sicut erant ii fratres qui Joppâ egressi Petrum fuerant comitati, de quibus supra ℣. 23, id sciebant, sed etiam Ethnici Judæam incolentes, ut Cornelius ejusque domestici, hæc scire potuerunt: quippe quum ista palam gesta fuerint, non in obscuro aliquo angulo. Vide infra cap. 26. 26. Resumit hic fere id quod modo dixit.

Hoc quod factum est verbum.] Id hoc loco per Hebraismum significat *rem*, seu negotium. Ut Gen. cap. 18. 14. XXIV. 66. Exod. 9. 4, 5, 6. XVIII. 16. & alibi. Vide & Luc. 1. 37. ij. 15.

Per totam Judæam.] Non in uno aliquo Judææ loco id factum est, vel innotuit, sed sparsum est per totam Judaici populi regionem.

Inceptum à Galilæa.] Ubi Jesus prædicationem Euangelii est exorsus. Ut Matth. 4. 12, 17, 18. & Marc. 1. 14.

Post baptisma quod prædicavit Johannes.] Johannes baptista prodromus Christi elementa Euangelicæ doctrinæ proposuit, & homines ad Christum suscipiendnm præparavit, annuncians doctrinam de pœnitentia seu resipiscentia, & in ejus signum baptizans eam profitentes. Postquam autem ille functionem suam fere consummavit, tum palam innotuit is cujus ille præcursor erat.

Vers. 38. *Jesum illum à Nazaretha quomodo.*] Hic particula *quomodo* seu *ut* est trajecta, & postposita, quum ordo sit, *quomodo* seu *ut Jesum* &c. Sic Rom. 12. 3.

Jesum à Nazaretha.] Qui Nazarethæ educatus, ideo vocatus Nazarænus.

Quomodo.] Non agitur hic proprie de modo istius actionis, sed *quomodo* ponitur pro *quod* seu *ut.*

Unxerit eum Deus.] Solebant ungi ad munera insignia Prophetæ, Sacerdotes, & Reges: atque hi præcipue Uncti Dei vocabantur. Est autem hîc respectus peculiaris ad id quod Jesus iste sit ille Messias Hebraicè dictus, Græcè Christus, id est Unctus. De qua unctione vide etiam Luc. 4. 18. Quum Jesus sit Unctus à Deo, patet Jesum ipsum non esse Deum Altissimum, quum huic nullo modo conveniat ungi ab aliquo. Persona autem est uncta, in id ut officia personæ convenientia obeat, non autem tantum natura quæpiam personæ adjuncta.

Eum.] Pronomen istud relativum redundat hoc loco per Hebraismum.

Spiritu Sancto.] Loco olei seu unguenti, in ista unctione Jesu Christi fuit Spiritus Sanctus. Unxit autem Deus Jesum Spiritu suo Sancto, tunc quum eum in illum demisit cœlitus, paulo ante quam Jesus munus suum obire inciperet. Matth. 3. 16. Luc. 3. 22. Joh. 1. 32, 33. Hinc apparet Spiritum Sanctum non esse personam Dei, nam si esset, non diceretur eo aliquis ungi.

Et potentia.] Particula *&* hoc loco non conjungit res diversas, sed vocem priorem declarat per posteriorem, & valet idem quod *id est.* Nam Spiritus Sanctus idem est quod potentia Dei sanctificans. Vide Luc. 1. 35. 1 Cor. 2. 4, 5. Similis vis hujus particulæ copulativæ est Matth. 3. 11.

Per Spiritum Sanctum à Deo datum collata est isti Jesu Nazaræno potentia patrandorum operum mirabilium, quæ mox indicantur.

Qui.] Nempe Jesus, à Deo unctus & Spiritûs Divini vi instructus.

Pertransibat.] Ultro citroque Judæam eique adjunctas regiones peragrabat, non uni loco adhærens, & quasi affixus, ut plurium locorum hominibus miracula benefica exhiberet.

Benefaciens.] Miranda opera quæ Jesus patrabat non tantum admirationem in hominibus excitabant, sed beneficia hominibus largiebantur: ut quum plurimos ægrotos à morbis liberaret &c.

Et sanans omnes.] Non unum aut alterum, sed quotcunque ei offerebantur, neminem dimisit non sanatum.

Sub potestatem redactos à diabolo.] Velut à Tyranno occupante & possidente, oppressos. Hanc speciem miraculorum Jesu memorat, utpote insignem, quod huic Tyranno potenti homines multos eripuerit, majore potentia: unde de reliquis miraculis judicium facile fieri potest.

Quia Deus erat cum eo.] Propterea Jesus miracula talia efficaciter faciebat; quia Deus, nempe Altissimus ille, Pater ipsius Jesu, ei aderat. Ita & alibi miracula per Jesum facta attribuuntur Deo qui ea per ipsum operabatur Act. 2. 22. Quando dicitur Deus esse cum aliquo, significat quod Deus ei peculiarem gratiam suam & auxilium insigne præbuerit. Ita scriptum de Josepho Gen. 39. 21, 23. & Act. 7. 9, de Josua, Jos. 1. 9. de Davide 1 Sam. 16. 18. XVIII. ℣. 14, 28. 2 Sam. 5. 10. Hic aperte Deus nempe ille Altissimus distinguitur à Jesu.

Vers. 39. *Et nos.*] Nempe discipuli Jesu Christi, præcipue Apostoli, è quibus unus Petrus, qui hoc dicit.

Testes omnium quæ fecit.] Testes oculati: qui istis factis interfuerunt. Vide supra cap. 5. 32, ita confirmat istarum rerum veritatem.

Et in regione Judæorum & in Jerusalem.] Hanc urbem seorsim nominat ut insignem, metropolim Judaicam. *Quem.*] Jesum Christum illum beneficum Dei legatum.

Inter-

Interemerunt.] Non exprimitur quinam id fecerint, sed intelliguntur Judæi præcipue primores, qui id egerunt per Romanos.

Suspendentes in ligno.] Vide supra cap. 5. 30.

Vers. 40. *Hunc.*] Nempe Jesum ita indigne morte atroci affectum.

Deus excitavit.] Nempe ex morte in vitam reduxit, & per id ostendit eum immerito fuisse interemtum. Deo passim tribuitur excitatio Jesu è mortuis. Ut supra cap. 2. 24, 32. iij. 15. iv. 10. v. 30 & alibi.

Tertia die.] Non sivit eum à morte diu detineri, neque corpus ejus corrumpi.

Et dedit eum conspicuum fieri.] Id est fecit ut is redivivus palam ac manifeste spectaretur. Luc. 24. 36. Joh. 20. 19, 20.

Vers. 41. *Non omni populo.*] Quia populus Judaicus qui eum crucifigi postulavit, indignus erat qui eum postea videret.

Sed testibus.] Quorum testimonio alii, de ejus resurrectione fierent certiores.

Prius designatis à Deo.] Vox Græca proprie notat id quando manibus protensis eligebantur aliqui in magistratum: sed hic significat generaliter electionem ad officium. Designavit autem seu elegit Apostolos Deus per ipsum Jesum Christum.

Nobis.] Nempe Apostolis ejus.

Qui simul comedimus.] Signum convictus familiaris. Quum autem dicuntur ipsi comedisse cum Jesu, hinc sequitur Jesum quoque cum eis comedisse: quod etiam expresse scriptum est. Luc. 24. ℣. 42, 43. Per hanc cum ipso comestionem confirmati sunt Apostoli in credendo eo quod quem antea secum conversantem noverant, qui erat morte crucis affectus, is ipse è morte redux cum eis versatus fuerit.

Et simul bibimus cum eo.] Quamvis id in historia Euangelica non est expressum, tamen sub cibi sumtione etiam potus comprehenditur. Ut Matth. 15. 2. Luc. 7. 36.

Postquam resurrexit is ex mortuis.] Non recte quidam, & absque necessitate, verba ista, censent connectenda cum illis versus antecedentis *conspicuum fieri*, quasi hoc velit hic dicere Petrus, ut conspicuus fieret postquam resurrexit ex mortuis. At hoc jam est intellectum ex eo quod dixit; *Hunc Deus excitavit tertia die, & dedit eum conspicuum fieri.* Isto autem sequenti versiculo recte comestioni cum eo adiunguntur ista *postquam is resurrexit ex mortuis*, ut indicetur non tantum ante mortem ejus, sed etiam post mortem atque subsequutam resurrectionem, Apostolos cum ipso Jesu & Jesum cum Apostolis comedisse.

Quod fiebat spatio illorum 40 dierum quibus Jesus post resurrectionem adhuc in terra degebat, ante suam in cœlum ascensionem.

Vers. 42. *Et præcepit nobis.*] Tum Deus, tum ipse Jesus Christus.

Prædicare populo, & contestari.] Ut id non ignoretur, sed certo sciatur.

Quod ipse est ille definitus.] Id est ordinatus & constitutus.

A Deo.] Deo Altissimo tribuitur quod is Jesum à mortuis excitatum constituerit ac fecerit judicem: qui idem eum fecit Dominum & Christum supra cap. 2. 36. Vide & infra cap. 17. 31. Ergo Jesus non à seipso habet hanc potestatem.

Judex.] Qui tum pœnis afficiat impios, tum præmiis pios: Nomen *judex* Hebræa consuetudine notat non tantum eum qui lites dijudicat, sed etiam qui regit, & ut princeps in subditos potestatem obtinet. Ut & Joh. 5. 22, 27. & Rom. 14. 9. Ita *judicare* pro gubernare ac regere ponitur 1 Sam. 8. 5. & Psal. 72. 2.

Vivorum.] Quos quum adveniet ad judicium vivos reperiet in hoc mundo. Non enim omnes tunc morientur, ut quidam opinantur: alias frustra hoc apponeretur, & opponeretur ei quod mox sequitur.

Et mortuorum.] Qui tum quum Christus ad judicium veniet, jam mortui vita privati reperientur. Hos prius è mortuis excitatos Christus judicabit, secundum opera eorum, ac reddet eorum unicuique secundum ea quæ fecerunt in corpore, sive bona sive mala 2 Cor. 5. 10. Apoc. 20. 12, 13. Similis partitio eorum qui à Christo sunt judicandi habetur etiam 2 Tim. 4. 1. & 1 Petr. 4. 5.

Vers. 43. *Huic.*] Nempe Jesu.

Omnes Prophetæ testimonium dant.] Deus spiritu suo per Prophetas olim prædixit quid boni per Christum & quomodo homines sint consequuturi. Talia habentur Esa. 53. 4, 5. LIX. 20, 21. Jer. 31. 33, 34. Ezech. 38. 24, 25, 26. Dan. 9. 24. Ose. 3. 5. Zach. cap. 13. 1. Mal. 3. 1, 3, & apud Davidem in Psalmis non pauca. Prophetarum autem testimonia de Christo & ejus Euangelio memorat S. Petrus, ut indicet, non ex improviso hoc esse exortum: Quod indicavit & S. Paulus Rom. 1. 2, & ut ostendat prædicationem Apostolicam de Christo cum antiquis oraculis congruere & consentire.

Remissionem peccatorum.] Quorumcunque anteactorum quamvis gravium veniam & impunitatem plenam; in qua continetur à morte æterna quæ est pœna propria peccatorum liberatio, & vitæ æternæ donatio.

Accipere.] Id est quod accipiant & porro sint accepturi.

Per nomen ejus.] Id est per eum ipsum, nempe per Jesum Christum ejusque authoritate & potestate: qui habet eam potestatem à Deo sibi datam. Ita *nomen* significat supra cap. 3. 16. & iv. 10, 12. De remissione peccatorum per Christum, vide etiam Act 13. 38, 39. 1 Joh. 2. 12.

Omnem.] Absque discrimine gentium, non tantum Judæum, sed & gentilem. Vide Rom. 1. 16. iij. 28, 29, 30. & supra ℣. 35.

Credentem in eum.] Verbis ejus fidem habentem, & fiduciam in eo collocantem; cum spe promissorum ab eo factorum, obtinendorum, non sine manante inde obedientia mandatorum ejus. Primus ingressus justificationis fide in Christum absque operibus Legis obtinetur, per Dei gratiam Rom. 3. 20, 22. Gal. 2. 16. Sed fides ista debet esse efficax per charitatem, quia talis sola valet in Jesu Christo Gal. 5. 6. 1 Joh. 3. 23, ut obtineatur justificationis effectum, nempe salus æterna. Nam fides absque operibus, quamvis non legalibus, sed Euangelicis, non potest salvare aliquem, quia talis fides est mortua vide Jac. 2.

vers. 14,

verſ. 14, 17, 24, 26. Quippe juſtificatio & à condemnatione abſolutio impletur in iis qui quum ſunt in Jeſu Chriſto, non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum. Rom. 8. 1 & 4.

Verſ. 44. *Adhuc loquente Petro verba iſta.*] Quum nondum peroraſſet, nec concioni ſuæ epilogum atque concluſionem addidiſſet, adhortans ad fidem in hunc Jeſum Chriſtum & ad reſipiſcentiam.

Illapſus eſt Spiritus Sanctus.] Id eſt à Deo demiſſus afflatus ſacer, conſecrans, repente afflavit eos, ita ut id appareret ex effectis mirabilibus, quæ indicantur infra ℣ſ. 46, vide & XIX. 6. ut & ſupra cap. 8. verſ. 17, 18. Non eſt neceſſe exiſtimare (ut quidam faciunt) Spiritum Sanctum viſibili ſpecie in linguis igneis ſuper eos conſediſſe ut ſuper Apoſtolos. Nam id hic non exprimitur, neque ex his verbis neceſſario conſequitur. Ex hoc autem illapſu in eos Spiritus Sancti Divini, conſtare potuit eos verbis Euangelii à Petro pronunciatis fidem adhibuiſſe, atque Deum fide illos donantem, per ipſam fidem purificaſſe corda eorum, infra cap. 15. 9 fidem in Chriſtum ſequuta eſt iſta acceptio Spiritus Sancti, vide Gal. 3. verſ. 2, 5, adhuc ante baptiſmum aquæ; prius baptizati ſunt Spiritu Sancto.

In omnes audientes hunc ſermonem.] Et in ipſum Cornelium, & in ejus domeſticos, & in accerſitos amicos, præſentes.

Verſ. 45. *Et obſtupuerunt.*] Quia hoc præter omnem eorum opinionem evenit.

Illi ex circumciſione fideles.] Qui quum eſſent Judæi, circumciſi, amplexi erant fidem in Jeſum Chriſtum.

Qui ſimul venerant cum Petro.] Vide ſupra verſ. 23.

Quod & ſuper gentes.] Incircumciſas, nec ad populum Dei Hebræum pertinentes.

Donum Sancti Spiritus.] Id eſt hoc donum quod eſt Spiritus Sanctus, qui ipſe eſt donum Dei. Vide ſupra cap. 2. 38. & infra cap. XI. 15, 17. Confer hic infra verſ. 47.

Effuſum ſit.] Velut aqua cœleſtis, copioſe. Vide ſupra cap. 2. 17 & 33.

Verſ. 46. *Audiebant enim eos loquentes.*] Ex his effectis quos ſenſibus deprehendebant, agnoverunt in eis eſſe cauſam horum effectorum ſenſibus externis non ſubjectam, nempe Spiritum Sanctum.

Loquentes linguis.] Id eſt variis linguis, peregrinis, aliis præter eas quas antea notas habebant, ut ſupra cap. 2. 4. vide & Marc. 16. 17.

Et magnificantes Deum.] Non nugas aliquas iſtis linguis peregrinis blaterabant, ſed Deum ejuſque magnifica facta laudibus celebrabant. Vide ſupra c. 2. 11.

Tunc reſpondit Petrus.] Quum cognoſceret, Spiritum Sanctum eis eſſe datum, & cerneret hos ad id factum inexſpectatum obſtupeſcere, rurſus loqui cœpit.

Verſ. 47. *Numquid aquam prohibere poteſt quis?*] Nempe rem minorem ac minoris pretii, denegare aliquem hominem eis ne ea illis adhibeatur, inconveniens eſſet; quum jam rem majorem ac præſtantiorem à Deo obtinuerint.

Poteſt.] Nempe juſte atque convenienter.

Ut non baptizentur.] Quominus per hunc ablutionis exterius adhibitæ ritum, teſtentur ſe velle à peccatis interius prorſus ablui, & in fidelium Chriſti numerum cooptari.

Iſti qui Spiritum Sanctum acceperunt.] Quum alias tunc ordinarie poſt fidei ac reſipiſcentiæ profeſſionem atque poſt baptiſmum ſuſceptum, Spiritus Sanctus daretur, ut ſupra cap. 2. 38. & VIII. 15, 16, 17, hic per anticipationem extraordinarie datus eſt ante baptiſmum, ne ii qui ex circumciſione erant fideles dubitarent eos ad baptiſmum atque ad ſocietatem ſuam admittere.

Sicut & nos.] Præcipue Apoſtoli, ſupra cap. 2. 4. infra cap. 11. 15: ſed & alii ex Judæis qui fidem in Chriſtum ſuſceperant.

Verſ. 48. *Præcepitque.*] Nempe aliis diſcipulis Chriſti comitibus ſuis eam functionem demandavit, quæ non erat propria muneris Apoſtolici. Vide 1 Cor. cap. 1. 17. Poterant id vel preſbyteri quilibet vel diaconi facere. Ut fecit Philippus Diaconus ſupra cap. 8. 12 & 38.

Baptizari in nomine Domini.] Id eſt in nomen Jeſu Chriſti, qui eſt ille unus à Deo factus Dominus cœleſtis Chriſtianorum: ut jam ejus diſcipuli cenſerentur. Idem eſt *in nomine Domini baptizari*, quod alibi, in nomen Domini Jeſu baptizari, ut ſupra cap. 2. 38. VIII. 16. & infra cap. 19. 5, & baptizari in Chriſtum Jeſum, Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. Aliqua exemplaria loco *Domini* habent hic, *Domini Jeſu Chriſti.*

Tunc rogaverunt eum ut permaneret dies aliquot.] Nempe Cornelius ejuſque amici: ut tanti viri Dei conſuetudine diutius frui, & ab eo melius adhuc de Chriſti doctrina erudiri poſſent. Huic eorum petitioni juſtæ Petrum eſſe obſequutum apparet infra cap. XI. 3. Ita facto ipſo oſtendit non eſſe illicitum id quod antea pro illicito habebatur, nempe Judæum familiariter vivere cum gentilibus ab impietate averſis; & cibum cum eis capere.

CAPUT XI.

Verſ. 1. *Audiverunt autem Apoſtoli.*] Delata eſt hæc fama ad Apoſtolos alios qui præter Petrum erant.

Et fratres.] Id eſt alii præter Apoſtolos, Chriſti diſcipuli, qui omnes ſunt ut fratres ejuſdem Patris cœleſtis filii. Vide Matth. 23. 8.

Qui erant apud Judæam.] Seu in Judæa, nempe illa regione ſtrictiori ſignificatu ita vocata quæ tribui Judæ erat aſſignata.

Quod & gentes.] Ethnici qui erant extra populum Iſraëliticum: quos doctrinam Chriſti accepturos iſti non ſperabant.

Receperint ſermonem Dei.] Id eſt Euangelium quod eſt ſermo Dei eximius atque excellens, præſtantior illo Legali.

Verſ. 2. *Et quum aſcendiſſet Petrus in Jeroſolyma.*] Reverſus ad iſtam Judææ metropolim & ad Eccleſiam Chriſti ibi exiſtentem, ex illo itinere quod ſuſceperat viſitandarum aliarum extra Jeroſolymitanam Eccleſiarum cauſa. De quo ſupra cap. 9. 32 & à Cæſarea atque illis quos ibi ad Chriſtum converterat.

Diſceptabant adverſus eum.] Verbum Græcum quod alioqui ſignificat *dijudicabant*, pro diſcepta-

tione seu concertatione sumitur hoc loco, ut & Rom. cap. 14. 1. & Judæ ℣. 9. Syrus Interpres habet *litigabant*, Chrysostomus *offensi expostulabant*.

Illi ex circumcisione.] Id est illi qui ex circumcisis seu Judæis facti erant Christi discipuli. Vide supra cap. x. 45.

Vers. 3. *Dicentes, quod.*] Hæc particula serviens mimesi orationis alterius, redundat hoc loco, ut sæpe.

Ad viros præputium habentes.] Id est eos qui non susceperunt circumcisionem, signum fœderis Dei cum Abrahamo initi, ideoque pro impuris & ad populum Dei non pertinentibus, habebantur ab illis qui adhuc tales cæremonias ut necessarias omnino tenendas etiam sub Novo Fœdere putabant.

Introisti, & comedisti cum eis.] Familiariter cum talibus convixisti: & societatem inivisti, quod illi nefas esse existimabant. Si Petrus fuisset Monarcha Ecclesiæ, ut aliqui opinantur, idque pro certo innotuisset illis fratribus, quomodo ausi fuissent ita cum eo disceptare seu altercari, eumque reprehendere?

Vers. 4. *Incipiens autem Petrus exponebat eis.*] Si Petrus fuisset Ecclesiæ caput atque Dominus, Christi Vicarius, cum plenitudine potestatis super omnes Christianos, non ita solicite aliis fratribus rationem facti sui reddidisset: potuisset enim dicere simpliciter, sic placitum nobis, stet pro ratione voluntas. Mihi datæ sunt à Christo claves, mihi data potestas ligandi & solvendi, quæ verba aliqui de absoluta potestate, non solum Petri, sed etiam eorum quos pro ejus successoribus habent, interpretantur.

At S. Petrus non pro authoritate hic agit, ut Dominus cum subditis, sed excusat legitima ratione factum suum, ut frater fratribus. Multo minus alii pastores hanc sibi usurpare debent authoritatem, quasi non teneantur fratribus reddere factorum suorum rationem. At nunc illi qui se S. Petri successores esse gloriantur à nemine in terris se judicari patiuntur; quum jactent se supra concilium & supra totam Christi Ecclesiam habere potestatem.

Secundùm ordinem, dicens.] Vide annot. ad Luc. cap. 1. 3.

Vers. 5. *Ego eram in civitate Joppæ, orans, & vidi in ecstasi visionem.*] De qua supra ad cap. x. 10.

Descendens vas quoddam, ceu linteummagnum, quatuor initiis demissum ex cœlo, & venitusque ad me.

Vers. 6. *In quod attendens, considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & feras, & reptilia, & volucres cœli.*

Vers. 7. *Audivi autem vocem, dicentem mihi: Surgens Petre, macta & manduca.*

Vers. 8. *Dixi autem, nequaquam Domine, quia omne commune aut impurum nunquam introivit in os meum.*] Id est nunquam comedi talia animalia immunda, vide supra cap. x. 14.

Vers. 9. *Respondit autem mihi vox.*] Impropria loquutio per metonymiam: non vox ipsa respondit sed persona quæ vocem istam proferebat. Sic Apoc. cap. 1. 12.

Secundo ex cœlo: Quæ Deus purificavit, tu ne communia facito.] Vide suprà cap. x. 15.

Vers. 10. *Hoc autem factum est per ter, & rursus retracta sunt omnia.*] Nempe ista quæ in illo vase erant, & ipsum vas, de quo solo, sed cum contentis hoc narratum cap. x. 16.

In cœlum.

Vers. 11. *Et ecce confestim tres viri adstiterunt ad domum in qua eram, missi à Cæsarea ad me.*] Ablegati à Cornelio Centurione.

Vers. 12. *Dixit autem mihi Spiritus, ut irem cum eis, nihil ambigens. Venerunt autem mecum & sex fratres isti.*] Hinc apparet illos fratres qui erant ex Judæis, qui cum Petro à Joppe iverant Cæsaream, tunc cum eodem venisse Jerosolymam, & adfuisse testes eorum quæ erant gesta Cæsareæ.

Et introivimus in domum illius viri.] Nempe de quo mecum expostulatis, quod ad eum tim ingressus: Nempe Cornelii Centurionis. Ita Petrus Apostolus in hac Apologia factum suum defendebat mandato divino, ad se directo. De cæteris quæ hic referuntur, videantur annotata supra ad cap. x. ℣. 9 & seqq.

Vers. 13. *Annunciavitque nobis quomodo vidisset Angelum in domo sua stantem, & dicentem ei: Mitte in Joppen viros, & accerse Simonem, cognominatum Petrum.*

Vers. 14. *Qui loquetur verba ad te, in quibus.*] Id est *per quæ*; Hebraismo usitato *in* pro *per* ponitur. Sicut in illis: *Qui fecerit ea, vivet in eis.* Levit. cap. 18. 5. Ezech. 20. 11. & Rom. x. 5.

Salvaberis.] Id est à morte æterna liberatus salutem perfectissimam æternam consequeris ex gratia Dei; per istorum quæ is tibi dixerit observationem.

Tu & omnis domus tua.] Id est domestici tui. Declarantur à Petro, quæ supra cap. x. 6 & 32, non ita clare dicta fuerunt. Hic rursus idem Petri factum jure divino nempe mandato Cornelio dato defenditur.

Vers. 15. *Quum autem inciperem ego loqui.*] Id est dum loquerer. Nam non tantum inceperat loqui Petrus, sed etiam non pauca loquutus fuerat, ita ut ejus oratio propior jam esset fini quam principio, vide supra cap. x. à vers. 34, ad 44. Sed ita *incipere agere*, pro agere ponitur sæpe, vide supra ad cap. 1. vers. 1.

Illapsus est Spiritus Sanctus in eos.] Nempe in Corlium ejusque domesticos.

Sicut & in nos.] Nempe qui ex Judæis ad Jesum Christum ejusque fidem accessimus; præcipue autem intelliguntur Apostoli. Indicat Deum dono Spiritus Sancti eis collato, æquasse eos cum illis qui ex Judæis facti erant Christiani, itaque non esse causam justam cur à talibus eorumque conversatione aliquis abhorreat.

In principio.] Scilicet functionis nostræ Apostolicæ, apud quoslibet, nempe in die Pentecostes, supra cap. 2. Ut Piscator hoc loco annotavit in Scholiis. Ita voces istæ *in principio* solent sumi non absolute, sed relate ad subjectam materiam de qua sermo habetur. Sic Esa. 1. 26. & Dan. 8. 1. IX. 21, sicut & *à principio.* Luc. 1. 2. Joh. 8. 44. XV. 27. XVI vers. 4. &c.

Vers. 16. *Recordatus sum autem verbi Domini.*] Id est verborum, seu dicti à Domino Jesu pronunciati.

Sicut dicebat, Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto.] De quo dicto, vide supra cap. 1. 5. Hæc Christi verba Petrus extendit etiam ad istos ex Ethnicis in ipsum credentes.

Vers. 17. Jam post narrationem rei gestæ, sequitur conclusio. *Si ergo.*

Si.] Hæc particula non sumitur hoc loco dubitative, sed significat *quoniam.* Ut & Matth. 21. 28. & Joh. x. 35. XIII. 32. & Act. 4. 9 & alibi.

Æquale donum.] Nempe Spiritum Sanctum, proxime nominatum: qui est donum Dei quod à Deo datur atque donatur hominibus.

Dedit eis Deus, sicut & nobis.] Vide supra ℣. 15. & infra cap. 15. 9.

Credentibus in Dominum Jesum Christum.] Ambiguum est ad quosnam hoc referantur, utrum ad gentiles illos qui notati sunt voce *eis*, an ad electos ex Judæis, qui significati voce *nobis*; ad illos refert Beza, ad hos vulgatus Interpres & Piscator: ille enim vertit *quum crediderunt*, isti autem, *qui credidimus.* Potest referri ad utrosque, quia utrisque tum demum quum jam crederent in Christum datus est Spiritus Sanctus. Sed tamen ad hos potius referendum videtur: non tantum quia cum his propius jungitur atque cohæret; verum etiam quia indicare videtur S. Petrus non ob Legis observationem Judæos istos accepisse Spiritum Sanctum, sed ob fidem in Jesum Christum; quod etiam urget S. Paulus, Gal. 3. 2, 5.

Ego vero.] Scilicet homuncio Deo nequaquam conferendus. Particula ista *vero* vel *autem* hoc loco expungitur à quibusdam, velut otiosa: sed habetur in plerisque Græcis codicibus: & habet suam emphasin.

Quis eram potens prohibere Deum?] Id est an ego homo infirmus potui prohibere Deum: omnipotentem nempe, ne is pro sua potestate atque suo placito istos populo suo adscisceret: quod facere velle viderer absurde, atque Deo quodam modo repugnare, si tales à Deo ita ornatos nihilominus repudiassem, atque sprevissem.

Vers. 18. *Auditis autem his quieverunt.*] Hic fuit effectus illius apologiæ S. Petri justæ, ut ei acquiescerent illi qui eum accusaverant. Ita decet facere eos quibus aliquid displicet, ut si veritatem confirmatam videant non pudeat eos ei cedere ac opinionem suam abjicere.

Et glorificaverunt Deum.] De isto facto ejus glorioso.

Dicentes nempe & gentibus.] Non tantum Israëlitis.

Deus resipiscentiam dedit.] Vide annot. supra ad cap. 5. 31.

In vitam.] Id est ad vitam æternam consequendam, ad quam gentes vocandas isti non speraverant. Hæc per excellentiam vita vocatur absolute. Deus ex gratia sua per adjunctam fidei resipiscentiam ut per medium, ducit homines ad vitam æternam.

Vers. 19. *Illi quidem igitur.*] Istud quidem redundat, ut supra cap. 5. 41. VIII. 25.

Dispersi.] Ex Jerosolyma per diversas regiones.

A persequutione facta super Stephano.] Id est orta ex occasione Stephani: vide supra cap. 8. 1, 3, 4. non *sub Stephano* ut habet vulgata versio.

Transiverunt usque Phœnicen.] Vel Phœniciam, regionem Syriæ maritimam, vide infra cap. 21. 2, cujus metropolis fuit Tyrus.

Et Cyprum.] Insulam maris mediterranei.

Et Antiochiam.] Quæ Syriæ metropolis sub imperio Romano post Romam & Alexandriam tertium locum inter urbes eximias obtinebat: condita à Seleuco Nicatore uno ex præcipuis Alexandri Magni Ducibus, post ejus mortem, ita nominata à nomine Patris ejus Antiochi. Ita per dispersionem Ecclesiæ Jerosolymitanæ doctrina Euangelii latius per diversas oras sparsa fuit, Domini providentiâ.

Nemini loquentes illum sermonem.] Vide supra cap. 8. 4, id est *sermonem Dei*, ut expressum supra hoc cap. ℣. 1, nempe Euangelium.

Nisi solum Judæis.] Origine & lingua: vel quia & ipsi ab eadem stirpe orti, his magis faventes hoc beneficium spirituale impertiri volebant: vel quia plerique solam linguam Hebræam callebant, Græcam ignorabant.

Vers. 20. *Erant autem quidam ex eis viri.*] Nempe iis qui ex Jerosolymis dispersi erant.

Cyprii.] E Cypro insula orti.

Et Cyrenæi.] E Cyrena regione Africæ, vide ad Matth. 27. 32, linguæ Græcæ quæ istuc vigebat gnari.

Qui ingressi in Antiochiam loquuti sunt ad Hellenistas.] Nempe eos qui è Græcis seu Ethnicis facti erant proselyti, susceptâ regione Judaicâ, de quibus videantur notata supra ad cap. 6. 1. & IX. 29, qui hic a Judæis versu proxime præcedente nominatis distinguuntur.

Aliqui pro *Hellenistas* id est Græcanicos habent hoc loco *Hellenas*, id est Græcos. Sed non est verisimile istos ante auditam Cornelii per Petrum Apostolum factam conversionem, Græcos id est Ethnicos Euangelio dignos judicasse.

Euangelizantes Dominum Jesum.] Id est annunciantes doctrinam de Domino Jesu. Isti autem Cyprii & Cyrenæi non videntur habuisse ordinariam missionem ad Euangelii prædicationem: unde apparet non semper ad Euangelii prædicationem requiri missionem ordinariam, quam aliqui omnino requirunt, ac necessario postulant.

Vers. 21. Indicatur prædicationis istorum successus & effectus optatus.

Et erat manus Domini cum eis.] Id est potentia cum gratia juncta, ejus Domini quem annunciabant, hoc est Domini Jesu, eis opem ferebat, ita ut eorum labor in prædicando non esset inanis, sed fructum afferret. Aliqui codices Græci hic addunt *ad sanandum eos*, quibus verbis indicaretur miracula in ægrotis ibi sanandis vi Domini Jesu, ad prædicationem illorum accessisse, eamque confirmasse.

Multusque numerus.] Nempe hominum illorum Hellenistarum Antiochiæ degentium.

Credens.] Quum Euangelio prædicato credidisset.

Conversus est.] Piscator etiam hoc loco habet *convertit se*, ut supra cap. 3. 19. & alibi.

Ad Dominum.] Nempe Jesum, qui eis annunciabatur.

Vers. 22. *Auditus est autem sermo.*] Id est rumor de hac conversione advenit.

In aures.] Quidam putant hoc positum esse pro *in auribus* solita particularum Græcarum εἰς & ἐν permutatione.

Ecclesiæ ejus quæ in Jerosolymis erat.] Seu fidelium Christi qui Jerosolymæ degebant ac ibi ad cultum Domini congregabantur.

De istis.] Nempe quod ad aliquorum qui ab ipsis Jerosolyma discesserant, prædicationem Antiochiæ multi ad fidem in Christum converterentur.

Et emiserunt.] Scilicet illi discipuli Christi qui erant in illa Ecclesia Jerosolymitana.

Barnabam.] Illum virum egregium de quo supra cap. 4. 36, 37. & IX. 27. Cypriis Euangelii prædicatoribus non missis, hunc Cyprium quoque eximium, ad id missum addiderunt.

Ut transiret usque Antiochiam.] Ut illud opus Euangelicæ prædicationis per alios inchoatum majore vi atque authoritate promoveret. Ut illos recens conversos in cognitione veritatis de Christo plenius institueret, atque confirmaret, & augeret. Ita Apostoli & alii primores Ecclesiæ Jerosolymitanæ, intenti in omnem occasionem regni Christi promovendi, etiam hanc arripuerunt.

Vers. 23. *Qui adveniens & videns gratiam Dei.*] Id est effecta gratiæ Dei insignia in conversis illis Antiochenis Hellenistis.

Gavisus est.] Magno gaudio viris piis & gloriæ Dei studio flagrantibus est hoc quando vident talem verbi Dei prædicationis successum, ut multi homines ad Dominum convertantur.

Et hortabatur omnes, ut proposito cordis.] Id est firmo & constanti proposito animi. Ita propositum sumitur etiam 2 Tim. 3. 10.

Permanerent cum Domino.] Vel apud Dominum, id est doctrinæ de Christo, & fidei in ipsum, adhærerent perseveranter.

Vers. 24. *Quia erat vir bonus & plenus* &c.] Ita commendatur Barnabas, ut indicetur quamvis non fuerit proprie Apostolus, (licet ita nominetur infra cap. 14. 14.) tamen eum & merito missum esse ad tale opus perficiendum, & in hoc opere bene versatum, negotiumque istud ut par erat exsequutum esse: ac simul ratio affertur cur de illo successu Euangelii gavisus fuerit.

Plenus Spiritu Sancto & fide.] Videantur similia verba de Stephano supra cap. 6. 5 & 8.

Et apposita est turba multa Domino.] Id est multi præterea Antiocheni labore Barnabæ accesserunt ad fidem in Jesum Christum.

Vers. 25. *Exivit autem in Tarsum Barnabas, requirere Saulum.*] Quocum prius familiaritate contracta, gnarus ejus postquam is ad Christum conversus est zeli, eum Apostolis commendaverat, qui ob adversariorum insidias Jerosolymis Tarsum in patriam suam emissus fuerat. Supra cap. 9. 27, 30.

Et inveniens seu *inventum eum, duxit eum in Antiochiam.*] Ut ab hoc socio idoneo adjutus, ibi ubi messis multa erat, opus Domini communis commodius cum eo simul operaretur.

Vers. 26. *Factum est autem ut ii annum totum congregarentur* seu *convenirent in Ecclesia.*] Nempe illa Antiochena, tempus justum isti sacro labori Euangelii prædicandi impenderunt.

Et doterent.] Bene successit Barnabæ & Saulo istud opus Domini, ita ut Euangelium ac doctrinam de Jesu Christo non tantum docuerint, sed etiam edocuerint *turbam multam*, seu magnum hominum numerum.

Nominarenturque.] Græcum verbum quod alias nomine Dei loqui significat, hic usurpatur pro nominari seu nuncupari, ut & Rom. 7. 3.

Primum in Antiochia.] In ista urbe magna populosa atque celebri, primo omnium indita est Christi discipulis peculiaris appellatio, qua à Gentilibus & Judæis sunt separati.

Discipuli, Christiani.] Credentes in Christum, qui antea simpliciter vocabantur *discipuli*, ut supra cap. 6. 1, 2. IX. 1, 10, 19, 26, 36, 38, ab aliis autem Galilæi; ii ut appareret cujus discipuli dicerentur, à Duce istius quam sequebantur doctrinæ, nempe Christo, illo Uncto Dei eximio, denominati sunt *Christiani.* Id nomen exortum videtur circa annum mundi quater millesimum sub initium imperii Claudii Cæsaris, qui mox nominatur infra vers. 28.

Nominis tamen istius *Christianorum* usus, inter ipsos Apostolos & eorum socios, non ita mox frequens fuisse videtur. Nam præter hunc locum, bis tantum in Novo Testamento invenitur, nempe Act. 26. 28. & 1 Petr. 4. 16. Alias etiam postea vocabant sese inter se *discipulos*, ut hic infra ℣. 29. & cap. 14. 20, 28. XV. 10. XVIII. 27. XIX. 9, 30. XX. ℣. 1, 7. XXI. 4, 16. &c. vel *fratres* ut sæpe. Ab adversariis autem Judæis vocabantur *Nazarei* Act. cap. 24. 5, quia Jesus Christus author eorum, erat dictus Nazarænus.

Vers. 27. *In istis autem diebus.*] Id est per illud tempus, eodem anno à passione ac resurrectione Jesu Christi decimo ut aliqui computant.

Devenerunt à Jerosolymis Prophetæ.] Ex Christi discipulis quidam, Apostolis proximi, qui Spiritu revelationis præditi, occultorum mysteriorum Dei conscii, etiam futura prædicebant. Tales nominantur etiam infra cap. 13. 1. & 1 Cor. 12. 28. [XIV. 32.] Eph. 4. 11.

In Antiochiam.] Ad illam Ecclesiam celebrem quæ illic exorta florebat.

Vers. 28. *Surgens autem.*] Id est actionem quandam exorsus. Vide annot. supra ad cap. 5. 17.

Unus ex eis.] Nempe ex illis Prophetis.

Nomine Agabus.] Seu *Hagabus* nomen Hebreum, quod exstat etiam 1 Esd. 2. 45, significat autem Cicadam.

Significavit per Spiritum.] Id est Spiritus Divini atque afflatûs illius supernaturalis dictamine.

Famem magnam.] Plagam Dei gravem. De hac est mentio etiam apud Sueton. in Claudio cap. 18. & apud Dionem lib. 60. & Josephum Flavium Antiquit. lib. 20. cap. 2.

Futuram esse in totam habitatam.] Terram, seu fere per totum orbem terrarum tunc notum. Quæ fames etiam per Italiam ita sæviit, ut ob eam Romana plebs in medio foro in Claudium Cæsarem insurrexerit, teste Suetonio. Sed ea maxime affligebat Judæam.

Quæ etiam facta est sub Claudio Cæsare.] Prophetia ista & prædictio Agabi non fuit vana, sed eventus eam veram fuisse ostendit.

Vers. 29.

Vers. 29. *At discipulorum.*] Nempe aliorum Christianorum qui extra Judæam habitabant, ac præcipue Antiochenorum.

Prout facultates habebat quis.] Quæ cuique erat copia, quantum poterant à suis usibus decerpere. Hinc apparet illos Christianos Antiochenos non habuisse omnia omnino promiscue communia, sed quædam propria.

Definierunt.] Seu decreverunt, atque constituerunt.

Unusquisque eorum in subministrationem mittere.] Seu subsidium ad victum in fame de qua modo dictum est, suppeditandum. Ita vox *diaconiæ* seu subministrationis, pro eleemosyna usurpata est etiam supra cap. 6. 1. & 2 Cor. 8. 4. & IX. 1, 12. Heb. 6. ℣. 10. Sic decet & debet fieri, ut Christiani alios Christianos in egestate constitutos cognoscentes, eorum inopiam è suis copiis quantum possunt liberaliter sublevent, ex charitate fraterna: etiamsi alterius sint nationis: ut hic factum.

Habitantibus in Judæa fratribus.] Nempe Christianis ejusdem Patris cœlestis filiis, ab eo regenitis. Potest huc merito accommodari illud quod scriptum est Rom. 15. 27. Nam & isti Antiocheni à Jerosolymitanis bona spiritualia notitiæ Euangelii Christi, & inde manantium beneficiorum acceperunt, itaque justum erat ut eis de suis bonis carnalibus necessaria subministrarent.

Vers. 30. *Quod & fecerunt.*] Non tantum id facere proposuerunt atque constituerunt, sed etiam idipsum bonum propositum ad effectum deduxerunt.

Mittentes.] Nempe illud subsidium collectum.

Ad Seniores.] Græcè *presbyteros.* Hoc nomine interdum significantur peculiariter ii qui erant Pastores Ecclesiarum, ut infra cap. 14. 23. 1 Petr. 5. 1, 2. Sed hic videntur præter hos intelligi etiam alii qui Senatum Ecclesiæ constituebant; inter quos erant & Diaconi, quorum officium erat pauperibus necessaria ad vitam sustentandam undecunque collata, distribuere. Vide supra cap. 6.

Per manum, seu manus, *Barnabæ & Sauli.*] Per istos duos viros divinos fide dignos, symbolas istas collectas, Antiocheni Christiani, Jerosolymitanis transmiserunt.

CAPUT XII.

Vers. 1. *PEr illud autem tempus.*] Quando tempore famis Jerosolymam missa est collecta per Barnabam & Saulum: ut patet ex fine cap. proxime præcedentis: atque etiam ex fine istius.

Herodes Rex.] Herodis Magni nepos ex Aristobulo filio, cognominatus Agrippa, ut eum vocat Josephus: à Cajo Caligula Cæsare donatus tetrarchiis Philippi ac Lysaniæ, cum appellatione Regis, ac postea etiam Galilææ tetrarchiâ Herodi Antipæ à Caligula ademtâ auctus; deinde à Claudio Cæsare addita eidem Judæa ac Samaria: ita ut avi sui regnum quod jam in partes divisum fuerat, totum possideret.

Injecit manus.] Id est hoc aggressus est, & quidem violenter.

Ut maletractaret quosdam ab seu *ex Ecclesia.*] Nempe illa Jerosolymitana. Ita Deus post concessa Ecclesiæ suæ halcyonia & tranquilla tempora, rursus permisit persequutionis vexationem.

Vers. 2. *Interemit autem Jacobum.*] Nempe majorem, qui hic ad differentiam ab altero, describitur, *fratrem Johannis* filium Zebedæi; qui excellens inter Apostolos, primus ex eis baptisatus est illo baptismo sanguinis, quod ei prædixit Dominus Jesus, Matth. 20. 23, de cujus cæde videatur etiam Josephus.

Gladio.] Hoc supplicii genus etiam alias apud Judæos fuit, sed videtur ab aliis gentibus maxime in usum ad eos devenisse.

Vers. 3. *Et videns quod, hoc placitum esset Judæis.*] Quibus erat religione junctus & quorum Rex post avum evaserat: quum Judæi increduli delectarentur sanguine discipulorum Christi, iste Tyrannus favorem eorum hoc nefario facto captans eis gratificabatur ac velificabatur.

Apposuit comprehendere & Petrum.] Illum Apostolorum primatem. Malum atque crudele factum altero æque malo voluit cumulare.

Erant autem dies azymorum.] Seu festum Paschatos, ut ℣. seqq. declaratur, quod ab azymorum seu infermentatorum panum usu ita dictum.

Vers. 4. *Quem &* seu *etiam prehendens.*] Id est quum prehendisset.

Posuit in custodiam seu *carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum, ut custodirent eum.*] Tanto numero militum eum commisit, ut potentius custodiretur, ne scilicet evaderet.

Volens post Pascha.] Ne scilicet festum solenne sanguine funestraret.

Producere eum.] Nempe ad supplicium.

Populo.] Nempe Judaico id avide exspectanti.

Vers. 5. *Ille quidem igitur Petrus servabatur in custodia.*] Inimici agebant circa Petrum diligenter id quod erat ipsorum.

Precatio autem.] Preces à Christianis fieri pro aliis, præsertim ex cœtu Christiano, maxime pro viris in Ecclesia excellentibus, par est, præcipue in periculis quale hic fuit. Preces enim impellunt ac movent Deum ad liberationem: ut ad hunc locum etiam Piscator annotavit, in Analysi, & in observationibus.

Erat intenta.] Cum intentione animi, fervide: vel etiam assidua. Vide Luc. 22. 44. infra cap. 26. 7. 1 Petr. 1. 22. IV. 8.

Facta ab Ecclesia.] Id est discipulis Christi congregatis.

Ad Deum pro eo.] Nempe ut liberaretur.

Vers. 6. *Quum autem productaturus esset eum Herodes.*] Distulit Deus Petri liberationem, tum ut ipsius fiduciam atque constantiam exploraret, tum ut liberatio ista proxime ante discrimen facta esset illustrior, & ut inimici tanto magis confunderentur.

Nocte illa erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.] Quum alias vinctus manu suâ dextrâ, constrictus catenâ ad sinistram militis unius manum alligari soleret; hic duabus manibus duobus militibus est alligatus Petrus, ne scilicet elaberetur.

Custodesque ante ostium servabant custodiam.] Id

est carcerem. Magna diligentia inimicorum describitur in Petro custodiendo, ut tanto major appareat Dei potentia in liberando.

Vers. 7. *Et ecce.*] Repente præter exspectationem.

Angelus Domini.] Sive Dei Altissimi ut Supremi Domini, vide Matth. 1. 30, sive etiam Jesu Christi qui à Deo Summo in cœlum assumtus, factus est Dominus etiam Angelorum 1 Petr. 3. 22.

Adstitit, & lux splenduit.] Nempe Angelo lucis, à luce cœlesti adventante, ut Luc. 2. 9: ut Petrus possset videre quid ageretur, & quid ipsi agendum esset.

In illo habitaculo.] Id est in carcere, qui aliquando ita appellatus, asperitatem rei vocabulo leniente: ut habet Plutarchus in Solonis vita.

Percussoque latere Petri.] Leni tactu commovens.

Excitavit eum.] Quippe dormientem, ut dictum vers. 6.

Dicens: Surge in celeritate.] Id est celeriter absque mora.

Et exciderunt ejus catenæ ex manibus.] Quamvis essent firmæ, stricte alligatæ. Magnum hoc erat miraculum.

Vers. 8. *Ajitque Angelus ad eum præcingere.*] Nempe cingulo.

Et subliga sandalia tua.] Ista Petrum facere & ita se ad egressum præparare Angelus jussit, ut non repente se raptum, sed sensim ac pedetentim eductum è carcere agnosceret.

Fecit autem ita.] Petrus Angelo jubenti obedivit.

Et dicit ei: Circumda vestimentum tuum.] Nempe superius, quasi pallium.

Et sequere me.] Egrediendo ex isto carcere, vade post me.

Vers. 9. *Et egressus sequebatur eum.*] Apparet illos multos custodes sopore alto à Deo per Angelum oppressos fuisse, ut non sentirent ea quæ cum Petro agerentur.

Et nesciebat quod verum esset quod fiebat per Angelum.] Præ stupore quum esset re inexspectata ac repentina Angeli visione perculsus. Non agnoscebat istam è carcere eductionem ita revera fieri.

Putabat autem se visionem cernere.] Visio solet nominari in Sacris Libris quando aliquid non revera fit, sed tantum imago ejus rei quædam divinitus animo objicitur, ac repræsentatur, ut fiebat Prophetis.

Vers. 10. *Transeuntes autem primam custodiam & secundam.*] Extra carceris ostium apparet positam fuisse duplicem custodiam militum, excubias agentium.

Veneruut ad portam ferream, ducentem in civitatem.] In Græco textu proprie *ferentem*, ille ergo carcer, Regiæ Herodis areæ annexus, erat extra civitatem veterem.

Quæ spontanea aperta est eis.] Absque aliquo labore humano. Ut Marc. 4. 28. Sap. 17. 6. Sed vel Deo per Spiritum suum potentem, vel potius per Angelum ibi præsentem, aperiente. Ita etiam dura & firma cedunt divinæ potentiæ.

Et egressi progressi sunt vicum unum.] Seu plateam unam intra urbem.

Et statim abscessit Angelus ab eo.] Quando officio ad quod erat à Domino missus expedito, jam Petrum in tuto locavit, cætera peragenda ejus industriæ commisit. Hinc apparet Angelum custodem non semper Petro præsentem adfuisse.

Vers. 11. *Et*, id est tunc, *Petrus reversus ad se.*] In Græco textu est *factus in seipso*, quia antea quasi extra se erat, nesciens quid secum ageretur: quod tunc agnovit.

Ajit: Nunc scio vere.] Jam non in visione ecstatica ut opinabar, sed revera hoc ita factum esse.

Quod Dominus.] Sive Deus ut causa prima, sive Dominus Jesus, ut secunda ei proxima.

Emiserit Angelum suum.] Nempe è cœlo: si credidisset Petrus Angelum custodem ab ortu semper assistere sibi, non ita dixisset.

Et exemit me ex manu Herodis, & omni exspectatione populi Judæorum.] Liberavit me ne prout isti volebant nunc interficerer. Ita Deus solet impiorum contra pios prava studia irrita facere. Vide Psal. 37. vers. 12 & 32.

Vers. 12. *Consideransque*] Periculum suum, & ex eo liberationem mirabilem.

Venit ad domum Mariæ.] Videtur hæc fœmina fuisse vidua, quod ejus ista domus fuisse dicatur, marito non nominato: & describitur tantum à filio, de quo infra vers. 25. & cap. 13. 5, 13. xv. 35, qui idem videtur dici Barnabæ consobrinus Col. 4. 10.

Matris Johannis, cognominati Marci.] Quanquam autem dictum sit illis fidelibus Christi Jerosolymæ viventibus omnia fuisse communia, supra c. 2. vers. 44. iv. 32, & quotquot habebant domos vendidisse eas, ibid. ℣. 34 tamen hinc apparet non esse id omnino universaliter accipiendum: non venditas fuisse aliquas domos consentientibus Apostolis.

Ubi erant multi congregati.] Græcè proprie *sufficientes*: quædam exemplaria addunt *fratres*. Credibile est non omnes fideles quorum erat magna multitudo in una domo fuisse congregatos, sed alios alibi, vide infra vers. 17.

Hinc autem apparet sacros conventus etiam clandestinos, etiam nocturnos, quando ita necessitas & furor impiorum cogit, non esse illicitos. Nam hunc conventum noctu esse habitum apparet ex vers. 6. supra & 18 infra.

Et orantes.] In illa congregatione etiam noctu preces fundebantur pro Petro, vide supra ℣. 5.

Vers. 13. *Pulsante autem Petro ostium portæ.*] Quidam vertunt *ostium vestibuli*. Sed videtur rectius verti *portæ*, ut & Judic. 18. 17. & Ezech. 40. 11. In ipsa quippe porta poni solet ostium. Et mox versu sequente melius quadrat dici de apertione portæ quam vestibuli.

Processit puella subauscultare, nomine Rhode.] Græcum nomen significat Rosam.

Vers. 14. *Et agnoscens vocem Petri præ gaudio non aperuit portam, introcurrens autem, annunciavit stare Petrum ante portam.*] Gaudio isto insperato perculsa, alios qui intra domum erant hujus gaudii participes quamprimum facere festinavit. Hinc apparet magno desiderio liberandi tanti viri Dei illos piosflagrasse.

Vers. 15. *Illi autem ad eam dixerunt, insanis.*] Videbatur eis puella dicere incredibilia: quia Petrum in carcere firmiter asservatum sciebant: & quamvis pro illo orabant, tamen cum noctu liberandum vix sperabant.

Illa autem confirmabat sic se rem habere.] Seu firmiter asseverabat.

Illi autem dicebant: Angelus ejus est.] Non est necesse putare illos Christianos opinatos esse Petrum habuisse aliquem Angelum custodem peculiarem, ipsi in perpetuum additum. Nam recte hic *angelus* potest intelligi simpliciter *nuncius* ut hoc nomen Græcum significat. Et ita alibi nuncii ab aliquibus missi, vocati sunt Angeli. Sic Johannes Baptista vocatus Matth. xi. 10, & discipuli Johannis ad Christum missi Luc. 7. 24, & discipuli à Christo missi in vicum Samaritanorum Luc. 9. 52, & illi à Josua missi exploratores quos Rachaba suscepit Jac. 2. 25. Potuerunt putare isti qui ad ancillæ dicta hoc responderunt, ancillam esse hallucinatum, & Petrum esse putasse eum qui à Petro missus aliquid de eo nunciaturus venerat.

Vers. 16. *At Petrus permanebat pulsans.*] Quia volebat ingredi eo ubi Ecclesiam fidelium Christi congregari noverat.

Aperientes autem viderunt eum, & obstupuerunt.] Quia rem insperatam ac mirandam conspexerunt, stupore perculsi fuerunt.

Vers. 17. *Innuens autem eis manu ut silerent.*] Id est decussione manus, id significans. Sic infra cap. 19. ℣. 33. xxi. 40.

Enarravit eis quomodo Dominus eum eduxerit ex custodia.] Non Angelo quem præsentem sibi adfuisse viderat, & per quem negotium istud administratum esse senserat, liberationem sui attribuit Petrus, sed causæ principali, nempe Domino cœlesti, ut & supra ℣. 11. At nunc aliqui sanctis mortuis liberationem sui attribuere, eosque ideo colere solent.

Ajit autem annunciate Jacobo.] Nempe illi Alphæi filio, qui Jacobus minor dicebatur: qui inter Apostolos fuit magnæ authoritatis: ut apparet infra cap. 15. 13. xxi. 18. Gal. 1. 19. & ij. 9, 12. Is videtur Jerosolymitanæ Ecclesiæ ordinarie præfuisse. Et apparet eum tunc in alia domo habitasse: quia ei ex ista domo id significari Petrus mandavit.

Et fratribus ista.] Etiam aliis fratribus in Christo, tum Apostolis reliquis, tum aliis discipulis Christi seu Christianis qui Jerosolymis erant, vult Petrus nunciari liberationem suam: ut tum anxia solicitudine liberentur atque consolationem accipiant, tum Deo simul gratias agant.

Et egressus profectus est in alium locum.] Vel in alium locum urbis Jerosolymitanæ, ne in illa domo quæ ob frequentationem Christianorum nota erat adversariis, ab his quæreretur: vel etiam in alium locum extra urbem Jerosolymitanam. Aliqui ajunt Petrum, quum jam antea annis sex vel septem Antiochiæ sedem suam fixisset, hoc anno sedem suam transtulisse Romam, ibique per annos 25 præsedisse. Quanquam Eusebius in Chronico, Petrum Antiochiæ annos 25 mansisse doceat. At Sacræ Literæ neutrius sedis Petrinæ, ac tam diuturnæ sessionis vestigium ostendunt. Imo contrarium ex iis colligi potest. Itaque quod Petavius Rationarii Temporum Par. 1. lib. 5. cap. 3 scripsit: Reliquorum Apostolorum (nempe præter Petrum & Paulum) acta, nullâ fere certâ ac fide dignâ historiâ comprehensa, in obscuro latent; hoc etiam de istis duabus Petri cathedris atque sedibus merito dici potest.

Vers. 18. *Facta autem die, erat turbatio non parva in militibus.*] Id est inter milites, illos quibus custodia Petri erat demandata. *In* pro *inter*.

Quidnam Petro factum esset.] In Græco textu ad verbum est, *quidnam Petrus factus est*. Id est quid accidisset quod in carcere non appareret.

Vers. 19. *Herodes autem requirens eum & non inveniens inquisitione facta de custodibus.*] Græca vox hic posita alias significat *dijudicans*: sed videtur hoc loco notare judicialem quæstionem.

Jussit [eos] duci.] Nempe ad supplicium. Ut hoc verbum Romano more passim à Scriptoribus usurpatum. Ita à Tyranno spe sua frustrato indignante, loco Petri pii, isti milites impii exitium Petri exspectantes sunt interfecti.

Et descendens à Judæa in Cæsaream ibi degebat.] In textu Græco non habetur vox *ibi*, sed subintelligitur, ut & infra cap. 14. 3, & à vulgato Interprete non abs re est addita. Alias posset post vocem *Judæa*, posito commate, seu inciso, *in Cæsaream* accipi pro *in Cæsarea*. Ut infra cap. 19. 22. *in Asiam*, pro *in Asia*. Intelligitur hic illa Cæsarea quæ antea Turris Stratonis dicebatur, de qua supra cap. 8. 40.

Vers. 20. *Erat autem Herodes animo bellum agitans.*] Græca vox hoc loco est composita ex animo & bellatione seu pugna. Baronius Cardinalis putavit Herodem istis fuisse iratum, ob Petrum è fuga receptum. Sed hoc incertum, ut Tirinus bene annotavit.

Tirus & Sidoniis.] Populis duarum urbium maritimarum, in Phœnicia prope fines regni Herodis habitantium.

Unanimiter autem advenerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum Regis.] Qui cubiculi Regii præfectus, videtur apud Regem præ cæteris gratiâ floruisse.

Petebant pacem: propter hoc quod aleretur eorum regio à seu *ex regali.*] Nempe regione, quæ erat subdita isti Herodi, ut Judæa & Galilæa, ipsis Tyriis ac Sidoniis vicina. Ex qua & res ad victum quotidianum necessarias, & merces non paucas comparabant, quibus privarentur, si bellum istud vigeret.

Vers. 21. *Statuto autem die.*] Quidam hoc intelligunt de festo quopiam solenni, in quorum festorum quibusdam, etiam judicia quædam licita fuisse perhibentur. Josephus Antiq. lib. 19. c. 7. scripsit id factum die secunda ludorum, in honorem Cæsaris Claudii exhibitorum. Hanc igitur diem celebrem ipse Herodes huic conventui constituit.

Herodes indutus vestem regiam.] Pretiosam & splendidam; quidam putant fuisse candidam, ex argento contextam ut habet Josephus ad Solis radios resplendentem.

Et sedens pro tribunali.] Suggesto quodam sublimi, posito in theatro. Ut scripsit Josephus.

Concionabatur ad eos.] Id est, orationem publice habebat.

Vers. 22. *At plebs acclamabat, Dei vox.*] Scilicet, hęc est: id dicebat populus blandiens Herodi Regi per adulationem. Josephus scribit cum ab assentatoribus appellatum Deum. Quamvis alias judices in collegio toto considerati vocati sunt Dii, ob similitudinem

divinæ potestatis; tamen singulariter Deum vocari aliquem Regem, non erat moris, apud Judæos, ob periculum idololatriæ. Forsan ii qui Tyro & Sidone venerant Ethnici, poscentes ab eo pacem, ita ei assentabantur.

Et non hominis.] Quamvis eum hominem esse scirent, tamen per assentationem ita loquuntur, ut ille, *nec vox hominem sonat.* Præcipue autem forsan propterea ita sunt loquuti quod verbis blandis pacem indulgeret.

Vers. 23. *Confestim autem.*] Ob cædem Jacobi Apostoli, & ab alios Christianos male tractatos, non statim punitus est à Deo Herodes; quia in eo facto potuit esse aliqua ignorantiæ aut zeli inconsulti excusatio. Sed ob superbiam insignem contra Deum manifeste peccantem, mox eum Deus puniit.

Percussit eum Angelus Domini.] Solet Deus interdum Angelorum ministerio uti in pœnis extraordinariis hominibus propter peccata inferendis. Tale quid in Ægyptiorum primogenitis una nocte necandis, factum esse videtur: at alibi etiam expresse scribitur, ut 2 Sam. 24. 16. in peste Judæis immissa, & 2 Reg. 19. 35. in magno numero Assyriorum una nocte cæso.

Videtur is qui nominatur Angelus Domini fuisse Angelus bonus, è cælo a Deo missus: quia simpliciter Angelus Domini dicitur. Nam non est absurdum, Angelos bonos adhiberi ad puniendos homines malos, vide Math. 13. 41, 42. Quanquam & Spiritus malus, dicatur Spiritus Dei, sed non simpliciter verum cum isto epitheto *malus*, ut 1 Sam. 16. 15, 16. Percussit autem Herodem istum pro Deo haberi volentem Angelus Dei veri, quando ei dolorem gravem immisit circa cor, & per ventrem omnem, ut testatur Josephus Antiquit. L. XIX. c. 7.

Propterea quod non dedisset gloriam Deo.] Quia quum ut Deus celebraretur ab adulatoribus, sivit hoc ita fieri, non compescuit neque repressit voces eorum vanas: imo sibi ob ista placens ac superbiens commisit crimen læsæ Majestatis Divinæ. Postea demum moribundus de ista assentatorum vanitate conquestus est.

Vermibus corrosus.] Josephus scripsit eum torminibus maximis obortis sublatum: sed hoc non pugnat cum eo quod hic S. Lucas expresse addit. Etiam avus ejus Herodes magnus inter varia tormenta quibus divexabatur, vermibus circa genitalia putrida scaturientibus exagitatus fuisse paulo ante mortem, scribitur a Josepho. Et de illo scelesto Antiocho Epiphane Rege Syriæ simile quid scriptum est, 2 Mach. 9. 9. Ita crudeles & superbos Deus eis resistens misere affligere solet, etiam per viles vermiculos. Hinc Herodes se non esse Deum sentire potuit, quum adhuc vivus à vermibus corroderetur, & esset cibus eorum; quod aliis passim hominibus post mortem demum evenire solet.

Exspiravit.] Id est animam exhalavit, vivere desiit: quinto die post illa tormina exorta.

Vers. 24. *At sermo Dei crescebat & multiplicabatur.*] Id est, ita afflicto & oppresso inimico servorum Dei & Christi, interim Euangelium a Deo ut primo authore profectum, non opprimebatur, sed vires sumebat, dum per Apostolos prædicatum a multis homicibus per fidem suscipiebatur. Vide supra VI. 7. & infra XIX. 20.

Vers. 25. *Barnabas autem & Saulus reversi sunt ex Jerusalem.*] Nempe eo unde venerant, id est Antiochiam, ut addunt quædam exemplaria.

Impleto illo ministerio.] Postquam illo officio quod susceperant defuncti sunt: nempe quum pecuniario subsidio ab Antiochenis per eos misso, fratrum Jerosolymis habitantium necessitatibus subvenissent. Vide supra cap. 11. 29, 30.

Assumentes & Iohannem cognominatum Marcum.] Filium illius piæ matronæ quæ ab eo descripta est supra vers. 12.

CAPUT XIII.

Vers. 1. *Erant autem quidam in Antiochia apud eam quæ erat ibi Ecclesiam.*] De cujus institutione & statu florente dictum supra cap. 11. sub finem.

Prophetæ.] Ii quibus sub Novo Fœdere Deus occulta quædam præter cæteros revelabat per Spiritum Sanctum, quorum aliqui etiam futura quæ scire Ecclesiæ intererat prædicendi dono ornati fuerunt. Ut ille Agabus, de quo supra cap. 11. 27, 28. Vide & XV. 32.

Et doctores.] Non Rabbini Synagogæ Judaicæ, sed ii qui in Ecclesia Christiana præter Apostolos pollebant facultate docendi seu mysteria Euangelii hominibus explicandi: de quibus post Propheras nominatis vide 1 Cor. 12. 28. qui à pastoribus ordinariis distinguuntur, Ephes. 4. 11.

Barnabasque.] De quo supra cap. 11. 22, 23, 24.

Et Simeon, vocatus Niger.] Cognomine Latino, à colore.

Et Lucius Cyrenæus.] Prænomine Romano nominatus, sed oriundus è Cyrene Africæ. Is forsan fuit unus ex illis Cyrenæis, de quibus superius dictum, cap. 11. 20, quod quum venissent Antiochiam, Hellenistis prædicaverint Dominum Jesum.

Manahenque, cum Herode tetrarcha.] Intelligitur ille Herodes Antipas, tetrarcha Galilææ, qui etiam alibi simpliciter tetrarcha vocatur, ad differentiam Herodis Regis, ut Matth. 14. 1. Lucæ 9. 7. Vide de eodem Luc. 3. 1.

Simul educatus.] Ut cum Antiocho Epiphane Rege Syriæ Philippus ille, amicus ejus de quo 2 Mach. 9. ℣. ult. Hinc apparet illum Manahen non fuisse vilem ac ignobilem aut obscurum hominem. Aliqui vertunt, *collactaneus* ut sit ejusdem cum illo nutricis lacte nutritus. Ita isti ex eodem quasi nido pulli, in diversa respectu vitæ atque morum abierunt.

Et Saulus.] ille Tarsensis, de quo ex vexatore Christianorum facto Christiano eximio, narratum supra cap. 9.

Vers. 2. *Ministrantibus autem eis Domino.*] Id est publice fungentibus munere sacro, ut Luc. 1. 23. Hebr. 10. 11. in quo serviebant Domino Jesu. Munus hoc videtur fuisse prophetandi & docendi, quia supra dicti sunt isti fuisse Prophetæ & doctores, tale ministerium hoc loco & Caietanus Cardinalis, intellexit. Chrysostomus, Theophyl. & Oecumen. exponunt, *prædicantibus.* Vide etiam Rom. 15. 16.

Syrus

Syrus autem & Arabs interpretantur *precantibus*. Quod etiam declaratur inde quia ut hic ministratio jungitur cum jejunio, ita vers. mox sequente precatio. Preces & laudes Dei habentur pro sacrificiis. Hebr. 13. 15. Temere igitur aliqui hoc de sacrificio Missæ (quam vocant) interpretantur.

Et jejunantibus.] Jejunia religiosa sunt adjumento ad devotionem majorem. De his vide Math. 6. 16. & IX. 14, 15.

Ajit Spiritus Sanctus.] Id est Deus, cujus est iste Spiritus, vel etiam Christus Dei, per Spiritum Sanctum seu afflatum divinum ut supra x. 19. servis suis datum, nempe illis Prophetis quorum superius facta mentio illorum sive alicujus ex illis ore istud pronunciavit. Ut infra 20. vers. 23. confer 21. 4 & 11. non recte autem hinc infertur Spiritum Sanctum esse personam divinam. Nam & de prophetia scriptum est, quod dicat, Matth. 13. 14. & de Scriptura Joh. 7. 38, 42. XIX. 37. Rom. 4. 3. X.II. XI. 2. & de oraculo XI. 4. & de Lege 3. 19. & de justitia X. 6.

Separate sane mihi.] Id est è numero vestro electos segregate ad functionem peculiarem.

Barnabamque.] Illum Cyprium filium consolationis de quo supra cap. 4. 36, 37. XI. 22, 24.

Et Saulum.] Quem Dominus Jesus ipse antea destinaverat ad officium insigne supra IX. 15. ad Apostolatum inter Gentes obeundum. Vide infra 22. 21. Hanc separationem sui ad prædicandum Euangelium respicit ipse iste Saulus qui & Palus, Rom. 1. 1. isti duo jam antea societate familiari erant devincti. Vide supra IX. 27. & XI. 25.

In hoc opus.] Id est ad hanc functionem, nempe ut verbum Dei seu Euangelium passim prædicent & annuncient. Vide infra vers. 5, & deinceps.

Ad quod advocavi eos.] Sicut Domini ac principes solent ad se vocare & accersere è suis eos quorum opera uti constituerunt, ut eis aliquid faciendum mandent. Non est, necesse, omnes quicunque Euangelium præsertim jam olim confirmatum hominibus sunt propositurí vel potius commemoraturi, ita extraordinarie miraculose ad id vocari à Deo, atque mitti. Ipsa enim donorum ad id opus idoneorum collatio, & interna animi à Deo ad id exercendum impulsio est talibus pro vocatione atque missione.

Vers. 3. *Quum jejunassent & precati essent.*] Quidam hoc ita exponunt quum illas preces & jejunium quorum antea mentio facta, peregissent. Sed dici merito potest, eos post illam vocem Spiritu Sancto dictante prolatam, denuo cum jejunio preces novas ad Deum vel etiam Dominum Jesum direxisse, ut peculiariter pro istis servis ejus, quos sibi segregari jussit, & pro eorum functionis prosperitate precarentur, atque Spiritus Divini Sancti opem, quæ ad talem functionem requiritur, eis à Domino impetrarent.

Et imposuissent manus eis.] Quo ritu eos consecrabant ad istam functionem, eisque benedictionem nomine Dei & Christi impertiebantur. De hoc ritu dictum supra cap. 6. 6.

Dimiserunt eos.] A se ad iter & functionem istam.

Vers. 4. *Isti.*] Barnabas & Saulus.

Quidem igitur.] Hæc particula *quidem* hic redundat & ponitur absque respondente ei *autem*. Ut & supra cap. 5. 41. VIII. 4.

Emissi à Spiritu Sancto.] Quo dictante iter istud susceperunt. Vide supra ℣. 2.

Devenerunt in Seleuciam.] Antiochiæ vicinam; à Seleuco conditore ita nominatam.

Illincque abnavigaverunt in Cyprum.] Insulam maris meditarranei, Syriæ adjacentem, patriam Barnabæ. Vide supra cap. 4. 36.

Vers. 5. *Et quum essent in Salamina.*] Erat hoc nomine insula Athenis vicina; sed Teucer Telamonis filius inde exsulans, novam Salaminem in Cypro condidit: quæ urbs nunc Famaugusta dicitur.

Annunciabant sermonem Dei.] Illum eximium, nempe Euangelium Jesu Christi.

In Synagogis Judæorum.] Qui in Cypro multi erant.

Habebant autem & Johannem.] Illum qui dictus Marcus. Supra cap. 12. 25.

Subservientem.] In rebus non solum ad corporalia sed & ad spiritualia spectantibus.

Vers. 6. *Peragrantes autem illam insulam.*] Nempe Cyprum, cujus urbs una è multis Salamin, versus Orientem.

Usque ad Paphum.] Urbem ejusdem insulæ Cypri, versus Occidentem: ubi Venus, quæ inde etiam Paphia ut & Cypris dicta colebatur, & templum habebat insigne.

Invenerunt quendam magum Pseudoprophetam Judæum.] Homo iste nefarius quamvis Judæus è populo Dei existens, tamen & magiam diabolicam exercebat, ut ille Simon Samaritanus, de quo supra cap. 8. 9, 11, & erat falsus Propheta, nomine Dei falsa annuncians.

Cui nomen Bar-Jesus.] De hoc nomine & ejus significatione varii varia afferunt. Significat filium Jesu cujusdam: ut *Bar-Jona* dictus filius Jonæ, Matth. 16. 17. & Bartimæus, filius Timæi Mar. 10. ℣. 46. Volunt aliqui alterius plane originis & significationis hoc loco esse *Jesus*, quam quum de Servatore nostro Christo dicitur: sed id non est necesse: quia id nomen inter Judæos usitatum, non semper significationi suæ respondebat. Vel potius nomen istud notat filium salutis.

Vers. 7. *Qui erat cum proconsule.*] Hac appellatione significari solet consulis Romani vicarius, potestate consulari provinciam gubernans. Sed notant quidam, non proprie eum qui præerat Cypro fuisse proconsule, potius pro prætore. Sed est hic catachresis seu abusio vocis. Potest significare generaliter præsidem Româ illuc missum.

Sergio.] Gens Sergia inter Romanas familias antiqua & celebris fuit.

Paulo.] Hoc cognomen quod significat *parvulum* seu *pusillum*, addebatur quibusdam.

Viro intelligente.] Rerum perito atque prudente.

Hic advocatis Barnaba & Saulo.] Quos doctrinam quandam de religione novam prædicare, ex rumore percepit.

Requirebat audire sermonem Dei.] Ut decebat vivum cordatum, omnia probare.

Vers. 8. *Resistebat autem eis.*] Ita solent Satanæ ministri opponere se ministris Dei & Christi: sed parum proficiunt.

Elymas.] Nominis hujus variæ afferuntur derivationes

tiones & significationes. Aliqui censent esse nomen Arabicum, quod notet sapientem; *Magus*, Persicum idem est quod sapiens. Vide annotationem ad Matth. 2. 1.

(*Ita enim explicatur nomen ejus*).] Indicat Lucas nomen istud Elymas idem significare quod Magus. Vel fortasse potius nomen illud Bar-Jesu, quod positum est supra ℣. 6, quod significat filium salutis, exponit per hoc Elymas, aut potius Helyma, (sed aspiratione hic sublata, ut fit in Eva, Enoch &c. & *a* mutato in *as* sicut fit in Thomas, Barnabas &c.) Helyma quippe ex Hebræo vel Chaldæo, significat Sanatorem.

Quærens.] Id est studens.

Avertere proconsulem à fide.] Id est dictis suis cavillans dicta istorum, atque ita impedire conatus præsidem Sergium Paulum ne Euangelio crederet, & fidem in Jesum Christum susciperet.

Vers. 9. *Saulus autem qui & Paulus.*] Qui antea à nativitate Saulus fuit nominatus, nomine Hebræo, is deinde simili & unâ tantum literâ mutato nomine Romano Paulus vocatus; à familia forsan istius Sergii Pauli proconsulis. Atque jam ab hinc non illo sed isto nomine inter Gentes usitato nominatur, & ipse sese nominat.

Repletus Spiritu Sancto.] Jam antea habuit in se Spiritum Sanctum, velut ignem quendam, sed ille ignis antea gliscens, tunc excitatus exarsit, ita ut arderet & flagraret, cujus ardor ac zelus quo totum pectus Pauli occupatum erat, palam apparebat. Vide supra cap. 4. 8. & VII. 55 collato cum cap. 6. 3 & 5.

Et intuens in eum.] Græce proprie est intendens, nempe oculos.

Vers. 10. Paulus hominem improbum in negotio pietatis obstantem, objurgat graviter pro merito.

Ajit: O plene omni dolo & omni maleficentia.] Græca vox ista significat facilitatem agendi: sed notat in specie id quando aliquis facilis & propensus est ad quodvis scelus perpetrandum. Apud Erasmum est *versutia*.

Fili diaboli.] Qui diaboli illius maligni spiritûs ingenium perversum & mores malignos refers atque imitaris, perinde ac si ex eo esses natus, vide Joh. 8. ℣. 41, 44. Hæc verba non continent maledicentiam vitiosam qualis ex affectu carnali solet proficisci, sed objurgationem justam ejus qui id meritus erat, à studio gloriæ Dei atque Christi, & salutis Sergii, profectam.

Inimice omnis justitiæ.] Qui rebus justis atque rectis adversaris.

Non cessabis pervertens vias Domini rectas?] Doctrinam à Deo profectam, veritatis & bonitatis plenam volens in diversum vertere, fraudibus tuis, & pro distorta traducere.

Videtur S. Paulus allusisse ad Oseæ Prophetæ verba ultima, ubi dicitur: Viæ Domini sunt rectæ, & justi ambulabunt per eas, impii autem corruent in eis.

Vers. 11. *Et nunc.*] Id est *igitur nunc*, ut supra cap. 10. 5.

Ecce.] Præter exspectationem.

Manus Domini super te.] Id est plaga à Deo vel Christo tibi imminet, ut Ruth. 1. 13. Spiritu Dei cernens vindictam divinam ei impendentem, prædicit eam, ut Propheta, non ipse homirem punit. Indicat S. Paulus Jesum Christum Dominum cœlestem, cujus doctrinæ Magus iste resistebat, esse multo potentiorem quam diabolum à quo iste regebatur.

Et eris cæcus, non cernens Solem.] Merito qui lucem spiritualem doctrinæ de Jesu Christo qui est Sol justitiæ, volebat obscurate.

Usque ad tempus.] Non in perpetuum, quia forsan post pœnam testatus est pœnitentiam, ut & ille alter Magus Simon Samaritanus.

Confestim autem.] Absque mora & dilatione.

Incidit in eum caligo & obscuritas.] Minæ Pauli propheticæ effectum mox sortitæ, ostenderunt istum Magum qui alias forsan miranda patrabat præstigiis suis, miraculosâ Dei ac Christi ejus potentiâ, cui resistere non potuit, punitum esse.

Et circumiens quærebat manuductores.] Ille qui velut sapiens & mira patrans alios ducere ac seducere solebat, nunc aliorum ductu indiget.

Vers. 12. *Tunc videns proconsul quod factum erat.*] Ille Sergius Paulus coram cujus oculis id erat factum, ut ille Magus, servis Jesu Christi, & doctrinæ ejus adversatus, subito cœcitate punitus fuerit.

Credidit.] Quum audisset doctrinam Euangelii enarratam, & tali miraculo evidenti vidisset confirmatam, credidit Euangelio, & fidem in Christum suscepit.

Sed non exprimitur hic quousque fides ista Sergii proprætoris processerit, utrum fidem istam professus, baptizatus fuerit in nomen Christi. Id tamen factum esse credibile est, quia talia requirebantur ab iis qui credidisse narrantur.

Perculsus super doctrina Domini.] Id est vehementer animo commotus, cum admiratione magna, quod ista doctrina Christi, quam iste ejus servus Saulus jam Paulus prædicabat, esset conjuncta cum tanta potentia mirifica ut etiam Magum qui alias miranda patrabat adversantem tali pœna insigni repente affecerit.

Vers. 13. *Provecti autem à Papho.*] Nempe per mare, navi.

Qui circa Paulum [*erant*].] Nempe illum qui antea Saulus vocabatur. Non tantum vero ejus comites, sed & is ipse Paulus ibidem cum illis fuit. Similis loquutio Joh. XI. 19.

Venerunt in Pergen Pamphyliæ.] Urbem regionis ita dictæ: quam urbem templo Dianæ celebrem fuisse, docet Pomponius Mela Geographus.

Johannes autem.] Nempe ille memoratus supra vers. 5.

Abscedens ab eis reversus est in Jerosolymam.] Forsan labores & pericula itineris ulterioris refugiens, ad matrem suam rediit.

Vers. 14. *Ipsi autem digressi à Perga advenerunt in Antiochiam Pisidiæ.*] Ita nominatur ut discernatur ab altera Antiochia Syriæ celebriore, de qua dictum supra cap. XI, & hujus cap. 13. initio. In ejusdem Antiochi memoriam à Seleuco filio in alia regione condita.

Et ingressi in Synagogam.] In Judæorum conventum.

Die Sabbatorum.] Id est die Sabbati; plurale pro singulari. Sic Matth. 12. 1. XXVIII. 1. Marc. 1. 21.

Sederunt.] Ad concionem audiendam, loco ut apparet honorabili.

Vers. 15. *Post lectionem autem Legis & Prophetarum.*] Legem Mosis divisam in sectiones, seu Paraschas 54, ordinarie jamdudum per Sabbata publice in Synagogis legere soliti Judæi, unoquoque Sabbato lecta sectione unâ, nisi quod bis duas minores conjungunt, ut ita quotannis Legem absolvant. Quum autem tempore Antiochi Epiphanis lectio Legis esset palam severe interdicta, orta est lectio Prophetarum, è quibus totidem quot ex Lege sectiones selectæ, quas vocant ha Petaras, quasi illas dimissiones, quia harum lectione absoluta populus dimittitur.

Miserunt præfecti Synagogæ.] Qui negotia Synagogæ administrabant & moderabantur, vide annot. ad Marc. 5. 22.

Ad eos.] Ut qui forsan prope Rabbinos consederant, & videbantur non de plebe homines.

Dicentes: Viri fratres si est sermo in vobis exhortationis ad populum dicite.] Apparet moris fuisse ut ii qui concionari posse viderentur, ad hoc extra ordinem invitarentur. Saltem solitum fuisse id permitti aliis præter Rabbinos ordinarios, apparet etiam ex Jesu exemplo. Luc. 4. 15, 17. [Forsan petierant prius isti ut sibi liceret populum alloqui.]

Vers. 16. *Surgens autem Paulus.*] Quia tunc ibi non pro Doctore ordinario sese gerebat: nam alioqui docentes soliti sedere. Vide annot. ad Luc. 4. 20.

Et innuens manu.] Nempe significans se loqui velle, ut silentium obtineret. Vide supra cap. 12. 17.

Ajit: Viri Israëlitæ.] Posteros Abrahami, Isaaci, & Jacobi seu Israëlis qui ab origine in populo Dei censebantur, alloquitur.

Et timentes Deum.] Ita appellati videntur ii qui præter nativos Israëlitas, ad cultum veri Dei ex gentibus accesserant, proselyti. Ut supra cap. 10. 2. infra ℣. 43. & XVII. 4.

Audite.] Post captatam ex honorifica appellatione benevolentiam, nunc sibi conciliat attentionem.

Vers. 17. Beneficia Dei populo Israëlitico exhibita memorat gradatim ad Messiam.

Deus populi hujus, Israëlis.] Posterorum illius Jacobi qui est appellatus Israël, à quo ejus posteri sunt etiam nominati Israël.

Elegit patres nostros.] Nempe in peculiares suos servos & amicos, Abrahamum, Isaacum, Jacobum & hujus filios.

Et hunc populum exaltavit.] Quum Josepho ad dignitatem eximiam evecto, etiam pater ejus Jacobus, & fratres, in honore sunt habiti ab Ægyptiis; & quamvis posteri eorum postea premerentur tamen Deus eos magnis incrementis auxit, Exod. 1. 7, & quum Ægyptios eorum causâ puniret, ipsos gratiâ suâ insigniter ornatos ostendit.

In incolatu.] Quum essent incolæ & inquilini in terra aliena.

In terra Ægypti.] Pleraque exemplaria Græca habent *in terra Ægypto.*

Et cum brachio elato.] Id est potentiâ suâ magnâ, insigniter exsertâ. Ita *brachium* pro potentia sumitur & alibi, ut Job. 40. 4. Jesai. 52. 10. LIII. 1. Luc. 1. 51. Est metaphora sumta ab hominibus, qui aliquid valide acturi, præsertim aliquem percussuri, brachium in altum extollere solent.

Eduxit eos ex ea.] Nempe ex terra Ægyptiaca quum in ea premerentur servitute.

Vers. 18. *Et quasi quadraginta annorum tempus.*] Quia defuisse videtur ad plenum numerum annus unus.

Mores eorum pertulit.] Quamvis essent sæpe inepti, imo refractarii, increduli, murmurantes, idololatræ, Deus tamen eos toleravit, ut Pater pueros. Deut. 1. 31.

In deserto.] Inter Ægyptum & terram promissam interjecto.

Vers. 19. *Et delens gentes septem in terra Chanaan.*] Ex posteritate Chami, cujus nepos Chanaan quarum interdum tantum sex memorantur, ut Exod. 3. 8 & 17. Jud. 3. 5. Sed alibi septem numerantur. Deut. 7. ℣. 1. Jos. 24. 11.

Sorte distribuit eis terram earum.] Per Josuam ducem successorem Mosis cum Eleazaro Pontifice vide Jos. 13. 7. XIV. 1, 2.

Vers. 20. *Et posthæc annis quasi 400 & 50.*] Quidam putant hic computari annos, à nato Isaaco cum cujus ex Abrahamo geniti familia Deus fœdus iniit, usque ad Judices; ita ut tantum tres anni desint ad numerum rotundum: ut non quamdiu Judices rexerint, sed quando eos Deus dederit indicetur. Id faciunt maxime propter verba 1 Reg. 6. 1, quibus dicitur, annos 480 effluxisse ab exitu Israëlitarum ex Ægypto ad inchoatam à Solomone templi structuram. Sed non absre videtur Petavius istum exitum exponere de ingressu in Chananæam. Non videtur autem conveniens ut verba hic posita *posthæc* quæ manifeste respiciunt proxime præcedentia, de terra Chananæa distributa, intelligantur à nato Isaaco. Imo si computentur anni in Sacra Scriptura expressi post Josuæ ac Seniorum ejus sociorum per quos facta est illa distributio decessum, numeratis tum annis judicum usque ad Samuelem, qui etsi Judex quoque fuit, tamen seorsim hic ponitur, tum servitutum intercurrentium, colligentur exacte anni 450.

Dedit Judices.] Intelliguntur illi Gubernatores & Rectores Reipublicæ Israëliticæ, in terra Chananæa, quasi Duces, qui populum non tantum judicarunt proprie, sed rexerunt, non tantum in pace, sed & in bello, ab hostibus eum defendentes. Nam *judicare* per Hebraismum & regere & vindicare significat.

Usque ad Samuelem Prophetam.] Qui ex istis judicibus fuit ultimus.

Vers. 21. *Et exinde.*] Non videtur opus esse hæc ita exponi ut quidam faciunt, *Inde* id est ab ipso nempe Deo. Nam potest recte explicari per *deinde* seu *postea*, quum post Judices alios Samuel Rempublicam gubernaret.

Petierunt Regem.] Exemplo nationum aliarum 1 Sam. 8. 5 & 19.

Et dedit eis Deus Saulem.] Ad importunam illius populi instantiam 1 Sam. 9. 15, 16. & X. 1.

Filium Cissi, virum ex tribu Benjaminis.] Non ex tribu Judæ: cui videtur olim destinatum sceptrum, Gen. 49. 10.

Annis

Annis 40.] Non proprie Saulus ipse per tot annos regnavit, sed ita ut anni regiminis Samuelis, ejus regimini accenseantur, vide 1 Sam. XI. 7. Alioqui Saulus solus annis decem aut duodecim regnasse videtur. Quod autem 1 Sam. 13. 1, dicitur tantum biennium regnasse super Israëlem; hoc non simpliciter intelligendum, sed ita ut post biennium regiminis sui, ob inobedientiam à Deo rejectus, non amplius vere esset Rex Deo probatus, 1 Sam. 15. 26, 28. Quamvis adhuc postea regimen vel potius tyrannidem exerceret.

Vers. 22. *Et amoto eo.*] Seu translato. Quidam hoc exponunt de eo quando Deus Saulem sibi inobedientem è medio sustulit, per mortem, vide 1 Par. cap. X. 13, 14. Quia tum demum regnum in Davidem translatum est actu ipso. Sed potest hoc ita exponi quod Deus Saule adhuc vivente rejecto, alium elegerit cui regnum assignavit, quamvis nondum statim actu dedit. Vide 1 Sam. 13. 14. & XV. 28. & XVI. 1.

Excitavit eis Davidem.] Seu erexit, ex loco humili & exili, elevans, ex homine ignoto ac vili ad insignem dignitatem eum promovens. Vide Psal. 113. 7, 8. & LXXVIII. 70, 71. is fuit è tribu Judæ.

In Regem.] Id est, in id eum erexit ut esset Rex.

Cui & dixit testimonium dans, inveni Davidem filium Jesse seu *Isai, virum secundùm cor meum.*] Id est animo meo placentem. Vide 1 Sam. 13. 14. & Psal. 89. 20, 21. Act. 7. 46.

Qui faciet omnes voluntates meas.] Id est omnia quæ volo. Non tam hoc intelligendum de communium Legis omnibus latæ præceptorum observatione, quam potius de peculiaribus Dei mandatis, ad munus regium Davidis spectantibus, vide Psal. 78. 72. Opposite ad Saulum, qui contra mandatum Dei pepercit Amalekitarum Regi, & pecoribus opimis. 1 Sam. 15.

Vers. 23. *Hujus.*] Nempe Davidis. Præfatio Pauli de Dei erga Israelitas gratia, & narratio de Davide, ad hunc scopum tendebat, ut post talem insinuationem, annunciaret eis Jesum Christum.

A semine.] Vel ex semine: id est ex ejus prole ac progenie, vide supra cap. 2. 30.

Deus secundùm promissionem.] De hac promissione Dei, dictum supra ad cap. 2. 30. Sed videantur etiam loca 1 Chron. 17. 11, 12, 13, 14. Jesa. XI. 1, 2. Jer. 23. 5.

Excitavit.] Non intelligitur hic resuscitatio ex mortuis, sed ad munus insigne productio, ut supra cap. 2. 30. iij. 22. VII. 37. quanquam ibi alia vox Græca, sed idem significans. At eadem quæ hic eodem sensu Luc. 1. 69. & supra vers. proxime præcedente.

Israëli.] Id est populo Israëlitico cui olim est à Deo promissus Messias.

Servatorem.] Talem qui sit populi Israëlitici Servator; salvans eum non ex servitute corporea & miseriis temporalibus, ut factum aliquatenus per eos qui etiam Servatores dicti, quos etiam Deus excitasse dicitur, ut Judic. 3. 9. & 15, sed ex miseria summa perpetua, liberans. Vide supra cap. 5. 31.

Jesum.] Exprimit quis sit iste Servator, nempe ille Jesus, cujus etiam nomen ipsum à salute seu à servando denominatur. Vide Matth. 1. 21.

Vers. 24. *Prius prædicante Johanne.*] Illo filio Zachariæ Sacerdotis, ut prodromo viam ei parante: de quo Mal. 3. 1.

Ante faciem ingressus ejus.] Non tantum simpliciter ante adventum ejus, respectu temporis, sed etiam magis respectu situs quodammodo, quum Jesus Servator jam paratus adventaret mox munus suum aggressurus seu inchoaturus.

Baptismum resipiscentiæ.] Ut per resipiscentiam, à pristinis peccatis, velut ablutus, cujus rei signum est baptismus, ad Messiam suscipiendum esset populus paratior. Vide Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.

Omni populo Israëlitico.] Publice, ita ut plerique è populo ad eum accurrerent Matth. 3. 5.

Vers. 25. *Quum autem expleret Iohannes cursum.*] Vel quum munus suum à Deo sibi mandatum exsequeretur, ut Col. 4. 17, vel quum jam prope consummasset functionem suam. Ut supra cap. 12. 25. vide & 2 Tim. 4. 7.

Dixit: Quem me suspicamini esse.] Nempe Messiam, seu Christum, quum pro tali à quibusdam haberetur, vide Luc. 3. 15.

Non sum ego.] Noluit Johannes Baptista se pro Messia gerere, imo se non esse Messiam confessus est palam Joh. 1. 20.

Sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamentum pedum solvere.] Vide Matth. 3. 11. Luc. 3. ℣. 16. Joh. 1. 27.

Vers. 26. *Viri fratres.*] Amica & honorifica compellatione captat eorum benevolentiam.

Filii generis Abrahami.] Qui ex illo Abrahamo celeberrimo Patriarcha, Dei amico, cui Deus & semini ejus se benedicturum esse promisit.

Et qui in vobis.] Id est inter vos. *In* pro *inter.*

Timentes Deum.] Quamvis non ex genere Abrahami, sed ex aliis gentibus proselyti, qui ad cultum veri Dei accesserunt, vide supra ℣. 16. & infra 43.

Vobis sermo salutis hujus missus est.] Id est Deus vobis Abrahami & Israëlis posteris primario voluit per Jesum qui est Christus, & per ejus ministros, annunciari Euangelium, quod continet sermonem de salute æterna consequenda, vide Matth. 10. 6. Act. 3. 25, 26. X. 36. & Rom. 15. 8.

Sermo salutis hujus.] Id est sermo iste de salute, seu sermo salutaris, vide supra cap. 5. 20.

Vers. 27. *Qui enim.*] Particula ista causalis non videtur hoc loco vim suam solitam retinere. Nam non est sensus illis Judæis qui Antiochiam Pisidiæ incolebant sermonem salutis missum esse ob eam causam, quod Jerosolymitani Judæi Jesum damnaverint &c. quia etiam Jerosolymæ incolis, post hanc damnationem, annunciatus est sermo de Christo Servatore, quem nonnulli eorum susceperunt. Videtur ergo vox ista *enim* hoc loco poni pro *autem.*

Habitabant in Jerusalem, & primores eorum.] Non solum vulgus Judæorum, sed præcipui inter eos, ut Pontifices, Scribæ &c. & totum Synedrium.

Hunc ignorantes.] Quidam istas voces referunt ad sermonem missum, de quo proxime dictum, ut Syrus Interpres. Alii autem ad Jesum, de quo antea actum ℣. 23 & 25. Id videtur rectius, quia & Paulo post

post vox *judicantes* ad eundem refertur. Et sensus est Judæos Jerosolymitanos quia ignorabant quis proprie & qualis esset iste Jesus servator, & nesciebant ipsum esse Messiam, ideo illum damnavisse. Vide supra III. 17.

Et voces Prophetarum.] De Messia seu Christo olim prædictas, & in Sacra Scriptura comprehensas, quæ voces de hoc Jesu sunt intelligendæ, quia in eo vere facta sunt ea quæ Prophetæ de Messia prædixerunt: respiciatur annotatio ad Luc. 24. 26, 27 & 44. & Act. cap. 3. 18. Has voces propheticas etiam Judæi Jerosolymitani nesciverunt seu non intellexerunt.

Quæ per omne sabbatum leguntur.] Vide supra annot. ad ℣. 15. Tanto magis miranda est ista eorum ignorantia, quod voces istæ propheticæ subinde inter eos legi soleant, & commemorari.

Judicantes scilicet *eum.*] Nempe Jesum, quem pro Servatore & Messia suo agnoscere debebant, hunc judicarunt, id est dignum morte esse decreverunt, seu condemnaverunt. Sæpe *judicare* sumitur pro *damnare*, sicut & *judicium* pro damnatione.

Impleverunt.] Nempe voces illas propheticas, de Messia, quæ prædicebant eum à quibusdam contemnendum, seu contumeliis afficiendum, irridendum, affligendum, transfigendum, interficiendum, ut Psal. 22. Esa. 53. Dan. 9. 24. &c. eas ipsi reipsa ad exitum perduxerunt.

Vers. 28. *Et nullam causam mortis invenientes.*] Nullo crimine vero, quod esset supplicio dignum, in eo invento.

Rogaverunt Pilatum, ut is interimeretur.] Vide Matth. 27. 20, 22. Luc. 23. 18, 21. Joh. 19. 6. & Act. 3. 13, 14.

Vers. 29. *Quum autem perfecissent omnia ea quæ de eo scripta erant.*] Nempe quæ ad afflictionem ac passionem Christi spectabant.

Detrahentes à ligno.] Detractum eum de cruce.

Posuerunt in monumentum.] Non sunt hæc verba referenda ad illos ipsos Jesu inimicos, qui causa ejus interimendi fuerunt. Sed subintelligendum id fecisse quosdam alios ex hac gente, ut Josephum Arimathæensem, & Nicodemum. Joh. 19. 38, 39.

Vers. 30. *At Deus excitavit eum ex mortuis.*] Judæi Jesum pro Messia non agnoscentes, morte dirâ eum affici curârunt: at Deus eis contrarius ipsum è morte reduxit ad vitam. Vide supra cap. 2. 24, 32. iij. 15. v. 30.

Vers. 31. *Qui.*] Nempe Jesus resuscitatus.

Conspectus est per dies multos.] Nempe per dies 40. Probat Jesu Christi resuscitationem à testibus.

Iis qui simul ascenderant cum eo à Galilæa in Jerusalem.] Nempe discipulis ejus ipsi adhærentibus; præsertim Apostolis. De his vide Act. 1. 3. ij. 32. x. 40, 41.

Qui sunt testes ejus ad populum.] Isti testes ejus rei oculati etiamnum superstites, testantur hoc publice.

Vers. 32. *Et nos.*] Ego ille olim Saulus nunc Paulus, & iste socius meus Barnabas.

Vobis euangelizamus.] Id est ut bonum ac lætum nuncium annunciamus.

Illam ad patres factam promissionem.] Id est patribus, illis priscis Patriarchis de Messia à Deo promisso. Ut Abrahamo, sub seminis benedicti appellatione, Gen. 22. 18. & Isaaco Gen. 26. 4, & per Jacobum Judæ, Gen. 49. 10. & specialius Davidi, 2 Sam. 7. 12. & Jesa. XI. 1.

Quod hanc Deus expleverit.] Jam reipsa præstitit.

Liberis eorum.] Istorum patrum soboli ac posteris.

Nobis.] Nunc viventibus Abrahami posteris, Israelitis, etiam vobis.

Suscitatio Jesu.] Quidam nolunt hoc intelligere de ejus ex morte resuscitatione, sed de exhibitione in mundo, ut supra cap. 2. 30. iij. 22. At non videtur esse causa justa cur non in significatione celeberrima de suscitatione ex mortuis hoc accipiatur. De quo mox ad versum sequentem. Quamvis enim jam tum Deus aliquatenus præstitit promissum de Messia quum Jesum mundo exhibuit cum Euangelio; tamen perfectius id explevit quum eum morte affectum gloriose resuscitavit.

Vers. 33. *Ut & in Psalmo &c.*] Istius suscitationis Jesu confirmationem affert ex Psalmo Davidis; unde apparet ista Psalmi verba de ipsa promissa Jesu Christi suscitatione esse intelligenda.

In Psalmo secundo scriptum est.] Quidam codices habent simpliciter in Psalmo. Aliqui in Psalmo primo, quod ille qui usitate primus Psalmus vocatur, pro præfatione Psalmorum potius quam pro Psalmo à quibusdam haberetur: vel quod iste Psalmus qui nunc secundus vocatur cum primo à quibusdam conjungeretur. Sed tamen emendatissimi libri, Psalmum hunc secundum nominant. In quo Psalmo David aliquatenus de seipso, sed sensu perfectiore mystico, de Messia illo eximio, ex progenie sua proditurò, cecinit Spiritu prophetico impulsus.

Filius meus es tu.] Hæc verba etiam de ipso Davide aliquatenus dicta: Nam & alii Judices seu Rectores populi, dicti sunt & Dii, & filii Dei, Psal. 82. 6. David autem pro primogenito seu præcipuo inter Reges terræ à Deo constitutus Psal. 89. 27, 28. Sed sensu mystico perfectiore spectabant ista ad illum ex posteris Davidis eximium Messiam: nempe Jesum Christum, qui magis proprie est filius Dei Altissimi.

Ego hodie genui te.] Verba hæc Dei, dicta Davidi jam adulto, significabant eum ex periculis gravibus in quibus morti vicinus erat, ereptum, ac Regem constitutum atque confirmatum esse, vide 2 Sam. 5. ℣. 12. & XIX. 22. At sensu mystico perfectiore spectant ad Jesum Christum, qui ortus ex posteris Davidis Regis, & nomine Davidis appellatus, Jer. 30. 9. Ezech. 34. 23. Hos. 3. 5.

Multi temere his verbis significari opinantur Deum patrem ab æterno filium ex sua substantia genuisse. Sed neque hic fit ulla mentio substantiæ ipsius Dei, nec Deo convenit ex ipsa sua substantia ad instar animalium corruptibilium prolem generare; neque vox *hodie* usquam in Sacra Scriptura significat æternitatem, sed tempus certum quo aliquid fit. Impleta sunt hæc verba in Jesu Christo, tunc quando eum per mortem è medio sublatum & jam esse desinentem, Deus pater rursus existere fecit, quum eum à morte ad vitam revocatum, immortalitate ac proinde divinæ naturæ participatione, ac potestate plane divina similem sibi effecit: quo facto, constitutus est filius Dei in potentia ex resurrectione. Rom. 1. 4. Hoc istis verbis significari agnoverunt & olim aliqui

ex iis qui patres Ecclesiæ vocantur, ut Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus: & ex recentioribus inter Pontificios Vatablus, Lorinus, Tirinus: inter Lutheranos Joh. Bugenhagius Pomeranus, & Flaccius Illyricus: inter Reformatos Calvinus, Musculus, Paræus. Certe ubi est motus à non esse ad esse, ibi est aliqua generatio. Hinc Jesus Christus dicitur esse primogenitus ex mortuis Colos. 1. 18. Apoc. 1. 5. Simili sensu vox *regenerationis* ponitur Matth. 19. 28.

Vers. 34. *Quod autem suscitaverit eum ex mortuis, non amplius reversurum in corruptionem.*] Non solum eum simpliciter è morte ad vitam reduxit, Deus, ut factum etiam aliis qui mortui sunt resuscitati, at rursus mortui: sed quod majus est, ita eum resuscitavit, ut is Jesus jam nequaquam subjaceat morti ac corruptioni, vide Rom. 6. 9. Apoc. 1. 18.

Ita inquit.] Apud Jesaiam Prophetam. cap. 55. 3.

Quod.] Hæc particula hoc loco redundat, ut fit sæpe in sermone alicujus referendo.

Dabo vobis.] Jesaiæ verba Hebræa ita habent, feriam vobis pactum æternum, misericordias Davidis stabiles, seu fidas.

Sancta.] Ita Græci Interpretes verterunt quæ in Hebræo textu dicuntur, benignitates seu beneficia.

Davidis.] Id est Davidi olim promissa: nempe de filio Davidis Messia, regnaturo in æternum, vide 2 Sam. 7. 13. 2 Paral. 6. 42.

Fidelia.] Id est firma & stabilia: quia Hebraicè fidum & firmum eodem nomine significatur. Quoniam autem promissa illa Dei benefica per Messiam præstanda populo Dei debent esse stabilia ac perpetua, hinc colligitur ipsum Messiam non debere in morte manere, sed vivere in perpetuum: alioqui enim ista præstare non posset.

Vers. 35. *Ideo & in alio.*] Scilicet *loco*, seu alibi: videlicet in Psal. 16.

Dicit.] Nempe Sacra Scriptura, vel Spiritus divinus propheticus, ad Deum ipsum converso sermone.

Non dabis.] Id est non permittes.

Ut Sanctus tuus.] Nempe Messias.

Videat corruptionem.] Id est experiatur putrefactionem: alioqui *corruptio* est etiam mors ipsa, ut indicatum supra ℣. 34. Horum explicatio plenior videatur supra annot. ad cap. 2. 27.

Vers. 36. *David enim quidem quum propriâ.*] Id est *sua.*

Generatione.] Id est ætate, vel seculo quo vixit.

Inservisset Dei consilio.] In regendo populo Dei Israëlitico, & religionem aliquatenus promovendo.

Obdormivit.] Id est mortuus est. Vide supra cap. 2. 29.

Et appositus est ad patres suos.] Ut progenitores ejus mortui sunt ac sepulti, ita & ille.

Et vidit corruptionem.] Ita ut corpus ejus in sepulchro sit putrefactum. Hinc ostendit illud dictum Psal. 16 non esse proprie impletum in Davide; ergo in alio aliquo qui Davidis loco sit velut alter David, nempe in illo ex posteris Davidis orto eximio Messia esse implendum.

Vers. 37. *Quem autem Deus excitavit.*] Nempe Jesus Christus: neque quod ad corpus expertus est corruptionem, vide supra ad cap. 2. vers. 31.

Vers. 38. *Notum igitur sit vobis Viri fratres quod per hunc.*] Nempe per Jesum Christum, quamvis morte affectum sed à Deo resuscitatum & exaltatum, verum Messiam.

Vobis remissio peccatorum.] Qualiumcunque culparum contra Legem Dei commissarum condonatio, & simul pœnarum pro his culpis infligendarum ablatio, atque ab iis liberatio. In qua præcipue ex morte æterna, peccati pœna propria, ereptio, & vitæ æternæ donatio continetur.

Annuncietur.] Non tam quod per Jesum hæc remissio annuncietur, nisi mediate, vide supra c. 3. 26. quam potius quod eam per Jesum esse faciendam & conferendam, id à Jesu ipsius servis prædicetur.

Vers. 39. *Et ab omnibus* &c.] Ostendit quam perfecta & plena sit ista remissio peccatorum, ex gratia Dei per Jesum Christum sub Novo Fœdere obtinenda.

Ab omnibus.] Non solum à quibusdam delictis levioribus, sed ab omnibus, etiam gravissimis peccatis: Qualia, præsertim elato brachio patrata, vi Legis Mosaicæ non purgabantur, per victimas, nec remittebantur, Hebr. 9. 9. & x. 1, 2. sed ordinarie severe puniebantur. Vide Hebr. 2. 2.

[*A*] *quibus non potuistis in Lege Mosis justificari.*] Id est purgari & expiari. Ut Dan. 8. 14. vel liberari ut Rom. 6. 7.

In hoc.] Id est per hunc Jesum Christum, ejus operâ interveniente, ejusque potestate à Deo ipsi datâ hoc efficiente.

Omnis credens.] Absque discrimine personarum, quisquis habuerit fidem in Jesum Christum, & per eum in Deum Altissimum Patrem ipsius, confidens ejus promissis in Euangelio revelatis: cui fidei adjuncta sit resipiscentia, quæque fides sit viva & efficax per charitatem. Vide Gal. 2. 16.

Justificatur.] Id est veniam ac remissionem peccatorum à Deo consequitur, ut propter illa præterita non condemnetur nec puniatur: velut in judicio absolvitur ac liber à culpa seu reatu, & à pœna pronunciatur: imo ut justus tractatur, vita æterna felicissima donatur.

Justificatio autem ista ab homine fidem in Jesum Christum suscipiente, mox obtinetur, inchoate, quoad jus: at plene & quoad ipsum effectum obtinebitur ab iis qui in fide vera ad finem perseveraverint, absque operibus Legis, non tamen absque operibus Euangelii: quæ continentur in sanctimonia absque qua nemo videbit Dominum. Hebr. 12. 14.

Vers. 40. Beneficio Dei summo per Jesum Christum obtinendo commemorato, monet ne id contemnatur.

Aspicite igitur ne superveniat super vos.] Nempe si Jesum hunc Christum contemseritis, in eum credere nolentes.

Quod dictum est in Prophetis.] Ita loquitur pluraliter, quamvis verba quæ mox subjungit apud unum Prophetam legantur; nempe Habac. 1. 5. Vel quia numerus pluralis ponitur pro singulari: vel potius, quia Prophetæ minores in uno volumine compingebantur. Vide annot. ad Marc. 1. 2.

Vers. 41. *Videte* [*ô*] *contemtores.*] Apud Prophetam

tam Habacucum ex quo hæc verba citantur. Est hic diversitas in textu Hebræo: nam ibi est *Aspicite in Gentes.* Sed Græci interpretes 70, literam hujus vocis mediam pro alia ei simili sumentes, ita hoc verterunt, quasi ibi esset vox quæ significat perfidos seu prævaricatores, quos exposuerunt contemtores. Quia autem Græca versio apud Judæos inter Græcos viventes obtinebat, ideo hæc variatio non est correcta: quum sensum non corrumpat.

Et miramini.] Utpote rem vobis inopinatam inexspectatam.

Et disparete.] Hebraicè *obstupescite:* hic evanescite, ut consilia vestra evanescant, & vos ipsi devastemini.

Quia opus ego operor.] Id apud Prophetam intelligebatur de eo quod Deus excitaturus esset Chaldæorum gentem sævam, ad Judæam ob peccata incolarum vastandam, ut ibidem statim exponitur. At S. Paulus hæc verba convertit & accommodat ad Judæos sui temporis, ob infidelitatem erga Christum à Deo exaltatum, & ob peccata, nisi resipuerint, similiter per gentem extraneam potentem à Deo graviter puniendos.

In diebus vestris.] Id est temporibus.

Cui non credetis si quis enarrarit vobis.] Multi Judæi pertinaces quia hæc cum eorum opinionibus non congruebant, quamvis moniti, fidem istis rebus non adhibuerunt.

Vers. 42. Hujus prædicationis S. Pauli eventus narratur.

Exeuntibus autem ex Synagoga Judæorum.] Verba Græca ambigua, ferunt etiam hanc interpretationem, *exeuntibus ex Synagoga Judæis.* Sed potius videntur ita interpretanda, quod Paulus qui est concionatus & Barnabas ejus socius exirent, *ex Synagoga* seu loco congregationis sacræ, Judæorum.

Rogarunt eos Gentes.] Nempe illi homines qui ex gentibus incircumcisis orti, inter Judæos vivebant, & jam aliquatenus judaizabant, vel proselyti, de quibus mox, vide & supra vers. 16 & 26.

Ut in sequens sabbatum.] Non opus est hæc verba verti ita *in interjectum sabbatum*, id est per dies intermedios hebdomadis ante diem septimam seu sabbatum, ut aliqui exponunt, sed in sequens sabbatum. Vide infra vers. 44.

Dicerentur eis verba ista.] Nempe similes doctrinæ de Messia & per eum obtinendis beneficiis.

Vers. 43. *Solutâ autem Synagoga.*] Id est, quum conventus populi ad sacra celebranda congregati esset dissolutus, ut singuli hominum illorum in domos suas discederent.

Sequuti sunt multi Judæorum.] Etiam apud Judæos probiores non absque fructu fuit Pauli prædicatio; nam eos commovit ut ipsum sequerentur.

Et religiosorum proselytorum.] De proselytis videantur notata ad Matth. 23. 15. & hic supra cap. 2. ℣. 10. VI. 5. & X. 2.

Paulum & Barnabam.] Istos novos novæ inter ipsos doctrinæ de Jesu præcones.

Qui.] Nempe Paulus & Barnabas. Quanquam aliqui putant, posse hoc intelligi de illis Paulum ac Barnabam sequutis, tum Judæis tum proselytis, quasi illi monuerint Paulum & Barnabam, ut porgerent docere, & favore Dei uti, in auditoribus convertendis. Sed non rectè.

Alloquentes eos suaserunt eis ut permanerent in gratia Dei.] Per gratiam Dei significatur hoc loco Euangelii doctrina: quæ ita vocatur tum quia ex peculiari Dei gratia est hominibus missa, tum præcipue quia summam Dei gratiam salutarem hominibus offert; quam Lex Mosaica talem ac tantam non offerebat, Joh. 1. 17. & Rom. 6. 14, 15. Hoc igitur suadebant istis è Judaica religione se affectantibus, ut in Euangelii de Jesu Christo doctrina, quam veram esse agnoscebant, retinenda firmiter perseverarent.

Vers. 44. *At veniente sabbato.*] Seu post illud prius sabbatum, sequente.

Fere omnis civitas.] Id est omnes cives illius civitatis, nempe Antiochiæ in Pisidia.

Congregata fuit ut audiret.] Crevit numerus auditorum, nempe illi qui antea rogarant ut sequente sabbato dicerentur eis verba ista, ut dictum supra vers. 42 & ipsi adfuerunt & forsan alios multos ad idem acciverunt.

Sermonem Dei.] Nempe eum quem isti novi advenæ Paulus & Barnabas annunciabant, id est Euangelium de Messia jam exhibito, nempe Jesu Christo, & de salute æterna per fidem in ipsum consequenda.

Vers. 45. *Videntes autem Judæi.*] Nempe qui in sua incredulitate erant pertinaces.

Turbas.] Id est catervas hominum, ad Paulum audiendum congregatorum.

Repleti sunt zelo.] Fervore amaro: vel æmulatione.

Et contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur.] Nempe de Jesu Nazaræno, quod is sit ille olim à Deo promissus Christus, seu Unctus Dei, Hebræis Messias vocatus: in quem sit credendum, quod per eum supra Legem Mosis detur peccatorum remissio &c.

Contradicentes.] Quum jam dictum sit *contradicebant*, videtur istud vocabulum *contradicentes* esse supervacuum: unde omissum est tum à Latino vulgato Interprete, tum à Syro, Arabe, & Æthiope. Sed non est supervacuum: nam videtur habere emphaticum Hebraismum, contradicebant contradicentes, id est contradicebant magna contradictione, continuatâ. Simile inter cætera dictum illud, *euntes ibant* 1 Sam. 6. 12.

Et blasphemantes.] Cum blasphemiis in Christum & Christianam religionem.

Vers. 46. *Libertate usi autem Paulus & Barnabas.*] Græca vox notat libertatem quidlibet loquendi. Non territi fuerunt adversariorum contradictione.

Dixerunt: Vobis erat necessarium primum narrari sermonem Dei.] Nempe illum excellentem sermonem à Deo profectum de Euangelio circa Messiam jam exhibitum, & per eum consequenda remissione peccatorum ac vita æterna.

Postquam autem rejicitis eum.] Non vultis eum sermonem suscipere neque ei obedire, sed contradicitis & blasphematis.

Et non dignos judicatis vos ipsos.] Non proprie judicio mentis, sed factis vestris hoc ostenditis: spernentes modum quem nos vobis nomine Dei annunciamus. Hoc verbum non de ipsorum animo sed de eventu est intelligendum.

Æternâ vitâ.] Quam offert Euangelium Jesu Christi, quod vos respuitis, nec in Jesum istum per quem solum vita æterna à Deo datur, credere vultis.

Ecce convertimur in Gentes.] Id est ad gentes extraneas incircumcisas nos convertemus & progrediemur cum Euangelio: spe melioris ibi profectus atque fructus. Infra cap. 28. 28. Est hæc protestatio Apostolica contra Judæos pertinaces, de Euangelio ipsis frustra prædicato, ob eorum ingratitudinem, ad Ethnicos transferendo.

Vers. 47. *Ita enim præcepit nobis Dominus.*] Hic videtur innui illud mandatum Christi quod dedit Apostolis, Luc. 24. 47. & Act. 1. 8, & peculiariter isti Saulo seu Paulo datum esse à Christo mandatum, circa legationem ad gentes extraneas nomine Christi cum Euangelio obeundam, patet infra cap. 22. 21. xxvi. 17, 18. Gal. 1. 16. ij. 8.

Posui te.] Citat seu allegat Paulus verba quæ olim a Deo dicta sunt ad Esaiam, quia ob typum & similem eventum huc spectabant, & conveniebant. Videtur subaudiendum, *sicut scriptum est*, quod hisce verbis præmittunt quidam Interpretes, ut Syrus, & Arabs. Verba apud Jesaiam cap. 49. 5 & 6 sunt; Et si Israël non colligetur, gloriosus ero in oculis Domini, & Deus meus fuit fortitudo mea. Et dixit: Leve est esse te mihi servum ad suscitandum tribus Jahacob, & servatos Israëlis ad convertendum, & dedi te in lucem gentium, ad existendum salutem meam usque ad extremum terræ. Hæc verba in persona Esaiæ dicta, multo perfectius impleta sunt in Christo, per ejus Apostolos, ipsi subordinatos. Tale quid de Christo dicitur etiam Luc. 2. 32, hic autem propter subordinationem ad Apostolos Christi, per quos ut sua instrumenta ille id exsequebatur, accommodatur.

In lucem Gentium.] Id est ut sis lux etiam Ethnicorum ab Israëlitis alienorum, ut eos illumines veritatis cœlestis cognitione.

Ut sis in salutem.] Id est ut salutem æternam ejusque consequendæ modum proponas hominibus.

Usque ad ultimum terræ.] Ad regiones ab Israëlitis remotissimas, earumque incolas.

Vers. 48. *Audientes autem hæc gentes.*] Id est homines gentiles, origine alieni a populo Israëlitico.

Gavisæ sunt.] Magno illis gaudio id fuit quod audirent Messiam Israëlitis promissum, cum Euangelio seu bono ac læto nuncio de vitæ æternæ per ipsum consequendæ modo, ad se quoque pertinere.

Et glorificabant sermonem Domini.] Euangelium Christi, per quod ad gratiam Dei insignem admittebantur, collaudabant.

Et crediderunt.] Nempe Euangelio, a S. Paulo prædicato, & fidem in ipso Jesu ut Christo collocarunt.

Quotquot erant ordinati ad vitam æternam.] Vulgatus Interpres habet *præordinati:* at in textu Græco non est vox composita, sed simplex; ut non sit necesse id intelligi de aliquo Dei decreto ante ipsos natos, imo ante mundum conditum, ut quidam volunt, de ipsis nominatim absque conditione, absolute facto. Imo neque hoc istis verbis dicitur, eos a Deo esse ordinatos, ita ut ipsi in hoc actu mere passive se haberent. Illud videtur his verbis significari, istos homines ex Ethnicis, fuisse aptos ac bene dispositos ad doctrinam Euangelii suscipiendam & viam ad vitam æternam ducentem insistendam, ob animi sui probitatem ac sinceritatem. Vide Joh. 3. 21. vii. 17. xviii. 37: non impeditos contumaci perversitate. Flaccius Illyricus hoc loco annotavit, non significari hic fatalem aliquam præordinationem ab æterno factam, sed posse esse sensum; Quotquot erant cupidi salutis, & bona mente præditi.

Tirinus autem Jesuita scripsit: Quæ dispositio in eo sita erat quod sincero veritatis indagandæ studio, & salutis assequendæ affectu attenderent prædicationi S. Pauli. Potest intelligi istos etiam seipsos ad hoc disposuisse: nam talia verba passiva pro reciprocis, etiam actionem significantibus non tantum passionem usurpari solent per Hebraismum. vide 2 Mac. cap. 14. 3. Luc. 9. 62. Jac. 4. 10. 1 Petr. 5. 6. Sed creberrime in illa voce Græca huic affini, quæ significat proprie *subjici*, seu *subordinari:* & tamen notat subjicere seipsum. Ut Rom. 10. 3. xiii. 1, 5. 1 Cor. cap. 16. 16. Eph. 5. 21, 22, 24. Col. 3. 18. Tit. 2. ℣. 5, 9. iij. 1. Hebr. 12. 9. Jac. 4. 7. 1 Petr. 2. 13, 18. iij. 1. v. 5. Vide & de Paulo Act. 20. 13, *ita enim erat dispositus* id est disposuerat ipse. Constat istos ordinatos seu dispositos ad vitam æternam opponi hic illis de quibus dictum supra ℣. 46, quod non dignos judicabant (imo & faciebant mala voluntate & propria suâ culpâ) seipsos vitâ æternâ. Isti autem de quibus hic agitur contra erant ordinati seu dispositi ad vitam æternam, nempe sua bona voluntate se disposuerant ac paratos esse ostenderant. Quanquam nec illud negandum, eos etiam à Deo aliquomodo ad id dispositos fuisse, seu aptatos ac præparatos; non tamen ita ut hoc vel ante omnia secula de his nominatim prædestinatum, & quidem absque conditione, vel etiam in illis vi quadam Dei cogente effectum esse, statuatur.

Vers. 49. *Perferebatur autem.*] Vel potius differebatur seu in diversas partes ferebatur, ita ut quasi dispergeretur: quia illi qui primi eum sermonem a Paulo & Barnaba prædicatum audierant & susceperant etiam aliis eum communicabant.

Sermo Domini.] Id est Euangelium Christi. Vide supra vers. 44 & 46 & 48.

Per totam illam regionem.] Nempe Pisidiæ, & Pamphyliæ, vide supra ℣. 13 & 14. Ita frustra repugnantibus inimicis late spargebatur veritas Jesu Christi, dominantis in medio inimicorum suorum. Psal. 110. 2.

Vers. 50. *At Judæi instigaverunt.*] Quum adversarii pertinaces veritatem verbis refellere non possent, ad malas artes contra veritatis præcones adhibendas conversi sunt. Sic fieri etiam nunc solet.

Religiosas mulieres.] Proselytas, ex gentilismo ad Judaismum conversas. Vide supra vers. 43.

Et honestas.] Non vulgares, sed eximias spectabiles. Vide Marc. 15. 43. Harum matronarum simplicitate & superstitione, atque zelo non secundum scientiam, abusi Judæi maligni, per eas maritos ipsarum Gentiles exstimularunt.

Et primos civitatis.] Id est in illa Antiochia Pisidiæ primores seu præcipuos viros, ut Senatores. Sicut Marc. 6. 21.

Et

Et excitaverunt persequutionem in Paulum & Barnabam.] Eò rem perduxerunt, ut violento modo pressi & afflicti fuerint isti viri sancti.

Et ejecerunt eos à limitibus suis.] Id est expulerunt, ope Magistratuum Ethnicorum.

Vers. 51. *Illi autem.*] Nempe Paulus & Barnabas.

Excutientes pulverem pedum suorum.] De hoc ritu, à Christo discipulis mandato, videatur annotatio ad Matth. 10. 14. & Luc. 9. 5. x. 11.

Venerunt in Iconium.] Urbem Lycaoniæ famosam, ad Taurum montem sitam.

Vers. 52. *At discipuli.*] Quidam hoc interpretantur de Paulo & Barnaba, qui quamvis essent expulsi, tamen animum non despondebant. Sed non est necesse hoc nomen ita restringi: Satius est id sumi generalius, ut referatur etiam ad illos Pisidiæ incolas qui per illorum prædicationem fide in Christum susceptâ ibi facti sunt Christiani: de quibus supra vers. 43 & 48.

Replebantur gaudio.] Ex cognita via certa ad vitam æternam ducente: quod gaudium non fuit carnale ac vulgare, sed spirituale eximium. Vide jam supra 48.

Et Spiritu Sancto.] Indicantur effectus insignes in animis eorum per Spiritum Sanctum excitati, ut ardor animi, fiducia contra pericula, alacritas in pietatis profectu, ut supra cap. 4. 8. VII. 55. Potest hoc & ita intelligi ut expresso gaudio, exprimatur etiam hujus gaudii causa è qua id manabat, ut doceatur gaudium istud ex Spiritu Sancto & spiritualibus rebus esse profectum. Vide supra cap. 9. 31.

CAPUT XIV.

Vers. 1. *Factum est autem in Iconio.*] Ita habet Græcus textus ut sæpe, quod & Latinus Interpres vetus hoc loco retinuit. Quum alias apud Latinos præpositio non soleant præponi nominibus urbium aut oppidorum, nisi ubi ipsa vox urbis aut oppidi apponitur. Quod hoc loco semel monuisse sufficiat. Hic jam Iconii, imo adhuc antea, videtur adfuisse Paulo Timotheus adhuc adolescens, itinerum ejus comes. Vide 2 Tim. 3. 10.

Juxta illud ipsum.] Id est simul; non tantum eodem loco, atque tempore quod hic magis spectatur, sed etiam animorum conjunctione, vide supra c. 1. 15. ij. 44. vel potius itidem; nempe ut Antiochiæ supra cap. 13. 14.

Introirent ii.] Nempe Paulus & Barnabas.

Synagogam Judæorum, & loquerentur.] Scilicet doctrinam Euangelii de Jesu Christo.

Ita ut crederet.] Is fuit illius sermonis effectus, quod auditores fidem Euangelio adhibuerint.

Judæorumque.] In quorum Synagoga sermo est habitus.

Et Græcorum.] Quia linguæ Græcæ usus late sparsus fuit, præsertim ab imperio Græco seu Macedonico, ideo Græcorum nomine notantur generaliter omnes gentiles, & Judæis opponuntur, totius mundi hominibus divisis in Græcos & Judæos, respectu non tam regionis quam religionis.

Multa multitudo.] Non pauci tantum aliqui.

Vers. 2. *At non parentes* seu *increduli Judæi.*] Qui Euangelii prædicati veritatem non passi sunt sibi persuaderi, ideoque ei non sunt assensi, non crediderunt nec obedierunt.

Incitaverunt.] Seu instigarunt atque impulerunt.

Et male affectas fecerunt.] Verbum Græcum unum quod hoc loco in textu ponitur, alibi significare solet malo aliquem afficere, ut infra cap. 18. 10. 1 Petr. 3. 13. aut affligere, ut supra cap. 7. 6 & 19. & cap. 12. 1. Sed hoc loco significat malis artibus & ad male agendum inducere aut irritare.

Animas.] Id est animos. Interdum *anima* sumitur pro voluntate, ut Psal. 41. 3. in textu Hebræo: & 105. 2.

Gentium.] Hominum à Judaica natione diversorum.

Adversus fratres.] Ita vocantur omnes in Christum credentes; quia & unum habent Patrem in cœlis Deum, cujus sunt filii secundum spiritum, ad quem acquisiverunt accessum, per Christum, & ipsi fraterno amore sese mutuo complectuntur: quamvis sint è diversis gentibus collecti.

Vers. 3. *Multum.*] Græcè proprie *sufficiens*, sed sæpe hoc nomen significat multum.

Quidem igitur.] Non raro hæ voces hoc libro junguntur, ita ut vox *quidem* redundare videatur, unde & à Latino Interprete omittitur.

Tempus.] Circiter annum, ut quidam notant.

Commorati sunt [*ibi*].] Græcè proprie *contriverunt* nempe tempus: phrasi metaphoricâ.

Libere loquentes vel *agentes.*] Latinus Interpres habet *fiducialiter agentes*, id est confidenter & intrepide.

In Domino.] Proprie *super Domino*, id est Domini sui, Jesu Christi ope & auxilio freti, vel in ejus à quo missi erant, nomine, ejusque authoritate. Vide supra cap. 9. 27, 28.

Testimonium perhibente.] Seu attestante atque dicta eorum confirmante eodem Domino.

Sermoni gratiæ suæ.] Id est Euangelio, quod gratiam Dei eximiam de peccatorum remissione & vitæ æternæ donatione iis qui in Christum credunt & resipiscunt, annunciat.

Et dante ut signa & prodigia fierent.] Declarat quomodo Dominus Jesus sermoni isti per Paulum & Barnabam prædicato testimonium perhibuerit, non verbale sed reale, probans eorum dicta esse vera per subsequentia miracula, quæ doctrinæ veræ addita ejus veritatem confirmant. Vide Hebr. 2. 4.

Per manus eorum.] Nempe Pauli & Barnabæ ut per instrumenta Christi, vide Marc. 16. 20.

Vers. 4. *Fissa est autem multitudo civitatis.*] Seu scissa: per metaphoram. Ita sæpe, Scinditur incertum studia in contraria vulgus, ut ait Virgil.

Et hi quidem.] Id est alii.

Erant cum Judæis.] Id est à Judæorum partibus stabant, cum Judæis illis incredulis faciebant.

Hi autem.] Nempe rursus alii.

Cum Apostolis.] Nempe cum Paulo & Barnaba, qui quatenus vocentur Apostoli, videndum infra ad vers. 14.

Vers. 5. *Quum autem factus esset impetus Gentiumque & Judæorum.*] Alioqui inter se diversorum syncretismus & conspiratio.

Cum principibus eorum.] Id est cum primoribus illius civitatis.

Ut contumelia afficerent & lapidarent eos.] Nempe istos quos vocavit Apostolos, insontes, ita isti male tractare moliebantur.

Vers. 6. *Perspicientes.*] Vel considerantes, rem istam. Simile participium supra cap. 12. 12.

Confugerunt.] Exemplo istorum sanctorum virorum licet etiam aliis Christianis pericula imminentia, fugâ evitare: quod monuit Christus Matth. x. vers. 23. Per hunc autem eorum è loco in locum progressum latius promovebatur Euangelii Christi prædicatio.

In civitates Lycaoniæ, Lystram & Derben.] Quidam ajunt Lystram & Derben non proprie Lycaoniæ sed Isauriæ ei vicinæ urbes fuisse. Hinc post vocem *Lycaoniæ* ponunt voculam *&*. Sic & Syrus Interpres, quanquam ambigue.

Et circumjacentem regionem.] Extra urbes istas, in vicinia earum.

Vers. 7. *Et erant euangelizantes.*] Id est euangelizabant, seu Euangelium prædicabant: hoc eorum opus erat ad quod missi fuerunt, hoc igitur sedulo operabantur.

Vers. 8. *Et quidam vir in Lystris.*] Quum supra *Lystram* vocarit urbem illam, videntur ista *in Lystris* significare inter Lystrios seu in populo Lystrensi.

Impotens pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ existens.] Sicut ille Jerosolymitanus supra c. 3. 2. qui à Petro sanatus fuit.

Qui nunquam ambulaverat.] Adhuc magis ejus pedum impotentia seu clauditas exaggeratur.

Vers. 9. *Hic audivit Paulum loquentem.*] Euangelio quod Paulus prædicabat auscultans.

Qui.] Nempe Paulus.

Intentus ei.] Vide supra cap. 3. 4.

Et videns quod fidem haberet.] Ex illius verbis, vel saltem gestu, id cognoscens: aut etiam Spiritu Sancto id ei revelante. Fides seu fiducia de obtinendo quamvis supra naturæ vires beneficio, requirebatur ad miracula benefica accipienda.

[*Se*] *salvum fore.*] Id est sanatum iri ab ista pedum debilitate.

Vers. 10. *Ajit magna voce.*] Ut ab omnibus qui aderant exaudiretur.

Surge in pedes tuos rectus.] Pleraque exemplaria ita habent simpliciter. Unde Theophylactus annotavit, quoniam Paulus non protulerat nomen Jesu Christi, inde factum esse ut Lystrenses ipsum existimarent esse Deum. Sed nonnulla exemplaria Græca & Latina atque etiam interpretatio Syriaca & Arabica, præmittunt ejusmodi verba; *Tibi dico in nomine Domini Jesu Christi.* Sic dicere soliti in edendis miraculis Apostoli, ut supra cap. 3. 6. IX. 34. XVI. 18. quò homines intelligerent ipsos non sua vel in se manente vi sed Christi ope id efficere.

Vers. 11. *At turbæ videntes quod fecerat Paulus.*] Miraculum tantum, tam inopinatum.

Extulerunt vocem suam.] Clare exclamantes.

Lyaconicè.] Græca lingua fuit in usu passim in Asia minore, cujus pars Lycaonia: quod patet ex epistolis Græcè scriptis ad Ephésios, Galatas, Colossenses, qui omnes in eadem Asia fuerunt. Videtur ergo quibusdam lingua Lyaconica non specie distincta à Græca, sed tantum dialecto, sicut Dorica, Æolica, Jonica.

Dicentes: Dii assimilati hominibus.] Nempe assumtâ humanâ formâ seu specie externâ.

Descenderunt ad nos.] Cœlo ad tempus relicto, terras invisentes; ut Poëtæ Ethnicorum suos fictos Deos sæpe fecisse finxerunt. Hinc apparet Ethnicos non credidisse ipsas imagines aut statuas Deorum ab hominibus ipsis fabricatas, in templis vel alibi collocatas, esse ipsos Deos.

Vers. 12. *Vocabantque Barnabam quidem Jovem.*] Forsan ob staturam grandiorem ac vultus majestatem, & ætatis prærogativam. Lyran.

At Paulum Mercurium. Additur statim ratio: *Quoniam ipse erat ductor sermonis.*] Nam Mercurius habitus est pro Deo facundiæ atque eloquentiæ: unde & nuncius Deorum dictus: & ipsum ejus nomen Græcum Hermes derivatur ab interpretando. Paulum autem videbant & audiebant oratione facunda excellere.

Vers. 13. *Sacerdos autem Jovis, existentis ante civitatem eorum.*] Forsan templum Jovi sacrum erat ante urbem, in quo statua ipsius Jovis visebatur, quum Jupiter illius urbis præses ac tutor haberetur. Solebant enim isti Gentiles idololatræ singulas fere urbes singulis Diis ad peculiarem curam & præcipuam tutelam dedicare.

Tauros.] Quos ut victimas magnas Jovi immolari mos erat.

Et serta.] Quia victimæ sacrificandæ sertis seu coronis impositis ornabantur. Quia coronæ symbolum erant perfectionis, & signum gloriæ, ideo cum talibus signis victimæ Diis offerebantur. Aliqui in his vocibus *tauros & coronas* censent esse figuram dictam hendyadin, ut significent *tauros coronatos.*

Ad portas afferens.] Intelliguntur vel portæ illarum ædium in quibus Barnabas cum Paulo diversabatur, ut quidem Syrus interpretatur: vel potius portæ urbis: si ibi in ingressu, ut est credibile, & illi concionabantur atque prædicabant, & claudus ille qui ibi sederat vel jacuerat, ibidem est sanatus. Quædam exemplaria Græca non pluraliter *portas* sed singulariter *portam* habent.

Cum turbis.] Vulgi magnâ stipante catervâ.

Volebat sacrificare.] Videtur cacodæmon isto miraculo voluisse abuti, ut tum populum illum ad idololatricum cultum istis viris divinis exhibendum incitaret, tum ipsos istos viros tentaret, an divinos honores vellent admittere.

Vers. 14. *Audientes autem* [*hoc*] *Apostoli, Barnabas & Paulus.*] Apostolus late loquendo potest dici quilibet ablegatus seu missus. Hoc sensu & Barnabas dicitur Apostolus, quia est missus cum Saulo seu Paulo ad opus Domini Jesu operandum, supra cap. 13. 2, 3. Sed non fuit æqualis omnino Paulo Apostolo gentium.

Diruptis vestimentis suis.] In signum magni doloris animi, cum indignatione & abominatione, vide Matth. 26. 65.

Insilierunt in turbam.] Cum ardore ac vehementia impedientes hanc idololatriam. *Clamantes.*] Voce non submissa, sed elata, talia prohibentes.

Vers. 15.

Vers. 15. *Et dicentes: Viri quid* seu *cur ista facitis? & nos similiter patibiles vobis sumus homines.*] Non Dii ut vos dixistis, supra ℣. 11, sed homines, obnoxii naturæ infirmitatibus pariter vobiscum, indigentes cibi atque potûs, subjecti morbis, passionibus seu afflictionibus, atque morti.

Annunciantes vobis ut ab istis vanis.] Id est idolis, quæ sunt absque vita, absque viribus, absque ulla utilitate: ideoque vocantur vana & vanitates. Vide 1 Sam. 12. 21. xv. 23. 3 Reg. 16. 26. & Jes. 66. 3. Jer. 2. 5. x. 14, 15. xvi. 19. Amos. 2. 4. Jon. 2. 9.

Convertamini.] Seu convertatis vos.

Ad Deum illum vivum.] Qui vitam habet à seipso, & aliis eam largitur.

Qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis [sunt].] Potentiam suam in eo exserens: quod non fecerunt Dii Ethnici, Jer. x. 11, quia post cœlum & terram exorti.

Vers. 16. *Qui in præteritis generationibus.*] Id est seculis, ut & alibi & supra cap. 13. 36.

Sivit omnes gentes vadere viis ipsarum.] Quia gentiles neglexerunt veri Dei verum cultum, quem à Majoribus suis post diluvium accipere & retinere poterant, ideo Deus eos in idololatriam lapsos, neglexit, nec ad Legem positivam Mosis vocavit, nec Prophetas suos misit ad eos, qui ipsos dehortarentur à peccatis; permisit ut viverent eo modo quo ipsis libebat. Simile quid fecisse dicitur aliquatenus Israëlitis, quando ejus dictis non obedientes, ab eo defecerant. Psal. 81. 13.

Vers. 17. *Et tamen non intestatum seipsum reliquit.*] Quanquam eis voluntatem suam peculiariter non revelavit, tamen eis fecit & exhibuit ea è quibus velut testimoniis possent agnoscere Deum esse. Nam ex effectis præsertim beneficis quæ non ab hominibus fiunt, causa superior cognosci potest & debet, vide Psal. 19. 2, 3. civ. 13, 14, 15. cxlvii. 8, 9.

Benefaciens cœlitus nobis.] Ex talibus cœlestibus beneficiis quæ quidam naturæ attribuebant, etiam Ethnici cordatiores, colligebant Deum esse qui talia faciat & largiatur. Sic Cicero de natura Deorum, & Seneca libro de Beneficiis.

Pluvias dans.] Quibus terra fœcundatur, ad producendos fructus. Vide Rom. 1. 19, 20.

Et tempora fructifera.] Præstituta fructibus certis ferendis certa, sibi succedentia, ut sunt partes anni ver, æstas, autumnus.

Implens cibo & lætitia.] Id est ex cibi copia oriente lætitia: quia esurientes dum cibis reficiuntur, exhilarantur.

Corda nostra.] Seu animos nostros & supra *nobis*. Adjungit etiam sese Paulus iis ad quos loquebatur, per communicationem: præsertim quia ista Dei beneficia quæ hic memorat sunt omnibus hominibus communia.

Si tam certum esset primas notitias de uno Deo Creatore esse mentibus hominum inde à nativitate inscriptas, ut aliqui nunc pro articulo fidei contendunt, haud dubie Paulus inde vel præcipue gentiles idololatrias confutasset, ut hoc loco annotavit Flaccius Illyricus.

Vers. 18. *Et hæc dicentes vix compescuerunt turbas.*] His dictis suis ægre cohibuerunt illos homines.

Ne sacrificarent eis.] Velut Diis.

Vers. 19. *Supervenerunt autem ab Antiochia.*] Nempe illa Pisidiæ, de qua supra cap. 13. 14. ex qua, Judæorum malignitate pulsi erant isti. Ibid. ℣. 50.

Et Iconio.] Ubi etiam quum eis à Judæis pararetur periculum, ipsi inde profugerant. Supra ℣. 2, 5, 6.

Judæi.] Illi increduli, pertinaces.

Et persuadentes turbas.] Quædam exemplaria addunt, *dicentes quod nihil veri dicant, sed omnia mentiantur.* Credibile est istos Judæos malignitate contra Christi servos flagrantes, criminationibus falsis & calumniis eos onerasse, quasi essent præstigatores, & malefici Magi. Ita mobile vulgus ab uno extremo adorationis, rapitur ad alterum extremum, afflictionis & trucidationis, virorum divinorum.

Et lapidantes Paulum.] Quia sermonis dux erat, ut dictum supra ℣. 12, ideoque Judæis magis exosus quam Barnabas. Ita Deus ac Dominus Jesus dispensavit atque permisit, ut ille olim Saulus, qui tale supplicium Stephani martyris Christi approbaverat, supra cap. 7. 58. & viij. 1. ipse quoque simile propter Christum pateretur.

Traxerunt extra civitatem.] Nempe per terram, ut solet fieri cadaveribus contemtis.

Existimantes eum mortuum esse.] Apparet eum valde fuisse lapidibus contusum.

Vers. 20. *Circumdantibus autem eum discipulis.*] Id est iis qui facti erant Christiani, forsan ex ipsis Lystrensibus, prædicatione Pauli & miraculo ad credendum in Jesum Christi perducti. Videntur isti fideles ideo eum circumstetisse, ut si adhuc vivus esset, absconderent eum ab inimicis, sin autem mortuus, ut sepelirent.

Surgens intravit in civitatem.] Nempe Lystram, quum vel mortuum se esse antea simulasset, ut quidam censent, postquam autem percepit ex vocibus jam solos amicos adesse, tum oculis apertis sese levavit: vel jam fere semi-mortuus, vi Dei & Jesu Christi Domini sui mirificâ, refocillatus & recreatus atque corroboratus, velut redivivus est factus. Huc videntur spectare verba ipsius 2 Cor. 1. 8, 9, 10.

Et postridie exiit cum Barnaba in Derben.] Hinc apparet vires ejus fuisse bene instauratas, quum ab una urbe in aliam iter facere pedibus posset.

Vers. 21. *Quumque euangelizassent civitati illi.*] Quamvis afflicti viri pii tamen non cessant doctrinam Christi ob quam dira patiebantur annunciare, nec ab officio suo desistunt.

Et discipulos fecissent.] Non tantum simpliciter *docuissent* ut habet vulgata versio; nam hoc jam in euangelizando continetur: sed auditores edoctos de eo quid esset credendum & faciendum, eo perduxissent ut doctrinâ istâ susceptâ discipuli Christi seu Christiani fierent, qui passim simpliciter dicebantur *discipuli* ut & hic versu proxime antecedente, & proxime sequente. Ita hoc verbum activum ponitur Matth. 28. 19. & ejus passivum Matth. 27. 57.

Multos.] Proprie sufficientes: id est justo numero.

Reversi sunt in Lystram.] Ubi paulò ante male tractati fuerunt.

Et Iconium.] Unde antea metu periculi fugerant. Supra ℣. 5, 6.

Et Antiochiam.] Nempe illam Pisidiæ, de qua supra cap. 13. 14. è qua erant antea expulsi supra cap. 13. ℣. 50. non illam Syriæ, de qua infra ℣. 26.

Vers. 22. *Confirmantes animas discipulorum, adhortantes ut permanerent in fide.*] Non sufficit docuisse aliquem fidem in Christum, sed monendus est ut in ea fide perseveret. Videantur dicta æquipollentia, supra cap. xi. 23. & xiij. 43.

Et [dicentes] quod per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum Dei.] Exemplo Ducis nostri Domini Jesu. Hoc debet esse solatio in perpessione afflictionum, quod hæc via angusta & aspera ducat ad augustum atque beatissimum statum regni Dei. Vide Matth. 5. 10, 12. xvj. 24. Rom. 8. 17, 18. 2 Tim. 3. 12. Ita Deus vult propter majorem nominis sui gloriam, servos suos eximios per afflictiones exploratos atque probatos & exercitos ad regnum suum deducere. His verbis occurritur scandalo quod potuit in animis novorum Christianorum oriri ex afflictionibus & persequutionibus quibus & ipsi isti Doctores Paulus ac Barnabas inter eos affecti fuerunt. Supra cap. 13. 50. & xiv. 5 & 19, & monentur novi Christiani ut adversus tales afflictiones arment sese patientiâ atque constantiâ.

Vers. 23. *Quum autem suffragiis constituissent eis.*] Græcum verbum significat manibus protensis electos fuisse. De hoc more indicatum aliquid supra ad c. x. ℣. 41. In Comitiis quum crearentur aliqui Magistratus, designabatur aliquis qui ad hoc officium idoneus censebatur; eo in theatrum producto, per præconem ejus nomen edebatur, & dicebatur; Cui hoc videtur seu placet, attollat manum: atque tunc qui designationem illam probabant, sublatis manibus testabantur videri sibi hominem istum ad hoc officium idoneum: qui autem improbabant, manus suas continebant: à qua parte major numerus fuisset, secundùm eam de isto decernebatur. Id testatur Elias Cretensis in Gregorii Nazianz. orat. iij. Et Zonaras in Apostol. Canon. docet istam Chirotoniam ab initio designasse suffragia populi, postea antiquatis primis ritibus, pro consecratione usurpari cœpisse, videatur & Salmero. Et Santes Pagninus hoc vertit de suffragiis. Hoc sensu vox Græca talis sumitur etiam 2 Cor. 8. 19.

Seniores.] Græcè *presbyteros*, qui erant Pastores Ecclesiarum, olim iidem qui Episcopi. Confer Act. cap. 20. 17 & 28. Titi 1. 5 & 7. qui etiam describuntur 1 Thess. 5. 12.

Per Ecclesiam.] Id est per singulas Ecclesias, ut & Titi 1. 5.

Precati cum jejuniis.] Ita in rebus magni momenti à Deo impetrandis, & pro felici earum successu obtinendo, precibus jejunia jungi solita. Sic apparet factitatum esse circa electionem eorum qui muneri insigni in Ecclesia obeundo designabantur. Ut & supra cap. 13. 3.

Commendaverunt eos Domino in quem crediderant.] Id est Domino Jesu Christo, ejusque tutelæ.

Vers. 24. *Et transeuntes Pisidiam.*] Vide supra cap. 13. 14.

Venerunt in Pamphyliam.] Vide supra cap. 13. 13.

Vers. 25. *Et loquuti in Perga.*] Urbe Pamphyliæ.

Sermonem.] Nempe Euangelii Christi.

Descenderunt in Attaliam.] Urbem Pamphyliæ maritimam, Lyciæ finibus proximam. Fuit alia eodem nomine urbs ab Attalo Pergami Rege ita nominata.

Vers. 26. *Et illinc abnavigarunt in Antiochiam.*] Nempe illam Syriæ metropolim; ex qua ad hoc iter emissi erant, de quo supra cap. 13. 1. ut & hic statim indicatur.

Unde erant traditi gratiæ Dei in opus.] Nempe Euangelii prædicandi.

Quod impleverunt.] Ita unde erant egressi eo rursus peracto opere sunt regressi.

Vers. 27. *Advenientes autem.*] Id est quum Antiochiam revenissent.

Et congregantes Ecclesiam.] Christianorum Antiochiæ commorantium conventum.

Renunciarunt quanta fecisset Deus cum eis.] Quidam putant, significari, Deum multa insignia in illo itinere ad gloriam suam fecisse, ita ut isti Barnabas & Paulus simul cum Deo ista etiam fecisse intelligantur. Id forsan Beza aversatus, vertit *per ipsos.* Quum tamen & alibi asseratur servos Dei eximios esse ejus in operibus ad salutem hominum spectantibus cooperatores, 1 Cor. 3. 9. & 2 Cor. 6. 1. Sed hoc loco alium sensum non abs re sequuti Interpretes Arabs & Æthiopicus, verterunt *fecerat ipsis Deus.* Est Hebraismus quo facere aliquid cum aliquo, notat facere alicui, ut Deut. x. 21. Judic. 8. 37. bis. Luc. 1. 72. x. 37. Sensus est, quanta gratiâ suâ Deus eis in convertendis hominibus præsto adfuisset.

Et quod aperuerit Gentibus ostium fidei.] Est metaphora significans Deum gentilibus hominibus antea à Deo alienis præbuisse amplissimam occasionem veniendi ad fidem salvificam. Ita Piscat. Potest addi Deum tum obstacula & impedimenta eis amovisse, tum per sermones Pauli efficaces, atque per miracula patrata, eos ad fidem in Christum suscipiendam permovisse.

Vers. 28. *Commorati sunt autem illic.*] Nempe Antiochiæ, verbum Græcum proprie significat *contriverunt*, de quo vide supra ℣. 3.

Tempus non parvum.] Circiter biennium, ut aliqui notant.

Cum discipulis.] Id est Christianis. Ut supra cap. xi. 26.

CAPUT XV.

Vers. 1. ET.] Id est tunc.

Quidam devenientes à Judæa.] Nempe ex Judæis illis qui ad Jesum Christum conversi erant. Quædam exemplaria hoc loco post vocem *Judæa*, addunt, *qui crediderant ab hæresi Pharisæorum.* Aliqui opinantur antesignanum istorum fuisse Cerinthum.

Docebant fratres.] Nempe eos qui ex Gentibus ad Deum accesserant per Christum.

Quod nisi circumcidamini.] Ita tenaces solent esse homines rituum priscorum, quamvis non necessariorum. Erant ritus veteres quidam à Deo mandati, tales qui externis & carnalibus signis interna & spiritualia significabant, ad tempus. Circumcisionem cordis potius seu animi quam carnis Deus curat. Ut Deut.

Deut. 10. 16. xxx. 6. Jerem. 4. 4. Rom. 2. 28, 29.

More Moysis.] Id est eo ritu quem descripsit Moyses: qui quidem ritus non per Moysem est primum institutus, sed ante Moysem, Abrahamo præceptus à Deo, Gen. 17. 10. Ideo etiam Christus quum dixisset Moysem dedisse circumcisionem, per epanorthosin addidit, *non quod ex Mose sit, sed ex Patribus.* Joh. 7. 22. At & Moses præceptum hoc repetiit Levit. 12. 3. Aliqua exemplaria hoc loco habent, *nisi circumdamini, & more Moysis ambuletis*, ut & alii Mosaici ritus quorum initium erat circumcisio addendi intelligantur, vide infra ℣. 5.

Non potestis servari.] Id est salutem æternam consequi. Non est hic mota controversia de operibus moralibus necessariis ad salutem, (ut aliqui attexunt) sed de operibus Legis ceremonialis.

Vers. 2. *Factâ autem seditione* vel *contentione.*] Syrus & Arabs verterunt *tumultu.*

Et disceptatione non parva.] Cum iis qui urgebant non necessaria, pertinaciter, noxie.

Paulo & Barnabæ.] Qui jam Gentiles non paucos converterant, non imposito eis isto jugo ceremoniarum Mosaicarum.

Ad illos.] Id est adversus illos.

Constituerunt.] Nempe fratres Antiocheni; apud quos ea lis seu controversia est exorta.

Ut ascenderet Paulus & Barnabas.] Cæterum Paulus ipse docet se revelatione seu oraculo divino monitum, Jerosolymam ivisse Gal. 2. 2. sed hæc non pugnant. Videtur id quod Ecclesia constituerat, Deus revelatione sua Paulo facta approbasse & confirmasse. Volebat enim ut adversarii Pauli, Apostolorum authoritate reprimerentur.

Et quidam alii ex eis.] Additi sunt Paulo & Barnabæ qui istis circumcisionem urgentibus inprimis se opponebant, alii fratres, & hujus rei, & Apostolici decreti testes futuri, ac ut videtur, etiam ii ipsi qui urgebant circumcisionem.

Ad Apostolos.] Non ad solum Petrum remissa hæc controversia: quia non agnoscebatur pro Monarcha Ecclesiæ, sed ad Apostolos omnes.

Et presbyteros.] Qui præter Apostolos erant Ecclesiis regendis præpositi. Ita dicti quod essent quasi Senatores in Ecclesia.

In Jerusalem.] Ad illam Ecclesiam quæ tunc erat primaria.

De quæstione ista.] Nempe an ritus Mosaici sint observatu ad salutem necessarii.

Vers. 3. *Illi quidem igitur deducti ab Ecclesia.*] Id est quum Antiochiâ ad hoc iter exirent, fratres Antiocheni eos aliquousque sunt prosequuti. Ut infra cap. 20. 38. xxi. 5.

Pertransibant Phœnicem & Samariam.] Quæ regiones euntibus ab Antiochia ante Jerosolymam erant: in quibus jam degebant aliqui Christiani. Vide supra cap. 8. 5, 14. & xi. 19.

Enarrantes conversionem Gentium.] Nuncium hunc lætum de hominibus gentilibus magno numero ad Deum & Christum operâ suâ conversis, communicarunt aliis fidelibus.

Et fecerunt gaudium magnum omnibus fratribus.] Ita pii gaudere solent quando audiunt hominum ad salutem conversionem, & gloriæ Dei promotionem.

Vers. 4. *Quum advenissent autem in Jerusalem, suscepti sunt ab Ecclesia.*] Id est à Christianis generatim, iis qui Jerosolymæ habitabant.

Et Apostolis & presbyteris.] Subjungitur nominatio præcipuorum Ecclesiæ membrorum.

Annunciaruntque quanta Deus fecerit cum eis.] Vide supra cap. 14. 27.

Vers. 5. *Exsurrexerunt autem quidam ab hæresi Pharisæorum qui crediderant.*] Videntur hæc esse verba Lucæ, narrantis, etiam Jerosolymæ fuisse tales qui quum antea fuissent Pharisæi, postea autem facti Christi discipuli, urgebant idem quod illi qui è Judæa venerant Antiochiam, nempe ut ex Gentibus Christiani facti ad ceræmoniarum Mosaicarum observationem adigerentur. Ita plerique exponunt. Sed aliqui, ut & Beza, existimant hæc verba esse Pauli & Barnabæ, ideoque ita vertunt, *Sed (ajebant) quidam surrexerunt* &c.

Dicentes, quod oporteat circumcidere eos.] Nempe illos qui ex Gentibus per Pauli & Barnabæ prædicationem erant ad Christum conversi.

Præcipereque ut servent Legem Moysis.] Non tantum moralem, sed etiam cæremonialem, necessario ut conditionem obtinendæ salutis. Vide supra ℣. 1. & Gal. 5. 3.

Vers. 6. *Congregati sunt autem Apostoli & presbyteri.*] Concilium habuerunt; ad quod non soli Apostoli admissi, sed & presbyteri seu Seniores Ecclesiæ, qui erant pastores, iidem qui alias dicti Episcopi. Imo & alia Ecclesiæ membra, fratres simplices ibidem adfuerunt, non sunt exclusi. Vide infra ℣. 22, 23.

Ut viderent.] Seu dispicerent atque considerarent.

De sermone isto.] Id est negotio, per Hebraismum.

Vers. 7. *Multa autem disceptatione factâ.*] His affirmantibus, aliis autem negantibus.

Surgens Petrus, ajit ad eos.] Ut concionabundus: Non alto solio & sublimi sede sedens, velut Monarcha imperans ut nunc Papa, qui se jactat esse Petri successorem. Hinc patet Petrum eo tempore non Romæ sedisse in sede Pontificia, ut aliqui fingunt, sed in Judæa Jerosolymæ adhuc esse commoratum.

Viri fratres.] Ita Petrus compellat non solos Apostolos, sed & alios Christianos, optimo jure, ut Christus docuit. Matth. 23. 8.

Vos scitis quod à diebus antiquis.] Id est jam pridem, ante aliquot annos. Respicit illam historiam quando ad Cornelium Ethnicum jussus est ire. Act. x.

Deus in nobis elegerit.] Id est inter nos discipulos Christi & præcipue Apostolos, vel ex nobis, ut vertit Arabs. Sic fere 1 Sam. 16. 10. de filiis Isaji senioribus dictum, *Non elegit Dominus in illis.*

Ut per os meum audirent Gentes sermonem Euangelii, & crederent.] In domo Cornelii: hæ fuerunt primitiæ, & velut præludia conversionis Gentium, quæ plenius per Paulum ut fieret Christus voluit. Jam tum autem mota talis controversiam sopita fuit in Ecclesia supra cap. xi. ℣. 3, 18.

Vers. 8. *Et cordium cognitor Deus.*] Hoc Deo tribuitur quod ille corda seu animos spectet. 1 Sam. 16. ℣. 7. 1 Paral. 28. 9. Psal. 6. 10. Jer. xi. 20. xvij. 10. Indicatur Deum non tam spectare res externas, ut circumcisionem carnis quam internas.

Testi-

Testimonium dedit eis.] Nempe se eos quamvis incircumcisos, sed fidem in Christum amplexos, in gratiam suam suscipere, & pro filiis suis habere.

Dans eis Spiritum Sanctum.] Isto signo manifesto id testatus est, quando eis donum tam insigne impertiit. Vide supra cap. x. 44, 45, 46.

Sicut & nobis.] Circumcisis, & Legem Mosaicam observantibus, exæquavit in re tam magna istos incircumcisos.

Vers. 9. *Et nihil discrevit inter nosque & illos.*] Non fecit Deus tale discrimen & delectum personarum, respectu rerum externarum, ut nobis quasi ob id quia circumcisi eramus susceptis, illos quia non erant circumcisi à gratia sua repelleret: sed etiam illos in gratiam singularem recepit. Unde apparet Deum non requirere à gentilibus circumcisionem.

Fide purificans corda eorum.] Quamvis nos qui ipsi circumcisi sumus, illos ob id quia circumcisionem carnis non susceperant, impuros esse opinemur, tamen Deus eos purificavit, non externa purificatione aliqua umbratili carnali, sed internâ verâ, dum corda eorum pura ac munda effecit, non corpora quidem ut isti voluerunt, sed animos eorum mundavit, idque per fidem in Jesum Christum ac per eum in ipsum Deum: qua fide vera qui præditus est, is jam purus coram Deo est. Quod igitur Deus purificat id homo pro impuro & polluto habere non debet. Ut Act. x. 15.

Vers. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum.*] Id est cur Dei voluntati quæ hac de re jam manifeste vobis per hæc patefacta est, fidem non adhibetis: vel etiam Deum irritare, seu ad iram provocare vultis. Videatur annotatio ad Matth. 4. 7.

Ad imponendum jugum super cervicem discipulorum.] Nempe Christi. Vocat jugum per metaphoram præcepta illa cæremonialia, quæ non ratione aliqua honestatis naturæ humanæ convenientis, sed sola præcipientis Dei authoritate nitebantur, quum per se ad pietatem ac virtutem nihil facere viderentur, & tamen gravi proposita pœna eorum observatio accurata sanciretur: & erant ingenti numero. Hinc etiam vocantur jugum servitutis, oppositum libertati Christianæ. Gal. 5. 1. Vocantur quidem & Christi præcepta *jugum*, sed *suave*, & *onus*, sed *leve*. Matth. xi. 30.

Quod neque Patres nostri neque nos valuimus portare?] Ita dicit de præceptorum illorum ritualium observatione: quia hoc difficulter & ægre fiebat: quod autem tale est, id intolerabile dici solet, & impossibile vide Matth. 19. 23, 24, 26, Marc. 1. 45. Luc. xi. 7. Joh. 6. 60. Cæteroquin certum est Deum justissimum non præcipere ea quæ sunt omnino impossibilia factu. Quasi dicat Petrus, si nos Judæi nati non facile potuimus ista observare, quanto minus poterunt ii qui ex Ethnicis fiunt Christiani.

Addit autem de Patribus Judæorum, ut quum non tantum ipsos qui tunc erant Judæos, sed etiam priscos eorum Majores jugum hoc cæremoniarum legalium non potuisse tolerare constet, tanto magis id aliis intolerabile esse declaretur.

Vers. 11. *Sed per gratiam Domini Jesu Christi.*] Non per opera Legis Mosaicæ, quæ Judæi opinabantur mereri præmium apud Deum: sed per gratuitum beneficium à Deo nobis in Christo ejusque Euangelio exhibitum, nempe fide in Christum ac per ipsum in Deum; quæ fides, sed viva seu per charitatem efficax, sola valet in Jesu Christo, ejusque religione: non jam circumcisio, & aliæ ejuscemodi cæremoniæ. Vide Gal. 5. 6.

Credimus servari.] Id est persuasi sumus, & pro certo id tenemus nos per hoc medium salutem æternam esse consequuturos. Nos nempe Judæi qui Legem Mosaicam nobis datam susceperamus, tamen jam non per Legis Mosaicæ præsertim ritualis observationem, salutem obtinendam à nobis confidimus. Vide Gal. 2. 15, 16.

Quemadmodum & illi.] Nempe qui ex Ethnicis facti sunt Christiani, quando Euangelium fide susceperunt: de quibus actum supra ℣. 7, 8, 9, 10. Hoc enim vult asserere, non per Legis Mosaicæ rituum observationem, sed per gratiam Jesu Christi, euangelicam, salutem adepturos pariter tum ex Judæis tum ex Ethnicis in Christum credentes. Hoc ejus propositum, hic scopus istius sermonis. Nam quod aliqui putant hic affirmari quod Patres Judæorum, de quibus etiam facta est mentio versu proxime præcedente, gratiâ Christi, per fidem in eo collocatam sint servati, in eo errant: neque istud ex istis verbis probare possunt. Etenim vocem hanc *illi* non est necesse referri ad priscos Patres Judæorum, de quibus non agitur hic præcipue & ex professo, sed tantum quasi obiter est facta eorum mentio. Ita Joh. 9. 22. *Si quis eum confiteatur*, non illum cœcum natum, de quo ibi proxime dictum: sed Jesum. Vide & Matth. x. 4. Marc. 1. 45. ij. 13. ix. 28. Luc. cap. 4. 38. v. 14. primo loco. Joh. 1. 41. Sed etiam Rom. xj. 14. in sermone Pauli, qui dixit se esse *Apostolum Gentium*, subjicitur, *si quomodo ad æmulandum provocem meam carnem, & servem aliquos ex illis.* Hæ voces *ex illis* spectant ad Judæos de quibus superius agebat.

Nec obstat quod hoc nostro loco vox *Gentes* in Græco sit neutrius generis, *illi* autem, masculini. Nam quum per Gentes intelligantur homines gentiles, sensus hic magis spectatur quam voces. Similia exempla circa hoc ipsum nomen *Gentes* habemus Matth. 28. 19 & 20. & infra Act. 26. 17. & xxviij. 28. Rom. 2. 14. Præterea nec generis commutationem hic statuere opus erit, si respiciatur nomen *discipulorum* versu proxime præcedente positum. Interim, quum hoc dicimus, non negamus illos Patres Judæorum pios, per gratiam Domini Jesu Christi servandos esse, eatenus quatenus Christus dum eos resuscitabit, daturus est eis reipsa salutem, & vitam æternam. Sed quod illi prisci Patres Judæorum, qui ante Jesum Christum natum, & ante ejus Euangelium prædicatum mortui sunt, hanc ipsam quæ in Euangelio annunciatur, fidem in Christum, jam olim habuerint, id vero consistere non potest, præter alia cum verbis Apostoli, Gal. 3. 23 & 25.

Vers. 12. *Tacuit autem omnis multitudo.*] Id est tota illa Ecclesia, seu omnes fratres qui ibi congregati aderant. Vide infra vers. 22 & 23. Ita alibi multitudo discipulorum dicitur, supra cap. 4. 2. Videntur etiam ii qui antea circumcisionem ut necessariam urgebant, supra vers. 5, tunc conticuisse.

Et

Et audiebant Barnabam & Paulum enarrantes quanta fecisset Deus signa & prodigia.] Vide supra cap. 13. 11. & XIV. 3, 8, 10 & 19, 20. quomodo autem differant signa & prodigia, dictum est in annot. ad cap. 2. 22.

In Gentibus.] Id est inter gentes, à Judaico populo diversas.

Per eos.] Hoc est per Barnabam atque Paulum: qui non sibiipsis sed Deo mirabilia ista facta attribuebant, ut causæ primæ.

Vers. 13. *Postquam autem tacuerunt illi.*] Nempe Barnabas & Paulus.

Respondit.] Id est, dicere orsus est. Ut sæpe in his Libris Sacris per Hebraismum istud respondendi verbum sumitur.

Jacobus.] Nempe ille Alphæi filius, unus ex Apostolis, vide Matth. x. 3: qui tunc Jerosolymitanæ Ecclesiæ videtur præfuisse. supra cap. 12. 17.

Dicens: Viri fratres.] Vide supra annot. ad ỳ. 7.

Audite me.] Conciliat sibi attentionem.

Vers. 14. *Symeon.*] Hebraicè, seu Simon, ita ab initio nominatus qui postea à Jesu Christo Petrus, vide Matth. 4. 18. x. 2. Joh. 1. 43. & 2 Petr. 2. 1.

Enarravit.] Nempe supra vers. 7.

Quemadmodum primum Deus visitavit.] Id est respexit benigne, quasi diu neglectorum recordatus 1 Sam. 15, 2. vel dispexit, ut supra cap. 6. 3. hoc verbum sumitur; aut curæ sibi id habuit.

Sumere seu *ut sumeret, ex gentibus.*] Nempe extraneis, præter Israëlitas.

Populum, in nomine suo.] Id est nomini suo seu sibi, vel ut nominetur ac sit populus Dei, qui antea non erat Dei populus. Vide infra ỳ. 17. & Rom. 9. 25, 26.

Vers. 15. *Et huic consonant sermones Prophetarum.*] Dictum Simonis Petri approbans Jacobus, idem comprobat dicto Prophetico. Eæ demum in religionis negotio sententiæ pro veris ac ratis haberi debent, quibus verba Sacræ Scripturæ consonant & concordant.

Sicut scriptum est.] Apud Prophetam Amosum cap. 9. 11, 12.

Vers. 16. *Post hæc revertar.*] Hæc verba in textu Amosi Hebræo non exstant, sed à Græcis Interpretibus ita sunt posita, ut & quædam alia in hoc dicto, sunt aliquantum quod ad verba attinet mutata, quamvis sensus sit idem. Respiciuntur hoc dicto verba quæ apud Amosum antecedunt, in quibus Deus Israëlitis peccatoribus minatus est pœnas graves. Sed minis istis addidit promissum, de populo Israëlitico rursus beneficiis afficiendo.

Et reædificabo tabernaculum Davidis, collapsum.] Id est regnum Israëliticum, quod sub Davide Rege florebat, ac deinde per varias calamitates est afflictum, restituam, ut rursus vigeat. Quod demum sub altero Davide nempe Messia è Davidis posteris oriundo, est impletum spiritualiter & adhuc plenius implebitur, vide Ose. 3. 5. & Luc. 1. 32.

Et diruta ejus reædificabo.] Seu restaurabo, *& rursus erigam* vel *denuo rectum faciam illud.* Significat reparationem perfectam.

Vers. 17. *Ut requirant.*] In Hebræo Amosi textu est, *ut possideant*; quæ duo verba apud Hebræos tantum una litera differunt, ut unum pro altero sumtum ab Interpretibus Græcis videatur. Sed verbo possidendi sumto ita ut significet possidendi conatum atque studium, sicut Deut. 2. 24. & 31, sensus bene concordabit.

Reliqui hominum.] In textu Amosi Hebræo est, *residuum Edom*, pro quo Interpretes Græci videntur legisse *Adam.* Sed solent per Edom seu Idumæos, qui Esavi posteri erant, intelligi omnes gentes quæ sunt præter populum Israëliticum.

Plerique istas apud Amosum voces sumunt in casu quarto qui dicitur accusativus, quasi dictum sit à Propheta, ut Israëlitæ (quorum tamen mentio expressa non præcessit) possideant reliquias Idumæorum. Sed observatum est particulam Hebræam quæ plerumque præponitur accusativo, etiam Nominativo non raro præponi.

Dominum.] Quid possidere seu requirere debeant isti homines apud Amosum non dicitur expresse, sed subintelligitur tabernaculum istud Davidis instauratum. At hic Jacobus ponit *Dominum* nempe Deum, hujus tabernaculi instauratorem atque herum: propter quem homines requirunt istud tabernaculum.

Et omnes gentes super quas invocatum est.] Seu invocatur *nomen meum*, id est quæ de meo nomine nominabuntur, seu pro populo Dei censebuntur. At quominus omnes gentes cum populo Israëlitico ad idem tabernaculum & eundem Dominum pertinerent, obstabat ceremoniarum Legis Mosaicæ maceria, quæ ideo erat diruenda. Vide Eph. 2. 14, 15. Additæ voces *super eos* redundant per Hebraismum. Istud *eos* masculino genere positum respicit ad gentes etsi neutro genere Græcè dicantur. Sic Matth. 28. 19. Rom. 2. 14.

Dicit Dominus faciens seu *qui facit hæc omnia.*] Nempe ille Jehova, Deus Altissimus qui rerum istarum circa tabernaculi Davidici restaurationem, & ejus ac sui per gentes requisitionem est author. Ita huic dicto Prophetæ conciliatur authoritas.

Vers. 18. *Nota à seculo sunt Deo omnia opera ejus.*] Indicat hæc ideo per Prophetam prædicta esse, & eventu implenda, quod talia quæ Deus facit & facturus & omnino, præsertim ad generis humani salutem, jam olim à multis seculis apud eum sint prævisa & decreta. Alia exemplaria habent: *Quæ sunt nota à seculo ei.*

Vers. 19. *Ideo, ego judico.*] Id est ex verbo Dei, ita sentio, atque censeo. Ita sententiam suam in hoc Senatu Sacro Jacobus pronunciat.

Non obturbare.] Seu non obturbandum esse, nec molestiam pariendam, nempe per impositionem istius jugi Legum Mosaicarum ceremonialium, quarum magna turba ac multitudo erat.

Iis qui à Gentibus seu *ex gentibus ad Deum convertuntur.*] Aut se convertunt ut Beza vertit.

Vers. 20. *Sed epistolam mittendam eis.*] Quidam vertunt simpliciter *scribendum*, sed verbum Græcum significat *mittere*, à quo verbo derivatur epistola.

Ut abstineant à pollutionibus idolorum.] Id est ab iis cibis qui ab Ethnicis consecrabantur idolis, qui infra ỳ. 29. vocantur idolothyta. Tales cibi in populo

pulo Dei veri habebantur pro pollutis, ut Dan. 1. 8. Quia iis vesci habebatur pro symbolo cultûs idolorum abominabilium. De modo abstinentiæ ab iis dicendum infra ad vers. 29.

Et scortationis.] Quia hoc adjungitur rebus naturâ suâ indifferentibus, ideo aliqui hanc vocem accipiunt improprie. Ut apud Prophetas per scortationem solet intelligi idololatria. Putant id significari ne tantum alibi, ut domi, abstineatur à cibis qui idolis sunt sacrati; sed etiam ne quis in idoleo accumbens coram idolis, cum sociis, ejusmodi cibis ibi vescatur, de quo 1 Cor. 8. 10. Sic Beza. Alii putant notari victimas ex meretricum fœda mercede paratas de qualibus Prov. 7. 14. Mich. 1. 7. Sic Heins.

Sed plerique existimant ipsam scortationem proprie dictam hic intelligi, & apponi eam talibus quæ alioqui erant adiaphora seu indifferentia, ideo quod Ethnici, de quibus conversis hic agebatur, fornicationem simplicem, seu usum meretricum publicarum, non haberent pro re illicita aut flagitiosa: ut apparet ex Teren. Adelph. Act. 1. sc. 2. & ex Cicer. orat. pro Cœlio.

Et suffocati.] Hoc in verborum istorum citatione non legitur apud Iræneum & Cyprianum, & ab Ambros. in Gal. ij. rejicitur tanquam suppositititium. Sed habetur in Græcis exemplaribus omnibus, & apud Syrum atque Arabem Interpretes: quamvis in sanguinis esu possit contineri: quia è suffocato sanguis non emittitur. Deut. 14. 21. morticinum Israëlitis vetitum, at peregrinis in medio eorum habitantibus permissum, quidam de suffocato interpretantur.

Et sanguinis.] Ab esu sanguinis ut abstineretur præceptum fuit datum adhuc ante Legem Mosis, Noacho, Gen. 9. 4. ideoque videtur omnes homines non solos Israëlitas obligare. Postea repetitum in Lege, Levit. 17. 10, 11, 12, 13, 14. ubi etiam peregrinis inter Israëlitas versantibus esus sanguinis est prohibitus, & addita est ratio, quod in sanguine sit anima animalium: & quod sanguis ad expiandas animas hominum in altare detur.

Vers. 21. Rationem affert, vel cur Mosaicæ Legis præcepta alia ceremonialia non putet istis ex Ethnicismo conversis esse præcipienda, quia ad solos Judæos in Judaismo persistentes spectant, atque ab iis subinde diligenter inculcantur: vel potius cur de istis supra dictis, putet illos esse monendos, non etiam de aliis majoris momenti præceptis in Lege Mosis comprehensis, ut de moralibus, quod talia in conventibus sacris passim audire ac discere possent.

Vel ut Judæi non habeant justam causam conquerendi de eo quod istis Ethnicis ad Deum conversis nos Legem Mosis non proponamus.

Moses enim.] Intelligitur doctrina Mosis, ut patet ex sequentibus. Per metonymiam causæ efficientis pro effecto.

Ex generationibus antiquis.] Id est à priscis ætatibus, à multis seculis. Vox generationis solet sumi pro seculo. Ut Psal. 100. 5. Esai. 51. 8. Act. 13. 36.

Secundùm civitatem.] Id est per singulas civitates per quas Judæi dispersi habitabant inter Ethnicos.

Prædicantes ipsum habet.] Nempe illos Judæorum Rabbinos & Scribas seu Legisperitos Concionatores, qui Mosis Legem populo publice legere & exponere solent.

In Synagogis.] Per has usitate significantur Judæorum ad sacra celebranda conventus. Sed aliqui putant posse sub hoc nomine intelligi etiam Christianorum, præsertim ex Judæis ad Christianismum conversorum Ecclesias seu congregationes. Ut Jac. 2. 2. quum nomen istud Græcum significet congregationem.

Ubi per omne Sabbatum legitur.] Sabbato, die sacris dicata, solebat Sacra Scriptura Legis veteris prælegi populo. Vide supra cap. 13. 27. idque non tantum apud Judæos, sed etiam apud Christianos aliquamdiu: qui non solam diem Dominicam quæ Sabbatum subsequitur, sed etiam ipsum Sabbatum, sacris lectionibus dicatum habebant, & observabant. Videatur Clemens Constitut. vij. 24. & viij. 33 ac 67. & Synodi Laodicenæ circa ann. Christi 364. habitæ, can. 16.

Vers. 22. *Tunc.*] Auditis istis sermonibus & præsertim sententiâ Jacobi ultimo dictâ.

Visum est.] Seu placuit, post deliberationem, consensu facto.

Apostolis.] Illis primariis Ecclesiæ Christianæ columnis, ab ipso Christo institutis.

Et Presbyteris.] Seu Senioribus. Isti erant Ecclesiarum Pastores ab Apostolis constituti. Vide supra cap. 14. 23. & 1 Petr. 5. 1. Iidem tunc cum iis qui alias Episcopi dicti, vide Titi 1. 5, 7. Quanquam Presbyterorum nomine comprehenduntur etiam alii in Ecclesia eminentes, officio fungentes, velut Senatores Ecclesiæ, ut supra cap. xi. ult.

Cum tota Ecclesia.] Nempe reliquis præter Apostolos & Presbyteros Christi fidelibus: quales nunc Laici dicti non censentur ab aliquibus esse digni qui ad suffragia de sacris controversiis & ad dicendas in Synodis seu Conciliis sententias admittantur. At hic in primæva Ecclesia apparet horum quoque sententias & consensum, Apostolos ac reliquos Ecclesiæ præsidentes non neglexisse.

Electos viros ex ipsis.] Non quoscunque, sed ex numero illorum Christi discipulorum per delectum sumtos.

Mittere in Antiochiam.] Illam urbem in qua controversia ista de rituum Legis Mosaicæ observatione mota fuit.

Cum Paulo & Barnaba.] Qui in hac controversia erant defensores partis negantis: & ab Ecclesia Antiochena erant ablegati Jerosolymam.

Judam cognominatum Barsabam.] Forsan fratrem illius Josephi Justi, qui etiam cognomen Barsabæ habuit, supra cap. 1. 23.

Et Silam.] Is videtur is esse qui alibi vocatur Silvanus. 2 Cor. 1. 19. 1 Thess. 1. 1. & 2 Thess. 1. 1. & 1 Pet. 5. 12. De his duobus videndum & infra ℣. 32. Isti ex Jerosolymitanis fratribus lecti additi sunt Paulo & Barnabæ, quia hi ut antagonistæ poterant esse suspecti contrarium urgentibus.

Viros ductores.] Id est è Presbyteris Ecclesiæ doctores. Ut tanto majorem dignitatem & authoritatem haberet ista legatio.

In fratribus.] Id est inter fratres, seu Christi discipulos.

Vers. 23.

Vers. 23. *Scribentes per manum eorum hæc.*] Id est scripta epistola per eos missa, ipsorum ministerio Ecclesiis tradenda; cujus hæc erant verba quæ sequuntur. Legatis viva voce talia dicturis, additæ sunt scriptæ literæ, ut eis tanto magis & certius fides adhiberetur.

Apostoli.] Non solus Petrus suo nomine scripsit Epistolam decretalem, sicut à Pontificibus Romanis qui se ejus successores esse jactant, fieri solet.

Imo neque aliis conjunctus, nominatim cum prærogativa ponitur ac præponitur Petrus, ut caput scilicet Ecclesiæ, & Apostolorum aliorum Dominus; pro quali à Pontificiis habetur. Sed ut unus è numero cæterorum Apostolorum cum illis ut collegis computatur & sub eodem nomine comprehenditur.

Et Presbyteri.] Alii in Ecclesia eminentes Pastores ac Doctores præter Apostolos, qui etiam possunt dici Presbyteri seu Seniores, quasi Senatores in Ecclesia Christi; quum ipse Petrus compellans alios Ecclesiæ Dei Pastores quos vocant Presbyteros seu Seniores, seipsum eorum Symbresbyterum seu Conseniorem atque in hoc Senatu Christiano collegam nominet. 1 Petr. 5. 1.

Et fratres.] Per hos ita distincte positos intelliguntur ii ex numero Christianorum qui nullo publico in Ecclesia munere funguntur: sed sunt auditores. Ecce horum quoque quamvis laicorum nomine Epistola ista decretoria ex communi consensu scripta ad Ecclesias dirigitur: contra opinionem & morem Pontificiorum. Vulgatus Interpres Latinus temere hic omisit conjunctionem *&* qua isti fratres Presbyteris conjunguntur atque copulantur: quasi sensus sit Presbyteros vocari fratres, ac non adjungi eis alios, præter ipsorum ordinem existentes.

Iis qui [sunt] apud Antiochiam.] Nempe illam Syriæ metropolim, in qua controversia ista de rituum Mosaicorum ab iis qui ex Ethnicis Christiani sunt facti observatione primum est agitata.

Et Syriam:] Reliquam præter Antiochiam Syrorum regionem.

Et Ciliciam.] In qua metropolis Tarsus, patria Pauli. Infra cap. 21. 39. xxij. 3. in qua jam is post suam ad Jesum Christum conversionem versatus, supra cap. 9. 30. & xj. 25. procul dubio non paucos illic ad Jesu Christi Euangelium convertit.

Fratribus.] Nempe in Christo ejusque religione, vinculo fraterno conjunctis atque fraterno amore spirituali dilectis.

Qui [sunt] ex gentibus.] Extra Judæos, ex aliis nationibus.

Salutem.] In Græco textu est verbum quod alias significat *gaudere:* sed eo solent uti in salutando, sub gaudio omnia fausta comprehendentes, sicut Judæi sub pace. Subintelligitur autem verbum *optant.*

Vers. 24. *Quoniam audivimus.*] Initio indicatur occasio & causa scriptionis atque legationis: nempe auditio accepta de doctrina aliena à quibusdam inchoata.

Quod quidam ex nobis egressi.] Id est è Judæis ad Jesum Christum conversis, vide supra vers. 1. De his dici potest illud, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. 1 Joh. 2. 19.

Turbaverunt vos sermonibus.] Quum religionis Christianæ studium essetis ingressi, isti vos tranquillos præter opinionem concusserunt, quædam dogmata religioni Christianæ addita afferentes eaque urgentes, & sic molestiam vobis atque perturbationem crearunt.

Evertentes vel *destruentes animas vestras.*] Seu labefactantes. Metaphora sumta ab ædificii demolitione. Animæ eorum jam erant instructæ ad veram religionem, isti autem turbatores suis supervacuis dogmatibus eas perturbantes, corrumpebant. Vel potius id agebant quo corrumpi atque destrui & à vera religione averti potuerunt. Nam hic magis conatus quam ipse effectus notatur.

Dicentes.] Nempe hoc oportere à vobis fieri, seu jubentes, *circumcidi*, Hebræo more, *& servare Legem*, nempe Mosaicam, præsertim cæremonialem. Nam quod ad moralia Legis præcepta attinet, ea etiam Christianis omnibus sunt observanda, & exsequenda.

Quibus [hoc] non mandaveramus.] Protestantur Apostoli, & alii Ecclesiæ Jerosolymitanæ fratres, se non esse hujus doctrinæ authores, neque assensores: Quia videntur illi turbatores huic dogmati erroneo authoritatem Apostolorum & Seniorum atque fratrum falso prætexuisse.

Vers. 25. *Visum est nobis.*] Seu hoc ut rectum & conveniens ut fiat placuit nobis.

Factis unanimiter.] Id est quum essemus congregati, concorditer. Notant consensum Ecclesiæ in hac re.

Electos viros mittere ad vos.] Commendant eis suos ablegatos, ut ipsis fidem habeant, quod sint viri non vulgares, sed ex aliorum numero eximie electi, nimirum ob eximias qualitates atque dotes, vide supra ad vers. 22. quorum nomina exprimuntur infra vers. 27.

Cum dilectis nostris Barnaba & Paulo.] Hos quibus ab adversariis Iis mota est Antiochiæ, qui tuebantur eam sententiam non esse gentilibus ad religionem Christianam accedentibus imponendas Legis Mosaicæ cæremonias, Apostoli & alii fratres vocant dilectos suos sibi eximie charos, ita eos & eorum sententiam approbantes.

Vers. 26. *Hominibus qui tradiderunt animas suas.*] Seu exposuerunt vitam suam, nempe ad omnia pericula, & ad mortem ipsam diram perpetiendam: ac jam ex parte perpessi sunt dura & aspera, ut persequutionem atque expulsionem, supra cap. 13. 50. & lapidationem cap. 14. 19.

Pro nomine Domini nostri Jesu Christi.] Id est pro ipso Jesu Christo, seu propter eum, ut ejus qui est Dominus noster cœlestis à Deo constitutus, gloriam promoverent. Ergo tales parati omnia perpeti propter Dominum cœlestem, sunt fide digni.

Vers. 27. *Misimus ergo.*] Reditur ad id quod est supra vers. 25. inchoatum, de missione ad istos fratres, electorum ablegatorum, quos antea in hac epistola non nominatos, hic jam nominant.

Judam & Silam.] De his respic. annot. supra ad vers. 22.

Et ipsos per sermonem annunciantes seu *annunciaturos eadem.*] Nempe quæ in hac epistola vobis

scribimus, ea ipsa etiam vivo sermone isti nostri legati nunciabunt: ut ita per hæc bina media, tum scripto tum voce, sententia nostra vobis melius innotescat.

Vers. 28. *Visum est enim Spiritui Sancto.*] Illi afflatui Dei sacro quo ipsi afflati erant, & quo dictante ista censebant, attribuunt hoc decretum. Ita hunc afflatum divinum per prosopœjam inducunt quasi personam, ut sæpe. Is à Christo Apostolis promissus & datus, docuit eos omnia Joh. 14. 26. & deduxit eos in omnem veritatem. Joh. 16. 13. Non propria sui cerebri commenta pro dogmatibus proponebant Apostoli, sed ea quæ à Spiritu Dei Sancto erant eis dictata. Hoc etiam alii Doctores Ecclesiæ debant observare.

Et nobis.] Nempe à Spiritu Dei Sancto gubernatis. Post nominatum Spiritum Dei Sanctum, ut causam hujus decreti potiorem, subjungunt etiam suam illi authoritati innixam authoritatem. Hoc eis opportune faciendum fuit, quia contraria doctrina ipsis affingebatur, ne pro authoribus illius doctrinæ à qua abhorrebant, haberentur.

Nihil amplius imponere vobis oneris.] Qualia onera & veluti jugum grave, erant cæremoniæ Legis Mosaicæ, supra ℣. 10. Non excludunt observationem Legum moralium, nec abjiciunt ab eorum cervicibus illud jugum suave, & onus leve Christi præceptorum, Matth. xi. 29, 30. quæ præcepta Dei & Christi, quando ex charitate fiunt, non sunt gravia. 1 Joh. 5. 3.

Quam necessarium istorum.] Vocant ista necessaria, quamvis quædam istorum non præcise & absoluta necessitate salutis consequendæ causâ requirerentur; sed ad tempus, propter vitandum scandalum Judæorum ad Christum jam conversorum: ut isti ex Gentilibus facti Christiani, cum illis melius in unum corpus coalescerent, atque à convictu eorum non abhorrerent, & alii Judæi adhuc increduli ab ineunda cum istis gentibus religiosa societate non averterentur.

Vers. 29. *Abstinere idolothytis.*] Seu iis quæ idolis falsis Diis ab Ethnicis immolabantur, ne eis isti conversi vescerentur. Id tamen, nisi adsit scandalum seu offendiculum infirmorum, non esse illicitum indicat Paulus Apostolus Rom. 14. 2, 3. 1 Cor. 8. ℣. 4, 7. & x. 19, 25, 27.

Et sanguine, & suffocato.] De his respice notata supra ad ℣. 20. Aliqui interdictum hoc de istis tribus, ajunt sumtum esse ex veteri more Israëlitarum, qui captis aut subjugatis gentibus soliti sint imponere hasce conditiones. Hæc constitutio Apostolica, duravit aliquamdiu primis Christianismi seculis, ut constat ex Tertulliano, Minutio Felice, Eusebio, & ex Synodi Gangrensis Anno Christi 324. celebratæ, canone 2.

Sed postea spe ædificandorum & ad fidem in Christum convertendorum Judæorum deficiente, atque scandalo desinente, ista quoque observatio desiit & est antiquata. Cessante causa cessavit & effectus, ut & Lyranus annotavit. Augustinus scripsit eam constitutionem suo tempore non amplius in usu fuisse in partibus Africanis. Certe & Christus docuit id quod in os intrat non polluere hominem coram Deo, Matth. 15. 11. & Paulus Apostolus scripsit, *Ne quis vos judicet in cibo* &c. Col. 2. 16.

Et scortatione.] De hac notatum aliquid supra ad ℣. 20. Cæterum ab his superius nominatis abstinentiæ, alia est ratio, alia autem scortationis: quæ naturâ suâ turpis est & inhonesta. Vide 1 Cor. cap. 6. 13, 15, 18. ideoque vetita omnino in perpetuum. Eph. 5. 3. Col. 3. 5, 6. Hoc vitium nominatim istis qui ex gentibus profanis erant interdicitur, quia eis erat maxime consuetum ac familiare, ut nec pro peccato haberetur. Ita Johannes Baptista publicanis & militibus quædam vitia eis inprimis solita expresse interdicit, Luc. 3. 13, 14. aliis tunc non memoratis. Notandum hoc loco ex Jacobi sententia supra vers. 20 expressa, factam esse istam constitutionem: non autem à Petro ipso constitutam.

Addunt hic quidam codices, ut & supra vers. 20. *Et quæ nolitis vobis ipsis fieri, aliis ne faciatis.* Sed non erat causa justa cur hoc peculiariter isti constitutioni adderetur, quia de eo, nec tunc, nec unquam, inter homines, nedum Christianos, controversia movebatur. Alioqui & alia pietatis atque charitatis officia fuissent adjungenda.

Ex quibus seu *à quibus conservantes vos ipsos, bene agetis.*] Hac clausula simplici concludunt isti viri sancti suam constitutionem, ita eam commendantes; non severe cum minis mandantes, ut nunc solent Pontifices suas humanas constitutiones mandare.

Valete.] Ut initio Epistolæ salutarunt eos amice, ita hic in fine eis valedicunt, seu precantur eis valetudinem, quæ non tantum respectu corporis sed & respectu animi est intelligenda, -- ut sit mens sana in corpore sano.

Vers. 30. *Illi quidem igitur dimissi.*] Nempe ab Ecclesia Jerosolymitana ablegati, quum valedixissent fratribus, & ab eis discedentes, itineri se dedissent. Nempe cum Paulo & Barnaba, Judas atque Silas.

Venerunt in Antiochiam.] Illam Syriæ metropolim in qua erat mota ista de rituum Mosaicorum observatione controversia.

Et congregantes multitudinem seu *congregata multitudine.*] Nempe convocato cœtu Christianorum qui illic Antiochiæ degebant.

Tradiderunt epistolam.] Illam ab Ecclesia Jerosolymitana scriptam.

Vers. 31. *Legentes autem.*] Seu quam quum legissent, nempe illi Christiani Antiocheni.

Gavisi sunt super cohortatione.] Aliqui ut vulgatus Interpres vertunt *consolatione.* Vox quidem Græca admittit utramque significationem. Sed hoc loco magis videtur intelligenda cohortatio, ad ea quæ in Epistola proponuntur, observanda. Quanquam potest dici, in eo ipso inesse consolationem, quod ab illa turbatione animarum, per dogmata de necessitate legalium omnium cæremoniarum, quam aliqui eis inculcabant, essent liberati: ideoque gavisi. Magnum bonum est libertas Christiana, in qua standum est. Gal. 5. 1.

Vers. 32. *Judas autem & Silas, & ipsi Prophetæ existentes.*] Scilicet non tantum Barnabas atque Saulus, seu Paulus, de quibus id scriptum supra cap. 13. 1; sed etiam isti cum eis ab Ecclesia Jerosolymitana ablegati, erant Prophetæ. Per Prophetas hoc loco videntur

videntur intelligi non tam vates futura prædicentes, non enim istud hic requirebatur, quam Doctores eximii sensum verbi Dei non cuivis obvium, ope Spiritûs divini, videntes, atque interpretantes.

Per sermonem multum, adhortati sunt seu *consolati.*] Nam similis vox duplicis istius significationis, ut versu proxime antecedente, hic est posita. Adhortabantur eos ad tenendam in religione Christiana suscepta constantiam, & ad vitam piam, ex hujus religionis præscripto, agendam; & consolabantur spe gratiæ Dei salutaris, etiam contra pericula atque alias difficultates solatia proponebant.

Fratres.] Nempe illos Antiochenos factos Christianos, ejusdem secum vocationis cœlestis & hæreditatis divinæ participes.

Et confirmarunt.] Ne in fide atque pietate vacillarent, aut cessarent. Id fiebat tum promissis divinis eximiis ob oculos positis atque elucidatis, tum exemplis fidelium memoratis, tum aliis rationibus, animos in studio sancto firmantibus atque corroborantibus.

Ita debet fieri ut qui inter Christianos habent donum ac facultatem alios ad pietatis officia adhortandi id strenue faciant. Vide Rom. 12. 8. 1 Thess. 5. 11, 14. Hebr. 3. 13.

Vers. 33. *Facientes autem tempus.*] Seu facto tempore, id est transacto. Ut infrâ cap. 18. 23. xx. 3. Jac. 4. 13. Nempe per tempus aliquod commorati sunt Antiochiæ isti ab Ecclesia Jerosolymitana ablegati.

Dimissi sunt cum pace.] Id est cum valedictione amica & apprecatione pacis, in qua Judæi omnia fausta ac felicia comprehendebant. Vide Matth. 10. vers. 13.

A fratribus.] Nempe ab illis Ecclesiæ Antiochenæ Christianis.

Ad Apostolos.] Non ad illos solos peculiariter ita dictos, sed etiam ad totam Ecclesiam Jerosolymitanam. Itaque non abs re quædam exemplaria Græca, voce huic vicinâ positâ habent eum sensum quem Latinus Interpres vulgatus expressit, *ad eos qui miserant illos.*

Vers. 34. *Visum est autem Silæ permanere ibidem.*] Quamvis cum Juda socio suo obtinuit ab Ecclesia Antiochena veniam abeundi, tamen non abivit, mutatâ sententiâ, vel sponte sua, vel rogatus. Cujus remansio postea profuit Paulo. Infra ℣. 40.

Vers. 35. *Paulus autem & Barnabas demorabantur* seu *conterebant*, scilicet tempus, *in Antiochia.*] In qua jam antea negotium Domini agebant in docenda simul religione Christiana. Vide supra cap. xi. ℣. 25, 26. & xiij. 1. xiv. 26, 27, 28. xv. 2.

Docentes & euangelizantes.] Hoc erat opus, hæc occupatio eorum, docere homines doctrinam salutarem & Euangelium eis prædicare.

Cum & aliis multis.] Non soli isti duo docebant, sed habebant in docendo adjutores alios, ut illos qui indicati sunt supra cap. xi. 19, 20 & 27, 28. xiij. 1.

Sermonem Domini.] Non docebant sua commenta, sed doctrinam Jesu Christi, in Euangelio comprehensam, atque etiam per Spiritum Sanctum eis inspiratam.

Vers. 36. *Post aliquot autem dies dixit Paulus ad Barnabam: Revertentes sane visitemus fratres nostros.*] Paulus Spiritu fervens, & negotium Domini strenue agere volens, piam solicitudinem suscipit, de visitandis fratribus in Domino seu Christianis: & ad hoc sanctum opus hortatur etiam Barnabam, socium. Hanc solicitudinem suam circa omnes Ecclesias præsertim ex gentibus extraneis collectas, ipse inter labores à se susceptos memorat 2 Cor. xi. 28. Valde utile opus est Ecclesias plantatas & fratres in Christo hinc inde sparsos subinde visitare, & confirmare, atque corrigere.

Secundùm vel *per omnem civitatem*, aut omnes civitates, *in quibus prædicavimus sermonem Domini.*] Id est Euangelium Christi. Non sufficit sevisse in agro semen bonum, sed oportet revisere, an crescat, & fructum proferat.

Quomodo habeant.] Subintelligendum, ut videamus aut cognoscamus. Non tam hoc spectabat vir sanctus ut sciret quomodo valerent secundum corpus, quam potius secundum spiritum, an in veritate salutari cognita manerent ac perseverarent, an in pietate proficerent.

Vers. 37. *Barnabas autem consulebat.*] Vel ut alia exemplaria Græca voce huic vicina habent, & ut vulgatus Interpres vertit, *volebat, simul assumere Johannem, vocatum Marcum*, de quo vide supra cap. 12. 12, 25. & xiij. 5. Hunc ad illud iter comitem Barnabas assumere volebat, ac etiam Paulo ut in id consentiret, suadebat.

Vers. 38. *Paulus autem dignum* [*esse*] *ducebat*, vel *æquum existimabat.*] Nempe ob rationem justam, quæ mox subjungitur. Vulgatus Interpres Latinus vertit *rogabat*, quod quidem verbum istud aliquando significat, sed notandum est Paulum hic non tam prece quam ratione justa id persuadere voluisse.

Eum qui abscesserat ab eis à Pamphylia.] Vide supra cap. 13. 13.

Et non isset cum eis in illud opus.] Nempe prædicandi per varia Asiæ minoris oppida Euangelii.

Non assumere simul istum.] Utpote inconstantem in laboribus ac periculis tolerandis.

Vers. 39. *Factus est igitur paroxysmus.*] Id est acris commotio, aliqui vertunt exacerbatio. Ex illa dissensione, inter ajentem & negantem, seu suadentem & dissuadentem, orta est quædam ad iram concitatio, & offensio. Barnabas humano affectu, Marco ut consobrino suo, Col. 4. 10, favebat; at Paulus quod justum erat urgebat. Ita inter eos qui alias consentiebant facta est in hoc negotio dissensio: quæ etiam inter bonos interdum exoriri solet, sed absque odio hostili.

Ut discederet alter eorum ab altero.] In diversas regiones discesserunt. Ut olim Abrahamus & Lotus, alias amici. Gen. 13. 9. Hæc dissensio, quæ non satis bona videbatur, id boni per divinam providentiam attulit, ut isti duo insignes verbi Dei præcones, disjuncti & in loca diversa atque dissita profecti, opus communis Domini latius promoverent, atque doctrinam Euangelii magis propagarent.

Et Barnabas assumens Marcum seu *assumto Marco, navigaret in Cyprum.*] Cum consobrino suo, in patriam suam. Vide supra cap. 4. 36.

Vers. 40. *Paulus autem allecto Sila.*] De quo supra

℣. 32 & 34. hunc sibi comitem & socium operis sacri allegit.

Exivit.] Nempe Antiochiâ discessit.

Traditus gratiæ Dei à fratribus.] Id est commendatus Deo precibus à Christianis Antiochenis, ut Deus ejus itineri atque operi successum prosperum largiretur: Quod etiam evenit. Unde apparet Paulum in illo dissidio justiorem partem defendisse. De Barnaba jam posthac in his Actis siletur.

Vers. 41. *Perambulabat autem Syriam.*] Regionem illam quæ erat circa Antiochiam.

Et Ciliciam.] Quæ regio erat patria Pauli. Infra cap. 21. 39. xxij. 3.

Confirmans Ecclesias.] In fide Christiana atque pietate: ac simul illud mandatum à Spiritu Sancto Apostolis ac Presbyteris dictatum annuncians, quod etiam ad istarum regionum fratres erat directum. Vide supra vers. 23 & 28, 29. & infra cap. 16. 4.

CAPUT XVI.

Vers. 1. *Devenit autem in Derben & Lystram.*] Urbes Lycaoniæ, de quibus supra cap. 14. 6. In quarum illâ Euangelio prædicato Paulus cum Barnaba, multos fecit discipulos Christi ib. ℣. 20, 21. In ista autem ob miraculum editum, pro Deo habitus, ib. ℣. 11, 12. Deinde fuit lapidatus, ℣. 19.

Et ecce discipulus quidam.] Id est Christianus.

Erat ibi.] Sive Derbæ, sive potius Lystræ. Vide infra vers. 2, & cap. 20. 4.

Nomine Timotheus.] Nomen hoc ex honore & Deo est compositum.

Filius mulieris cujusdam Judææ, fidelis.] Quæ quum esset Judaicæ nationis ac religionis, susceperat fidem in Jesum Christum. Cujus nomen Eunice. Vide 2 Tim. 1. 5.

Patris autem Græci.] Id est Ethnici, & ut apparet incircumcisi.

Vers. 2. *Qui.*] Nempe Timotheus.

Testimonio probabatur.] Nempe respectu pietatis ac probitatis, commendabatur. Ut supra cap. 6. 3. x. 22.

Ab iis qui in Lystris seu *Lystra.*] Patria ejus.

Et Iconio.] Urbe vicina, vide supra cap. 14. 21.

Fratribus.] Id est Christianis.

Vers. 3. *Hunc voluit Paulus secum exire.*] Ut esset comes ejus in itineribus, & administer, infra c. 19. 22. & cooperarius Rom. 16. 21. in Euangelio. 1 Thess. cap. 3. 2.

Et sumens, circumcidit eum.] Qui sub Patre gentili incircumciso vivens hactenus erat incircumcisus, hunc Paulus circumcidit.

Propter Judæos, existentes in locis illis.] Non ideo eum circumcidit, quod id ei putaret esse necessarium ad salutem, sed quod quum jam ex parte Judæus esset, per matrem, & inter Judæos Euangelium prædicans versari deberet, voluit Paulus Judæorum infirmorum ædificationi gratificari, ne à Timotheo velut profano abhorrerent. Ita Paulus quamvis sciret Christianam circa res ejusmodi libertatem, tamen factus est Judæis sicut Judæus, ut Judæos lucraretur. 1 Cor. 9. 20.

Sciebant enim omnes patrem ejus, quod Græcus erat.] Id est gentilis. Unde & ipsum Timotheum pro gentili habuissent.

Vers. 4. *Quum autem pervaderent civitates.*] Illas Lystris vicinas, in quibus jam erant Ecclesiæ Christianæ.

Tradebant eis custodire dogmata illa quæ decreta erant ab Apostolis & Senioribus qui [erant] in Jerusalem.] Nempe illa quæ sunt expressa supra cap. 15. 29.

Vers. 5. *Illæ quidem igitur Ecclesiæ confirmabantur fide.*] Id est proficiebant atque corroborantur in fide seu religione Christiana, jam antea suscepta.

Et exuberabant numero quotidie.] Subinde etiam augebantur iis qui de novo ad religionem Christianam accedebant.

Vers. 6. *Transeuntes autem Phrygiam.*] Asiæ minoris regionem quæ duplex erat major & minor. In minore erat olim urbs antiqua celebris & decantata Troja. Unde etiam Trojani dicti sunt Phryges.

Et Galaticam regionem.] Quæ inter Pontum Euxinum & Pamphyliam sita, dicta alias Gallo-græcia, quod eam Galli in Græciam profecti occupaverint atque incoluerint.

Prohibiti à Spiritu Sancto.] Id est per afflatum Dei, in corda ipsorum missum à Deo, dictantem eis ne hoc facerent.

Loqui sermonem.] Nempe Dei, id est Euangelium, ut supra cap. 8. 4. & xj. 19.

In Asia.] Nempe minore, in qua urbs præcipua erat Ephesus. Non simpliciter vetitum erat illic prædicari Euangelium, sed pro illo tempore: postea est ibi prædicatum, infra cap. 19. 10. At tunc id fieri prohibitum erat, vel quod illa regio Asiæ nondum esset bene disposita, ad Euangelium Christi suscipiendum, vel quod à vicinis regionibus jam Euangelio illuminatis, lumen istud facile etiam illuc spargi poterat, vel præcipue quod Deo ita placitum fuerit, Macedoniam potius tunc isto bono beare.

Vers. 7. *Venientes autem versus Mysiam.*] Hæc etiam regio fuit in Asia minore.

Tentarunt versus Bithyniam vadere.] Et hæc Asiæ minoris regio, in qua urbes Prusa & Nicomedia atque Nicæa.

Et.] Ponitur pro *sed*, ut & alibi.

Non sivit eos Spiritus.] Ut supra vers. 6. Aliqua exemplaria habent *Spiritus Jesu*, nempe Jesus Christus per afflatum suum voluntatem de eo suam, uni ex iis vel pluribus revelavit.

Vers. 8. *Prætereuntes autem Mysiam, descenderunt in Troadem.*] Troas à quibusdam censetur esse regio Asiæ, in qua olim Troja urbs fuit. Sed alii existimant notari eo nomine urbem, quæ ex antiquæ Trojæ reliquiis condita fuit ab Antigono, unde etiam dicta Antigonia, teste Plinio. Urbem esse videtur colligi posse etiam ex cap. 20. 6. & 2 Tim. 4. 13. Venerat illuc Paulus ad Euangelium Christi prædicandum, vide 2 Cor. 2. 12.

Vers. 9. *Et* seu *tunc, visum per noctem conspectum est Paulo.*] Forsan in somnio, sed insigni, aut etiam non dormienti species talis objecta fuit.

Vir quidam erat Macedo.] Ex illa regione Græciæ, ex qua olim egressus Alexander Magnus, magnam orbis partem subegerat. Forsan ex vestitu in

quo

quo ista species viri apparuit & ex lingua potuit agnosci quod Macedo esset. Sed magis ex ipso sermone quem addidit, in quo patriam suam nominavit, ut mox additur.

Stans, precans eum.] Nempe Paulum.

Et dicens.] Sermone exprimens quod obtinere voluit.

Transiens in Macedoniam adjuva nos.] Numero plurium loquitur, indicans Macedones periclitantes ne pereant quod ad spiritum attinet, indigere ope, ut eis succurratur per prædicationem Euangelii ad salutem.

Vers. 10. *Ut autem hoc visum vidit, statim quæsivimus* seu *studuimus, exire in Macedoniam.*] Ex hoc loco & ex aliis sequentibus colligitur Lucam qui ista Acta conscripsit, adhæsisse saltem à Troade Paulo comitem: si non adhuc ab Antiochia.

Conferentes.] Vel pariter hoc statuentes. De tali voce Græca respice notata supra ad cap. 9. 22. Quidam hic exponunt, quod collatis argumentis aut indiciis id collegerint.

Quod advocaret seu *vocatione sua impelleret nos.*] Paulum cum Sila & Timotheo atque Luca.

Dominus.] Nempe Dominus Jesus Christus: quem Christiani pro Domino cœlesti eis præposito à Deo habent.

Euangelizare eos vel *eis.*] Nempe ut Macedoniæ incolis Euangelium prædicaremus.

Vers. 11. *Provecti igitur à Troade, recta cucurrimus in Samothraciam.*] Navigarunt vento secundo in regionem & insulam quæ vocata Samothrace: à Samiis & Thracibus simul mistis, eam incolentibus.

Et sequente [die] Neapolim.] Id est ex Græco Novam civitatem, in finibus Thraciæ, versus Macedoniam sitam.

Vers. 12. *Illincque in Philippos.*] Urbem à Philippo Rege Macedonum, Alexandri Magni patre denominatam.

Quæ est prima illius partis Macedoniæ civitas.] Seu urbs. Vel prima occurrens venientibus è Samothracia, vel primaria ac præcipua illius provinciæ.

Colonia.] Quod quum forsan desolata aut minus populosa esset, Romani illuc Colonos ex Italia ad illam colendam deduxerint: qui Romano jure gaudebant, ut patet infra vers. 21.

Eramus autem in ea urbe versantes dies aliquot.] Quia illic erat messis spiritualis non parva circa quam erant occupati, ideo per dies non paucos ibi sunt commorati, agentes negotium Domini cœlestis.

Vers. 13. *Et die Sabbatorum.*] Id est Sabbati, plurale pro singulari: hebdomadis septimo die festo quo Judæi ad sacra convenire solent.

Exivimus extra civitatem.] Quia vel Judæi conventibus suis locum à turbis remotum elegerant, vel quia eis non licuit in civitate convenire.

Ad fluvium.] Eum aliqui ajunt esse Strymonem, è Thracia fluentem.

Ubi solebat proseucha esse.] Proseucha vox Græca significat precationem, sed & locum in quo fit precatio publica, velut sacellum aliquod, minus quam Synagoga: Philo hanc vocem pro loco orationis Judaicæ usurpat. Et Syrus Interpres hoc loco posuit domum orationis. Forsan non erat domus aliqua propriè, sed locus sub aperto cœlo, formâ theatri: ut de loco orationis apud Samaritas Judæorum æmulos habito Sicimis scripsit Epiphanius in hæresi Messalianorum. Et apud Juvenalem habetur Sat. iij, Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha?

Sub precatione autem hic comprehenditur etiam verbi Dei prædicatio: ut ex mox subjunctis apparet.

Et sedentes.] Solebant ordinarie ii qui docebant in sede aliqua considere.

Loquuti sumus.] Nominatim Paulus, ut indicatur versu sequente.

Illis quæ convenerant mulieribus.] Quia forsan viri tardius illuc conveniebant. Mulieres solent esse religiosiores. Eæ in Synagogis Judæorum, pariete cancellato à conventu virorum dividuntur.

Vers. 14. *Et quædam mulier nomine Lydia.*] Frequens erat olim hoc nomen mulieribus, ut apud Horatium sæpe occurrit. Forsan à Lydorum regione è qua ortum ducebant, ita nominabantur.

Purpuræ venditrix.] Institrix panni purpurei pretiosi, quali magnates uti solebant. Apparet fuisse fœminam divitem.

Civitatis Thyatirorum.] Beza vertit, quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum. Sed hoc loco narratur habitasse Philippis, & ibi domum habuisse, infra vs. 16. Fuit Thyatira in Asia minore, urbs Lydorum seu vicinorum eis Mysorum, colonia Macedonum. Videtur indicari quod ista fœmina inde fuerit oriunda. [Nisi forte & Thyatiris & Philippis tabernas institorias habuit.]

Colens Deum.] Religiosa, & ut credibile est, proselyta, quæ ex Ethnica accesserat ad Judæorum religionem. Ita enim tales vocari solent, ut supra cap. 13. 43. & infra cap. 17. 4.

Audivit.] Nempe illos sermones sacros, ibi tunc habitos.

Cujus Dominus.] Id est Jesus Christus.

Adaperuit cor.] Id est movit animum, non violento modo, sed quum jam ipsa esset religiosa erga Deum, ut modo dictum, Deus per Christum animo ejus pio atque probo, jam audiendis illis sermonibus intento, auxilium dedit, ut Christi ex parte sua apertionem ejus molientis, voci, qua apertio ista fieri solet, quam tunc Paulus annunciabat assensum præbens obediret, eumque sic pulsantem intromitteret: ut dicitur Apoc. 3. 20. Si Dominus, ibi ubi ejus nomen nondum fuerat prædicatum, nec ullum exstabat fidei in eum exemplum, vi quadam occultâ miraculosâ orationi Pauli patheticæ additâ per spiritum suum animum Lydiæ commovit, ad attentionem; non tamen inde sequitur, primò vim eam violentam fuisse ut ei ipsa nullo modo posset resistere; deinde non est hoc exemplum trahendum ad omnes quotquot ad Dominum convertuntur: nec extraordinarium pro ordinario habendum. Sicut etiam id quod factum est in Sauli conversione.

Ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.] Ut diligenter auscultans, animum ad ista dicta applicaret, ut eis assensum præberet, atque fidem adhiberet.

Vers. 15. *Ut autem baptizata est.*] Nempe postquam Pauli Euangelium de Jesu Christi prædicantis sermonibus credidit, suscepit baptismum aquæ in signum resipiscentiæ. Vide supra cap. 2. 38. viij. 37.

Et domus ejus.] Id est domestici, nimirum qui etiam sermoni Euangelico assensum ac fidem adhibuerant, ii quoque sunt baptizati.

Precata est.] Conversionis ejus ad Christum fructus apparuit in effectu, quod Christi servos ad se invitaret, *dicens.*

Si.] Hæc vocula hoc loco non videtur indicare dubitationem, sed affirmationem: ut significet *quandoquidem.* Sicut Matth. 12. 28. Joh. x. 35. xiij. 32. xviij. 8. Act. 4. 9. xj. 17. & alibi.

Judicastis me fidelem Domino esse.] Id est quoniam agnoscitis me in Jesum Christum fidem suscepisse, ideoque me ut credentem in eum, baptizastis, atque ita jam pro Christiana habendam censuistis.

Ingressi in domum meam, manete.] Egregium charitatis Christianæ specimen eis exhibuit in præstando officio hospitalitatis, dum istos peregrinos, Christi servos, rogat ut non tantum in domum ejus aliquantisper introeant, sed etiam ibidem maneant, atque commorentur.

Et coëgit nos.] Non violento modo, sed rationibus justis urgentibus persuasit, & assensum expressit. Sicut Gen. 19. 3. xxxiij. 11. 1 Sam. 28. 23. Luc. 24. 29.

Vers. 16. *Factum est autem vadentibus nobis in proseucham.*] In locum precationis, de quo respice annot. supra ℣. 13. sive ad ipsam precationem.

Ut puella quædam.] Seu ancilla.

Habens spiritum Pythonis.] Apollo unus ex dæmonibus ab Ethnicis religiose cultis, dictus Pythius, à Pythone serpenne: quod nomen videtur manasse ex Hebræo Pethen, quo serpentis species, aspis, significatur.

Sub serpentis specie olim diabolus primam fœminam scientiæ impertiendæ prætextu, seduxit, & ad peccatum adduxit. Sub eadem specie animalis vaferrimi & divinationibus adhibiti, videtur olim in Græcia cultus esse Apollo, ut & filius ejus Æsculapius. Fœminæ à spiritu isto dæmonis divinationes suggerentis occupatæ atque correptæ solebant Delphis in templo Apollinis, oracula edere, præsertim ex ventre instar utris inflato atque intumescente.

Occurreret nobis.] Seu ob viam veniret.

Quæ quæstum multum præbebat dominis suis.] Forsan hero & heræ.

Vaticinans seu *divinans.*] Quum occulta de quibus consulebatur, revelante illo dæmonis spiritu, patefaceret; ut de rebus furto sublatis, de successu itineris, aut aliorum negotiorum: qualia quum consulentibus enunciaret, præmia divinationis subinde ab eis accipiebat.

Vers. 17. *Hæc subsequuta Paulum, & nos.*] Comites Pauli, Silam, Timotheum, ac ipsum qui hæc scripsit Lucam.

Clamavit, dicens: Isti homines, servi Dei Altissimi sunt.] Spiritus impurus aliquando vera dicit, sed non bono fine. Commendat aliquando servos Dei, ut & Christum ipsum Matth. 8. 29. Marc. 1. 24. iij. 11. vel per adulationem, ne expellatur: vel ut suspicionem injiciat hominibus, istos secum consentire, & sic authoritatem sibi conciliet; aut istorum doctrinam reddat suspectam, aut ut fide eis adrogatâ, ad fovendos errores perniciosos eorum doctrinæ à se admissos, abutatur.

Qui annunciant vobis.] Hominibus, illius civitatis. Aliqua exemplaria habent *nobis* quod minus conveniens videtur, quasi dæmon qui hoc per istam fœminam loquebatur, etiam ad se hanc annunciationem spectare indicaret. Nisi dicatur hoc dicto ipsa quoque ista fœmina respici.

Viam salutis.] Modum consequendæ felicitatis.

Vers. 18. *Hoc autem faciebat ad multos dies.*] Non semel, sed sæpe, idem iterans.

Moleste ferens autem Paulus.] Hos importunos, & suspectos, à spiritu maligno profectos, clamores, iteratos: quum Stratagematum Satanæ non esset ignarus. 2 Cor. 2. 11.

Et conversus.] Nempe ad illam fœminam se affectantem, & clamore prosequentem, vultu obverso.

Spiritui dixit.] Nempe illi Pythonico, id est dæmoni ancillam hanc occupanti.

Præcipio tibi in nomine Jesu Christi.] Nempe illius filii Dei, cui cœli Domino data est à Deo potestas in omnia, & in tales spiritus immundos, qui eos adhuc in terris versatus expellebat; ejus authoritate id tibi mando.

Qui Dominus etiam servis suis dedit potestatem expellendi suo nomine tales spiritus dæmoniacos. Marc. 16. 17. Cujus specimina & post ejus in cœlum ascensionem edebant. Act. 5. 16. viij. 7.

Ut exeas ab ea.] Zelo sancto & Spiritus divini instinctu impulsus Paulus, spiritum hunc impurum, quamvis sibi blandientem, jubet ab ista fœmina excedere. Sic Christus Marc. 1. 25. v. 8. Luc. 4. 35.

Et exivit eadem hora.] Spiritus ille dæmoniacus authoritate Christi perculsus, absque mora paruit, eam quam occupaverat fœminam reliquit; quod mox ex effectis in illa puella conspicuis, apparuit.

Vers. 19. *Videntes autem domini ejus.*] Nempe illius ancillæ Pythonissæ herus & hera, vel etiam heriles filii.

Quod abierit spes quæstus eorum.] Quem habebant ex istius ancillæ suæ per spiritus illius Pythonici afflatum vaticiniis. De quo dictum supra ℣. 16.

Prehendentes Paulum & Silam.] Quippe ejus rei authores.

Traxerunt in forum, ad principes.] Seu præfectos urbis, ac magistratus, ut sontium judices, & injuriarum vindices.

Vers. 20. *Et adducentes eos militum seu satellitum præfectis.*] Quibus præeunte judicum decreto, sontium capiendorum & puniendorum ac in carcerem conjiciendorum facultas erat. Quanquam in his libris nomen istud quod proprie militum duces notat, etiam aliis præfectis, ut prætoribus, tribui videatur.

Ajebant: Isti homines conturbant nostram civitatem.] Prætexentes se esse tranquillitatis publicæ totius civitatis & ejus incolarum studiosos, quum suum privatum detrimentum dolentes ulcisci vellent, calumniantur viros pios, quasi ii essent pacis publicæ turbatores. Sic olim Achabus impius, Eliam Prophetam pium est calumniatus. 1 Reg. 18. 17.

Judæi existentes.] Judæorum nomen Paulo & ejus sociis objectant, tum quod eos origine & lingua Judæos esse agnoscerent, tum quod Judæorum qui ibi aliqui erant proseucham eosdem frequentare viderent.

rent. Erat autem Judæorum nomen exorsum Romanis, ob religionis & morum diversitatem.

Vers. 21. *Et annunciant mores quos non licet nobis suscipere neque facere.*] Fingunt Judaicorum rituum observationem à Paulo & ejus sociis doceri. Innovare aliquid in religione, & sacra peregrina suscipere, apud Romanos censebatur illicitum.

Quum simus Romani.] Quamvis in Græciæ parte Macedonia erant Philippi, tamen Romanorum nomine censentur, quia hæc civitas erat Romanorum Colonia, ut dictum supra vers. 12. Romani olim sacra peregrina recipere absque publico consensu, vel aliquid in religione novum quamvis non malum admittere, nefas putabant. Et nunc Romanenses dogmata religionis quamvis recta, quia ab eorum consuetudine sunt diversa, suscipere recusant.

Vers. 22. *Et consurrexit turba contra eos.*] Illis vocibus istorum de Paulo & ejus sociis conquerentium, excitata multitudo populi, hos insontes quasi sontes temere aggredi, & clamoribus adversis urgere cœpit.

Et militum præfecti.] Seu prætores aut magistratus illi de quibus supra vers. 20.

Diruptis eorum vestibus.] Moris erat ut flagellandorum vel cædendorum vestes seu tunicæ lacerarentur; ut ita corpora nudarentur ad verbera. Id frequenter legere est in Livio, Plutarcho, & aliis historicis.

Jusserunt [eos] virgis cædi.] Absque causæ justa cognitione, temere sævierunt in insontes. Solitum Romanis, ut ii qui pro sontibus habebantur, virgis cæderentur, à lictoribus.

Vers. 23. *Multisque impositis* seu *inflictis eis plagis.*] Postquam per sæva virgarum verbera non pauca, corporibus eorum impacta, vibicibus ac vulneribus eos affecerunt.

Conjecerunt in custodiam.] Seu carcerem. Jam graviter verberibus afflictos insuper carceri includunt, addentes afflictioni aliam afflictionem.

Mandantes vinctorum custodi.] Seu ei qui carceri & in carcerem conjectis erat præpositus.

Ut tuto servaret eos.] Ne elaberentur, scilicet ut eos porro punirent.

Vers. 24. *Qui mandato tali accepto*, obediens Magistratui, *conjecit eos in interiorem* seu *intimum carcerem.*] Ut scilicet ibi remotius ab exitu, pluribus claustris septi, tutius asservarentur.

Et pedes eorum strinxit.] Ex Græco quasi assecuravit, quia quæ muniuntur atque custodiuntur, securos faciunt.

Ligno.] Nempe cippo seu numellæ ligneæ, inseruit.

Vers. 25. *At secundum mediam noctem.*] Circa quod tempus homines maxime dormire solent.

Paulus & Silas.] Illi servi Dei, qui erant verberati, & in carcerem conjecti immerito.

Precantes.] Nempe Deum, ut ex mox sequentibus verbis apparet; cujus gloriæ promovendæ causâ patiebantur, ejus opem exposcebant.

Hymno laudabant seu *celebrabant Deum.*] Psalmo aliquo cantato, laudes Dei prædicabant; ardore pietatis etiam in afflictione acerba immerita ferventes, & causæ suæ bonæ conscientiam testantes: etiam pro eo gratias Deo agentes, quod eos propter gloriam suam pati voluerit. Quia servi Dei sinceri tales propter Deum perpessiones, gaudio sibi ducunt. Ut Act. 5. 41.

Auscultabant autem eis vincti.] Nempe qui in eodem carcere in vinculis erant, his eorum vocibus inopinatis auditis, aures eis præbebant.

Vers. 26. *Subito autem terræ motus factus est magnus, ut quaterentur fundamenta carceris.*] Non tantum ædificio ipso commoto, sed etiam eo cui erat inædificatum solo valide succusso: in signum ejus rei quod Deus omnipotens, cujus servi ibi vincti erant, testaretur se eorum defensorem eis præsentem vi sua adesse, eosque esse innocentes, & preces eorum ad se directas esse à se exauditas. Vide supra cap. 4. 31.

Apertæque sunt continuo fores omnes.] Per illam mirabilem ingentem loci illius concussionem.

Et omnium.] Nempe in carcere illo vinctorum.

Vincula.] Quibus ligati erant, ut & numellæ.

Laxata sunt.] Non tam forsan illo terræ motu ingenti, quam secretâ Spiritûs divini, vel Angelorum Dei, ope. Ut supra cap. 12. 7.

Vers. 27. *Expergefactus autem ille vinctorum custos.*] E somno excitatus illo terræmotu magno.

Et videns apertas fores custodiæ seu *carceris.*] Quæ eranr occlusæ, tunc autem reseratæ præter opinionem patebant.

Stricto.] Seu è vagina extracto, *gladio*, *erat seipsum interemturus.*] Jam sibiipsi violentas manus inferre, seque ferro transfigere, & sic vitam sibi auferre voluit. Id fecit metu Magistratus, ne ab eo ob non bene custoditum carcerem & carceri inclusos, supplicio gravi, forsan cum tormentis conjuncto, afficeretur. Nam ita fiebat talibus quorum incuriâ vincti è carcere erant elapsi. Ut supra cap. 12. 19.

Existimans effugisse vinctos.] Putabat enim fores quas videbat patentes, ab eis esse reseratas, vel saltem postquam à quocunque alio reclusæ fuerunt, eos qui erant carceri inclusi, liberatos vinculis, hanc fugiendi occasionem non neglexisse.

Vers. 28. *Vociferatus est autem voce magna Paulus, dicens: Nihil feceris tibi ipsi malum.*] Inhibet eum à suiipsius interfectione.

Omnes enim sumus hic.] Rationem affert, quod omnes vincti quos ille è carcere evasisse putavit, præter opinionem illic maneant. Forsan perculsi illo mirabili terræ motu, præsertim qui præter Paulum & Silam erant, non adverterunt vincula sua esse soluta, & ostia reserata.

Vers. 29. *Petito autem.*] E domo ad carcerem sita, à domesticis suis, postulato.

Lumine.] Candela vel face aut lampade, seu *luminaribus* aut lucernis, pluribus.

Irruit seu *irrupit.*] Nempe in carcerem, cum impetu, ac celeritate ingressus, visurus an vincti omnes adessent.

Et tremefactus.] Ob miraculum tam inopinatum.

Accidit Paulo & Silæ.] Scilicet ad pedes, venerabundus & adorans. Sicut Marc. 5. 33. vij. 25. Luc. 5. 8. More in regionibus Orientalibus usitato, & inde ab Alexandri Magni Macedonis Asiæ victoris, temporibus etiam ad Macedones translato. Movit ad talem istorum virorum venerationem illum

carceris custodem, tum miraculum illud quod eorum causâ factum existimavit, tum ipsorum sanctitas, quod tam arcte asservati, divinitus oblatâ ipsis liberatione è carcere, quum foribus apertis & vinculis laxatis effugere possent, præsertim si ipsnm sese interficere, ut volebat, passi fuissent, tamen non fugerint, sed de ipsius potius quam de sua ipsorum vita, soliciti fuerint.

Vers. 30. *Et producens eos extra.*] Nempe ex carceris interioris claustro, in locum aliquem subdialem, in quo liberius respirarent: non tamen omnino extra septa carceris.

Inquit, Domini.] Ita honorifice compellavit eos quos homines haud vulgares esse agnovit.

Quid me oportet facere, ut server, seu *salvus fiam?*] Quærit à viris istis sanctis, Deo dilectis, medium acquirendæ salutis spiritualis, atque felicitatis eximiæ, ad quam istos viam nosse, & ostendere posse, intellexit: partim forsan ex audito illo fœminæ à spiritu Pythonis actæ sermone, supra ℣. 17: Partim vero, idque potius, ex illo miraculo circa eos divinitus facto: paratus facere salutis causâ id quod ii consuluissent. Apparet eum fuisse animo probo. Similis quæstio proposita Johanni Baptistæ à turbis Judaicis, & à publicanis Luc. 3. 10 & 12, & ab illis qui Petri concione erant permoti Act. 2. 37.

Vers. 31. *Ii autem dixerunt: Crede in Dominum Jesum Christum.*] Jubent eum amplecti fidem in cum Dominum cœlestem à Deo exaltatum, Unctum Dei seu Regem populi divini à Deo constitutum, in cujus manu est cui velit salutem æternam largiri, si in eo collocet fiduciam, eique idcirco obediat. Nam hic fides intelligitur viva, conjuncta cum resipiscentia, pariens ex se obedientiam mandatorum ejus Domini à cujus gratia servis ejus est salus exspectanda. Hæc fides in Jesum Christum est requisita ad salutem Joh. 3. 15, 16, 36. vj. 47.

Et, seu tunc, *servaberis.*] Nempe ab exitio æterno, & beatitatem summam cœlestem in vita æterna consequeris; ex gratia Dei, per ipsum Jesum Christum.

Tu & domus tua.] Id est domestici tui, sub eadem conditione, nempe si & ipsi in Jesum Christum crediderint.

Vers. 32. *Et loquuti sunt ei sermonem Domini.*] Id est Euangelium Jesu Christi. Quis sit iste Jesus Filius Dei: quid in terris egerit, quanta miracula ediderit, quomodo quamvis à Judæis crucifixus sit à Deo resuscitatus, & in cœlum evectus, Dominus omnium constitutus, quæ promissa atque præcepta proposuerit; hæc summatim exposuerunt. Nam talia in concionibus suis Apostoli edisserere sunt soliti.

Et omnibus qui in domo ejus.] Subintelligitur, erant. Non ipsi soli, sed & domesticis ejus omnibus nempe talium capacibus, qui auscultare atque intelligere & credere potuerunt, talia enarrabant. Apparet ergo Paulum & Silam prius ab ipso in domum ejus esse perductos, quamvis id postea demum indicetur, infra ℣. 34.

Vers. 33. *Et assumens eos in illa hora noctis, lavit à plagis.*] Quibus à virgarum verberibus fuerunt sauciati. Quia sanguis aquis eluitur, & earum frigore fluxus ejus continetur, atque vulnera per ablutionem mundantur, & ad sanationem disponuntur: ideo vulnera lymphis abluere, usitatum.

Et baptizatus est ipse.] Per immersionem tunc solitam in aquam, quæ forsan carcerem illum fluens alluebat, vel in area carceris erat. Ita suscepit signum abluendorum peccatorum. Ut Act. 2. 38. viij. 12 & 37, 38. ix. 18. & xxij. 16.

Abluti ab ipso quod ad vulnera corporis attinebat isti viri sancti, Paulus & Silas, ipsum abluunt, nempe unus ex eis, per istum ritum sacrum. Aliqui putant hunc esse Stephanam illum quem Paulus à se baptizatum scribit 1 Cor. 1. 16. Sed hoc incertum, quia is cum domo sua vocatur primitiæ Achaïæ 1 Cor. 16. 15, at Achaïa dissita & distincta est regio à Macedonia, in qua iste carceris custos Philippis vixit, & ibi est conversus ad Christum. Nisi quis dicat eum ex Achaïa oriundum Philippos demigrasse, & inde forsan rursus in Achaïam, nempe Corinthum, rediisse.

Et ii qui erant ejus.] Nempe domestici, *omnes*, nempe qui sermonem Domini prædicatum, audiverunt, de quo supra vers. 32. & crediderunt, de quo infra vers. 34.

Continuo.] Absque mora & dilatione signum istud professionis resipiscentiæ & conversionis ad Deum verum atque Filium ejus Jesum Christum, susceperunt.

Vers. 34. *Deducensque eos in domum suam.*] Post baptismum extra domum ut videtur, peractum: officia charitatis effecta fidei ac resipiscentiæ istis viris sanctis exhibuit, in domo sua, ad carcerem ut videtur sita.

Apposuit mensam.] Nempe cibis instructam; convivio eos refecit. Ut ille Levis Christum, Luc. 5. 29, & Zachæus xix. 6.

Et exsultavit.] Lætitia non mediocri sed magna eaque spirituali lætatus, de bono eximio acquisito.

Cum tota domo credens Deo.] Id est quod cum tota domo id est domesticis fidem in Deum verum quem antea ignorabat, agnovisset, ac suscepisset. Nam hic causa illius exsultationis exprimitur. Ita solent homines animi probi agnitâ veritate divinâ, lætari; ut ille Æthiops supra cap. 8. 39.

Vers. 35. *Die autem factâ.*] Quum post illam noctem, dies illuxisset.

Miserunt militum duces.] Seu Magistratus, illi de quibus supra vers. 20.

Rabduchos.] Quidam interpretantur lictores: at hi ad ligandum adhiberi soliti. Hic autem isti adhibiti ad mandatum nunciandum. Aliqui vertunt viatores. Possunt intelligi apparitores aut ministri magistratum, quod bacillum qui Græcè *rabdos*, gestarent, in signum sui ministerii.

Dicentes: Dimitte homines illos.] Quædam exemplaria addunt, *quos heri suscepisti.* Ita illi Magistratus qui istos viros sanctos, insontes verberari & in carcerem conjici, atque firmiter asservavi jusserant, jam mutati, jubent eos dimitti. Id factum est, Deo animos eorum flectente: quod vel expenderint secum & agnoverint, se eos temere afflixisse: vel de illo terræmotu magno mirabili cognovissent, atque istis causis impulsi eos vellent liberos abire. Quandoquidem etiam exemplaria quædam in hoc versu habent

habent verba ejusmodi, quod isti magistratus quum in forum convenissent, recordati motum seu terræ motum factum, timuerint, & miserint rabduchos, dicentes Dimitte &c.

Vers. 36. *Annunciavit autem vinctorum custos sermones istos ad Paulum.*] Seu Paulo.

Quod.] Hæc vocula hic redundat, adhibita ad referendum sermonem aliorum, ut sæpe.

Miserunt.] Nempe ministros, *militum duces*, seu prætores, *ut dimittamini* scilicet dicentes, vel jubentes, ut ex carcere liberi exire sinamini.

Nunc igitur exeuntes.] Seu egressi, *ite in pace*, id est abite liberi, & feliciter agite.

Vers. 37. *At Paulus insit ad eos.*] Nimirum ad illos à prætoribus missos ministros.

Cæsos nos.] Nempe per lictores, virgis, vide sup. ℣. 22.

Publice.] Hoc augebat injuriam atque contumeliam, quod esset illata in publico, in conspectu populi.

Indemnatos.] Potius *injudicatos* vel *non convictos.* Nam damnaverant quidem eos isti prætores ad pœnam, sed inauditos, indefensos; quod pugnat cum jure gentium, dictante, neminem antequam audiatur, & causa ejus recte dijudicetur, esse condemnandum. Hinc Hesiodi dictum, Nunquam dicernas, audis nisi tu prius ambos, Plato commendat in Demodoco.

Et Seneca Medea, Qui statuit aliquid parte inaudita altera Æquum licet statuerit, haud æquus fuit. Et in judicum Atheniensium juramento hoc erat justissimum, ut æqualiter utrumque audirent. Demosth. pro Ctesiphonte. Et Alexander Magnus Rex Macedonum unam aurem retectam accusatori dare, alteram autem tectam accusato reservare solebat. Et in Romano jure habetur, Neque enim inaudita causa quenquam damnare, æquitatis ratio patitur.

Homines Romanos existentes.] De solo Paulo, non etiam de Sila, constat, eum jus Romanæ civitatis habuisse: de quo infr. c. XXII. 25, & 27, 28. Sed hoc dicitur per synecdochen, ut Mat. XXVII. 44. Civem autem Romanum virgis cædere non licebat, per leges Porcias & Sempronias. Videatur Cic. in verr. Ita Paulus ad causæ bonæ præsidium etiam legibus publicis gentilium utebatur. Unde patet licere homini Christiano, jus suum famamque, præsertim scandali tollendi, & doctrinæ functionisque suæ ornandæ causa, etiam legibus politicis tueri. Adversarii sup. ℣. 21 Romanorum titulo sibi usurpato, religionem à Paulo annunciatam rejiciebant: Paulus autem nunc Romanæ libertatis allegatione de injuria sibi facta expostulat.

Conjecerunt in carcerem.] Velut maleficos convictos. Ita facti hujus indignitatem Paulus exaggeravit.

Et nunc seu *nunc autem clam nos ejiciunt?*] Quasi extrudunt: publice & palam ignominia affectos, inconveniens est privatim & occulte dimitti, absque honoris restitutione.

Non profecto.] Non concedit Paulus ut id fiat, negat esse conveniens.

Sed venientes, ipsi nos educant.] Ut publice illata insontibus injuste ignominia, publica etiam justa retractatione cum honore, & innocentiæ contestatione compensaretur.

Eo prudente consilio usus tunc Paulus ideo videtur, ut populus Philippensium, ex quo aliqui ad Euangelii ab ipso prædicati susceptionem apti videbantur, ab eo, propter illam præconum ejus ignominiosam tractationem, non abhorreret.

Vers. 38. *Renunciarunt autem Militum præfectis.*] Seu prætoribus, *rabduchi* seu apparitores, *verba ista* Ut ii scirent quomodo ea cum quibus missi erant, accepta fuerint.

Et timuerunt, audientes quod Romani essent.] Metuebant ne accusarentur criminis læsæ majestatis, quod Cicero Verri circa finem Verrinę ultimæ minatur. Nam legibus constitutum erat, ut in cive Romano insonte læso, ipsa populi Romani Majestas læsa censeretur.

Vers. 39. *Et venientes.*] Nempe illi Magistratus, in carcerem, ad Paulum & Silam.

Precati sunt eos.] Scilicet ut injuriam sibi illatam condonarent & ignoscerent, excusantes forsan quod per ignorantiam status ipsorum id fecissent, vel etiam coacti populi clamoribus. Aliqui exponunt *consolati sunt*, quam significationem etiam verbum Græcum hoc loco positum admittit. Nempe forsan blandis verbis eos alloquuti sunt, & innocentiam eorum confitentes, eos solabantur.

Et educentes.] Seu eductos, nimirum è carcere.

Rogarunt ut exirent ex civitate.] Prætextu forsan eo ne rursus ex eorum causa tumultus aliquis in populo oriretur, & ipsi porro aliquid gravius ab iratis adversariis paterentur.

Vers. 40. *Egressi autem.*] Nempe Paulus & Silas, *ex custodia* seu è carcere.

Ingressi sunt ad Lydiam.] Græca exemplaria quædam habent *in Lydiam* unde aliquis per opinionis errorem posset putare significari eos inde in Lydorum regionem quæ Lydia vocabatur, abiisse. Sed ea regio Asiæ erat à Philippis per multas regiones interjectas procul remota, & constat ex cap. sequente Paulum cum sociis à Philippis ad alias vicinas Macedoniæ & Græciæ urbes ivisse. Significatur ergo eos tunc ex carcere ivisse *ad Lydiam* ut etiam in quibusdam exemplaribus Græcis legitur, nempe ad domum illius fœminæ piæ Philippis habitantis, de qua sup. ℣. 14, & 15, vel *in* ponitur pro *ad* ut inf. 17. 5.

Et videntes fratres.] Seu visis fratribus, id est Christianis, tum Pauli comitibus, tum Lydiæ domesticis, & aliis si qui ex Philippensibus Euangelio prædicato crediderant, ut & ille custos carceris cum sua familia.

Consolati sunt eos.] Spe gratiæ Dei, etiam exemplo suo, ostendentes Deum & Christum iis qui pro ipsius religione pati sunt parati, opem etiam per miracula præter expectationem adferre. Vel etiam *hortati sunt* nam & id verbum Græcum significat, nempe ad constantiam in religione Christiana.

Et exiverunt.] Nempe ex urbe Philippensium, ut Magistratus rogavit, sup. ℣. 39. cui hac in re morem gesserunt: præsertim quia eis erat ad alia quoque loca cum Euangelio progrediendum.

CAPUT

CAPUT XVII.

Verſ. 1. *Iter facientes autem per Amphipolim.*] Urbem Macedoniæ, quæ erat Atheniensium colonia, ita vocata Græce, quod à Strymone fluvio hinc inde allueretur & ab utroque latere cingeretur, ut ſcripſit Thucydides lib. 4.

Et Apolloniam.] Et hæc erat urbs Macedoniæ.

Venerunt in Theſſalonicam.] Urbem Macedonum, in ſinu maris, à Philippo Alexandri Magni patre conditam, nomine hoc ei dato in memoriam obtentæ de Theſſalis victoriæ.

Ubi erat Synagoga Judæorum.] Locus conventuum Sacrorum Judæorum, qualem in aliis Macedonum civitatibus non fuiſſe indicatur.

Verſ. 2. *Secundum conſuetum antem Paulo.*] Seu ex conſuetudine quam habebat Paulus, nempe ut Judæorum Synagogas accederet.

Introivit ad eos.] Nempe Judæos, in eorun Synagogam ſeu ſacrum cœtum; ut aliquos ex eis ad Jeſum Chriſtum converteret.

Et per Sabbata tria.] Non ſemel, ſed ſæpius, vel tribus ſeptimis diebus ſacris, vel per tres ſeptimanas.

Diſſerebat eis à ſeu *ex Scripturis.*] Nempe Sacris, quæ ita ſimpliciter vocantur per excellentiam. Et quidem tunc ex eis quæ à Judæis pro Canonicis recipiebantur, nempe Veteris Teſtamenti. Non ex cerebri ſui commentis formans diſſertationes: quibus apud Judæos nihil profeciſſet. Quidam has voces *ex Scripturis* exiſtimant ab hoc verſiculo ſejungendas & adjungendas eſſe ad ſequentem: ut ſit talis ſenſus qualis infra cap. 18. 28. & xxviij. 23.

Verſ. 3. Concionum Pauli ſummarium compendium exprimitur.

Adaperiens.] Quaſi clauſa in Scripturis propheticis myſteria producens in apertum, ſeu explicans.

Et proponens.] Seu ob oculos ponens evidenter, atque oſtendens.

Quod illum Chriſtum.] Nempe Meſſiam eximium unctum Dei, Regem populi divini olim populo Iſraelitico à Deo promiſſum.

Oportuit pati.] Perpeſſiones acerbas, & afflictiones, atque mortem truculentam: quanquam Judæi ſecus opinabantur, exiſtimantes Meſſiam fore Regem terrenum, in terris magnifice dominantem: & ideo cruce Jeſu Nazaræni ſcandalizabantur ſeu offendebantur, eumque propter perpeſſiones, & ignominioſam necem, pro Meſſia agnoſcere recuſabant. At Sacræ Scripturæ docent Meſſiam ſubjiciendum fuiſſe ejuſmodi diris perpeſſionibus. Ut Pſal. 22. Eſa. 53. Dan. 9. vide Luc. 24. 26 & 46. atque ibi annotata.

Et reſurgere ex mortuis.] Non ſolum ignominioſæ perpeſſiones, ſed etiam poſt eas & poſt mortem acerbam glorioſa reſurrectio Meſſiæ, eſt à Prophetis prænunciata, in Sacra Scriptura conſignata. Ut Pſal. 16. & Eſa. 53.

Et quod iſte eſt ille Chriſtus, [nempe] *Jeſus, quem ego* [inquit] *annuncio vobis.*] Poſtquam Paulus generatim ac indefinite docuit ex Scripturis, debuiſſe Meſſiam pati, & reſurgere, deinde oſtendit definite quis ſit Meſſias, illa prædicta ad Jeſum applicans. Verborum iſtorum ordo tranſpoſitus, talis eſſe debet, *quod Jeſus iſte quem ego annuncio vobis*, ut hoc ſit ſubjectum, at *eſt ille Chriſtus*, prædicatum, hujus enunciationis. Vide Joh. 20. 31. Commutatur autem hic oratio ex indirecta in directam.

Verſ. 4. *Et.*] Id eſt *tunc.*

Quidam ex iis.] Nempe illis Theſſaloniçenſibus, ſermonum Pauli auditoribus.

Perſuaſi ſunt.] Seu dictis ejus aſſenſi ſunt, & fidem adhibuerunt: crediderunt quod Jeſus ſit ille Meſſias. Eventus ac fructus concionum Pauli hic indicatur. Ita verbum Dei ab eo prædicatum non erat fruſtra jactum, ſed efficax. Vide Eſa. 55. 11.

Et adjuncti ſunt Paulo & Silæ.] Verbum Græcum hoc loco poſitum, habet emphaſin, ſignificat eos ita eſſe illis adjunctos ſeu additos, ut in unum cum eis clerum, unam ſortem ſeu hæreditatem, atque unum populum Chriſti peculiarem conſociarentur: nempe itidem ut illi Paulus & Silas etiam iſti facti ſunt Chriſtiani.

Atque religioſorum Græcorum.] Id eſt Gentilium, qui jam ante è gentiliſmo ad Judaicam religionem converſi ſeu proſelyti facti erant, & non idola vana ſed Deum verum colebant. Reſpice ſupra cap. 13. 43. & xvj. 14.

Multa ſeu *magna multitudo.*] Indicari videtur paucos ex iis qui origine Judæi erant, plures autem ex gentilibus probis, ibi ad Jeſum Chriſtum converſos fuiſſe.

Mulierumque primarum ſcilicet dignitate & honore, ſeu *primariarum.*] Vide Marc. 6. 21. nempe non vulgarium ſed nobilium, ex procerum illius civitatis uxoribus.

Non paucæ.] Sed ita ut & virorum ex Ethnicis proſelytis, multæ.

Verſ. 5. *Invidiâ commoti autem.*] Ægreferentes quod ab ipſis ad Chriſtianos iſti accederent.

Incrediuli Judæi.] Qui ſermonibus Apoſtolicis aſſenſum præbere, & Jeſum eſſe Chriſtum credere pertinaciter noluerunt.

Et aſſumentes circumforaneorum quoſdam.] Ex hominibus vilibus, qui in foro otioſe verſari ſolent, ex ſordida plebe, circo ac theatris aſſueta, ex trivialibus ac tabernariis; quales ad facinora turbulenta nullo negotio ſolent concitari.

Viros malos.] Seu improbos, nebulones, nullum habentes reſpectum honeſti.

Et turbam facientes.] Nempe illi Judæi, plebis multitudine in unum congregatâ uſi.

Concitaverunt, ſeu ad tumultum commoverunt, *civitatem.*] Id eſt cives. Ita ſolent facere impii, zelo amaro non ſecundùm ſcientiam laborantes, ubi vident aliquos in religionis negotio à ſe diſſentire, ut non expendentes an id recte fiat, furioſe plebem concitent contra tales, ad eos per tumultum ac violentiam affligendos.

Aſſiſtenteſque domui.] Seu adorti ac invadentes ſeu incurrentes illam domum.

Jaſonis.] Civis Theſſalonicenſis, qui Paulum ac Silam hoſpitio exceperat. Aliqui putant hunc eſſe illum cujus mentio fit Rom. 16. 21, quanquam is tunc Corinthi habitavit.

Quærebant ſeu *ſtudebant eos producere in populum.*] Seu

Seu ad populum, ut eos turbæ plebis furentis objicerent trucidandos ac discerpendos.

Vers. 6. *Non invenientes autem.*] Seu quum autem non invenissent, *eos*, nempe Paulum atque Silam, qui forsan violentum illum impetum præsentientes, in aliam domum clam transgressi erant: vel in illa domo, sed loco occulto asservati.

Traxerunt, violenter raptum *Jasonem.*] Hospitem illorum.

Et quosdam fratres.] Nempe in Spiritu, in Christo, id est Christianos, qui jam ibi Thessalonicæ Jesu Christi fidem amplectebantur: & fortasse aliquos ex iis qui in Pauli comitatu illuc advenerant.

Ad civitatis proceres.] Seu Magistratus Thessalonicenses.

Clamantes.] Voce elatâ & intensâ quam affectus malignus intendebat.

Quod.] Vocula ista inserviens mimesi ac relationi sermonis alieni, ut sæpe ita hic redundat.

Hi qui habitatam.] Id est terram qua habitatur, seu orbem terrarum. Vide Luc. 2. 1.

Subverterunt.] Seu statum ejus conturbarunt, scilicet per novæ religionis introductionem seditiones excitantes. Tale quid objiciebatur immerito istis Dei & Christi servis fidelibus, jam supra cap. 16. ℣. 20 & 21, qui hic etiam absentes accusantur. Talis criminis de seditionis in populo concitatione, accersebatur ipse quoque Christus Luc. 23. 2 & 5. Talia etiam hodie aliis Christi servis ab adversariis criminose opprobrantur. Ipsi adversarii seditionem concitantes, de seditione queruntur.

Isti & hîc adsunt.] Quasi dicant, isti errones ac turbatores pacis publicæ, etiam huc in urbem Thessalonicensem eo fine advenerunt, ut nos quietos perturbarent.

Vers. 7. *Quos suscepit Jason.*] Nempe hospitio excepit, in domo sua. Etiam hunc talium fautorem, ut criminis participem, puniri voluerunt.

Et isti omnes contra dogmata seu edicta Cæsaris faciunt.] Nam ut antea populus Romanus, ita postea Cæsares qui populi Romani imperium in se transtulerunt, non sinebant in provinciis quæ ipsorum imperio parebant, qualis erat tunc & Macedonia, quenquam absque suo permissu Regem vocari. Id enim redolebat crimen læsæ majestatis. Hinc Judæi, ex occasione Jesu, qui Christus ac Rex Judæorum vocabatur, dixerunt, *omnis qui se Regem facit, adversatur Cæsari*, & *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Joh. 19. 12 & 15.

Etiam nunc Christi servi similiter accusari & traduci solent; quasi contra edicta Cæsarum, Regum, Principum & aliorum Magistratuum, aliqua doceant, eorum majestatem lædentes, atque authoritatem & imperia spernentes.

Regem dicentes alium esse.] Scilicet præter Cæsarem, qui tunc illis provinciis regio more imperabat, & se mundi dominum appellabat.

[Nempe] *Jesum.*] Dicebant quidem & docebant Apostoli, Jesum illum, esse Christum, ut & hic supra ℣. 3, qui titulus significabat eum unctum Dei esse Regem. Sed interim iste Jesus talis Rex erat, cujus regnum non erat ex isto mundo, ut ipse dixit coram Pilato. Joh. 18. 36. & Regibus atque Rectoribus hujus mundi, in regimine terreno, nihil obstabat, imo obedientiam ipsis debitam firmabat.

Vers. 8. *Commoverunt autem.*] Seu concitaverunt, nempe animis ad iram & vindictam irritatis & impulsis, per talia dicta.

Illam turbam.] Nempe populi multitudinem in foro convenientem.

Et civitatis proceres.] Seu Magistratus illius urbis.

Audientes ista.] Quæ videbantur prima fronte esse crimina non levia, severe vindicanda atque punienda.

Vers. 9. *Et.*] Pro *sed.* Nam hic ista vocula quæ alioqui est copulativa, habet vim adversativam: ut & alibi interdum.

Accipientes satis.] Seu sufficientem satisfactionem. Ved quod esset declaratum, illos advenas accusatos seditionem populi nullam excitare, neque contra edicta Cæsarea Regem aliquem terrenum ipsi Cæsari adversum introducere: prælertim quum Jesum jam pridem ab ipsis Judæis crucifixum & mortuum esse confirmassent: vel quod præter ejusmodi excusationem atque à crimine purgationem, etiam satis datum est, sisti judicio Paulum atque Silam, si opus esset, velut per sponsionem seu fidejussionem, ab istis quasi vadibus.

A Jasone.] Illo ipsorum hospite, *& reliquis*, qui ei aderant amicis, ac illis qui supra ℣. 6. indicati sunt fratribus.

Dimiserunt eos.] Nempe Jasonem ejusque socios, abire liberos permiserunt.

Vers. 10. *At fratres.*] Nempe Christiani Thessalonicæ degentes.

Statim per noctem emiserunt Paulum & Silam.] Metuentes tamen eis à periculo per Judæos contumaces ac pervicaces creando, & à populi temerarii violentia, clandestino modo, tenebrarum beneficio usi, eos ex urbe eduxerunt & prosequuti sunt, ut alio commearent.

In Beræam.] Non illam in Syria, de qua Plin. Natur. Hist. lib. 5. cap. 23 & 26, quod emporium olim Haleb nunc Aleppo vocatur: sed aliam in Macedonia, non procul à Thessalonica, vide infra ℣. 13. prope Pellam Alexandri Magni Macedonis patriam. De qua Beræa videatur idem Plin. lib. 4. cap. 10. Hæc urbs Beræa ita dicta est voce Arabica à munditie.

Qui, nempe Paulus & Silas, *quum advenissent.*] Nempe in istam urbem Beræam.

In Synagogam Judæorum abierunt.] Ut ibi in sacro conventu captarent occasionem docendi Euangelii de Jesu Christo. Hoc enim erat opus eorum quod usitate libenter operabantur, & cui fere assiduo diligenter incumbebant.

Vers. 11. *Isti autem.*] Nempe Beræenses incolæ, Judæi.

Erant generosiores illis qui erant Thessalonicæ.] Non nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, ut vulgatus Interpres vertit, quasi agatur de iis Judæis qui summo genere nati erant inter eos qui fuerunt Thessalonicæ. Sed hic comparantur Judæi Thessalonicæ degentes cum Judæis Berææ degentibus, ita ut illis præferantur isti, quod attinet ad generositatem. Quæ generositas hic non significat generis ac familiæ

familiæ nobilitatem: sed animi atque indolis excellentiam, ut apparet ex sequentibus. Qui sunt animo probiore atque ad recipienda vera dogmata alacriore, ii sunt apud Deum & famulos Dei cæteris nobiliores.

Qui, nempe Beroenses, *receperunt sermonem.*] Nempe divinum, ut exprimitur infra vers. 13. Euangelium de Jesu Christo, à Paulo annunciatum, ab illis auditum, non respuerunt, neque per incredulitatem contumacem rejecerunt, nec ejus prædicatores criminati male tractare eos voluerunt, ut plerique illorum Judæorum qui habitabant Thessalonicæ, vide supra vers. 5. Sed pronis auribus & promtis animis ei sermoni auscultarunt.

Cum omni alacritate.] Seu animi promtitudine magna, atque aviditate.

Secundùm diem.] Id est quotidie, ex quo apparet eorum diligentia.

Dijudicantes Scripturas.] Seu adhibito rectæ rationis judicio singula quæ in Scripturis Sacris, Mosis & Prophetarum huc spectantia continebantur, perpendentes atque examinantes & sensum eorum rimantes, non temere quidvis arripientes. Scripturæ Sacræ lectio, inquisitio, & scrutatio, etiam alibi commendatur. Ut Esa. 34. 16. Luc. 16. 29. Joh. 5. 39. Optime atque tutissime de rebus divinis sententia & fides ex scriptis divinitus dictatis, recte consideratis atque cum judicio examinatis, accipitur. Tirinus Jesuita in hæc verba annotavit: In hoc nihil est quod reprehendi possit: Sed hinc non sequitur liberum esse cuique etiam laico & idiotæ de Scripturis judicium. Hæc ille. Imo vero, non tantum id non est reprehendendum, sed etiam laudandum, quia Beroenses qui id faciebant, hic à Spiritu divino, ea de causa laudantur. Et quia laudantur quod Scripturas dijudicarint, hinc patet liberum esse imo laudabile si etiam alii eorum similes Scripturas scrutentur, atque dijudicent. Neque excipiendum est, illos qui id faciebant non fuisse laicos & idiotas, sed tantum Rabbinos, Legis Interpretes ordinarios. Nam id temere diceretur, absque ullo fundamento: quum hic de hominibus promiscuis indefinite id dicatur.

Si vel *an*, *ista.*] Nempe quæ Paulus & Silas de Jesu quod sit ille Christus prædicabant.

Ita se haberent.] Nempe quemadmodum ab eis asserebantur. Num dicta Scripturæ ab istis recte citarentur, & num cum Jesu istius persona, factis, & aliis circumstantiis convenirent.

Vers. 12. *Multi quidem igitur ex iis.*] Nempe ex illis Beroensibus Judæis, non pauci, ut Thessalonicæ, sed magno numero, per sermonum istorum Euangelii examinationem, & cum Scripturæ Sacræ dictis collationem, atque dijudicationem.

Crediderunt.] Nempe Euangelico sermoni à Paulo & Sila prædicato fidem adhibuerunt, eum pro vero agnoscentes, & in Jesu ut Christo Dei seu Messia, fiduciam suam collocaverunt.

Et Græcarum mulierum.] Id est Ethnicarum, quæ non erant ex Judaica natione.

Honestarum.] Seu honoratarum. Videatur annot. ad Marc. 15. 43. indicantur fuisse matronæ non vulgares.

Et virorum non pauci.] Nempe præter Judæos qui sunt superius indicati, etiam indigenæ Macedones, Græci origine, ut & mulieres istæ modo nominatæ, itidem Euangelio crediderunt, & fidem in Jesum Christum susceperunt. Is fuit Euangelii ibi prædicati successus exoptatus.

Vers. 13. *Ut autem cognoverunt illi à Thessalonica Judæi.*] Id est Thessalonicenses, nempe illi increduli, maligni, de quibus dictum supra vers. 5.

Quod & in Beroea annunciatus sit à Paulo sermo Dei.] Nempe de Jesu Christo: qui sermo à Paulo prædicatus, revera fuit sermo Dei, quia à Deo per Spiritum ejus inspiratus: quamvis ab illis Judæis incredulis pro sermone Dei non haberetur. Nam si eum pro sermone à Deo profecto habuissent, non ei tantopere restitissent.

Venerunt & illuc.] Non contenti quod Thessalonicæ in loco habitationis suæ turbas excitassent contra istos Jesu præcones, etiam in aliam urbem profecti eosdem vexare moliebantur. Ita diligentes in opere malo tanquam bono fuerunt.

Concitantes turbas.] Id est plebem commoventes ad tumultum.

Vers. 14. *Statim autem tunc Paulum.*] Cui ut ductori sermonis periculum ab adversariis maxime imminebat, *emiserunt fratres*, id est Christiani, illi qui Beroeæ habitabant.

Ut vaderet quasi ad mare.] Tanquam inde mari navigaturus esset in Asiam, aut aliorsum. Ut Judæi eum persequi desinerent, quod forsan fecissent si eum terrestri itinere profectum esse rescivissent. Postea tamen flexo itinere Paulus deductus est Athenas, quò potuit non marino itinere pervenire. Ita in hoc facto simulatio innoxia vitandi periculi causâ est adhibita, per prudentiam serpentinam simplicitati columbinæ additam, secundum Christi monitum, Matth. 10. 16. Aliqua exemplaria Græca pro vocula ὡς quæ significat *quasi* habent aliam similem ἕως quæ notat *usque*.

Permanserunt autem Silasque & Timotheus ibi.] Isti Pauli comites, non statim illinc Beroeâ cum ipso exiverunt, sed remanserunt illic, eo sicut credibile est fine, ut illos Beroenses recens conversos adhuc in fide confirmarent.

Non nominatur jam hic Lucas ipse, qui jam ante hoc tempus alibi relictus, vel alio missus à Paulo videtur.

Vers. 15. *Qui autem tuto collocaturi erant Paulum.*] Nempe à fratribus Beroensibus ei additi comites, eo fine ut eum adversariorum insidiis subductum, per regiones peregrinas, à periculo liberum, in locum tutum perducerent.

Duxerunt eum.] Prætereuntem Thessaliam, ut quidam codex habet.

Usque Athenas.] Illam Græciæ urbem celeberrimam.

Et sumentes.] Illi qui Beroea Paulum sunt comitati, *mandatum*, nempe à Paulo.

Ad Silam & Timotheum.] Qui Beroeæ remanserant, ut dictum versu præcedente.

Ut quam citissime venirent ad eum.] Quò adjutores ei essent in negotio Euangelii promovendo.

Exiverunt.] Nempe illi Beroenses Athenis abeuntes, ut Beroeam redirent.

Vers. 16.

Vers. 16. *At Athenis exspectante eos.*] Id est Silam & Timotheum. *Paulo*, illo zeloso Dei veri & Christi servo.

Irritabatur Spiritus ejus in ipso.] Quasi exacuebatur, ad indignationem quandam indignis factis excitabatur, ut animus ejus zelo atque dolore commoveretur. Ita viri pii aliorum impia facta non possunt spectare absque animi commotione. Sicut Lotus justus facinora Sodomitarum nefaria ægerrime tulit. 2 Petr. 2. 8. & ille Mattathias, Judæum idolis sacrificantem videns, zelo magno exarsit 1 Mac. 2. ℣. 24 & 26.

Spectante obnoxiam idolis.] Vel potius refertam seu plenam idolis.

Existentem, illam civitatem.] Pausanias in hac urbe plura idola quam in reliqua Græcia commemorat. Et Petronius facete eos perstringens, introduxit quendam dicentem, utique nostra regio tam præsentibus plena est Numinibus, ut facilius possis Deum quam hominem invenire.

Ita illa civitas Athenienſium nobilissima, cultissima, Philosophiæ seu sapientiæ humanæ studio addictissima, vanis superstitionibus loco religionis veræ vacabat. Sic & nunc fere in maxime politis atque cultis civitatibus maximæ superstitiones solent vigere atque exerceri. Observandum vero est Paulum Apostolum Christi, quamvis idololatriam illam ægreferentem, tamen non ita efferbuisse zelo inordinato ac imprudente, ut illa idola quæ conspiciebat violenter destruere aggrederetur. Maluit ea potius oratione ex animis hominum, quam manibus ex iis in quibus collocata erant locis ejicere.

Vers. 17. *Disserebat* seu *disputabat, quidem igitur.*] Nempe de religione & rebus ad eam spectantibus.

In Synagoga cum Judæis.] Ad hos ut suos populares & qui in populo Dei veri censebantur, primum accedebat, ut eos ad Jesum Christum adduceret.

Et cum religiosis.] Nempe proselytis, qui ex gentibus extraneis orti religionem Judaicam susceperant. Vide supra ℣. 4.

Et in foro.] Non tantum in Synagoga loco sacris Judæorum conventibus destinato, sed etiam in urbis loco publico, in quo homines diversi versabantur.

Per omnem diem.] Vel quotidie, singulis diebus absque intermissione, vel totis fere diebus, hoc agebat.

Ad obtingentes.] Seu cum obviis quibusvis, nempe disserebat. Volens scilicet aliquos ex iis Deo & Christo lucrifacere atque in viam salutis deducere.

Vers. 18. *Quidam autem Epicureorum.*] Inter varias Philosophorum qui Athenis maxime pullulabant sectas fuit etiam ista denominata ab Epicuro. Is solet odiose traduci quasi voluptatem corporis inhonestam pro summo bono habuerit: quum tamen id potius à discipulis aliquibus ejus sententiâ abutentibus manaverit. Nam ipse summum bonum collocavit in Animi tranquillitate per virtutes paranda & in corporis à dolore vacuitate: & satis frugaliter ac sobrie vixit, ut præter Diogenem Laërtium in ejus vita, etiam adversarii, Seneca Stoicus, & Porphyrius Peripateticus attestantur. Circa rerum naturalium contemplationem quas magna ex parte non male explicuit, errores quidem quosdam admisit, sed non graviores iis quos illi qui ab ipso dissidebant admiserunt. Circa Dei autem in mundo creando ac gubernando providentiam, atque rerum humanarum curam, (quam etiam Aristoteles labefactavit) Epicurus eam negans, graviter erravit. Ideo de religione difficilis erat cum Epicureis disputatio.

Et Stoicorum.] Ita vocata alia secta Epicureæ magnopere adversa, à Stoa seu porticu in qua Zeno Stoicæ sectæ author docebat, denominata. Stoici quum rigidi virtutis custodes atque satellites haberi vellent, contra communes notitias affectus omnes etiam lenes ex hominibus eradicare prorsus conabantur, sapientem suum in idea effictum, Deo parem esse, imo aliquatenus præcellere superbe atque furiose nugabantur: fati necessitate omnia fieri, & vitia omnia esse æqualia, statuebant, mundi animam esse Deum cum Platonicis, asserebant. &c.

Philosophorum.] Illi qui olim sapientes simpliciter dicti, deinde à Pythagora initio facto, modestiore vocabulo, Philosophi, id est amatores seu studiosi sapientiæ sunt appellati. Inter quos, præter eos qui jam sunt nominati Epicureos ac Stoicos, variæ fuerunt sectæ, opinionibus à se dissidentes.

Congressi sunt cum eo.] Simile verbum de congressu seu conflictu belliico habetur Luc. 14. 31. Hic autem significatur istos Philosophos cum Paulo conflictatos esse verbis, differentes atque disputantes.

Et quidam dicebant: Quidnam vult spermologus iste dicere?] Ita eum contemptim appellarunt. *Spermologus* nomen Græcum, compositum, aliqui ita exponunt ut significetur seminator verborum, seu dictionum. Sed hac ratione potius diceretur σπερμολόγος vel λογοσπόρος. Notatur ergo hoc nomine semini-legus, quomodo vocatur avis semina legens seu colligens. Per metaphoram significatur homo vilis & futilis, (quales sunt ii qui circa fora & mercatus vagantur, ut quæ ex saccis defluunt seu decidunt colligant, atque inde vivant) circumforaneus nugator, qui modo vivendi honesto carens, nugando & vaniloquentia victum captat.

Alii autem, peregrinorum dæmoniorum seu *deorum videtur annunciator esse.*] Per dæmonia quorum nomen Græce à sciendo denominatur, intelliguntur numina seu dii. Apud eosdem Athenienses olim Socrates Philosophus fuit accusatus, quod Deos receptos tolleret, & alia ac nova dæmonia introduceret, ut Diogenes Laërtius in ejus vita scripsit.

Quia Jesum.] Nempe illum Nazarænum, miraculis editis clarum, in cœlum assumtum, ibique dominantem.

Et resurrectionem.] Paulus Euangelium annuncians, de resurrectione ex mortuis credenda disserebat. At isti Sophistæ audientes Anastasin Græcè, quæ Latinè notat resurrectionem, videntur perperam verba ejus interpretati, & opinati esse eum per Anastasin deam aliquam novam indicare. Ut & Chrysostomus annotavit. Nam de dæmoniis peregrinis seu diis novis, numero plurium dicebant.

Eis annunciabat.] Nempe Paulus prædicabat credendum esse in Jesum, ut in cœlum exaltatum, & cœlestem dominum, divinam potestatem sibi datam habentem; & simul docebat credendum esse non tantum Jesum quamvis morte affectum, deinde

resuscitatum resurrexisse, sed etiam eos qui ipsi fideles fuerint, esse ex morte resurrecturos.

Vers. 19. *Apprehendentesque eum.*] Nempe Paulum, manu prehensum, ut cum eis aliò procederet.

In Areopagum duxerunt.] Areopagus Athenis fuit locus à Marte qui Græcè Ἄρης vocatur denominatus quasi Martius collis. Vel quod ut ajunt, Mars primum cæso Halirrhotio Neptuni filio ut reus citatus causam cædis ibi in judicio dixerit: vel quod Marti esset consecratus, ut etiam templum Martis ibi esset. In eo loco ut curia à judicibus qui inde Areopagitæ nominati, judicia à Cecrope Athenarum Rege primo instituta de causis & criminibus gravibus exercebantur. Quanquam tunc Paulus eo ductus videtur non tam ut coram judicibus ad talia delectis velut criminis accusatus severe judicandus, sisteretur; quam potius ut apud illum locum in quem etiam multi conveniebant, honestius quam in foro inter promiscuam multitudinem, exponeret quid novæ rei afferret: ut patet ex sequentibus.

Dicentes: Possumus, id est possumusne, *nosse.*] Nempe te edisserente.

Quæ [sit] nova ista quæ à te dicitur, seu de qua tu loqueris, *doctrina?*] Hoc quærebant ex curiositate, quæ mox declaratur. Interim non est reprehendendum si quis dogmata sibi nova audiens, velit pernoscere, ut si ea vera esse agnoscat quamvis nova & antea inaudita, recipiat.

Vers. 20. *Peregrina enim quædam.*] Id est inusitata apud nos, & quæ nobis inconvenientia videntur.

Infers in auditiones, id est aures, *nostras.*] Ita vera doctrina de rebus divinis, hominibus hujus mundi, præsertim qui sapientes censentur, videtur esse quiddam inconveniens.

Volumus igitur nosse, quidnam velint hæc esse.] Id est quid sibi velint, vide annot. supra ad cap. 2. 12.

Vers. 21. *Athenienses autem omnes.*] Nempe cives indigenæ, ibi orti.

Et inquilini peregrini.] Seu hospites, qui ex aliis regionibus ad illam urbem, portu & artium domicilio celebrem, confluebant & ibi commorabantur: atque moribus indigenarum se accommodabant.

In, id est *ad*, *nihil aliud vacabant.*] Id est tempus impendebant & conterebant.

Quam dicere aliquid & audire, novius.] Comparativus pro positivo, *novum.* Quanquam potest innui, eos in novis rumoribus subinde noviores seu recentiores captasse & protulisse.

Hoc curiositatis circa rumores novos aucupandos vitium, præ cæteris Græcis familiare Atheniensibus, jam olim notatum est ab ipsis eorum popularibus. Ut apud Thucydidem lib. iij. ubi Cleon talia eis objecit, quod essent, rerum quidem inusitatarum semper servi, usitatarum vero contemtores. Similia habentur apud Demosth. Philippicâ quartâ, & ad Philippi epistolam responsione, & Olynthiacâ tertiâ.

Vers. 22. *Stans autem*, vel quum constitisset, *Paulus, in medio Areopagi.*] Loci illius celebris, hominum frequentiâ referti; istis non conturbatus.

Inquit.] Tali eos oratione affatus est.

Viri Athenienses.] Ita eos etiam ipsorum Oratores ut Demosthenes & Æschines compellare soliti.

Per omnia quasi religiosiores vel *fere superstitiosiores.*] Vox Græca notans timentes dæmonum, seu numinum, est media, ut & religiosos & superstitiosos possit significare. Videtur Paulus Apostolus ut prudens non statim eis in orationis exordio objecisse crude vitium superstitionis; sed etiam si id perstrinxit, tamen temperavit sermonem, dum eos non simpliciter & plane dixit superstitiosos, sed per comparativum *superstitiosiores*, ad superstitionem vergentes & quidem id mitigavit, addita voculâ *quasi.* Ita civiliter cum eis egit, ut eos non exacerbaret, sed Deo ac Christo quantum posset lucrifaceret.

Vos aspicio.] Id est ex iis quæ oculis meis spectanda occurrerunt, video.

Vers. 23. *Pertransiens enim* seu *prætériens.*] Per forum & plateas, ambulando.

Et inspectans.] Vel contemplans, velut res antea non visas.

Sacra vestra vel *culturas.*] Ut habet Hieron. in epistolæ ad Titum cap. 1. Notat res sacratas, quæ colebantur religiose, ut simulacra, statuas, aras, templa &c. Quanquam hoc nomen accipiatur pro numinibus. Sap. 14. 20. & xv. 17. & in Adject. ad Dan. 14. 27. & 2 Thess. 2. 4. Non vocat ista aspere idololatriæ atque impietatis signa & monumenta.

Inveni &, vel etiam inter cætera, *aram.*] Locum basi superstructum ad sacrificia ibi offerenda.

In qua inscriptum erat, IGNOTO DEO.] Epimenides Cretensis olim, ut in ejus vita Diogenes Laërtius, pestilentiâ Athenis obortâ, fuit author, ut sacrificaretur Deo convenienti, seu ad quem ea res pertineret, quisquis tandem is esset. Et hinc ait Laërtius fuisse Athenis adhuc suo tempore aras absque nomine. Pausanias lib. 1. & Philostratus lib. 4. memorat ibidem fuisse aras ignotorum Deorum. Timebant quippe ne inter multorum Deorum cultum, aliquem Deum prætermitterent. Aræ istæ quamvis à quibusdam dicantur titulum numeri pluralis Deorum ignotorum prætulisse, tamen credibile est, aliquas in singulari titulum hunc IGNOTO DEO, habuisse, ut hic S. Paulus affirmat. Author Dialogi qui Philopatris inscribitur, & à quibusdam Luciano attribuitur, jurat per DEUM IGNOTUM qui erat Athenis, & in fine ejusdem Dialogi, narrat se Ignotum istum Athenis invenisse & adorasse. Quæret aliquis quomodo coluerunt Deum Anonymum, incognitum? Respondeo, quod fuerit eis cognitus confuse, quamvis incognitus distincte.

Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.] Prudenter & argute S. Paulus, occasione aræ ipsorum Atheniensium ignoto Deo inscriptæ arreptâ, commode usus, docet eos Dei veri ipsis incogniti cognitionem. Hoc modo simul ostendit, se non annunciare novos quosdam Deos, quod ipsi erat objectum à quibusdam.

Vers. 24. *Deus qui fecit mundum.*] Nempe hoc universum, totam hanc machinam quæ cœlum & terram continet. Mundum semper ab æterno exstitisse absque principio, asserebant aliqui Philosophi, atque inter eos præcipue Aristoteles. At eundem habuisse initium existendi, statuebant nonnulli ex Philosophis eximiis, & quidem non ex fortuito Atomorum concursu ut Democritus atque Epicurus opina-

opinabantur, sed à Deo esse conditum; ut Anaxagoras, & Plato præceptor Aristotelis, & Platonici plerique, atque Stoici. Ideoque S. Paulus id ex professo non probavit, sed ut à multis inter eos confessum & concessum posuit. Hunc Deum verum, factorem atque creatorem mundi S. Paulus hic Athenienſibus prædicat: qui Deus in mundo creando, suam eximiam potentiam & sapientiam, & bonitatem declaravit. Vide & supra cap. 14. 15.

Et omnia quæ in eo scilicet *sunt.*] Non tantum cœlum atque terram, quæ olim non erant, Deus condidit atque creavit, sed etiam ea quæ sunt in mundo naturalia, ipse fecit. Ut in cœlo stellas atque Solem, quæ aliqui gentiles pro Diis habuerunt, in terra præter alia plantas, & bestias, & homines. Omnia ista sunt Dei opera: is ea initio produxit, & ut deinde ordine producerentur vim eis indidit.

Is cœli & terræ Dominus existens.] Factor & creator istius universi Deus, est etiam ejusdem ut operis sui Dominus, habens in id opus absolutam potestatem à seipso: ut ei cum toto mundo & eis quæ in mundo sunt liceat facere quod ipsi libet.

Non in manufactis templis habitat.] Error iste quasi Deus substantiâ suâ ita incoleret aliqua in terris loca, sicut Reges palatia, præcipue templa manibus hominum ædificata, etiam inter populum Israeliticum fuit ex animis evellendus, ut Esai. 66. 1, 2. Act. 7. 48. In cœlo autem Deum habitare supposito suo, & Ethnici seniores existimabant, & Sacræ Litteræ passim testantur. Videatur annotatio ad Matth. 6. 9. & Act. 7. 48. quamvis inde è cœlo ut Sol radios suos spargit per orbem, similiter Deus spiritum suum extendit & diffundit quaquaversum, & ubicunque quod vult operatur.

Vers. 25. *Neque à manibus hominum* [*ei*] *ministratur.*] Nempe ita sicut solet ministrari hominibus, etiam in magna potestate collocatis, quibus opus est, ad habitandum domos, ad amictum & nuditatis tegmen, vestes, ad victum escas à famulis parari: quia his ut ad vitam suam sustentandam necessariis indigent. Interim vult Deus & debet coli atque honorari, ut omnium Factor atque Rector & Dominus.

Indigens aliquo.] Indicat Deum non egere hominum ministeriis, quasi absque iis esse & vivere non possit. Non indiget talibus, quia est ipse ex seipso perfectissimus, omnia in se habens quæ requiri possunt, sibiipsi sufficiens.

Ipse dans omnibus vitam, & spirationem.] Quod vivant quod spirent, & homines, & cætera animalia, Deus est ejus rei author. Is animam & spiritum vitalem indidit primo homini: & ab eo atque per eum, aliis hominibus ex eo natis: ejus beneficio vita datur atque conservatur.

Et omnia.] Quæcunque homines habent à Deo habent, ex ejus larga beneficentia: & victum, & amictum, & alia, non tantum ad necessitatem sed & ad delicias. Quamvis aliqui impii negantes hæc à Deo dari, naturæ ista attribuunt. Sed natura ista, tam potens, tam sapiens, tam provida, & benefica, mutato nomine Deus est. Sicut agnovit etiam Seneca lib. de Benef. IV. cap. 3.

Quum Deus omnibus det omnia quibus indigent, ex eo ipso patet, Deum ipsum non indigere ut ei aliquid ab aliquo detur, ac ministretur.

Vers. 26. *Fecitque ex uno* vel *unius, sanguine, omnem gentem hominum.*] Deus ex uno homine primo Adamo, à se creato, cui vim prolificam & generis sui multiplicandi potentem, indidit, ex ejus unius sanguine, atque eo quod è sanguine fit semine, omnes homines propagavit, per traducem. Et quamvis jam diversæ gentes atque nationes existent, tamen universæ ex una origine, ab uno primo patre, prodierunt: Deo ita volente, ut homines inter se consanguinitate atque inde naturali conjunctione & societate jungerentur.

Ut habitaret.] Nempe omne genus hominum.

Super omnem faciem terræ.] Seu superficiem omnis terræ, ut Luc. 21. 35. Ut homines multiplicati, per omnes orbis terræ regiones dispersi, eam ejusque partes incolerent, atque in ea vitam degerent. Vide Gen. XI. 8.

Definiens præstituta tempora, & terminorum positiones habitationis eorum.] Deus ordinavit tempora hominum, non tam in individuo, quam generatim, non tantum vitæ spatio ultra quod non vivant constituto, sed etiam assignatis seculis quibus gens quæque alicubi habitaret, atque etiam locorum & regionum quas possiderent, limites præfixit, vide Deut. cap. 32. 8. Quidam per tempora intelligunt anni partes quibus fructus diversi ex terra vitæ hominum sustentandæ utiles producuntur. Ut supra cap. 14. vers. 17.

Vers. 27. *Ut quærerent Dominum.*] Nempe illum qui est Creator & Dominus cœli & terræ ac omnium quæ in eis sunt, proinde & hominum; respice supra vers. 24. Is Dominus rerum id est Deus, quamvis ab oculis hominum mortalium remotus, & iis inconspicuus, debet ab hominibus quæri. Quærere autem Deum est velle eum, præcipue respectu voluntatis ejus cognoscere, & gratiam ejus ambire, per conversionem ad eum. Vide Esa. 55. 6, 7. & Hebr. XI. 6.

Si forte palpent, vel attrectent eum, & inveniant.] Est similitudo ducta ab eo quando res occultæ quæruntur velut in tenebris, quod solet fieri manibus prensando & palpando, ut deprehendantur. At Deus non manibus palpandus est, quia non est corpus aliquod quod palpari possit: sed quia spiritus est spiritu atque mente est inquirendus, atque cognoscendus. Cujus cognitionem qui acquirit, is Deum invenire dicitur. Inquiri autem & palpari Deus, quamvis occultus & invisibilis, potest ac debet, ex cognitione rerum quæ & extra homines & in hominibus sunt ac fiunt, quia Deus ista fecit & facit atque gubernat: ita ut ex effectis ad cognitionem causæ efficientis primæ deveniatur. Videatur Cicero de Natura Deorum lib. 2. & Psal. 19. Sap. 13. Act. 14. ℣. 17. & Rom. 1. 20.

Etiamsi non longe ab unoquoque nostrûm existentem.] Quamvis loco habitationis suæ Deus procul distet ab hominibus, & sit ab eorum visu atque aliis sensibus corporeis remotus, tamen indicat Paulus eum hominibus prope adesse. Nempe per spiritum suum quo implet orbem terræ. Vide Sap. 1. 7. & per opera sua quibus potentiam atque beneficentiam suam declarat.

Verſ. 28. *In ipſo enim vivimus.*] Per ipſum, uſitato Hebraiſmo: quem agnovit & Beza, qui in hunc locum annotavit, id eſt per ipſum, ut loquitur idem Apoſtolus Rom. XI. 36. quod refertur ad Dei vim & potentiam, qua & initio creati ſumus (addit ille ex nihilo, ſed temere) & creati conſervamur. Hæc ille. Et Piſcator, *in ipſo* id eſt per ipſum, ſeu virtute ipſius. Nempe ex Dei potentia & gratia habemus vitam & omnia, ut dictum ſupra ℣ſ. 25.

Et movemur.] Non poteſt homo loco ſeſe movere & progredi quoquam niſi Deo volente vel permittente.

Et ſumus.] Quod ſimus id quod ſumus, & in vita perſiſtamus, id à Deo eſt, ab ejus gratia atque beneficio. Ille nos ſpiritu ſuo & vi ſua fovet ac ſuſtentat.

Sicut & vel *etiam, quidam eorum qui apud vos* [fuerunt] ſeu *veſtratium, Poëtarum dixerunt.*] Non affert eis S. Paulus Teſtimonia Prophetarum, quæ apud Ethnicos nihil valuiſſent. Sed ex talibus qui apud eos recepti erant profert teſtimonium. Poëtæ erant Ethnicis velut Prophetæ, nam illos etiam vates appellarunt.

Poëtarum.] Velut plurium mentionem facit, quia talia non apud unum reperiuntur. Ut apud Homerum, Heſiodum, Menandrum, Callimachum, Pindarum, exſtant quædam quæ huc faciunt. Sed Paulus unius nominatim verba citat, nempe Arati Cilicis, qui fuit ex eadem cum Paulo regione Cilicia oriundus, ipſius conterraneus. Hinc apparet Paulum fuiſſe etiam in Ethnicorum ſcriptis verſatum & eruditum. Vide & Tit. I. 12. Non alienum nec inconveniens eſt Theologis Chriſtianis Pauli exemplo interdum, ad adverſarios convincendos etiam profanos anthores quando vera & bona dicunt allegare.

Ipſius enim & genus ſumus.] Hæc verba Aratus poëta Græcus ſcripſit in Phœnomenis, ſeu carmine de Aſtris. Quum enim dixiſſet, Ab Jove principium, & dixiſſet ubique indigere Jove omnes, ſubjunxit hæc verba quæ hic citantur. Quæ ibi de Jove ab Ethnicis pro Deo ſupremo habito, pronunciata, S. Paulus uſurpat de vero Deo altiſſimo. Dei genus ſeu progenies eſſe dicuntur homines, quod ab illo originem ſuam habeant, præcipue quod attinet ad animam rationalem, & ad imaginem Dei in hominibus. Ariſtot. Politic. I. cap. 8, ſcripſit, bene Homerus de Jove inquit, hominum pater atque deorum: ſic appellans horum omnium Regem. Natura enim excellere Regem oportet, genere autem eſſe eundem.

Verſ. 29. *Genus ergo exiſtentes Dei.*] Nempe nos homines intellectu & ratione à Deo præditi, eique, ut filii ipſius ea parte præcipue ſimiles.

Non debemus exiſtimare.] Imo debemus non exiſtimare, *auro, aut argento, aut lapidi*, ex qualibus materiis fiunt idola, pro numinibus habita, *ſculpturæ artis* ſeu artificii, *& excogitationis hominum* quibus materiis homines ex inventione & commento ingenii ſui, indunt formam quam volunt, *numen* divinum illud Ens, quod fecit mundum & omnia quæ ſunt in ipſo.

Eſſe ſimile.] Ratio ſana docet non poſſe Deo viventi & vitam aliis largienti, aſſimilari id quod hominum opificum fabricatio efformavit, quodque quum ſit opus manuum humanarum, eſt homine opifice ſuo vilius, nec vitam, nec motum habens. De quo vide & Eſa. 40. 18. XLIV. 13. XLVI. 5.

Verſ. 30. *Ipſa quidem ergo tempora hujus ignorantiæ.*] Id eſt ea quæ temporibus iſtis præteritis fiebant, inconvenientia, quum homines gentiles Deum verum non noſſent, & non ita ut oportebat colerent, ſed in idololatria ac variis peccatis hærerent.

Deſpiciens Deus.] Seu conniventer diſſimulans, quaſi negligens & non curans hactenus iſta: vel quia non miſit Prophetas ad illas gentes, qui eas de Deo vero docerent, & officii admonerent, atque à peccatis avocarent, ſed ſivit gentes ire viis ipſorum, ſicut dictum eſt ſupra cap. 14. 16. vel quia iſta peccata tunc non punivit ſevere, ſed toleravit. Vide Rom. 3. 26.

Nunc.] Jam poſt illas ignorantiæ tenebras & poſt conniventiam lucem gratiæ ſuæ & curam etiam gentium illarum oſtendens Deus.

Annunciat.] Per Euangelii prædicationem, ad quam ſervos ſuos inter quos & hunc Paulum, per orbem miſit.

Hominibus omnibus ubique.] Abſque diſcrimine & delectu nationum.

Ut reſipiſcant.] Ut præterita errata atque peccata abjiciant, & novos mores ac novam vitam, ex præſcripto præceptorum Dei agant. Ut peccatorum præteritorum veniam & impunitatem à Deo obtineant. Non ſolum ut doleant de præteritis male factis. Vide Matth. 3. 2.

Verſ. 31. *Propterea quod.*] Ratio affertur cur Deus velit ut homines reſipiſcant, & cur illi reſipiſcere debeant.

Statuit.] Decreto ſuo conſtituit, atque deſtinavit.

Diem.] Id eſt tempus certum, quanquam hominibus non revelavit quando id ſit futurum.

In qua judicaturus eſt.] Ut ſupremus cœli & terræ Dominus, vide ſupra ℣ſ. 24. ac Rector & Judex, cui rationem factorum reddere tenentur omnes.

Habitatam.] Scilicet terram, ſeu orbem terrarum, id eſt incolas hujus orbis, homines hujus mundi.

In juſtitia.] Seu cum juſtitia. *In* enim non raro ſumitur pro *cum*, ut Luc. 4. 32. XIV. 31. Act. I. 3. v. 23. XXVI. 7. I Cor. 4. 21. Eph. 6. 2. Phil. 4. 19. Col. I. ultimo. IV. 2. *Cum juſtitia*, autem idem eſt quod juſte, ſecundum opera cujuſque, abſque reſpectu perſonarum. Vide Rom. 2. 6, 7, 8.

In viro.] Id eſt per virum quendam. *In* pro *per* ponitur, Hebraiſmo frequentiſſimo, ut Matth. 5. verſ. 34, 36. IX. 34. XII. 24, 27, 28. XXVI. 52. Luc. 4. I. XI. 20. Act. 4. 9, 10, 12. VII. 35. & alibi.

Per iſtum virum intelligit Paulus Jeſum Chriſtum, de quo quum antea apud iſtos diſſeruiſſet, illi exiſtimabant eſſe hunc quendam Deum novum, ſupra verſ. 18. At S. Paulus eum vocat virum ſeu hominem. Idem Jeſus & alibi in Sacra Scriptura vocatur vir, ut Luc. 24. 19. Joh. I. 30. Act. 2. 22. Quanquam iſte vir, non eſt ſimplex ac vulgaris homo, ſed jam ad cœleſtem gloriam exaltatus, habet datam ſibi à Deo ſummo divinam poteſtatem: quæ cernitur & in eo ipſo, quod is ſit à Deo definitus ſeu conſtitutus Judex vivorum & mortuorum. Ut dicitur ſupra cap. X. verſ. 42. Vide & Joh. 5. 22 & 27. Rom. 2. 16. Non ipſe Deus Altiſſimus judicabit mundum in perſona ſua, ſed per hunc Judicem, ſuo nomine id facturum.

Quo definiit seu *quem definiit.*] Id est per quem id facere constituit atque decrevit, seu quem ad id faciendum destinavit.

Fidem præbens seu faciens, *omnibus.*] Id est probans certo argumento quod istum virum id est Jesum velit habere Judicem mundi, & per eum exercere judicium.

Suscitans eum ex mortuis.] Deus ille supremus Creator mundi, Jesum istum morte à Judæis affectum, è mortuorum statu ad vitam reduxit: & per hanc ejus resuscitationem, sub qua resuscitatione ad vitam immortalem & glorificatio ejusdem Jesu continetur, probavit, se velle per eum gubernare mundum atque judicare. Vide Rom. 14. 9.

Vers. 32. *Audientes autem* seu quum audissent, *resurrectionem mortuorum.*] Quod homo mortuus, è mortuus resurrexerit ad vitam.

Alii quidem sannis excipiebant.] Seu irridebant. Nempe Paulum talia dicentem, & ista ipsa ejus dicta. Quia illis Philosophis, ultra naturalia animo non assurgentibus, præsertim Epicuræis, & populo promiscuo gentili, impossibile id videbatur, ideoque ridiculum, ut homo jam vita privatus, rursus vivat. Et apud Minutium Ethnicus, qui de Christianorum opinionibus loquens introducitur, aniles fabulas vocat, quod se post mortem & cineres renasci ferant. Quanquam ex morte resurrectionis specimina quædam etiam in rebus naturalibus deprehendantur. Vide Joh. 12. 24. 1 Cor. 15. 36, 37, 38.

Alii autem moderatiores, *ajebant: Audiemus te rursus de hoc?*] Nempe quando nobis vacabit. Sed non apparet eos iterum hanc auditionem requisivisse.

Vers. 33. *Et ita.*] Id est postquam hoc factum est, tum deinde: vide supra cap. 7. 8. & infra cap. 20. 11.

Paulus exivit ex medio eorum.] Nempe post illam orationem ad eos habitam, absolutam, quum se & sua dicta ab illis auditoribus sciolis parum curari videret, abiit ab illis: ipsis eum forsan relinquentibus. Apparent hinc non fuisse Paulum ad judices deductum atque apud eos accusatum, quia nulla decreti judicum fit mentio.

Vers. 34. *Quidam autem viri.*] Nempe ex illis auditoribus.

Adhærentes ei.] Propriè in Græco textu est vox quæ significat *glutinatos.* Indicatur eos auditis ipsius verbis gravibus esse permotos, ideoque ei sese adjunxisse eumque ut Doctorem veritatis sectatos esse.

Crediderunt.] Id est ejus dictis quæ non temeraria esse agnoscebant, ut veris fidem adhibuerunt, & ut credibile est, postquam eum assectati sunt plenius ab eo de credendis edocti, in Deum verum atque in Jesum Christum à Deo resuscitatum, crediderunt, ac fiduciam suam in eo collocaverunt. Nempe facti sunt ex Ethnicis Christiani. Ita illa Pauli oratio quamvis à majore auditorum parte, explosa aut neglecta, tamen fructu suo non caruit in aliquibus, probioribus.

In quibus seu *inter quos.*] Nam *in* sumitur interdum pro *inter.* Ut Matth. 20. 26. Luc. 1. 25, loco posteriore, Joh. xi. 54. Act. 7. 44. & alibi.

Et Dionysius Areopagita.] Unus ex illorum Areopagitarum judicum magnæ authoritatis consessu augusto.

Huic Dionysio Areopagitæ quidam adscribunt libros de Hierarchia cœlesti, & de Ecclesiastica, & de divinis nominibus, & epistolas aliquot. Sed inter ipsos Pontificios præter Erasmum, Valla Canonicus & Cajetanus Cardinalis, negant hæc scripta esse hujus Dionysii, sed recentioris alicujus authoris esse existimant. Cujus rei exstant in istis ipsis scriptis nonnulla argumenta.

Et mulier nomine Damaris.] Apparet fuisse hanc fœminam non vulgarem quum nomen ejus exprimatur.

Et alii cum eis.] Indicatur non hos solos celebriores sed etiam alios ex Athenienſibus quamvis minus celebres, tunc Pauli dictis permotos fidem Christianam suscepisse.

CAPUT XVIII.

Vers. 1. *Posthæc autem quum discessisset Paulus Athenis.*] Ubi non adeo multam messem spiritualem habuit.

Venit Corinthum.] Corinthus erat Græciæ urbs celebris in Achaja, inter duo maria Ægeum atque Jonium, angusto Isthmo diremta. Emporium olim insigne, cujus cives plerique ob divitias luxuriosi, superbi. Urbs hæc à Romanis, quorum legationem cives superbe spreverant per Mummium Consulem Romanum fuit excisa & incensa, postea tamen à Julio Cæsare restaurata, teste Strabone & Diodoro Siculo.

Vers. 2. *Et inveniens quendam Judæum.*] Nempe origine sed jam religione Christianum, ut patet ex sequentibus.

Nomine Aquilam.] Nomen hoc Hebraice Nescher, Latine Aquila, fuit etiam illi qui postea sub Hadriano Imperatore Vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum convertit post LXX Interpretes primus: qui censetur fuisse Semi-Judæus & Semi-Christianus.

Ponticum genere.] Oriundum ex Ponto, regione Asiæ prope mare quod Pontum Euxinum vocant.

Qui nuper venerat ab Italia.] Nempe Corinthum commigraverat, ex Italia excedens.

Et Priscillam uxorem ejus.] Fœminam insignem, piam: quæ cum commendatione memoratur, & marito præponitur, Rom. 16. 3. & 2 Tim. 4. 19. vide & 1 Cor. 16. 19.

Propterea quod ordinasset seu *edixisset Claudius.*] Romanorum Imperator quintus, stolidus, uxorum & libertorum regimini obnoxius.

Ut discederent omnes Judæi Româ.] Ubi jam non pauci ex hac natione habitabant. Sub Judæis comprehendebantur etiam Christiani ex Judæis oriundi: qualis fuit iste Aquila. Meminit hujus edicti Suetonius in Claudio, qui scripsit, Judæos impulsore Chresto (pro Christo) assiduo tumultuantes, Româ expulit. Nempe occasione Jesu Christi fuit inter Judæos incredulos & alios Christianos factos altercatio. Hinc Claudius timidus, tumultum metuens eos urbe excedere jussit.

Accessit ad eos.] Ut ex Judæo factus Christianus venit ad eos & adjunxit se istis qui etiam ex Judæis erant facti Christiani.

Verſ. 3. *Et quia ejuſdem artificii erat, manſit apud eos.*] Non tantum ad eos venit, ſed etiam cum iis permanſit in contubernio, initâ ſocietate; vinculum ejuſdem artis mechanicæ eos colligavit.

Et operabatur.] Propriis manibus & labore victum acquirens, ut nulli moleſtus eſſet. Vide Act. 20. 34. 1 Cor. 4. 12. 2 Cor. xi. 9. 1 Theſſ. 2. 9. 2 Theſſ. 3. 8. Solebant & apud Judæos ſapientes Rabbini artificium aliquod exercere ne gravarent alios.

Erant enim vel potius *autem, tabernaculorum factores, quoad artem.*] Tabernacula ſeu tentoria in quibus homines non tantum in caſtris & bello, ſed etiam domi in pace tempore æſtivo degere ſoliti, conficiebant, ſive ex linteis, ſive potius ex pellibus conſutis. Syrus dicit opifices conopæorum. Vatablus & alii, aulæorum.

Ne igitur pudeat, exemplo Pauli Apoſtoli, etiam alios quamvis non vulgares Chriſtianos, & aliis doctrinâ præcellentes, artes mechanicas ac opificia manuaria ſi opus ſit, addiſcere, & exercere, iiſque victum ſibi per laborem proprium acquirere.

Verſ. 4. *Diſſerebat autem.*] Nempe de religione Chriſtiana, ut eam perſuaderet.

In Synagoga.] In loco conventui Judæorum ſacrato.

Per omne ſabbatum.] Singulis ſeptimis diebus, quibus potiſſimum & ex profeſſo Judæi religioni vacabant. Aliqui putant ſignificari eum id feciſſe per totam ſeptimanam.

Suadebatque.] Nempe ut religionem quam ipſe profitebatur, alii quoque ſuſciperent, ad ſuam ſententiam eos verbis & argumentis allicere atque adducere conatus.

Judæos.] Qui erant populus Dei peculiaris, quibus Meſſias fuit olim à Deo promiſſus.

Et Græcos.] Etiam homines ex aliis præter Judæos, nationibus. Ex quibus probiores interdum ad Judæorum Synagogas accedebant, veritatis inquirendæ cauſâ. Etiam Græcos ſabbato diſputare ſolitos ſcripſit Sueton. Tiberio cap. xxxij.

Verſ. 5. *Quum autem adveniſſent à Macedonia Sylaſque & Timotheus.*] Socii Pauli, qui remanſerant Bereæ. Vide ſupra cap. 17. 14, 15. Silas videtur eſſe idem qui Silvanus 2 Cor. 1. 19.

Conſtringebatur ſpiritu Paulus.] Seu animo ſuo angebatur, dum zeli ardore æſtuaret, in agendo enixe religionis negotio: & velut anxius eſſet quomodo cum illis Corinthiis in docendo ageret. Similis vox Græca habetur Luc. 8. 45. & xix. 43. ac quod magis huc facere poteſt infra cap. 21. 25. vide & 2 Cor. 2. 4. & Philip. 1. 23.

Aliqui hoc ita exponunt quod Paulus à Spiritu Sancto urgeretur ad docendum. Videatur locus Act. cap. 20. 22.

Atteſtans Judæis.] Hoc illis impenſe aſſeveranter declarans, & probans teſtimoniis Sacræ Scripturæ. Simili ſignificatu declarandi vox iſta ponitur Luc. 16. 28.

Illum Chriſtum, Jeſum.] Voces iſtæ ſunt tranſpoſitæ; ſignificatur hoc, Paulum probaſſe Jeſum eſſe Chriſtum ſeu Meſſiam, id eſt Unctum Dei, & quidem non vulgarem, ſed illum eximium, quod articulus nomini Chriſti præfixus indicat. Vide ſupra cap. 17. 3. Verbum *eſſe* additur hic in quibuſdam exemplaribus Græcis, tum in Syriaca, Arabica, & Latina vulgata interpretatione.

Verſ. 6. *Obſiſtentibus autem ipſis.*] Nempe Judæis incredulis contumacibus, verbis Pauli contradicentibus.

Et blaſphemantibus.] Vide ſupra cap. 13. 45.

Excuſſis veſtibus.] Paulus videns Judæorum illorum pertinaciam atque malignitatem, hoc ſigno externo excuſſionis veſtium ſuarum coram ipſis, ne ſcilicet vel pulveris ipſorum aliquid ei adhæreat, teſtatur ſe cum illis nihil commune habere velle. Simile eſt quod à Chriſto dicitur Matth. 10. 14. vide & Act. 13. 51.

Dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum.] Id eſt, exitii capitibus veſtris imminentis vos ipſi vobis eſtis cauſa, culpâ veſtrâ propriâ. Sic Levit. x. ℣ſ. 9, 12. & 2 Sam. 1. 16. Videntur hic reſpici verba Ezech. 33. 4.

Purus ego.] Id eſt ego in hoc negotio ſum liber à culpa, quia non neglexi vos admonere officii.

A nunc.] Seu ab hoc tempore.

Ad Gentes vadam.] Id eſt vobis quamvis Iſraëlitis ſed malignis & contumacibus gratiam Dei vobis oblatam non ſuſcipientibus, relictis, ad extraneas nationes proficiſcar, ut eis veritatem Dei, ac Meſſiam annunciem. Vide ſupra cap. 13. 46. & infra cap. 28. verſ. 28.

Verſ. 7. *Et digreſſus illinc.*] Nempe è Synagoga Judaica.

Venit in domum cujuſdam nomine Juſti.] Quædam exemplaria habent Titi Juſti, ſicut & Interpres Latinus vulgatus.

Colentis Deum.] Id eſt ex Ethnico facti proſelyti, ad Judaicam religionem. Vide ſupra cap. 16. 14. xvij. 4.

Cujus domus erat contigua Synagogæ.] Ita non procul receſſit à Synagoga ſeu loco conventuum ſacrorum Judaicorum Paulus, & commigravit ad hominem quamvis religionem Judaicam amplexum, tamen origine Ethnicum; & jam tunc forſan ut ex hoc Pauli apud eum hoſpitio apparet, Paulinæ Euangelii prædicationi aſſentientem atque fidem in Jeſum Chriſtum, amplexantem.

Verſ. 8. *Criſpus autem Archiſynagogus.*] Unus ex iis qui Synagogæ Judaicæ erant moderatores ac præfecti. Vide ad Matth. 9. 18. Marc. 5. 22. & Act. cap. 13. 15.

Credidit Domino.] Id eſt prædicatione Pauli permotus ac perſuaſus, agnovit Jeſum eſſe Dominum populi divini, Meſſiam illum à Deo olim promiſſum. Vide Rom. 10. 12.

Cum tota domo ſua.] Id eſt domeſticis: nempe qui ex illis erant fidei capaces, ii etiam cum patrefamilias crediderunt in Jeſum Dominum. Ut Joh. 4. 53.

Et multi Corinthiorum.] Nempe ex incolis illius urbis Ethnicis, plures quam ex Judæis.

Audientes.] Nempe ſermones Pauli prædicantis Euangelium & fidem in Dominum Jeſum Chriſtum.

Credebant.] Sermonibus ejus pro veris agnitis aſſenſi ſunt, atque fidem in Jeſum Chriſtum ſuſceperunt. Ex verbi Dei prædicati auditu fides in eis oriebatur. Vide Rom. 10. 17.

Et

Et baptizabantur.] Per susceptionem immersionis in aquam, ut per signum externum pœnitentiæ ac resipiscentiæ, testabantur se peccata præterita ut sordes animi ac spiritus sui, abluere, & secundùm novam fidem, novam etiam vitam agere velle. Vide supra cap. 2. 38.

Crispum quidem illum Archisynagogum Paulus ipse baptizavit, ut testatur 1 Cor. 1. 14, cum aliis aliquot ibidem memoratis: cæteros autem apparet à Pauli sociis & adjutoribus Sila atque Timotheo esse baptizatos.

Vers. 9. *Ajit autem Dominus.*] Id est Jesus Christus, quem Deus Altissimus fecit Dominum cœlestem. Act. 2. 36.

Per visionem.] Vox Græca hic posita aliquando significat id quando res extraordinaria objecta oculis corporeis cernitur, ut Matth. 17. 9. & Act. 10. 3. Interdum autem quando anima in ecstasi aliquid sibi cœlitus revelatum videre videtur. Ut Act. 10. 17. Hic autem ista visio facta est

In nocte, Paulo.] Forsan in somnio, sed notabili ac ita insigni ut id quod in eo apparebat & audiebatur cœlitus profectum esse agnosceretur.

Ne metue.] Dominus Jesus servum suum Paulum, forsan metuentem ne prædicatione sua apud Corinthios parum proficeret, & ne per homines malignos, quales erant Judæi contumaces, in Euangelio ibi prædicando impedimentum & interturbationem aliquam pateretur, confirmat ac consolatur, addens ei animum, ne ob metum omittat Euangelii prædicationem.

Sed loquere.] Nempe sermones ad salutem hominum spectantes, de Euangelio, de fide in me Jesum Christum, atque resipiscentia.

Et ne tacueris.] Idem dictum illustrat, per negationem contrarii.

Vers. 10. *Propterea quod.*] Affert Dominus Jesus rationes ob quas Paulus debeat non metuere, sed absque metu Euangelium prædicare.

Ego sum tecum.] Id est tibi officium hoc facienti adero per spiritum meum, gratiâ & potentiâ meâ opitulante te adjuvabo, ut Matth. 28. ult. Vide similia dicta, quibus Deus dicitur esse cum aliquo. Act. 7. 9. & cap. x. 38.

Et, id est *ideo*, *nemo superponetur tibi.*] Ita proprie est in Græco textu, sed significat nemo invadet vel adorietur te, aut manus tibi inferet violentas.

Ad male tractandum, vel *malo afficiendum*, *te.*] Quamvis Judæi maligni volebant Paulo nocere eumque affligere infra ℣. 12, 13; tamen Christo Domino eum contra adversarios atque persequutores defendente, nullo eum damno aut detrimento affecerunt.

Propterea quod, vel *quoniam.*] Alteram rationem adjungit Dominus Jesus cur Paulum absque metu velit Corinthi Euangelium prædicare, vel etiam cur ei velit gratiâ sua adesse contra adversariorum turbationes.

Populus est mihi multus in civitate ista.] Nempe Corinthi: quamvis in urbe alioqui luxuriosa; tamen Dominus Jesus cordium scrutator vidit esse homines non paucos qui idonei erant ad id ut populo ejus Christiano accenserentur. Populum suum vocat Christus illos, non quod jam actu ipso essent Christiani, & membra populi Christi, nam tum adhuc isti erant Ethnici, sed quod apti essent & dispositi ad id, ut ad Christum converterentur, per Pauli prædicationem, fide in Dominum susceptâ: apti autem erant propter docilitatem, & animi non maligni nec perversi, probitatem. Vide supra cap. 13. 48. Tales alibi Christus vocat oves suas, quamvis nondum vocem ejus audientes, sed demum audituras. Joh. 10. 16. quum alii homines improbi propriâ culpâ & improbitate sua, oves Christi non essent. Joh. 10. 26.

Vers. 11. *Seditque.*] Id est habitavit, ut Matth. 4. ℣. 16. vel commoratus est: nempe ibi, Corinthi ut addunt quædam exemplaria. Scilicet Paulus, hoc Domini sui Jesu Christi monito confirmatus.

Annum & menses sex.] Tempus non exiguum illic transegit.

Docens in eis.] Id est inter eos. Ita *in* pro *inter* ponitur. Vide supra cap. 17. 34. Intelligitur autem Paulum docuisse inter Corinthios, quamvis proxime expresse non nominatos.

Illum sermonem Dei.] Nempe excellentem, salutarem hominibus, id est Euangelium Jesu Christi. Vide supra cap. 13. 46. & xvj. 32.

Vers. 12. *Gallione autem.*] Erat is frater L. Annæi Senecæ philosophi præceptoris Neronis. Quum esset junior vocabatur M. Annæus Novatus, sed postea adoptatus pro filio à L. Junio Gallione, cum familia cognomen hoc Gallionis assumsit. Scripsit ad eum Seneca frater librum de vita beata.

Proconsule [existente].] Id est consulari potestate provinciam Romanis subjectam administrante. Vide supra cap. 13. 7.

Achaiæ.] Erat Achaïa pars Græciæ, in qua urbs præcipua Corinthus. Sed sub Achaïæ nomine iste proconsul etiam reliquæ Græciæ præerat.

Insurrexerunt unanimiter Judæi contra Paulum.] Nempe illi increduli, de quibus supra ℣. 6. Irritati, tum quod Paulus ab eis quosdam abduxisset, de quibus supra ℣. 7 & 8; tum quod cum Judæis in Jesum credentibus, Ethnicos in eundem credentes, quamvis non circumcisos, in unum populum Dei conjungeret.

Et duxerunt eum ad tribunal.] Nempe ad sedem judiciariam ut à Proconsule judicaretur.

Vers. 13. *Dicentes*, *quod*] Vocula ista hoc loco redundat, ut sæpe in sermonis alieni mimesi.

Contra Legem.] Nempe Judaicam, per Mosem Legislatorem latam.

Iste persuadet hominibus colere Deum.] Tum quod præter unicum Deum, etiam Jesum hominem, religiose coli juberet; tum quod Ethnicos absque ceremoniarum legalium, & inprimis circumcisionis observatione, collecto ex Judæis cœtui, conjungeret.

Vers. 14. *Quum autem aperturus esset Paulus os.*] Scilicet volens ad istam accusationem respondere.

Ajit Gallio, ille Proconsul, *ad Judæos.*] Accusatores Pauli.

Si quidem igitur.] Vocula ista *igitur* hoc loco redundat.

Esset injuste factum quid.] Id est injuria aliqua alicui vestrum illata, contra leges civiles.

Aut facinus malum.] Id est maleficium ex animo

maligno patratum, vide supra annot. ad cap. 13. 10. Videtur indicare distinctum à privata injuria crimen aliquod fraudulentum reipublicæ noxium.

Secundum rationem.] Vel prout esset rationi conveniens atque consentaneum, vel prout officium meum requirit.

Utique sufferrem vos.] Id est patienter audirem vestram accusationem, & litem judicandam susciperem.

Vers. 15. *Si autem quæstio est de sermone.*] Id est de dictis controversis.

Et nominibus.] Ut an iste Jesus de quo iste Paulus loquitur sit nominandus Messias, an non.

Et Lege quæ [est] *secundùm vos.*] Nempe de Legis vestratis Judaicæ ritibus.

Videritis ipsi.] Id est vobis relinquo ac permitto talia inter vos disceptare.

Judex enim istorum ego nolo esse.] Proconsul Romanus Judex Politicus, contemnens religionis Judaicæ controversias, quum officium ejus esset ad politiam & jus civile spectantes lites dijudicare, talibus controversiis religiosis judicandis non vult vacare: quoniam hoc non erat ipsius officii.

Vers. 16. *Et abegit eos à tribunali.*] Forsan cum gestu repellentis & cum minis ne cum ejusmodi rebus ipsi molesti essent. Ita Paulus est liberatus.

Vers. 17. *Apprehendentes autem omnes Græci.*] Vox ista *Græci*, deest in quibusdam exemplaribus. Sed etiamsi deesset tamen per hos *omnes* non essent intelligendi vel Judæi accusatores Pauli, ut aliqui exponunt, vel illi è Græcis proselyti qui Paulo sese conjunxerant, ut videtur intellexisse Augustin. ep. 48. Sed gentiles è populo Achaïco, qui ibi ad judicia adstabant.

Sosthenem Archisynagogum.] Qui vel cum Crispo illo de quo supra ℣. 8, fuit jam olim inter Synagogæ Judaicæ præfectos; quales in una Synagoga etiam plures fuisse indicatur supra cap. 13. 15. vel Crispo Christiano facto, ei est subrogatus: qui tunc inter accusatores Pauli præcipuus fuisse videtur. Hunc nonnulli existimant postea à Paulo conversum esse, & ei se adjunxisse, esseque eum qui cum Paulo scripsit epistolam ad Corinthios priorem. Vide 1 Cor. 1. 1.

Verberabant coram tribunali.] Quum viderent Judæos accusatores à Proconsule contemni, atque à tribunali contumeliose abigi, hac occasione arreptâ istum inter Judæos ibi existentes eminentem ibidem male tractaverunt.

Et nihil horum Gallioni curæ erat.] Tum quod Judæos ut homines contemtos & tunc sibi molestiam facessentes negligeret, tum quod Achæis, quibus præerat, libertatis simulachra usurpantibus, conniveret.

Vers. 18. *At Paulus quum adhuc permansisset.*] Nempe ibi Corinthi.

Dies sufficientes.] Id est multas. Ecclesiam Christo ex Corinthiis colligens, & confirmans.

Fratribus valedicens.] Nempe illis quos Corinthi ad Christum converterat. Græca vox videtur indicare non simplicem valedictionem, sed cum mandatis atque monitis.

Enavigavit in Syriam.] Quum tenderet Jerosolymam, atque Antiochiam. Vide infra ℣. 21 & 22.

Et cum eo Priscilla, & Aquila.] Illi ad quos primo Corinthum veniens accesserat & opificium commune exercuerat. Vide supra vers. 2, 3. Uxor marito præponitur, quod forsan aliquibus dotibus ei præcelleret. Sic & Rom. 16. 3. & 2 Tim. 4. 19.

Quum totondisset caput.] Hoc quidam referunt ad Aquilam, quod is proxime sit nominatus, & quod cæremonia ista in Aquila, qui recens ex Judæo factus erat Christianus videatur tolerabilior, quam in Paulo Apostolo gentium, qui docebat tales cæremonias Legis Mosaicæ jam non esse observatu necessarias. Sed non absurdum est existimare Paulum de quo hic præcipue est sermo, id fecisse, ut Judæis sese accommodaret tanquam Judæus, & iis qui sub Lege erant tanquam & ipse adhuc sub Lege esset. Vide 1 Cor. 9. 20. quia ad Judæos, tum alibi tum præcipue Jerosolymæ habitantes iturus erat. Judæis autem videtur moris fuisse ut comam non alerent ordinarie, nisi extraordinarie quum essent in Naziræatu: de quo mox.

In Cenchreis.] Cenchrææ erat oppidum Corinthiorum, nobile portu, ex parte orientali, ad mare Ægeum. Sicut Lecheæ, erat alter portus ad alterum mare, ex parte occidentali.

Habebat enim votum.] Sive Aquilas, sive Paulus. De hoc voto est quæstio: primo quorsum ista verba pertineant, utrum ad propiora de tondendo capite, an vero ad remotiora, de navigatione in Syriam. Quidam hoc potius existimant, respectu habito ad ℣. 21. de quo postea. Sed satius videtur ut hoc votum ad tonsionem capitis referatur.

At quæritur, utrum hoc votum intelligendum sit de voto Naziræatus, quo quidam ad certum tempus, ut alii in perpetuum, vovebant inter alia, se caput non tonsuros seu rasuros. Vide Num. 6. 5. Sed post expletum votum istud, debebat talis comam capitis sui detondere ad ostium tabernaculi conventûs, atque igni sacrificiorum pacificorum eandem imponere, & sacrificia Deo offerre: ut scriptum est Num. 6. 18, 19. Hoc autem tunc non debebat fieri nisi Jerosolymæ, ubi erat tabernaculum collocatum. Quanquam aliqui putant, hoc præceptum, ut & de sacrificiis, & de diebus festis solennibus, non obligasse nisi eos Judæos qui in terra promissa Chananæâ habitabant. Quidam existimant votum istud non fuisse nisi civile, quo Paulus voverit se non ante capillos tonsurum, quam ubi egressus Corintho Cenchræas pervenisset: quod talia essent vota peregrinantium.

Vers. 19. *Devenit autem.*] Nempe Paulus, de quo hic præcipue sermo habetur.

Ephesum.] Illam celebrem urbem Asiæ minoris, in Jonia.

Et illos.] Nempe comites itineris sui, Aquilam & Priscillam.

Reliquit ibi.] Id est Ephesi; quum ipse ulterius proficisci cogitaret.

Ipse autem ingressus in Synagogam.] In conventum sacrum seu Ecclesiam Judæorum.

Disseruit cum Judæis.] Nempe de religione Christiana, ut facere solebat, non negligens occasiones ad Jesum Christum homines convertendi.

Vers. 20. *Rogantibus autem eis.*] Nempe Judæis illis

illis Ephesinis, inter quos videntur fuisse nonnulli probi, quibus dissertatio Pauli non displicebat.

Ut super plus tempus seu ampliore tempore, *maneret apud eos.*] Quo cum eo diutius de religione conferre possent.

Non annuit.] Seu non consensit, nempe ut tunc faceret id quod rogabant, & diuturniore tempore tum Ephesi permaneret: ob rationem justam quam mox affert.

Vers. 21. *Sed valedixit eis.*] Cum monitis, ut supra vers. 18.

Dicens: Oportet me omnino.] Vel, quia ita constituerat, habens causas ejus rei graves, præcipue spirituales, ut in frequentia Judæorum, negotium Jesu Christi promoveret: vel ex voto, de quo hoc aliqui accipiunt, supra ℣. 18.

Festum veniens vel *venturum.*] Id est futurum, nempe aliquod ex illis tribus solennibus, quæ erant; Pascha, Pentecoste, & Scenopegia. Vide infra c. 20. vers. 16. Sed hic agitur de festo propiore quod tunc instabat.

Facere seu peragere ac celebrare, *in Jerosolyma.*] Textus Græcus proprie habet *in Jerosolymam:* sed εἰς ponitur pro ἐν, sicut inter alia Marc. 5. 34. xiij. 16. Luc. 16. 8. Act. 2. 27. viij. 40.

In illa urbe Judæorum celeberrima, metropoli: non propter ipsam festi Legis Mosaicæ ceremoniam, quam jam in Christo non valere noverat, sed propter gloriam Christi illic aliquo modo promovendam in solenni Judæorum conventu & propter salutandos ac visitandos fratres illius Ecclesiæ tunc præcipuæ.

Rursus autem revertar.] In Græco textu est proprie *reflectam*, *ad vos* promittit illis Judæis Ephesinis, mansionem ejus postulantibus, post iter propositum absolutum, se ad eos rediturum: quod & fecit infra cap. 19. 1.

Deo volente.] Caute promittit reditum sub conditione, si Deus hoc voluerit, atque permiserit. Observanda est hæc usitata cautio, qua significatur prudenter & pie humana imbecillitas ac impotentia, quod non semper possint id quod volunt ad effectum deducere, & Dei ut Domini supremi absoluti circa facta nostra summa potestas atque gubernatio & directio, ut in ejus voluntate situm sit exequutionem eorum quæ facienda proponimus disponere, & vel permittere, vel inhibere. Tali cautione usus est etiam alias S. Paulus, ut 1 Cor. 4. 19. & Author ad Hebr. 6. 3. De eadem admonet egregie Jacobus c. 4 vers. 15.

Et profectus est ab Epheso.] Navi vectus versus Syriam. Vide supra ℣. 18.

Vers. 22. *Et descendens* vel potius *quum devenisset, Cæsaream.*] Illam mari mediterraneo adjacentem, de qua supra cap. 8. 40. & x. 1.

Ascendens.] Nempe ut videtur Jerosolymam, ad quam tendebat, ut dictum versu proxime præcedente: alioqui non apparet in sequentibus quando istam Jerosolymitanam profectionem, ad festum illud proxime imminens, absolverit. Solet verbum istud ascendendi crebro usurpari, de Judæa, & præsertim metropoli ejus Jerosolyma, quæ respectu locorum maritimorum in editiore loco sita: atque de templo, ut Matth. 20. 17. Luc. 2. 4. xviij. 10, 31. xix. 28. Joh. 2. 13. v. 1. vij. 8, 10. xj. 55. Act. xj. 2. xxj. 15. xxiv. 11. & alibi.

Et salutans vel *quum salutasset Ecclesiam.*] Nempe illam primariam Jerosolymitanam, id est Christi discipulos qui degebant Jerosolymæ.

Descendit in Antiochiam.] Nempe illam Syriæ urbem celebrem, de qua supra cap. xi. 19. Non est verisimile S. Paulum à Cæsarea digressum, præteritâ Jerosolyma quæ propior erat Cæsareæ, profectum esse Antiochiam.

Vers. 23. *Et quum egisset* [illic] *tempus aliquod.*] Seu transegisset, vel commoratus esset. Vide supra cap. 15. 33. Egit autem ibi tempus, non otiosus, in illa Ecclesia florente, in qua antea aliquandiu habitavit & docuit. Supra cap. xi. 26. & xv. 35.

Exivit.] Nempe Antiochiâ digressus in alia loca.

Pertransiens ordine Galaticam regionem.] In qua jam antea fuerat, supra cap. 16. 6.

Et Phrygiam.] Etiam hanc antea adierat; vide ibid. In Phrygia erat urbs Colossæ, ubi Ecclesia Colossensis.

Confirmans omnes discipulos.] Scilicet Christi, id est Christianos, omnes qui in illis locis degebant Galatas & Phryges jam antea à se edoctos, in fide vera & pietate, admonitionibus suis corroborabat.

Vers. 24. *Judæus autem quidam, Apollos nomine.*] Describitur vir eximius, qui postea in Ecclesia insigniter opus Domini egit. De quo vide 1 Cor. 1. 12. & iij. 6.

Alexandrinus genere.] Oriundus ex Alexandria urbe Ægypti celebri, ab Alexandro Magno Macedone condita, in qua Judæi non pauci degebant: è quibus fuit circa illa tempora etiam Philo, eruditus.

Vir eloquens.] Egregium Dei donum est eloquentia, qua quispiam quæ sentit & vult, facundâ oratione hominibus declarare & persuadere potest. Ea in sacris concionibus multum juvat ad animos hominum flectendos, atque permovendos. Sed danda est opera ut veris ac piis dogmatibus persuadendis adhibeatur.

Devenit in Ephesum.] In illam celebrem Asiæ civitatem, de qua supra ℣. 19.

Potens existens in Scripturis.] Nempe sacris, Veteris Testamenti. Significat eum in sacro codice bene versatum fuisse, & peritum: ut potuerit Sacras Literas egregie allegare, & ex iis doctrinas depromere. Quarum Sacrarum Literarum commendatio videatur 2 Tim. 3. 15, 16, 17.

Vers. 25. *Hic erat edoctus viam Domini.*] Id est institutus aliquantum in religione Christiana. Solet institutum doctrinæ alicujus vocari via. Vide Matth. cap. 22. 16. Act. 9. 2. xiij. 10. quia per eam itur aliquò, modo spirituali.

Et fervens spiritu.] Cum impetu animi vehementer flagrans zelo atque studio promovendæ gloriæ divinæ. Vide Rom. 12. 11.

Loquebatur & docebat diligenter seu *accurate, ea quæ* [*sunt*] *de Domino.*] Id est de Christo: nempe quod jam sit à Deo ille olim promissus Messias missus, & exhibitus: quanquam ejus personam atque officia & beneficia, adhuc parum nosset, ut patet ex sequentibus. Notandum est, istum virum egregium, absque

absque speciali ordinaria vocatione & missione, (quam aliqui anxie requirunt in omnibus qui aliquid de religione docent) docuisse de rebus sacris: quod tamen in eo non reprehenditur.

Sciens tantum baptisma Johannis.] Id est doctrinam quam Johannes Baptista prædicabat, nempe de pœnitentia seu resipiscentia agenda, in remissionem peccatorum, de appropinquatione regni cœlestis, per adventum Messiæ, &c. Vide Matth. 3. 2, 11, 12. Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. & Matth. 21. 25.

Vers. 26. *Isque cœpit libere loqui.*] Seu cum fiducia absque metu palam proferre omnia quæ noverat, vide supra cap. 4. 31. & IX. 27.

In Synagoga.] In conventu sacro Judæorum Ephesinorum.

Audientes autem eum.] Vel quum audissent, ita differentem.

Aquilas & Priscilla.] De quibus dictum supra vers. 2 & 3.

Assumserunt eum.] Nempe ad se in hospitium.

Et accuratius vel *penitius*, *ei exposuerunt illam Dei viam.*] Vir Mechanicus, & fœmina, ambo idiotæ, nullum in Ecclesia munus habentes, absque missione, virum hunc egregium docuerunt voluntatem Dei per Christum hominibus patefactam.

At nunc Ecclesiæ Pontificiæ antistites, & opifices mechanicos & fœminas, non solum à docendis rebus ad religionem spectantibus, sed etiam à legenda Scriptura Sacra arcent & severe abigunt, tanquam hoc ab eis fieri, nefas esset. Insigne etiam studii rerum sacrarum & modestiæ exemplum est Apollos, quod quum esset vir eloquens & eruditus, non puduerit eum à talibus de religione doceri.

Vers. 27. *Volente autem eo transire in Achaïam.*] Illam Græciæ regionem in qua urbs præcipua erat Corinthus. Forsitan eum animi zelo ferventem Spiritus Domini impellebat ad Judæos illic degentes quos pertinaces esse audiverat, ex Scriptura Sacra potenter redarguendos atque convincendos.

Adhortati [eum] fratres.] Id est Christiani qui Ephesi degebant, eum jam sponte ad id propensum, magis adhuc incitarunt. Verbum Græcum quod alias significat antevertere vel propellere, hic significat impulsionem per adhortationem.

Scripserunt discipulis.] Id est Christianis in Achaïa degentibus.

Ut reciperent eum.] Ignotum noti per epistolam commendaverunt, ut eum humaniter & hospitaliter imo fraterne exciperent.

Qui quum advenisset.] Nempe in Achaïam.

Contulit multum.] Æthiopicus Interpres hoc accepit de collatione cum iis per sermones, seu de colloquiis. At potius videtur accipiendum ita, quod multum commodi attulerit; propter sequentia.

Credentibus seu *iis qui crediderant.*] Nempe qui jam ex Achæis atque Corinthiis operâ S. Pauli erant ad fidem in Jesum Christum conversi; de quibus vide supra ℣. 4, 7, 8, 11. Hos à Paulo plantatos Apollos rigavit, ut scripsit ipse Paulus 1 Cor. 3. 6. id est, illos à Paulo edoctos atque institutos, magis in fide confirmavit atque promovit. Videtur & illud indicari quod quum isti Corinthii Christiani cum Judæis contumacibus magno cum labore conflictarentur, Apollos eos in istis redarguendis egregie adjuverit.

Per gratiam.] Voces istæ possunt connecti cum verbo remotiore, *contulit*, ut significetur Apollos per gratiæ Dei effecta seu dona eximia, supra ℣. 24 & 25 memorata, illos Christianos multum adjuvisse. Deumque ejus laboribus favore atque benedictione sua, successum dedisse, ut 1 Cor. 15. 10. Sed possunt etiam conjungi cum participio proximo, *credentibus*, ut sensus sit, quod illi Corinthii, per Dei in Christo eis exhibitam gratiam atque favorem, Euangelio Christi fidem adhibuerint.

Vers. 28. *Intense enim.*] Id est cum magna animi intentione, ac sermonis vehementia, valide atque potenter.

Judæos redarguebat.] Verbum Græcum decompositum, duabus præpositionibus additis, significat quod Apollos Judæos disputatione validâ adversus eos institutâ, convinceret.

Publice.] Non intra privatos parietes, occultè, sed in locis publicis, ut in Synagoga.

Ostendens per Scripturas.] Nempe Sacras Veteris Testamenti, quarum erat bene peritus ut supra ℣. 24. est indicatum: quæ apud Judæos multum valere debebant: non ex traditione aliqua incerta, quæ apud eos non valuisset.

Esse illum Christum, Jesum.] Quamvis vox *Christum* collocata est priore loco, & articulo præfixo insignita, tamen non subjectum sed prædicatum enunciationis hujus constituit. Sensus est quod Apollos id probaverit Jesum Nazarænum esse illum Messiam, olim à Deo promissum Regem populi divini. Vide supra cap. 17. 3. & XVIII. 5.

Ex talibus quæ de isto Apollone hic scribuntur, quod fuerit vir eloquens, & Spiritu fervens, & in Scripturis Sacris Veteris Fœderis potens, & quod Judæos valide redarguerit, conjectura capi posse videtur, quod is sit Author Epistolæ ad Hebræos, eloquenter, ac diserte præ cæteris Novi Testamenti scriptis, & cum fervore Spiritus, atque Sacrarum Veteris Testamenti Scripturarum crebra allegatione & accommodatione, conscriptæ, ut Hebræi seu Judæi illi in religione Christiana vacillantes valide corroborarentur.

CAPUT XIX.

Vers. 1. *Factum est autem interea dum Apollo esset Corinthi.*] Nempe quum in urbe illa in qua Paulus Christianismum plantavit, iste quod deerat implens, plantas illas irrigaret, & opus Domini illic gnaviter promoveret. Qui antea nominatus est Apollos, formâ Atticâ, hic nominatur *Apollo:* quod nomen ab Ethnicis datum fuit illi Deo vatum, qui alias Phœbus vocatur, per quem Sol intelligebatur.

Ut Paulus peragratis superioribus partibus.] Nempe Asiæ minoris regionibus, mediterraneis, & magis ad septentrionem sitis, quales erant Galatia & Phrygia, de quibus supra cap. 18. 23.

Veniret Ephesum.] Unde digressus erat, & reditum se illuc promiserat, supra cap. 18. vers. 19. & 21.

Et inveniens quosdam discipulos.] Nempe qui ex Judæis

Judæis erant initiati Christianismo, & ex aliis regionibus Ephesum commigraverant.

Vers. 2. *Ajit ad eos, si* vel *an, Spiritum Sanctum accepistis.*] Nempe illum singularem Dei afflatum, homines sanctificantem: per quem hic videntur intelligi illa ex isto sacro afflatu proficiscentia dona miraculosa, nempe linguarum variarum, atque prophetiæ, quod patet infra ℣. 6.

Quum credidistis.] Seu postquam Euangelio de Jesu Christo prædicato audito, fidem adhibuistis. Nam tunc fidem in Christum amplexis talia mirandi dona dabantur divinitus, per Spiritum Sanctum: accedente præsertim impositione manuum Apostolicarum. Vide supra cap. 2. 38. viij. 17. x. 44, 45, 46.

Illi autem dixerunt ad eum, sed id est *immo, neque si Spiritus Sanctus est*, vel *an sit, audivimus.*] Hoc non est simpliciter & absolute ita intelligendum, quasi isti discipuli ignorarent omnino Spiritum Sanctum, id est afflatum Dei quem hominibus consecrandis interdum adhibet; nam quum origine Judæi essent, quales solos Johannes baptizabat, non potuerunt ignorare, Prophetas de Spiritu Sancto loquutos esse, & ipsos illo præditos fuisse à Deo. Sed hoc indicatur, istos discipulos à Johanne in Judæa baptizatos, & postea inde digressos, nondum id auditione accepisse, quod tunc temporis iste afflatus Dei sanctus in homines passim, ubertim effunderetur. Similiter Joh. 7. 39 scriptum est: Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

Vers. 3. *Dixitque ad eos, in quid igitur baptizati estis?*] Baptizatos fuisse in aqua istos qui vocati sunt discipuli, non erat dubium: sed interrogavit Paulus, in quid fuerint baptizati: nempe in quam doctrinæ professionem: utrum in nomen Jesu Christi, an secus?

Ipsi autem dixerunt, in Johannis baptisma.] Id est in ejus doctrinæ quam Johannes Baptista annunciabat & baptismo obsignabat, professionem. Sicut etiam Apollos nonnisi baptisma Johannis scivisse dicitur, supra cap. 18. 25. Ita tantum rudimenta doctrinæ Euangelicæ acceperant.

Non agitur autem hic sicut nec in sequente versu, de ipsa formula baptismi, quæ inter baptizandum est super baptizatum recitata: sed summa doctrinæ religionisque synecdochice indicatur. Ut Flaccius Illyricus ad hunc locum annotavit.

Vers. 4. *Ajit autem Paulus: Johannes quidem baptizavit baptisma*, seu *baptismo resipiscentiæ.*] Vide Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.

Populo dicens.] Id est illis hominibus quos baptizaverat, in professionem resipiscentiæ, post baptismum absolutum dicebat id quod mox exprimitur.

In venientem vel *venturum post eum, ut crederent, hoc est in Christum Jesum.*] Cui viam ut prodromus Johannes parabat, & quem sibi insigniter præferebat, Matth. 3. 11. Marc. 1. 7, 8. Luc. 3. 16. Joh. 1. vers. 26, 27 & 29, 34, 36. vide & Act. 13. 24, 25.

Vers. 5. *Audientes autem.*] Seu quum audissent, nempe hoc quod à Paulo dicebatur illi discipuli Johannis, in Johannis baptisma baptizati, quos tunc Ephesi Paulus invenerat, & quos modo alloquebatur.

Istud *autem* non est necesse referri ad illud versu proxime præcedente positum *quidem.* Sicut & supra cap. 3. 22, 23. & xvij. 30, 32.

Neque necesse est ista hujus versiculi verba adhuc pro ipsius Pauli verbis haberi, ut aliqui volunt.

Baptizati sunt in nomen Domini Jesu.] Scilicet illi qui prius in Johannis baptisma tantum erant baptizati: hi nunc à Paulo baptizabantur in professionem nominis Domini Jesu Christi, ut in eum sicut Dominum cœlestem credentes, ejus discipuli censerentur. Quemadmodum & illi Judæi oratione Petri permoti, jussi sunt baptizari in nomine Jesu Christi, Act. 2. 38, quorum quum essent circiter tria millia, ibid. ℣. 41; credibile est non paucos ex iis fuisse jam antea in baptisma Johannis baptizatos.

Non est verisimile Johannem baptizasse populum ad se venientem in nomen Domini Jesu: quum Jesus tunc nondum esset exhibitus. Neque credibile est ipsum Jesum in Jesu nomen à Johanne fuisse baptizatum.

Inter alios Ecclesiæ Patres quos vocant, Augustinus ita sensit, istos à Johanne baptizatos, tunc esse à Paulo aquâ rebaptizatos: quod baptismus Johannis fuerit diversus à baptismo Christi.

Johan. Piscator quoque à Beza hic dissentiens, agnovit istos esse iterum baptizatos, quum non fuissent (inquit) recte baptizati. Et in Scholiis notavit, illa verba: *Audientes autem*, intelligenda esse de istis discipulis quos Paulus alloquebatur. Nam ut hoc referatur ad auditores Johannis, quasi hæc adhuc sint verba Pauli, ratio loquendi nequaquam admittit: quod ibi confirmat. Et ex eo quod dicantur isti baptizati in nomen Domini Jesu, dicit colligi antea baptizatos fuisse non in nomen Jesu, sed in nomen Johannis.

Vers. 6. *Et imponente eis Paulo manus.*] Vel quum imposuisset Paulus. Usitatum tunc fuit ut baptizatis per impositionem manuum Apostolicarum daretur miraculose à Deo vel Christo Spiritus Sanctus. Vide supra cap. 8. 17, 18. Ita & hic factum est, ut mox subjungitur.

Venit Spiritus Sanctus in eos vel *super eos.*] Nempe afflatus Dei, sanctificans. Qui quod venisse dicatur, non est hinc concludendum eum esse suppositum aliquod seu substantiam completam, vel etiam personam. Nam & res aliæ quas constat non esse personas neque suppositа, venire dicuntur. Ut regnum Dei, Matth. 6. 10. Luc. 17. 20. & fides Gal. 3. 23, 25. & dies, Luc. 23. 29. & hora, Joh. 4. 21, 23 & v. 25, 28. & ira Dei Eph. 5. 6. & 1 Thess. 1. 10.

Loquebanturque linguis.] Nempe peregrinis quas non didicerant. Is fuit Spiritus Sancti seu afflatus divini effectus miraculosus, sicut & in Apostolis Act. cap. 2. 4. & in Cornelio ejusque sociis cap. 10. 44, 46.

Et prophetabant.] Mysteria divina prædicantes, ac Dei & Christi laudes celebrantes, ut Act. 2. 11. & x. 46. & forsan simul, quæ maxime propria est prophetiæ significatio, futura prædicentes. Vide Luc. 2. 67.

Vers. 7. *Erant autem illi omnes viri quasi duodecim.*] Tanto numero fuerunt isti qui tunc ex discipulis Johannis facti sunt per Paulum discipuli Jesu Christi, seu Christiani.

Verſ. 8. *Ingreſſus autem in Synagogam.*] In locum conventus ſacri Judæorum, Epheſi habitantium. Id Paulus fecit more ſuo uſitato, ut Judæos Chriſto lucrifaceret.

Libere loquebatur.] Abſque metu dicens dicenda. Vide ſupra cap. 18. 26.

Super menſes tres.] Non ſemel uno die, aut iterum altero, ſed tempore juſto.

Diſſerens, & ſuadens ea [quæ ſunt] de regno Dei.] Nempe ſub Euangelio, per Jeſum, ut Meſſiam ſeu Chriſtum, Regem populi divini, per quem Deus homines regit, jam inchoato.

Verſ. 9. *Quum autem quidam indurarentur.*] Nempe ex Judæis nonnulli, qui erant duræ cervicis, ut eis Stephanus exprobrabat, Act. 7. 51, propriâ ſuâ culpâ, vocem Euangelii non admittentes, ſed cor ſuum obdurantes. Quum alias moneantur homines, ne dum vocem Dei audiunt, indurent corda ſua. Pſal. 95. 7. Hebr. 3. 8, 15. & iv. 7.

Et non aſſentirentur ſeu *non crederent.*] Sermonibus Pauli, neque obedire vellent. Id profectum eſt ex illa obduratione ſeu animi obſtinatione. Vel idem fere eſt, ut illud per hoc exponatur, atque declaretur.

Maledicentes illam viam.] Seu male loquentes de illa via, quædam exemplaria addunt, *Dei.*] Per iſtam viam, intelligitur illa quam Paulus annunciabat religio Chriſtiana. Vide ſupra cap. 18. 25 & 26. Ita etiam alibi Judæi pertinaces, dicta Pauli blaſphemabant. Supra cap. 13. 45.

Coram multitudine.] Ut populum in quo nonnulli ſinceri dictis Pauli aures præbebant, ab eo averterent.

Abſcedens ab eis.] Ut ingratis, & indignis quibus velut canibus malignis, oblatrantibus, ſanctum, nempe Euangelium Chriſti, contumeliis afficiendum, præberetur. Ideo illos reliquit & ab iis diſceſſit, nolens cum talibus diutius converſari. Non eſt pro Apoſtata habendus qui tales relinquit.

Separavit diſcipulos.] Nempe Chriſtianos, qui antea inter Judæos permiſti, in eandem cum ipſis Synagogam conveniebant: Nunc eos Paulus ab illis obſtinatis & blaſphemis ſegregavit: ne tum ipſe ab iis in docendo impediretur, tum reliqui auditores eorum blaſphemiis turbarentur ac ſeducerentur.

Hinc videmus non eſſe nefas, ab iis qui alioqui pro populo Dei cenſentur, ſi veritati divinæ pertinaciter adverſentur, eamque blaſphement, facere ſeceſſionem & ſegreges à talibus cœtus congregare.

Quotidie.] Non tantum Sabbatis, ſeptima quaque die ſacra, ſed ſingulis diebus. Ita Paulus fuit diligens in officio ſuo, docendæ veritatis ac pietatis.

Diſſerens.] Nempe de rebus ad fidem in Jeſum Chriſtum & religionem veram ſpectantibus.

In ſchola Tyranni cujuſdam.] Videtur fuiſſe Epheſi quidam Sophiſta ſcholam habens, nomine Tyrannus ſeu Turannus, nomen in Magiſtrorum Hebræorum monumentis obvium: poſito y pro u, ſicut infra cap. 24. 1, 2. Tertyllus pro Tertullo. Ut & Syrus Interpres exiſtimavit, & Suidas memorat quendam hujus nominis qui etiam libros quoſdam ediderit. Nec obſtat nomini proprio ut Eraſmus exiſtimavit vox addita *cujuſdam.* Vide Marc. 15. 21. Luc. 23. 26. & Act. 21. 16. & xxij. 12. & xxiv. 1. Apud hunc Sophiſtam Paulus porticum aliquam vel conclave aliquod vel conduxerat vel alio modo obtinuerat, in quo doceret. Quædam exemplaria addunt, *ab hora quinta uſque ad decimam*, vel forſan poſt illius Tyranni deceſſum, in illo in quo is antea profana docuerat loco, Paulus doceebat ſacra & religioſa.

Verſ. 10. *Hoc autem factum eſt per annos duos*, vel *ſuper biennium.*] Satis longo tempore Paulus eſt commoratus Epheſi, docens, in illa urbe celebri: quæ ex Græcia in Aſiam minorem, & contra navigantibus in via erat. Ubi multam meſſem ſpiritualem habebat ad metuendum, non abſque effectu, ut mox indicatur.

Ita ut omnes habitantes Aſiam.] Nempe minorem, præſertim adjacentem & vicinam Epheſo.

Omnes.] Id eſt plerique, non ut nemo prorſus exciperetur. Eſt hic hyperbole.

Audirent ſermonem Domini Jeſu.] Vel Euangelium cujus author & promulgator primus in terris fuit Dominus Jeſus, tunc à Paulo ejus ſervo enarratum; vel doctrinam de Domino Jeſu, quod eodem redit.

Judæique & Græci.] Id eſt tum illi qui orti erant ex illis Hebræorum Patriarchis, & in populo Dei cenſebantur, tum gentes profanæ, à populo Dei antea alienæ. Hæ omnes quamvis non in Græcia proprie dicta natæ, nomine Græcorum in his libris notantur; quia Græca lingua, per Macedonum qui ex Græcis erant, imperium, fuit longe lateque inter gentes diverſas propagata. Vide ſupra cap. 14. 1.

Verſ. 11. *Potentiaſque non vulgares.*] Id eſt miracula magna, inſignia, ad doctrinæ veræ Chriſtianæ, tunc novæ, apud populum confirmationem, adhibita. Vide Marc. 16. 20.

Faciebat Deus per manus Pauli.] Quamvis hæc miranda opera à Paulo fieri viderentur, tamen non Paulus fuit iſtorum cauſa primaria, ſed Deus, qui iſtam vim mirificam, quando & quomodo volebat, exſerebat per Paulum, ut per cauſam mediam ſeu inſtrumentalem. Vide Act. 14. 3. Per manum alicujus id eſt per aliquem aliquid fieri dicitur, uſitato Hebraiſmo. Vide Act. 7. 35.

Verſ. 12. *Ita ut &* ſeu *etiam*, præter alia miranda, *ad infirmos*, ſeu ægrotos, *adferrentur*, *à corpore*, ſeu cute aut ſuperficie corporis, *ejus*, nempe Pauli.

Sudaria, aut, quædam exemplaria habent, *& ſemicinctia.*] Illa ſudori & aliis corporis humoribus extergendis deſtinata ſtrophiola, iſta autem mediocorpori præcincta, quibus venter & inferiora velantur. Qualibus opifices mechanici, è quorum numero etiam Paulus fuit, vide ſupra cap. 18. 3, præcingi ſolent.

In textu Græco ambæ iſtæ dictiones ſunt ex lingua Latina ſeu Romana, ut & aliæ in iſtis libris nonnullæ: quia tunc Romani, etiam per Græciam & Aſiam imperium ſuum extenderant.

Et abſcederent ab eis morbi.] Per res ejuſmodi viles, vim iſtam alioqui in ſe non habentes, Deus quando volebat tam mira opera efficiebat. Ut & ſupra cap. 5. 15, per umbram Petri. Ita credentes in

Jeſum

Jesum Christum; etiam majora aliquatenus quam ipse Jesus quum in terris versaretur, opera mirabilia, post Christi ad Deum Patrem in cœlos abitum atque exaltationem, faciebant, ut ipse Christus prædixerat, Joh. 14. 12.

Hinc autem non sequitur reliquias Sanctorum, quas vocant, vim mirificam sibi inclusam vel alligatam atque affixam perpetuo habere, ideoque eas esse cum devotione vel potius superstitione adorandas.

Atque spiritus maligni exirent ab eis.] Id est cacodæmones impuri, qui homines miseros Deo permittente occupabant, procul excedebant. Quia Dominus Jesus servis suis, præsertim in illo Ecclesiæ primævæ statu, dedit potestatem, in nomine ipsius dæmonia ejiciendi. Vide Marc. 16. 17. Luc. x. 19.

Vers. 13. *Aggressi sunt autem.*] Seu conati, simile verbum Græcum habetur Luc. 1. 1. sed non est necesse hoc ibi sumi in eadem in qua hic ponitur significatione. Et non est incredibile istos antea cum successu, Deo & Domino Jesu permittente, id fecisse.

Quidam à vel *ex circumeuntibus Judæis.*] Qui huc illuc per loca publica circumibant populo aliquid insigne exhibituri, ut circumforanei vel circulatores seu agyrtæ solent.

Exorcistis.] Græcè, seu adjuratoribus, qui per adjurationes quasdam seu exsecrationes adhibitas, cacodæmones expellebant. Narrat Josephus Flavius, Antiquit. lib. viij. tales adjurationes, à Salomone compositas, quarum usurpatarum suo tempore, præsente Vespasiano, exemplum refert. Respice annot. ad Matth. 12. 27.

Nominare super habentes spiritus malignos nomen Domini Jesu.] Ut S. Paulum similia miracula facientem videntes, per æmulationem imitarentur.

Dicentes: Adjuramus vos per Jesum quem Paulus prædicat.] Scilicet ut nomen hoc sacrum seu potius personam sanctam ac divinam reveriti, procul excedatis.

Vers. 14. *Erant autem quidam filii Sceva Judæi, primarii Sacerdotis.*] Non Pontificis summi, nam hoc nomine nullus in Catalogo Pontificum memoratur, neque talis Pontificis filii tam multi, procul à Jerosolymis vixissent: sed unius ex illis qui ab Aharone orti, in 24. familias fuerunt distributi, videatur annotatio in Matth. 2. 4.

Septem.] Satis magno numero.

Qui hoc faciebant.] Illos exorcismos in dæmones aggrediebantur.

Vers. 15. *Respondens autem spiritus malignus, ajit.*] Id est ille Cacodæmon, ab istis illo modo adjuratus, responsum tale eis reddidit, per os hominis illius quem occupabat.

Jesum novi.] Ut filium Dei à Deo potestate excellenti cœlesti ornatum: quem adhuc in terra versantem dæmones se nosse profitebantur. Ut Marc. 1. vs. 24, & ejus potentiam in expellendis ipsis experiebantur.

Et Paulum scio.] Non me latet Paulum istum quem vos memoratis, esse virum sanctum Jesu Christi servum eximium, cui ab eo potentia mirifica est tributa. Non enim simpliciter hoc indicare voluit, se scire quod Paulus esset, sed quis & qualis esset.

Vos autem qui estis?] Non quod nesciret quinam isti essent, sed voluit significare illos apud ipsum nullius esse æstimationis, & eos nihili pendere, nec agnoscere eos ullam ad se expellendum potestatem habere.

Vers. 16. *Et insiliens in eos ille homo in quo erat spiritus malignus.*] Qui cacodæmon illius hominis corpore velut instrumento usus est ad actiones externas efficiendas.

Et prædominatus eis.] Aliqui codices pro *eis* habent *ambobus.* Verisimile est non omnes illos septem fratres ibidem simul convenisse, & circa unum dæmoniacum occupatos fuisse. Quum autem aliqui ex eis vellent illi cacodæmoni dominari, ita ut eorum adjurationibus adactus ab illo homine exiret, ipse cacodæmon ut dominus eorum ostendit se iis ut servis suis esse superiorem.

Invaluit contra eos.] Vim suam potenter exseruit, eos invadens violenter, lacerans, plagis obtundens.

Ita ut nudi & vulnerati effugerent ex domo illa.] Et vestibus spoliati, & corpore sauciati; non dæmonem fugarunt ac expulerunt, sed ipsi à dæmone sunt fugati & expulsi. Alias Dominus Jesus nolebat prohiberi eum qui ipsius nomine dæmonia ejiciebat, Marc. 9. 38, 39. quia id non malo animo faciebat: sed istos ita graviter & probrose per ipsum dæmonem punivit, quia credibile est, eos gloriæ captandæ, vel lucri aucupandi causâ, hoc aggressos fuisse.

Vers. 17. *Hoc autem factum est notum omnibus, Judæisque & Græcis.*] Seu Gentilibus, vide supra vers. 10.

Inhabitantibus Ephesum.] Non latuit hoc factum; sed palam innotuit plerisque & fere omnibus in illa urbe celebri viventibus.

Et incidit timor in omnes eos.] Quum agnoscerent, & quanta sit cacodæmonis potentia atque malitia, qui ita in homines desævire possit, & quanta Jesu Christi potestas, qui talem Tyrannum coerceat, quando ei libet, per servos suos sinceros, ut per Paulum, eos autem qui ejus nomine non sincere usurpato abutuntur, per ipsum cacodæmonem puniat: inde oriebatur in illis hominibus reverentia erga Dominum Jesum.

Et magnificabatur nomen Domini Jesu.] Id est glorificabatur & celebrabatur ab hominibus ipse Dominus Jesus. Magnificare significat magnas & præclaras alicujus qualitates, & facta insignia, laudibus magnopere extollere. Vide Luc. 1. 46. Nomen alicujus personæ pro ipsa persona poni solet, vide Act. cap. 4. 12.

Vers. 18. *Multique eorum qui crediderant.*] Id est qui per Pauli de Jesu Christo prædicationem in ipsum Jesum fidem susceperant.

Veniebant.] Nempe ad S. Paulum, & ejus socios.

Confitentes & annunciantes actus suos.] Id est male acta ac peccata sua quæ commiserant, cum doctrina ista salutari quam ex prædicatione Pauli hauserunt, pugnantia, pœnitentiam eorum agentes, fatebantur. Ut illi de quibus Matth. 3. 6. Non opus est hoc de clancularia auriculari confessione singulorum actuum cum omnibus circumstantiis, exponere; nam præter alia & ipsa vox *annunciandi* quæ hic ponitur, non clandestinum susurrum significare solet,

sed claram ac sonoram enarrationem: & in illis Ecclesiæ initiis, erat usitata aperta publica peccatorum confessio. Videatur historia Ecclesiastica Socratis lib. 6. cap. 19.

Vers. 19. *Sufficientes autem*, seu non pauci, *eorum qui curiosa agebant.*] Id est qui Magiæ impiæ artes exercebant: quo spectant & incantationes hariolationes, sortilegia, & similes vanitates, miranda quædam supernaturali modo cacodæmonum ope cognoscenda vel efficienda promittentes. Talia vigebant valde apud Ephesios. Unde Ephesias literas seu notas & signa ac nomina obscura quæ talibus rebus adhibebantur, memorant Authores. Ut Plutarchus Symposiac. lib. 7. q. 5. & Hesychius, & Suidas, & Clemens Alexandrinus. Et circa initia imperii Neronis, Appollonius Tyanæus Magus celebris, Ephesi publicum Magicæ artis ludum aperuit: ut testatur Philostratus, in ejus vita.

Comportantes libros.] Nempe tales curiosos, Magicos.

Combusserunt coram omnibus.] Utpote non solum vanos, sed valde impios noxios ac perniciosos, luce & lectione indignos à se agnitos ac pro talibus sententiâ suâ damnatos, igni corruperunt. Non vendiderunt extraneis, ne eis impiarum artium instrumenta suppeditarent: nec pretium pro rebus impiis vel in sacrum vel in suum privatum usum convertere voluerunt.

Hinc autem non sequitur, quod quidam statuunt, oportere etiam libros eorum qui pro hæreticis censentur, invitis possessoribus ereptos cremari. Nam primum difficilius est judicium de hæresi & de erroribus ad religionis capita spectantibus, quam de Magia plane diabolica, & multæ sententiæ pro erroneis ac falsis propter diversas præconceptas opiniones damnantur, quæ erroris ac falsitatis evidenter non redarguuntur. Deinde multum ista differunt, quod illi Ephesii ipsi agnoscentes libros illos esse impios ac perniciosos, sponte, propriis manibus eos exusserunt, & quod possessoribus invitis, nec de impietate librorum convictis, libri erepti, ignibus tradantur. Isti hoc facere solent, qui ea quæ in talibus libris continentur, solide refutare non possunt.

Et computaverunt pretia eorum, & invenerunt argenti myriades quinque, seu *millia decies quinque*, vel *quinquaginta.*] Per argentum intelliguntur argentei nummi: qui hoc loco non videntur habendi pro Siclis Judaicis, quia id non apud Judæos agebatur: sed potius pro drachmis Græcis Atticis. Drachma autem æqualis fere denario Romano erat, & in Siclo vulgari duæ drachmæ continebantur. Quia autem 8 drachmæ æquivalent valori nummi argentei qui vulgo talerus imperialis vocatur; summa ista facit 6250 talerorum. [Quanquam aliqui per supputationem colligunt tantum quinque millia coronatorum]. Hinc apparet & quam multum Ephesii dediti fuerint talibus artibus magicis, & quod multi ex eis tunc per Paulum conversi fuerint ad Christianismum, & quod sincere sese converterint, quum tantum pretium contemserint.

Vers. 20. *Ita secundùm potentiam* seu potenter, *sermo Domini.*] Id est Euangelium Jesu Christi.

Crescebat & invalescebat.] Id est promovebatur, & viribus acquisitis, obtinebat, atque effectus eximios producebat in hominibus. Vide Act. 6. 7. & xij. 24.

Vers. 21. *Quum autem impleta essent ista* seu *his peractis.*] Postquam S. Paulus longo tempore Ephesi commoratus esset, & docendo non parum ibi effecisset.

Posuit Paulus in spiritu.] Seu proposuit ac constituit in animo suo. Spiritus ponitur pro animo, sicut Joh. 13. 21. Rom. 1. 9. 1 Cor. 2. 11. v. 5. vj. 20. vij. 34. Eph. 4. 23. Phil. 3. 3. Col. 2. 5.

Transitâ Macedoniâ.] In qua, Philippis, & Thessalonicæ, & Beroeæ Christianismum plantaverat, vide supra cap. 16. & xvij. Volebat igitur ibi habitantes Christianos revisere.

Et Achaïa.] Est regio Peloponnesi, in qua urbs insignis Corinthus; quanquam à quibusdam Achaïa pro Græcia tota accipitur. Vide supra cap. 18. 12. In Achaïa quoque, Corinthi, Paulus tempore non parvo Euangelium docuerat.

Vadere in Jerusalem.] Seu proficisci Jerosolymam, ut illam Ecclesiam primariam, visitaret: & ut eleemosynam ex Ecclesiis Græcis Macedoniæ & Achaïæ collectas, in usum fratrum Jerosolymitanorum deferret. Vide Rom. 15. 25, 26.

Dicens: quod.] Ista vocula redundat hoc loco, ut & alibi sæpe in mimesi sermonis alieni.

Postquam fuero illic.] Nempe Jerosolymæ.

Oportet me & Romam videre.] Illam urbem celeberrimam, quæ orbis terrarum caput & domina fuit: quam Paulus non ob carnalem causam aliquam visere voluit, sed ob spiritualem; ut & in loco tam celebri negotium Domini sui Jesu Christi ageret, & Euangelium ejus prædicaret, vide Rom. 1. 10, 11, 13, 15. & xv. 23. Videtur autem hoc etiam per Spiritum Dei fuisse Paulo revelatum, ei prius Jerosolymam & inde Romam esse proficiscendum.

Vers. 22. *Missis autem in Macedoniam duobus ministrantibus ipsi.*] Qui non tam in rebus ad corporales usus quam potius ad spirituales, in prædicando Euangelio erant ipsi adjutores, eos velut præcursores præmisit eò quo ipse erat iturus.

Timotheum.] De quo supra cap. 16. 1. & xvij. 14, 15. & xviij. 5.

Et Erastum.] Videtur esse ille qui nominatur etiam Rom. 16. 23. & 2 Tim. 4. 20.

Ipse, nempe Paulus, *substitit.*] Græcum verbum proprie significat, *inhibuit* scilicet profectionem suam.

Tempus.] Id est ad aliquod tempus.

In Asiam.] Hoc est *in Asia*, εἰς posito pro ἐν. Ut & alibi, & supra cap. 18. 21, significatur autem remansisse in illa Asiæ minoris urbe celebri, Epheso, ut patet ex sequentibus.

Vers. 23. *Factus est autem secundùm* vel *per tempus illud*, *tumultus non parvus*, id est valde magnus, *circa* vel *ob illam viam.*] Id est propter illam doctrinam de religione Christiana. Vide supra ℣. 9. Ita ex occasione doctrinæ bonæ solent fieri tumultus mali, ab hominibus malis, quibus ista doctrina adversatur.

Vers. 24. *Demetrius enim quidam nomine.*] Cujus nomen à nomine Cereris Græco derivatur, quasi dicatur Cerealis.

Argenti

Argenti calator.] Qui argentum cudebat atque sculpebat: quales fabri solent vocari aurifabri à præstantiore materia, sed qui circa aurum iidem quoque circa argentum laborare consueverunt.

Faciens templa argentea.] Id est delubra seu ædiculas templi illius Ephesini speciem effigie, repræsentantes easque ut videtur non in lamina plana insculptas, sed solidas elato opere fabricatas. In quibus forsan & imagines Deæ cui templum hoc erat dicatum, reponebantur. Hæc autem fiebant ab isto fabro ex argento: materia pretiosa; quanquam alias etiam ex lignis fieri solerent.

Dianæ.] Quæ Jovis & Latonæ filia, soror Apollinis seu Phœbi, Lucina seu Luna, Dea venatrix habebatur.

Præbebat artificibus quæstum non parvum.] Id est ejusdem opificii sociis qui huic architecto præcipuo Demetrio in talibus templi iconibus elaborandis erant adjumento, occasionem dabat magni quæstûs, ex tali opere, ut supra cap. 16. 16. Apparet Dianæ cultores idololatras, ex variis regionibus, templum ejus celeberrimum religionis causâ visitantes, solitos esse tales templi illius effigies emere.

Vers. 25. *Quos*, scilicet artifices, collegas suos, *congregans*, vel *quibus congregatis.*] Ut caterva eorum conveniente majorem tumultum excitaret.

Et eos qui circa talia [operabantur] operarios.] Nempe præter artificii illius magistros, superius designatos, etiam eos qui eis in operando ut discipuli & socii ministrabant.

Ajit: Viri, scitis quod ex hoc opificio.] Nempe faciendorum argenteorum Dianæ templorum, & iconum, vel potius ex hoc opificii quæstu, qua significatione & antea, vox Græca hîc posita accipiebatur, cap. 16. 16. & hic versu proxime præcedente.

Copia nostra est.] Ut non tantum utcunque victum habeamus ad necessitatem, sed ut nobis abunde suppetant commoditates. Ita lucrum suum inprimis curæ habent isti, qui deinde religionis curam prætexunt.

Vers. 26. *Et.*] Id est *sed*, particula copulativa posita pro adversativa, ut & alibi. Matth. 5. 43. xij. 39. loco posteriore, xxiij. 37. loco post. Marc. 7. ℣. 24. loco ultimo, viij. 36. ix. 18. loco ult. xij. 12. loco secundo, Act. 9. 26. x. 28.

Spectatis.] Quæ hic fiunt in præsentia, ante oculos vestros.

Et auditis.] Quæ fiunt alibi.

Quod non solum Ephesi.] Nostræ istius urbis.

Sed prope omnis Asiæ.] Nempe minoris, per vicinas nobis regiones, longe lateque.

Paulus iste.] Advena vagus, huc illuc oberrans.

Suadens, avertit.] Id est persuasionibus suis à colendis diis nostris abduxit.

Sufficientem.] Id est satis multam.

Turbam.] Id est hominum multitudinem.

Dicens: Quod non sint dii qui manibus fiunt.] Certe si quis cogitet, quid dicatur Deus, ens quoddam supernaturale, homini multum præcellens, non solum vivum sed & intelligens, sapientissimum, potentissimum, optimum, hominibus & aliis rebus eximie benefaciens, is ratione ipsa naturali duce agnoscet, non posse Deum esse id quod ab homine efficitur, & manibus fabricatur, quod vitâ, sensu, motu, sapientiâ & potentiâ omnino caret: quod ab hominis opera est & dependet, tantum abest ut homini benefaciat, atque ab eo honorifice coli debeat. Qui hoc non vident cœci animo sunt, ratione destituti, & non digni qui pro hominibus habeantur.

Vers. 27. *Non solum autem hoc periculum est nobis, ne ista pars.*] Id est hæc res, vel hoc negotium. Ita nomen partis usurpatur alibi, ut 2 Cor. 9. 3. Col. 2. 16. 1 Petr. 4. 16. id est nostrum istud artificium ex quo lucrum habemus.

In redargutionem veniat.] Id est contemtui fiat ac reprobetur, & probro evadat, ut opus nefarium ac detestandum, ideoque negligendum.

Sed & magnæ Deæ Dianæ] Metui de lucro, & ventre suo qui ipsi pro Deo erat, addit velut aliquid majus, prætextum religionis violatæ. Ita solent facere idololatræ.

Magna Dea vocatur Diana, quod inter numerum magnum ac indefinitum Deorum, quos gentiles religiose colebant, esset inter Deos majores duodecim, quos Ennius isto disticho comprehendit,

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dicebatur autem Diana esse virgo integra. Jesuita Tirinus in hunc locum, de Diana loquutus, addit; Quæ sane in Christianorum Dianam, Virginem Deiparam, viventium omnium matrem, aptissime quadrant.

Templum.] Hoc opus magnificum, inter septem mundi miracula numeratum, quum esset ab Herostrato gloriæ & nominis memoriæ ex hoc facinore quærendæ causâ incensum, ea nocte qua natus est Alexander Magnus, instauratum fuit à tota Asia, ducentis viginti annis, ut scripsit Plin. lib. 36. cap. 14. quamvis idem lib. 16. c. 40 scripserit quadringentis annis esse peractum. Longitudo ejus eodem teste, fuit quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo, ducentorum viginti; columnæ centum viginti septem, à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine.

In nihilum, seu *pro nihilo*, *reputetur.*] Loci illius magnifici, sacri, contemtum ac neglectum, consequuturum memorat, nisi obsistatur.

Futurumque sit ut & destruatur majestas ejus.] Id est ipsius Deæ Magnæ Dianæ, magnus honor, prorsus tollatur atque aboleatur. Ita & his temporibus, divorum ac divarum cultus religiosi imminutio, per eos qui superstitiones & idololatrias redarguunt, ab idololatris cum querelis exaggeratur.

Quam tota Asia.] Id est Asiæ regionum incolæ.

Et habitata.] Id est totus orbis terrarum, qua ab hominibus inhabitatur. Vide Luc. 2. 1.

Colit.] Id est veneratur & adorat, religiose.

Ita erronea religio, idololatrica, late regnabat, & Catholicæ seu Universalis religionis commendatione exornabatur. Similiter & hodie fieri solet.

Vers. 28. *Audientes autem.*] Nempe ista à Demetrio dicta, seu auditis istis, illi scilicet Ephesii opifices.

Et facti pleni iracundiâ.] Magna ac vehemente,

quæ vocatur excandescentia, ad quam illis dictis fuerunt commoti.

Clamaverunt, dicentes: Magna [est] Diana Ephesiorum.] Vociferati sunt ut insani, absque ratione justa, tantum magnitudinem divæ suæ, incertæ, cui divinitas falso fuit ab hominibus afficta, clamore profitentes. Ita falsorum divorum cultores clamore non rationibus idololatriam suam vanam tueri solent.

Vers. 29. *Et impleta est civitas tota confusione.*] Ad talem clamorem concurrente turbâ, & multitudine populi. Ut Act. 2. 6.

Irrueruntque unanimiter in theatrum.] In locum publicum, in quo spectacula, comœdiæ & tragœdiæ peragebantur, cum impetu concurrerunt.

Corripientes Gajum.] Is cap. 20. 4, dicitur Derbæus, hic autem pro Macedone computatur, quia videtur fuisse oriundus ex Derbe oppido Lycaoniæ sed habitasse in Macedonia.

Et Aristarchum.] Thessalonicensem, de quo cap. 20. 4. & xxvij. 2. Col. 4. 10. Philem. 24.

Macedones.] Ex Macedonia regione Græciæ.

Socios peregrinationis Pauli.] Qui Paulum Apostolum, peregrinantem & varias oras Euangelii annunciandi causâ peragrantem, sunt comitati. Ut 2 Cor. 8. 19. Ideo eos populus ille conspicatus, corripuit, ut familiares illius quem magnas turbas circa religionem excitare, ægreferebat.

Vers. 30. *At Paulo volente intrare in populum.*] Id est ad populum, ut accusantibus, apologiam ac defensionem sui sermone proferret.

Non siverunt eum.] Scilicet hoc facere, id est prodire in publicum, ad tantum populi concitati ac furentis tumultum, in quo de vita absque fructu periclitaretur, non permiserunt.

Discipuli.] Id est Christiani, quos Ephesi per doctrinam à se prædicatam Paulus converterat ad Jesum Christum. Prudenter & utiliter monitis suis consilium dederunt Paulo, isti quamvis eo quod attinet ad dona spiritualia minores.

Vers. 31. *Quidam autem & Asiarchorum.*] Ex Asiæ Primoribus ac Magistratibus, qui præcipue ideo creati narrantur, ut munera ac ludos in honorem Deorum curarent atque ederent.

Existentes seu *quum essent, ei* id est Paulo, *amici.*] Quod eruditione & virtutibus Pauli, permoti, faverent ipsi: quamvis doctrinæ ejus non plane fuissent assensi: quia distinguuntur à discipulis.

Mittentes ad eum.] Scilicet aliquos ex famulis vel apparitoribus.

Rogarunt ne daret seipsum in theatrum.] Id est ne prodiret in locum illum publicum in quem populus tumultuans concurrebat: ne se periculo non necessario frustra objiceret.

Vers. 32. *Alii quidem igitur aliud quid clamabant.*] Diversi diversa vociferantes, ut in tumultibus fieri solet.

Erat enim illa Ecclesia confusa.] Græcè Ecclesia, Latinè concio, à conciendo seu convocando, vocari solet populi conventus, legitime advocatus. At hic per Catachresin seu abusionem nominis significatur illa populi Ethnici congregatio tumultuaria.

Et plures, nesciebant, cujus [rei] causâ, convenissent.] Tantum clamore audito, vel etiam concursu aliorum conspecto, sed ignorantes quid his clamoribus & huic concursui occasionem vel causam dedisset, & quo fine conventus iste fieret.

Vers. 33. *Ex turba autem.*] Id est ex media populi multitudine.

Produxerunt, scilicet aliqui homines ex turba, *Alexandrum.*] Dubium est an is sit ille de quo Paulus scripsit, 1 Tim. 1. 20. & 2 Tim. 4. 14, 15, ubi dicitur faber ærarius. Potest fieri ut tunc fuerit Pauli familiaris, & propterea à quibusdam è populo ut pro tali habitus, in medium productus, postea autem Paulo adversatus.

Protrudentibus eum Judæis.] Aliqui putant illum quum esset Judæus, ut ℣. seq. dicitur, ideo à Judæis in medium populi protrusum esse, ut pro communi causa, ad sedandum populum peroraret. Alii autem, ideo quod quum è Judæo Christianus factus esset, & Pauli tunc socius, Judæi Paulo & Christianis insensi, vellent eum populo furenti male tractandum objicere: & se quamvis alias idolis gentium essent inimici, tunc à Paulo & ejus sociis aversos, atque eorum quæ his objiciebantur immunes esse ostendere. Alii denique, quod vellent, ut is, Judæos, quanquam in communi cum Christianis causa, circa hoc negotium excusans, totam accusationem in Paulum & ejus socios Christianos derivaret. Media sententia videtur cæteris probabilior.

At Alexander concutiens manum.] Vel innuens manu, gestu isto ac signo silentium postulans, ut Act. 12. 17. & xiij. 16.

Voluit apologiam facere populo.] Id est defensione per sermonem uti ad populum, circa hoc factum.

Vers. 34. *Agnoscentibus autem quod Judæus esset.*] Sive tantum origine, sive etiam religione. Prius est verisimilius.

Vox facta est una ex omnibus seu *ab omnibus.*] Nempe illis Ephesiis, Ethnicis, idololatris.

Quasi super horas duas.] Satis longo tempore, ut adversantes obtunderent.

Clamantibus: Magna Diana Ephesiorum.] Respice supra ad ℣. 28, quia putarunt istum Judæum ut à religione ipsorum dissidentem, aliquid contra eam dicturum, ideo ex zelo vesano pertinaci, recusant eum audire, & tantum suam de idoli sui celebratione cantilenam ratione carentem vociferantur.

Vers. 35. *Reprimens autem.*] Seu sedans, tumultuantem.

Scriba.] Notarius civitatis publicus, vel Legum peritus, quasi Syndicus, vir non exiguæ apud cives authoritatis, & ut ex oratione ejus apparet, tum prudens, tum Paulo & ejus sociis amicus, ut illi Asiarchæ supra ℣. 31.

Turbam.] Id est populi multitudinem.

Fatur seu *dixit: Viri Ephesii.*] Vide supra cap. 17. vers. 22.

Quis enim seu *Quisnam.*] Alioqui istud *enim* redundaret, vel esset subintelligendum ante hæc verba, tale quid; Non est cur tumultuemini.

Est homo qui non cognoscat vel *nesciat.*] Indicat hoc esse omnibus passim notum, ut in controversiam non veniat.

Ephesiorum civitatem ædituam existentem.] Vel existere seu esse: Neocoron voce Attica compositâ id est

id est templi purgatricem seu ædituam vocat, quod ædem illam sacram, seu templum, curaret, atque ornaret hæc civitas, id est cives ejus.

Magnæ Deæ Dianæ.] Respice annot. ad ℣. 27.

Et à Jove delapsi.] Subintelligitur simulacri. Ita fingebant illi idololatriæ promotores Sacerdotes, idolum Dianæ quod Ephesi habebatur & colebatur, non humanis manibus fabricatum, sed mirabiliter è cœlo esse delapsum. Sicut & de Trojano Palladio, id est Palladis simulacro ferebatur. Illud Dianæ Ephesiæ simulacrum, aliqui ligneum fuisse narrant, quanquam de ligni specie diversi diversa tradunt: sed Xenophon scripsit fuisse aureum.

Vers. 36. *Quum absque contradictione igitur sint ista.*] Vel, quum istis non contradicatur: ita forsan iste Scriba qui etiam communes errores adhuc sequebatur, existimavit, quanquam intelligebat à Paulo ejusque sociis contradici istis, tamen vel id immerito fieri censuit, vel saltem simulavit.

Oportet vos sedatos existere seu *esse.*] Ut reprimatis vestrum hunc tumultum.

Et nihil præceps agere.] Non temerè absque causa justa turbas dare. Quod non est hominum prudentum.

Vers. 37. *Adduxistis enim viros istos.*] Nempe de quibus dictum supra ℣. 29. Gajum & Aristarchum.

Neque sacrilegos.] Nam non poterant affirmare & probare, istos templum Dianæ violasse, quum id nec ingredi fas esse putarent.

Neque blasphemantes Deam vestram.] Non profertis ulla testimonia, quod isti contra Dianam aliquid contumeliosum dixerint. Etiamsi docerent non esse Deos qui manibus fiunt, ut dictum supra vers. 26, tamen excipi poterat Dianæ illud simulacrum non manibus factum fuisse, sed è cœlo delapsum, ut dixit supra ℣. 35.

Vers. 38. *Si quidem igitur Demetrius, & qui cum eo [sunt] artifices, ad aliquem.*] Id est adversus aliquem, *sermonem habent*, hoc est negotium, ut supra cap. 8. 21. seu causam contra aliquem.

Forenses, scilicet conventus, vel dies, *aguntur.*] Id est sunt & loca & tempora certa designata quibus jus dicitur, & lites dijudicantur.

Et proconsules sunt.] Solebat unus esse proconsul in una provincia, vide supra cap. 13. 7. At hic plures memorat, vel quod diversis temporibus alii aliis succederent, vel quod cum proconsule simul ejus vicarium seu legatum indicet, qui jus etiam dicat.

In jus vocent seu *accusent*, *alii alios.*] Vel Demetrius istos viros quos huc produxistis, vel isti illum.

Vers. 39. *Si autem quid de cæteris.*] Seu de aliis rebus, ut præter privatam litem de alia aliqua controversia, ut de cultu Deorum &c. *requiritis.*

In legitima Ecclesia.] Id est non in tali concursu tumultuario, qualem nunc fecistis sed in legibus constituto solito conventu, seu concione, vide supra vers. 32. ut in comitiis.

Explicabitur.] Seu expedietur.

Vers. 40. *Et enim periclitamur postulari.*] Id est periculum est, seu metuendum est, ne postulemur, id est accusemur, seu rei fiamus.

Seditionis.] Quales seditiones & concursus tumultuantium ac pacem & tranquillitatem publicam turbantium, legibus prohibebantur, sub pœna capitis.

Ob hodiernam.] Subintelligitur *diem.*

Nulla causâ.] Scilicet publicâ, & justa.

Existente, ob quam possimus reddere rationem, concursûs seu *coitionis istius.*] Præter cæteras rationes hanc addit gravissimam, nempe comminationem pœnæ pro ista tumultuosa & turbulenta concursatione ipsorum. Loquitur autem per communicationem se quoque cum eis conjungens.

Et ista ajens: Dimisit Ecclesiam.] Id est conventum illum, ut dissolveretur, populo discedente. Ita Deo ordinante factum est ut iste in Paulum concitatus à Demetrio tumultus, absque effectu evanuerit.

CAPUT XX.

Vers. 1. *Postquam autem cessavit [ille] tumultus.*] Qui in Paulum, Ephesi, commotus erat: quo evitato diutius illic manere noluit.

Quum advocasset Paulus discipulos.] Nempe Christi, id est Christianos qui erant ex Ephesiis.

Et amplexus esset.] Cum isto fraternæ dilectionis signo, eis salutem precatus, atque valedicens; & quidem ut probabile est, ex more illius gentis ac temporis, cum osculo. Quædam exemplaria, præmittunt: *adhortatus:* Credibile est eum abitum ab eis parantem cum salutis comprecatione eos etiam ad officia, ad constantiam in fide suscepta atque in vitæ pietate, esse exhortatum.

Exivit ut vaderet in Macedoniam.] In qua, Philippis, Thessalonicæ, & Bereæ nonnullos ad Christum converterat.

Vers. 2. *Quum perambulasset autem partes illas.*] Nempe Macedoniæ urbes.

Et adhortatus esset eos.] In Macedonia degentes discipulos seu Christianos, officiorum Christianorum commonefaciens.

Sermone multo.] Non paucis verbis, sed pluribus, ut tanto magis eorum animis & memoriæ ista inculcaret.

Venit in Græciam.] In eam regionem ubi erant Athenæ, & Corinthus.

Vers. 3. *Faciensque menses tres.*] Id est quum ibi peregisset trimestre. Vide supra cap. 15. 33.

Factis ei insidiis.] Proprie consilio in eum. Ut supra cap. 9. 24.

A Judæis.] Incredulis, malignis, valde Paulo infensis, quod multos à Mose ad Jesum abduceret. Id credibile est factum esse Corinthi. Vide supra cap. 18. 12.

Quum futurum esset ut proveheretur seu *navigaret in Syriam.*] Versus Judæam.

Facta est sententia.] Id est ita Paulus, collato ut credibile est cum sociis consilio, constituit.

Reverti per Macedoniam.] E qua illuc venerat: ut evitaret insidias, in quas ab adversariis instructas incurrere potuit, si recta ex Græcia in Syriam navigasset, maluit retro iter remetiri.

Vers. 4. *Comitabantur autem eum usque in Asiam.*] Nempe minorem, non autem usque in Syriam; nam plerique istorum asseclarum Pauli, in diversis

locis substiterunt, vel dimissi sunt, priusquam Paulus in Syriam venisset.

Sopater.] Per syncopen factum ex *Sosipater*, quod ponunt hoc loco quædam exemplaria. Is memoratur Rom. 16. 21, inter cognatos Pauli. Aliqui codices hic addunt, *Pyrrhi* scilicet filius.

Beroënsis.] Ex Beroea, è numero illorum egregiorum virorum, de quibus vide supra cap. 17. 10, 11, 12.

Thessalonicensium autem.] Ex Thessalonica urbe Macedoniæ. Vide supra cap. 17. 1. & seqq.

Aristarchus.] De hoc vide supra cap. 19. 29. Is Paulum comitatus usque ad Syriam, imo & Romam. Infra cap. 27. 2. vide & Col. 4. 10.

Et Secundus.] Nomen Romanum, civis Thessalonicensis.

Et Gajus Derbæus.] Ex Derbe, civitate Lycaoniæ, supra cap. 14. 6 & 20. & xvj. 1. De hoc vide cap. 19. 29, forsan alius à Gajo Corinthio, de quo 1 Cor. 1. 14.

Et Timotheus.] Ille juvenis egregius de quo supra cap. 16. 1, 2. & xvij. 14, 15. & xviij. 5. xix. 22. Syrus & Arabs Interpretes hoc loco addunt, *qui erat ex Lystra.* Hunc postea Paulus reliquit Ephesi, ut ibi Ecclesiæ docendæ & regendæ præesset. Vide 1 Tim. 1. 3.

Asiani autem.] Ex Asia minore, & quidem ejus metropoli Epheso; nam quidam codex vetustus pro Asiani habet *Ephesii.*

Tychicus.] Qui commendatur Eph. 6. 21. & Col. cap. 4. 7. vide & 2 Tim. 4. 12. & Tit. 3. 12.

Et Trophimus.] De quo infra cap. 21. 29. & 2 Tim. cap. 4. 20.

Vers. 5. *Hi.*] Hoc videtur referri ad omnes superius memoratos.

Præeuntes.] Eò quo Paulus erat iturus.

Manserunt.] Id est exspectarunt.

Nos.] Hîc Lucas qui in aliquot capitibus superioribus aliter loquutus fuit, quod forsan à Paulo missus fuisset aliquo, indicat rursus se Paulo tunc adfuisse, comitem hujus itineris, ut & porro in sequentibus.

In Troade vel *Troade.*] Nam hic non tam regio quæ etiam Troas vocatur, ubi Troja fuit, sed urbs denotari videtur, ut apparet ex sequentibus. Vide & supra cap. 16. 8, 11.

Vers. 6. *Nos autem.*] Nempe Paulus cum Luca.

Enavigavimus post dies Azymorum.] Id est post festum solenne Paschatos, quod adhuc Paulus cum aliis qui erant ex Judæis Christiani, observasse videtur, ut Judæis sese licite accommodaret: Et proculdubio occasionem docendi Judæos illo tempore festo non neglexit.

A Philippis.] Urbe Macedoniæ, de qua supra cap. 16. 12. & seqq.

Et venimus ad eos.] Nempe illos memoratos socios, de quibus supra ℣. 4, 5.

In Troada.] Vel potius Troadem.

Usque ad dies quinque.] Scilicet proficiscendo intra dies quinque, seu die quinto pervenimus.

Ubi contrivimus.] Seu commorati sumus, *dies septem.*

Vers. 7. *In una autem Sabbatorum.*] Id est prima die septimanæ, quæ jam vocatur dies Solis, seu Dominica. Vide Matth. 28. 1. Hinc ut & ex 1 Cor. 16. ℣. 2, apparet jam tunc Christianos præsertim ex Ethnicis conversos, solitos esse hoc die conventus solennes religiosos agere: idque inprimis extra Judæam.

Coactis seu *congregatis discipulis.*] Id est Christianis, qui à Paulo & antea ibi Troade versato, supra cap. 16. 8 erant conversi: & tunc proximis diebus. Accesserunt & Pauli comites, nominati supra ℣. 4.

Ad frangendum panem.] Non intelligitur hic profanus panis, ut Lyranus putavit, sed consecratus, ut esset symbolum corporis Christi. Quod & Syrus & Arabs Interpretes declaraverunt. Vide & supra cap. 2. 42, 46. & 1 Cor. 10. 16. Voluit Dominus Jesus Christus à suis discipulis, hunc ritum in memoriam suam & passionis suæ celebrari. Luc. 22. 19. 1 Cor. xi. 24, 26. Præmittebantur solito tunc more agapæ seu convivia fraterna frugalia, & deinde ritus iste sacer Eucharisticus peragebatur. Idque videtur consuetum ut noctu fieret. Quum autem tota ista actio Eucharistica à fractione panis denominetur, apparet fractionem tunc esse adhibitam, ideoque & nunc adhibendam.

Paulus disserebat eis.] Prædicabat verbum Dei, antequam ad ritum Eucharistiæ celebrandum accederet.

Quum futurum esset ut exiret.] Nempe Troade excederet, alio profecturus.

Postridie.] Seu sequente die: Voluit ergo ante suum ab illis discipulis Troadensibus discessum, ipsos per verbi Dei seu Euangelii prædicationem, docere, monere, atque adhortari & consolari.

Protenditque seu *produxit sermonem, usque* [*in*] *mediam noctem.*] Quia forsan vesperi inchoavit concionem, & præterea voluit non paucis verbis sed prolixius perorare. Non sunt nocturni conventus sacri omnino improbandi, quando eos res ipsa requirit, ut Act. 12. 12.

Vers. 8. *Erant autem lampades sufficientes.*] Seu multæ. Quia nocturno tempore iste conventus sacer peragebatur, opus erat luminaribus ad tenebras noctis dispellendas.

Sed hinc non bene concluditur etiam diurno tempore quum Sol clare lucet, qui omnes lampades & omnes lucernas lumine suo exsuperat, ritui Eucharistico celebrando lucernas esse adhibendas. Hieronymus contra Vigilantium, negat cereos aliâ causâ accendi in templis quam ad solatium nocturnæ caliginis. Sub Veteri Fœdere non est mirandum etiam diurno tempore in candelabro templi candelas accendi solitas; quia tunc nondum lux clara spiritualis affulgebat, sed umbræ rerum futurarum vigebant.

In illo cœnaculo.] Seu exedra. Græcum nomen notat superiorem contignationem. Vide Act. 1. 13. Talia cœnacula in suprema contignatione quam -- tegula sola tuetur ut ait Juvenalis, censentur pro vili parte ædium, qualia tenuioris fortunæ hominibus attribui solita. In talibus ecce Apostolorum tempore Ecclesia congregabatur, & sacra Christianorum peragebantur, non in templis magnifice exstructis.

Ubi erant congregati.] Nempe illi discipuli.

Vers. 9. *Sedens autem quidam juvenis* seu *adolescens.*] Homo ejus ætatis quæ plerumque solet esse incauta.

Nomine

Nomine Eutychus.] Græcum nomen significat bene fortunatum: At fuit aliquomodo infortunatus, sed tamen mox fortunatus, ut patet in sequentibus.

Super fenestram.] Locum in ædium parietibus patentem, & apertum, ut apparet: sicut solet fieri in talibus contignationibus atque exedris.

Oppressus somno profundo.] Ut adolescens incautus, somnolentus, non attente audiens prædicationem verbi Dei, quum posset surgens & stans expergisci.

Differente Paulo diutius.] Proprie in Græco *super plus.* Respice versus septimi finem.

Deturbatus à somno seu *præsomno.*] Quum somno vires ejus essent oppressæ, & gravatæ. Non est incredibile quod Chrysostomus & alii notant, forsan Satanam huic negotio sese admiscentem hoc egisse, ut Ecclesiam illam perturbaret.

Cecidit à tertia contignatione, deorsum.] Ex loco satis alto decidit, gravi casu.

Et sublatus est mortuus.] Nempe aliqui ex sociis quum eum decidisse sentirent, decurrentes ut eum attollerent, repererunt eum jam omnibus viribus destitutum ac vitâ carentem.

Vers. 10. *Quum autem descendisset Paulus.*] Tali casu permotus, interrupto sermone sacro, ex illa superiore ædium contignatione, deorsum descendit, ad istum adolescentem, ut ei opem ferret.

Illapsus est ei seu *super eum incubuit.*] Ut Elias, 1 Reg. 17. 21. & Elisæus 2 Reg. 4. 34. similiter super mortuos revicturos. Ita eos calore suo refovebant.

Et complexus [*eum*].] Manibus circumplectens, seu circumprehendens, ita ut eum ex solo seu pavimento, in platea vel potius cavædio aut postico ædium simul attolleret.

Dixit: Ne tumultuemini.] Apparet socios & amicos istius adolescentis, isto ejus casu & ex eo sequuta vitæ privatione turbatos, ejulasse & lamentatos esse cum mœsta vociferatione. Hos Paulus consolabatur, & vetabat ita lamentari, additâ ratione.

Nam anima ejus in eo est.] Sive quod nondum plane fuerit spiritus à corpore separatus, quamvis externa vitæ signa non apparerent: sive quod etsi anima jam excessisset, tamen per preces Pauli, inter complectendum corpus illius adolescentis conceptas, reducente eam Deo vel Domino Jesu, jam in corpus rediret.

Vers. 11. *Quum ascendisset autem.*] Rursus in illam contignationem in qua concionem habuerat, ex qua descenderat.

Et fregisset panem.] Nempe illum consecratum, qui erat symbolum corporis Christi, vide supra vers. 7.

Et gustasset.] Id est comedisset. Vide cap. x. 10. Non solus autem Paulus istum panem sacrum comedit, sed una cum aliis discipulis, qui eo fine illuc erant congregati. Respice ℣. 7.

Ad sufficiensque.] Scilicet tempus, seu satis magno tempore.

Colloquutus.] In cœtu illo concionatus. Nam Homiliæ à verbo Græco hic posito nominatæ sæpe notant sermones concionatorum. Sed potest hæc vox significare Paulum ita sermones hosce postremos ibi habuisse, ut etiam aliis qui ibi aderant interloquendi facultas daretur. Ut hoc fuerit post concionem colloquium. Vide tali significatu colloquendi usurpatum istud verbum infra cap. 24. 26.

Usque ad diluculum.] Proprie splendorem, dum post noctis tenebras lucesceret. Ita fuit indefessum Pauli & auditorum circa res sacras ad religionem spectantes studium, ut per totam noctem, & ille in docendo, & isti in audiendo perseverarent.

Ita.] Id est rebus illis peractis, seu re illâ factâ, deinde, similiter hæc vox usurpata est Joh. 8. 59. Act. 7. 8. xvij. 33. xxvij. 17. xxviij. 14.

Exivit.] Ex illa domo, & ex urbe Troade, & quidem ita ut pedestri itinere incederet, quod indicatur infra ℣. 13.

Vers. 12. *Duxerunt* seu *adduxerunt, autem.*] Nempe intra ædes.

Illum puerum.] Quem supra vocavit adolescentem ℣. 4, nempe Eutychum delapsum, & jam pro mortuo deploratum.

Viventem.] Rursus ad vitam revocatum, præter spem, mirabiliter resuscitatum redivivum.

Et consolatione affecti sunt.] Post tristitiam de ejus morte, acceperunt solamen ex vita eidem restituta. Ita Deus, sive Dominus Jesus, casum illum tristem quo turbati erant, vertit beneficio suo in solatium; ac sermonem suum per Paulum prædicatum confirmavit, ac sibi gloriam conciliavit: & Pauli ipsius per quem hoc beneficium contulit, ab eis discedentis, memoriam animis eorum infixit.

Non mediocriter.] Id est valde. Ut solent post adversos casus, succedentia læta, evenire lætiora.

Vers. 13. *Nos autem.*] Nempe Lucas cum aliis Pauli sociis.

Progressi.] Seu præcedentes, prius venientes quam Paulus.

Ad navem.] Qua à Troade ulterius erant vehendi per mare.

Provecti sumus in Asson, seu *Assum.*] Urbem prope Troadem sitam, maritimam, portu commodo, alias dictam Apolloniam, ut memorat Plinius.

Illinc recepturi seu *suscepturi*, nempe in navem, *Paulum.*] Quem terrestri itinere illuc euntem ipsi reliquerant, & navi è Troade ad portum hunc vecti erant, quò ille erat venturus, & inde cum eis ulterius profecturus.

Sic enim erat constituens.] Proprie *constitutus* seu *dispositus*, voce passivâ positâ pro activâ, id est ita enim disposuerat, nempe cum sociis suis quum ab ipso discederent colloquutus, ita fieri velle edixerat, atque eis mandaverat.

Quum esset ipse pedibus iturus.] Pedestri itinere brevi deambulaturus, Troade ad vicinam Assum.

Vers. 14. *Quum autem congressus esset nobis.*] Seu convenisset nobiscum.

In Asson.] Seu ad vel apud Assum.

Recepto seu *assumto eo.*] Nempe ad societatem suam, in navem. Et versu proxime præcedente & hic vox ista non significat quasi sursum seu in locum aliquem superiorem Paulus ab iis attolleretur.

Venimus Mitylenem.] Lesbi insulæ urbem præcipuam, ex qua ortus fuit Pittacus Mitylenæus, unus ex septem celebribus Græciæ sapientibus, olim

uno tempore per diversa loca florentibus, & Alcæus nobilis poëta Lyricus, & Sappho poëtria.

Vers. 15. *Et inde abnavigantes, succedente* subintelligitur *die, devenimus adversus Chium.*] Seu è regione Chii, insulæ celebris inter Lesbum, & Samum, vino præstante Chio quod ibi nascitur, claræ.

Alterâ autem, subintellige *die, appulimus Samum.*] Insulam Ioniæ claram, è qua oriundus fuit Pythagoras Samius, philosophus: ubi vixit Polycrates Tyrannus diu fortunatus postea infortunatus. Unde vasa fictilia Samia in diversas regiones deferebantur.

Et quum mansissemus in Trogyllio.] Ad Ioniæ promontorium prope Samum: ibi diversati.

Sequente scilicet *die, venimus in Miletum.*] Urbem Joniæ claram, in qua natus fuit Thales Milesius, è septem Græciæ sapientibus celebribus celeberrimus. Ubi Milesii piscatores tripodem aureum reti ex mari extraxerant, dedicatum postea Apollini Delphico.

Vers. 16. *Judicavit enim Paulus*, seu decreverat, *præternavigare Ephesum.*] Illam Ioniæ urbem celeberrimam, in qua adversus eum tumultus fuerat excitatus supra cap. 19.

Ut non contingeret, proprie in Græco *fieret, ei, tempus terere in Asia.*] Nempe minore, cujus metropolis erat Ephesus. Ratio affertur cur Paulus urbem tam celebrem, & præsertim in qua Ecclesiam Christo collegerat, tunc non adierit. Verebatur scilicet ne si in eam urbem venisset, à fratribus Christianis ibi habitantibus diu detineretur.

Festinabat enim.] Hujus rationis, rursus alia ratio adjicitur.

Si possibile esset ei.] Quia videbatur difficile quum tempus jam breve restaret. Non indicatur hoc fuisse impossibile, imo potius potuisse fieri, ideoque ut id fieret, Paulum operam dedisse.

Diem.] Id est secundum diem vel ad diem.

Pentecostes.] Quinquagesimæ à Paschatis solennitate, qua etiam festum solenne dictum Pentecoste, à Judæis celebrabatur. De quo respice ad Act. 2. 1.

Fieri in Jerosolymam.] Id est esse Jerosolymis. εἰς pro ἐν ponitur, ut & alibi non raro.

Vers. 17. *A Mileto autem mittens.*] Nempe aliquem vel aliquos ex suis sociis atque comitibus.

In Ephesum.] Vel potius Ephesum.

Evocavit.] Græce proprie *transvocavit*, nempe è loco illo in alium.

Presbyteros seu *Seniores, Ecclesiæ.*] Nempe illius Ephesinæ; qui ita dicti non ab ætatis senio, sed quod essent velut Senatores, quales fere ex iis qui ætate maturi erant, & ideo prudentia atque authoritate aliis junioribus præcellebant, ad hoc officium assumi solebant. De istis Presbyteris Ecclesiæ vide supra cap. 14. 23. xv. 2, 4, 6, 28. Quamvis in transitu, noluit tamen negligere quin hos salutaret atque officii ipsorum admoneret.

Vers. 18. *Ut autem advenerunt ad eum.*] Accersiti discipuli venerunt alacriter ad Magistrum in Christo, charum, videndum atque audiendum.

Ajit eis.] Sermone satis prolixo affatus est eos, instruens monitis salutaribus.

Vos addunt quidam *fratres, scitis.*] Quia hoc inter vos agebatur, vos ipsos testes appello.

A prima die, à qua ingressus sum in Asiam.] Nempe peculiariter & strictissime ita vocatam, illam regionem in qua urbs præcipua fuit Ephesus.

Quomodo vobiscum omne tempus, seu *per omne illud tempus, fuerim.*] Id est quomodo me apud vos gesserim. Vide similem loquutionem 1 Thess. 2. vers. 5 & 10.

Vers. 19. *Serviens Domino.*] Sive Deo Patri, sive Domino Jesu, quem Deus fecit Dominum, quem Paulus nominatim Domini nomine solet denotare. Quanquam res eodem redit: nam qui Domino Jesu Filio Dei unigenito servit, is per eum ipsi Deo servit: nam hac in re Pater & Filius unum sunt. Serviit autem Domino Paulus gloriam ejus pro virili promovens in docendo pie Euangelio, cum præstatione officiorum charitatis erga Deum & proximos.

Cum omni.] Id est omnibus speciebus ac partibus consummata, non in unâ tantum aut alterâ re, ostensa.

Humilitate seu *modestia.*] Virtute tali, quæ est fundamentum omnium virtutum: quæ cupiditatem honorum & gloriæ frenat, atque ambitioni & superbiæ resistit. Vide Eph. 4. 2. Hanc virtutem inprimis ex se ut eximio exemplo disci voluit Dominus Jesus, Matth. xi. 29. Indicat Paulus Apostolus, se quamvis Doctor gentium esset, tamen non superbe egisse, sed sese humiliasse, non contemsisse alios, neque dominium aliquod in fideles quibus docendis præerat usurpasse. Utinam omnes Episcopi id imitentur!

Et multis lachrymis.] Non tantum pro se ipso in precibus ad Deum fusis, sed etiam pro aliis Christianis; & in admonitionibus atque obsecrationibus, eorum qui officia sua parum curabant, ex corde miserante, lachrymas adhibens. Hoc postremum maxime hic respici apparet infra ℣. 31.

Et tentationibus] Id est periculis atque afflictionibus, ut patet ex sequentibus. Talibus homines Deo servientes, ipso permittente, solent tentari, à diabolo tentatore, per ipsius instrumenta, homines malignos, ut exploretur illorum fides, pietas atque patientia. Ita vox tentationum accipitur & alibi, ut 1 Cor. 10. 13. Gal. 4. 14. Jac. 1. 2. 1 Pet. 1. 6. 2 Pet. 2. vers. 9. Apoc. 3. 10. Talis tentatio Paulo incubuit Ephesi, Act. 19. 23, 26. vide & 1 Cor. 15. 32.

Quæ evenerunt mihi, in id est *per* vel *ex, insidiis Judæorum.*] Ut Act. 9. 24. xiv. 2, 5. & xx. 3.

Vers. 20. *Ut nihil prætermiserim* seu *subtraxerim*, vel *suppresserim.*] Nempe occultans & reticens, vel ob metum periculorum, vel ob spem lucri.

Eorum quæ conferebant seu *conducebant.*] Id est utilia erant, nempe ad salutem, non solum necessaria: subintelligitur autem *vobis*. Plutarchus inter officia amici veri ponit non subtrahere nec reticere quidquam utilium, de discrimine adulatoris & amici.

Ut non annunciarem vobis seu *quominus annunciarem*, seu *prædicarem.*] Nempe ea quæ ad Euangelium spectant & dogmata salutaria.

Et docerem vos.] Instituendo in capitibus religionis, secundum verbum Dei, de credendis, & sperandis, & faciendis.

Publice.

Publice.] In conventibus seu congregationibus ecclesiasticis.

Et secundum domos.] Seu per singulas domos, privatim, obiens ac visitans prout oportebat. Talis assiduitas in docendo & monendo de officiis, ac visitatio auditorum ea de causa, convenit omnibus bonis Euangelii doctoribus & Ecclesiarum pastoribus.

Vers. 21. *Attestans* seu *testificans.*] Id est pro certo significans, & clare hæc ob oculos ponens atque serio & asseveranter docens. Vid. Luc. 16. 28. Act. 18. 5.

Judæisque & Græcis.] Tum illis qui pro Dei populo jam olim censebantur, sed per peccata erant à Deo aversi, & Jesum pro Messia agnoscere in eumque credere nolebant; tum istis gentibus extraneis, quæ à Dei populo erant alienæ: quæ per Græcos intelliguntur. Ut supra cap. 18. 4. XIX. 10 & 17.

In Deum seu *erga Deum, resipiscentiam.*] Seu ad Deum conversionem. De resipiscentia, quæ plus est quam pœnitentia, seu de mutatione mentis à malo in bonum, vide notata ad Matth. 3. 2. Sub qua & fructùs resipiscentiæ, ea digni comprehenduntur. Vide ibid. vers. 8. & Act. 26. 20. Respice & Mar. 1. vers. 15. Luc. 24. 47. Act. 2. 38. v. 31.

Et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.] Cum doctrina de resipiscentia fructuosa, docebat etiam Paulus tum Judæos, tum Gentes extraneas, ut susciperent fidem in Jesum illum Nazarænum, qui est Messias ille populo Judaico à Deo olim promissus, jam exhibitus, quem Deus fecit Christum, seu Unctum suum, Regem populi sui, & Dominum cœlestem. Vide Act. 2. 36. In hoc igitur Jesu Domino ut fiduciam homines collocarent, eique ob spem promissi præmii cœlestis, vitæ æternæ ex ejus manibus olim accipiendæ, obedirent; id Apostolus docebat. Sub fide autem in Jesum Christum, continetur & fides in Deum, in quem jam Judæi antea credebant. Nam per Christum credimus in Deum. Vide 1 Petr. 1. 21. & Joh. 12. 44. In his duobus, resipiscentia, & fide, continetur summa doctrinæ Christianæ. Nulla hic fit mentio tertiæ personæ divinæ: ut & alibi sæpe.

Vers. 22. *Et nunc* seu *nunc autem, ecce ego.*] Post præteritæ vitæ atque doctrinæ suæ commemorationem, nunc prædicit eis res sibi venturas.

Vinctus Spiritu.] Id est à Spiritu Sancto impulsus, ita ut me quasi vinculis constrictum ducat. Vide supra cap. 13. 4. Sic de suo Jerosolymam alio itinere Paulus dicit se eo ascendisse secundum revelationem, Gal. 2. 2, nempe per Spiritum Dei factam. Simile est quod dicitur Jesus deductus in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo, Matth. 4. 1.

Vado in Jerusalem.] Obsequens isti instinctui & ductui Spiritus divini, proficiscor in illam Judæorum metropolim. Vide supra vers. 16. Jam quarta vice post suam ad Jesum Christum conversionem proficiscebatur Paulus Jerosolymam.

Quæ in ea occurrent seu *evenient mihi, non sciens.*] Non plane sciebat Paulus in specie, quænam seu cujusmodi afflictiones ipsi essent eventuræ Jerosolymis: præsertim an ibi supplicio capitali esset afficiendus, an non.

Vers. 23. *Nisi quod Spiritus Sanctus.*] Afflatus Dei sacer, Prophetis Dei datus.

Secundum civitatem.] Id est per singulas civitates, nempe per quas Paulus isto itinere suscepto, ibat. Similem dictionem vide Luc. 8. 1.

Attestatur.] Clare & asseveranter hoc significat: nempe per viros divinos Spiritu Dei afflatos, talia pronunciantes. Vide supra cap. 13. 2. & infra cap. 21. vers. 11.

Dicens: Quod vincula me & afflictiones maneant.] Id est quod me hoc exspectet, sic ut supra vers. 5, simile verbum similiter significat, seu quod ista mihi sint parata ut fiant, nempe ut vinculis alliger, & affligar: scilicet ibidem, hoc est ut quædam exemplaria addunt, *in Jerosolymis.* Ut in quo loco iste olim Saulus maxime persequebatur Ecclesiam Christi, in eodem pro ista Ecclesia pateretur.

Vers. 24. *Sed nullius*, scilicet rei, *rationem facio* vel *habeo.*] Id est non curo ista quæ mihi imminent pericula, & mala quod ad carnem attinet, non tanti ea æstimo, ut propter illa officium meum non præstem. Paratus sum absque timore ista omnia pati.

Neque habeo animam meam pretiosam mihiipsi.] Anima hic ponitur pro vita ista temporaria. Ut Matth. 6. 25. x. 39. xvj. 25. Luc. 14. 26. Joh. 12. 25 Philip. 2. 30. Pretiosam animam apud se habere dicitur, qui vitæ parcit, ut 2 Reg. 1. 13, 14. Declarat Paulus se non solum vincula non metuere, sed nec mortem desugere, propter implendum officium. Ita animæ magnæ quasi prodigus fuit Paulus Apostolus: sed non proprie prodigus, quando eam in id quod conveniebat, erat impensurus. Loquitur autem comparate, significans minus caram sibi esse vitam, quam functionis suæ absolutionem. Tali animo forti & mala corporalia atque etiam mortem quanquam atrocem non metuente propter officium, convenit esse omnes Christi servos fideles.

Ut perficiam.] Seu ad finem deducam, ita ut decet.

Cursum meum.] Seu curriculum quasi in stadio decurrendum ad metam præfixam, propositum & designatum ab agonotheta Christo. Vide 1 Cor. 9. 24. De ejusdem cursus absolutione loquitur idem Paulus 2 Cor. 4. 7.

Cum gaudio.] Animo alacri atque læto.

Et ministerium.] Exponit quid per cursum illum intelligat, nempe munus Apostolicum, quod ita vocatum etiam Act. 1. 17 & 25. vj. 4.

Quod accepi à Domino Jesu.] Demandatum ab isto Domino cœlesti cujus sum minister. Vide Act. 13. vers. 2. & xxij. 21. Gal. 2. 7. Eph. 3. 8. [1 Tim. 2. vers. 7. 2 Tim. 1. 11.]

Attestari.] Id est ut testificer, seu clare & certo doceam. Vide supra vers. 21.

Euangelium.] Bonum ac lætum nuncium, quod Apostoli hominibus jussu Christi annunciabant.

Gratia Dei.] Declarat quid istud Euangelium in se contineat, nempe gratiam Dei erga homines maximam, scilicet de vita æterna felicissima in cœlis degenda ab hominibus, per fidem vivam in Jesum Christum absque operibus Legis obtinenda. Hinc Euangelium solet vocari gratia, ut Joh. 1. 17. Rom. cap. 6. 14, 15. Hebr. 12. 15. xiij. 9. 1 Petr. 5. 12.

Vers. 25. *Et nunc ecce ego scio.*] Deo vel Domino Jesu id revelante per Spiritum Sanctum.

Quod non amplius videbitis faciem meam vos omnes.] Id est

Id est nemo vestrum jam posthac me videbit; per Hebraismum. Indicat se vel vinculis vel morte impediendum esse quominus ad eos revertatur.

In quibus transivi.] Id est per quos, seu per quorum regiones & urbes peragravi.

Prædicans regnum Dei.] Id est Euangelium seu bonum nuncium, de regno Dei, hoc est beatissimo ac dignissimo statu quo homines ex gratia Dei, per Christum ejus, Regem cœlestem, in cœlis sunt potituri. Vide Luc. 13. 28. xiv. 15.

Vers. 26. *Ideo testor vobis.*] Ex iis quæ narravit infert protestationem; coram Deo protestans erga ipsos.

In hodierna die.] Hoc præsenti tempore, ut memineritis.

Quod purus ego [sum] à sanguine omnium.] Id est quod mihi non debeat hæc culpa imputari, si quis vestrum pereat in æternum: quia ego fideliter vos docere, & monere non neglexi. Quia plerumque in perdendo aliquo sangui ejus effunditur. Et solet sanguis poni pro sanguinis reatu. Vide Matth. 23. 35. Respice supra cap. 18. 6. vide Ezech. 3. 19. xxxiij. 4, 5 & 9.

Vers. 27. *Non enim subterfugi* vel *subtraxi.*] Sive me sive ea quæ à me proferri debuerunt. Respice supra vers. 20. Rationem affert suæ protestationis, quod eos fidelissime & plenissime docuerit.

Ut non annunciarem vobis omne consilium Dei.] Hoc universale dictum restringendum est ad officium Apostolicum. Per consilium Dei intelligitur voluntas istius Regis cœlestis de hominum salute atque ejus conferendæ modo & mediis. Hoc significat Apostolus, se ea omnia quæ hominibus speratu creditu & factu sunt utilia, quæ Deus primus istorum author decrevit & ipsi per Jesum Christum ac per Spiritum suum revelavit, clare illis discipulis prædicasse. De tali consilio Dei vide Luc. 7. 30. & Eph. 1. 11. Est metaphora ab hominibus consilium ineuntibus de iis rebus quas decernere & ad effectum deducere volunt.

Vers. 28. *Attendite ergo.*] Id est diligenter curate id quod est officii vestri.

Vobis ipsis.] Primum vos diligentes estote ac vigilantes circa curam animarum vestrarum propriarum, ne à vera fide & pietate declineris, vel in his negligentes sitis: sed ita vos geratis sicut debetis. Vide 1 Tim. 3. 2, 3, 4. & iv. 16.

Et omni vel *toti, gregi.*] Per metaphoram ita vocatur Ecclesia discipulorum Christi velut ovium, ut Luc. 12. 32. Joh. 10. 16. vide 1 Petr. 5. 2. Hac appellatione significatur, fideles Christi debere frequentare congregationes sacras, & non esse segreges atque solivagos.

In quo vos Spiritus Sanctus posuit.] Id est constituit atque præfecit Deus & Christus ejus, per Spiritum suum seu afflatum sanctum id fecit: quo Spiritu Sancto repleti Apostoli, ejus ope per impositionem manuum eos qui Ecclesiis præficiendi erant, donis spiritualibus collatis, ad hoc munus ordinarunt. Vide Act. 14. 23. & 2 Tim. 1. 6. Spiritui Dei Sancto tribuitur hoc opus, istos Pastores constituendi, non quod Spiritus Sanctus sit persona, sed quod Deus per Spiritum suum Apostolis datum id fecerit. Ita supra cap. 4. 28. dicitur quod manus & consilium Dei quiddam definiverit. Nec tamen ideo ista manus vel consilium Dei est aliqua persona.

Episcopos.] Græcum nomen significat Inspectores, quod officium ipsis sit demandatum seu præfectura commissa inspiciendi vigilanter atque diligenter & curandi ea quæ ad auditorum fidem & mores spectant, iisque circa salutem animarum prospiciendi. Vide supra cap. 1. 20. Qui superius ℣. 17 vocati sunt Presbyteri, iidem nunc vocantur Episcopi. Unde apparet non fuisse in primitiva Ecclesia Christiana ita distincta Episcoporum & Presbyterorum officia atque gradus, sicut nunc apud aliquos distinguuntur. Vide & Tit. 1. 5, 7. & 1 Petr. 5. 1, 2. Et notandum est hic unius Ecclesiæ Ephesinæ non unum Episcopum, sed plures nominari.

Ut pascatis.] Nempe pabulo spirituali, id est gubernetis atque dirigatis, in bonum & commodum istorum qui gubernantur. Metaphora sumta ab officio eorum qui greges pecorum pascunt. Vide Matth. cap. 2. 6. Joh. 21. 16. Isti Pastores spirituales à Deo præfecti pascendo gregi non suo sed Domini sui, supremi Pastoris, debent bono gregis consulere, & salutem ejus procurare, verbo Dei & salutaribus monitis, pascentes. De quorum officio vide 1 Petr. 5. vers. 2, 3. Et non esse similes illis malis pastoribus, de quibus Ezech. 34.

Ecclesiam.] Id est conventum atque congregationem & cœtum seu coitum multorum discipulorum, salutarem doctrinam profitentium. Respice Matth. cap. 16. 18. & xviij. 17. Non igitur ipsi Episcopi soli sunt Ecclesia, multo minus unus aliquis Episcopus Episcoporum. Nam & Ecclesia Græce convocationem significat, & ecce hic ab Episcopis distinguitur Ecclesia. Vide & Philip. 1. 1.

Dei.] Nullus Episcoporum existimare debet Ecclesiam quam pascit ita esse suam ut ipse sit ejus Dominus. Nam Ecclesia est grex Dei 1 Cor. 1. 2. x. 32. xj. 16. 2 Cor. 1. 1. Videatur & locus paulo ante citatus 1 Petr. 5. 2, 3, & Ecclesia Domini Jesu Christi. Matth. 16. 18. Rom. 16. 16. Vox ista *Dei* non eodem modo in exemplaribus habetur. Beza testatur in quinque exemplaribus se legisse *Domini*, & *Dei*. Aliqua exemplaria Græca non pauca simpliciter habent *Domini*. Per quem Dominum ex more loquendi Apostolico merito intelligitur ille qui à Deo Altissimo factus est Dominus cœlestis Act. 2. 36. ille cum uno Deo ex quo omnia, colendus Christianis Dominus per quem omnia, 1 Cor. 8. 6. Syrus Interpres habet hoc loco *Christi*. Certe hoc cum sequentibus optime convenit.

Quam acquisivit.] Seu comparavit sibi in possessionem, ut ista Ecclesia sit populus ejus peculiaris. Vide Eph. 1. 14. & 1 Petr. 2. 9.

Per proprium sanguinem.] Id est suum. Nam in Sacris Literis vox *proprius* opponitur alieno. Ut Joh. 1. 11, 42. x. 3, 4, 12. Act. 4. 23. Rom. xi. 24. 1 Cor. 6. 18, & alibi passim. Indicat quali impendio iste Dominus istum gregem, seu Ecclesiam suam sibi acquisiverit; nempe impenso in id sanguine suo. Si in verbis proxime præcedentibus legatur nomen *Domini* ita ut per eum intelligatur Dominus Jesus, vel *Christi*, res erit plana: quippe Jesus Christus sanguinem

guinem suum proprium atrociter fundi permisit, ut per eum fusum, hunc populum qui est Ecclesia ipsius, sibi emeret: quippe per mortem sanguinolentam toleratam adeptus est à Deo Patre potestatem Ecclesiæ in nomen suum colligendæ, & ad regnum cœleste perducendæ, secundum prophetiam Esa. 53. 10, 11, 12. Quod si legatur *Dei*, & per Deum absolute ac subjective positum, ex usu Sacræ Scripturæ, Deus ille Altissimus qui à nullo est sed à seipso, nempe Deus Pater intelligatur; certum est Deum non habere proprie in se sanguinem. Ideo vel ita hoc esset accipiendum, ut sanguis Filii Dei unigeniti Jesu Christi censeantur esse sanguis ipsius Dei Patris, quia & ipse iste Jesus Christus totus Dei est, & sanguis ejus in possessione Dei Patris fuit, & hujus jussu impensus est pro hominibus. Dixit alibi idem Paulus de servis Dei loquens, & corpus & spiritum eorum esse Dei, 1 Cor. 6. 20. Vel ita accipienda erunt hæc verba ut significent Deum nempe Patrem acquisivisse Ecclesiam per sanguinem proprii, nempe Filii sui: admissa in verbis Græcis trajectione. Et sane quidam legunt ita, *per illum sanguinem illius proprii.* Quemadmodum verba Græca exponi possunt.

Notandum est ad redimendos à miserrima servitute Diaboli, homines, & Deo emendos ut essent populus ejus tam eximium pretium esse adhibitum, nempe sanguinem ipsius Filii Dei unigeniti Jesu Christi. Vide Hebr. 9. 12. 1 Petr. 1. 18, 19. Apoc. cap. 5. 9. Tali magno pretio impenso ad istum populum acquirendum, constat populum hunc qui est in Ecclesia Christi, esse ipsi Christo valde carum. Ideo tanto magis curandum est Pastoribus Ecclesiæ ut istum populum sibi à Christo commissum bene ac diligenter pascant.

Vers. 29. *Ego enim scio hoc.*] Revelante Domino per Spiritum illum Sanctum. Ut supra ℣. 25.

Quod ingredientur post abitum meum.] Significat Paulus id eventurum post suum ab illis discessum, imo post excessum ex hac vita.

Lupi.] Per metaphoram ita vocantur falsi & improbi doctores, dogmatibus perniciosis gregem Dei ac Christi corrumpentes atque perdentes. Vide Sophon. 3. 3, 4. & Matth. 7. 15. De talibus vaticinatus est alibi Paulus, 1 Tim. 4. 1, 2. & Petrus, 2 Petr. 2. vers. 1. & seqq. Tales tamen lupos spirituales, id est falsos doctores seu hæreticos, non debent fideles Christi qui sunt oves violentis mediis carnalibus perdere; atque è vita tollere. Nam id & Apostoli non faciebant. Sufficit ut spiritualibus modis eis resistant veri Pastores. Vide 2 Tim. 2. 24, 25.

Graves.] id est intolerabiles, sævi.

In vos seu *in medium vestri.*] Ita ut inter vos versentur, vosque maligne aggrediantur.

Non parcentes gregi.] Perseverat in similitudine & allegoria cœpta ℣. 28. Per gregem intelligit discipulorum Christi, qui etiam oves vocantur, cœtum, seu Ecclesiam. Hunc gregem Christianorum isti lupi absque misericordia seu commiseratione male tractaturi, vexaturi, & perdituri, significantur.

Vers. 30. *Et ex vobis ipsis.*] Ex Episcopis seu Inspectoribus ac Pastoribus Ecclesiæ, quos tunc Paulus alloquebatur, ut patet ex ℣. 28, quanquam notantur non tantum illi ipsi qui tunc ibi erant, sed etiam eorum successores, per alias quoque Ecclesias. Ita etiam legitime vocati ad Episcopatum ex Pastoribus in lupos degenerarunt.

Exsurgent.] Seu exorientur, talia agere aggredientur.

Viri loquentes perversa.] Docturi dogmata à recto deflectentia, & ipsa Apostolorum verba in pravum sensum detorturi. Tales temporibus adhuc Apostolicis erant Hymenæus, Alexander, Phygellus, Hermogenes, Philetus. 1 Tim. 1. 20. 2 Tim. 1. 15. & ij. 17, 18. Tales erant & Nicolaitæ, de quibus Apoc. cap. 2. 6 & 14, 15. & Gnostici, & alii hæretici. Vide & 1 Joh. 2. 18, 19, de præcursoribus Antichristi Magni. Magis autem post decessum Apostolorum erumpebant homines falsa docentes, attestante Egesippo, cujus verba allegat Euseb. in historia Ecclesiastica. Quid mirum igitur quod longiori post Apostolos tempore, plures etiam Episcopi conspirarint in dogmata perniciosa sub titulo traditionum Apostolicarum proponenda?

Ut abstrahant discipulos post se.] Nempe ut eos qui Christiani erant, à vera Christi doctrina abductos, ad sua commenta sectanda adducant.

Vers. 31. *Ideo vigilate.*] Ex hac ratione, à magno periculo imminente allata, infert Apostolus rursus adhortationem ad illos Episcopos Ephesios, de diligenti cura Ecclesiæ, quam hic notat nomine vigilantiæ: ut quasi excubitores vigiles attente & circumspecte præcaveant talia pericula spiritualia.

Memores.] Seu memoriâ tenentes quomodo apud vos egerim.

Quod triennium.] Prope tres annos quamvis non integros Paulus Ephesi transegit & docuit. Vide Act. 18. 19. XIX. 1, 8 & 10.

Noctem & diem non cessavi.] Fere assiduo, vix unquam intermittens: non solum diebus sed & noctibus agens hoc negotium.

Cum lachrymis monens unumquemque.] Ita pathetice cum magno affectu & conatu monebat officii Apostolus illos Ephesios, ut etiam ex commotione animi miserantis eos qui in officiis erant negligentiores, monitis atque obsecrationibus lachrymas adhiberet, ad ipsos commovendos.

Vers. 32. *Et nunc commendo vos fratres Deo.*] Discessurus ab Ephesiis ut non amplius ad ipsos rediturus, valedicens eis ut fratribus dilectis, ejusdem Patris, nempe Dei filiis, committit curam eorum ipsi Deo, ut is eos à malis maxime spiritualibus tueatur atque conservet.

Et sermoni gratiæ ejus.] Non tantum Deo illos committit curandos, sed & sermoni gratiæ ipsius Dei. Ita personæ adjungit rem quæ non est persona, idque in cura hominum salutari. Per istum sermonem gratiæ Dei, quidam intelligunt ipsam gratiam seu favorem Dei. Sed potius intelligitur Euangelium, in quo gratia Dei salutaris hominibus annunciatur.

Qui.] Vel Deus, remotius nominatus, vel sermo gratiæ qui propius est positus. Hunc posteriorem sensum sequuti sunt Syrus & Arabs, & Erasmus. Utrumque consistere potest, ita ut Deus ea quæ sequuntur agat sicut causa principalis, at sermo gratiæ Dei sicut causa media seu instrumentalis, vel ut

Deus

Deus per istum sermonem suum gratiosum ista faciat.

Potest.] Significat non otiosam Dei potentiam, sed cum voluntate eò propensâ conjunctam, actuosam.

Superædificare.] Id est inchoatum à me in vobis opus doctrinæ salutaris per augmentum insigne magis promovere. Vide Col. 2. 7.

Et dare vobis hæreditatem.] Proprie sortis acceptionem, seu possessionem. Intelligit vitam æternam in cœlesti regno ex Dei gratia dandam filiis Dei, ut eam jure hæreditario possideant perpetuo. Vide 1 Petr. cap. 1. 4.

In sanctificatis omnibus.] Seu inter omnes sanctos, quos Deus per sermonem Euangelii atque fidem vivam ei adhibitam, & per spiritum suum sanctificavit: Inter quos si in sanctitate vitæ permanserint ista hæreditas cœlestis dividetur. Similis loquutio videatur Act. 26. 18. & Eph. 1. 18. & Col. 1. 12. *In* ponitur pro *inter*.

Vers. 33. *Argentum, aut aurum, aut vestitum nullius concupivi.*] Protestatur Paulus se inter Ephesios vixisse absque specie avaritiæ, ita ut & laboris honesti in docendo suscepti præmia ab illis non requireret, nec accipere vellet. Simile quid fuit in Mose, Num. 16. 15. & in Samuele, 1 Sam. 12. 3. Sed in Paulo qui & alibi alias non est usus jure vivendi ex salario ab auditoribus collato, 1 Cor. 9. 12, 15, & 18. 2 Cor. xi. 9. Philip. 4. 15, quiddam laudabilius, quod mox sequitur.

Vers. 34. *Ipsi autem noscitis.*] Ipsorum quos alloquitur Ephesinorum Presbyterorum notitiam & conscientiam appellat, ut isti ipsum imitentur quantum possunt.

Quod usibus meis.] Quod attinet ad victum & amictum.

Et iis qui erant mecum.] Non tantum suis usibus Paulus providebat ac sibiipsi necessaria quærebat & suppeditabat, sed etiam iis qui ei erant itinerum sacrorum comites, quales non pauci recensentur supra vers. 4.

Subministrarunt manus istæ.] Paulus Apostolus eximius, doctor gentium, labore manuum suarum victum acquirebat. De quo supra cap. 18. 3. vide & 1 Cor. 4. 12. 1 Thess. 2. 9. 2 Thess. 3. 8. Quidni etiam alii docti & Doctores inter Christianos, quando possunt, proprio labore victum sibi quærant?

Vers. 35. *Omnia.*] Id est per omnia, seu in omnibus, vel omnino. Similis loquutio exstat, 1 Cor. 9. vers. 25. x. 33. Eph. 4. 15.

Ostendi vobis.] Non tantum verbis, sed etiam factis in me ipso ut exemplari exhibitis.

Quod ita laborantes.] Cum molestia.

Oportet suscipere.] Quasi manu porrectâ sustentare, ne cadant.

Infirmos.] Debiles quod attinet ad spiritum, in fide & pietate, ut Rom. 14. 1. xv. 1. 1 Cor. 9. 22, qui facile offenduntur etiam iis quibus offendi non decet. Ac præsertim eos qui de ipso Paulo Apostolo male suspicabantur, quasi is Euangelium doceret commodorum corporalium causâ.

Meminisseque sermonum Domini Jesu, quod ipse dixerit.] Dictum istud quod sequitur non exstat hisce verbis expressum apud eos qui in Euangeliis Jesu facta atque dicta enarrarunt. Sed primum potest fieri ut Jesus hoc apophtegma pronunciarit quamvis id non sit in historia sacra narratum, quod Paulus ex traditione ab iis qui à Domino audierunt acceperit: deinde etiamsi non istis verbis sit hoc expressum, tamen sunt in Euangelio quæ indicant tale fuisse Jesu Christi placitum.

Beatum est dare magis seu *potius, quam accipere.*] Primo, quia dare est signum abundantiæ, at accipere egestatis, ut scripsit Augustin. Deinde, quia dare est honestius & indicium virtutis, nempe beneficentiæ seu liberalitatis, at accipere non est virtutis, sed vel necessitatis, vel etiam cupiditatis. Quod & Aristot notavit, dum scripsit, magis virtutis proprium esse, beneficio afficere, quam affici, Ethic. Nicom. lib. 4. cap. 1. Denique potissimum ideo, quia is qui dat egentibus beneficia, liberaliter, propterea quia dedit, habebit à Deo compensationem eximiam, Luc. 12. 33. xvj. 9. xviij. 22. 1 Tim. 6. 19, at qui accipit beneficia, nullam pro ipsa acceptione mercedem obtinebit. Sed tamen non est inhonestum nec inconveniens, si quis pro eo quod labore suo honesto meruit, accipiat præmium, ut sibi debitum, vide Matth. 10. 10. Luc. 10. 7. 1 Cor. 9. 14. 1 Tim. cap. 5. 17, 18. modo ista acceptio fiat absque scandalo.

Vers. 36. *Et hæc dicens* seu *quum dixisset, positis genibus suis*, nempe ad terram, flexis, *cum omnibus iis oravit.*] Monitis ad illos Presbyteros directis, addidit precationem ad Deum, qua proculdubio, inter cætera, hoc precatus est ut Deus, in eis quæ ipsos monuit, efficiendis, eos adjuvaret, & gloriam suam, cum hominum salute, retineret atque promoveret. Gestus genuum flexionis in precibus est signum magnæ coram Deo submissionis, atque erga eum reverentiæ. Tali cum gestu supplicum preces enixæ peragebantur, à Solomone 1 Reg. 8. 54. 2 Paral. 6. 13. à Daniele, Dan. 6. 10. à Jesu Christo, Luc. 22. 41. à Stephano, Act. 7. 60. à Petro, ix. 40. & ab ipso Paulo alibi, vide Eph. 3. 14.

Vers. 37. *Sufficiens* seu *magnus, autem factus est ploratus omnium.*] Ob Pauli ab illis abitum. Ita solet fieri dum amici ab amicis charis separantur.

Et incumbentes in collum Pauli, deosculabantur eum.] Et hæc erant signa amoris, erga ipsum.

Vers. 38. *Dolentes maxime ob sermonem quem dixerat, quod non amplius faciem ejus essent conspecturi.*] Vox ista quæ hic vertitur *dolentes* significat magnum dolorem cum tormento. Satis grave fuit quod ab eis procul discederet, sed gravius adhuc & tristius quod eum qui ipsos religionem veram docuerat, & in periculis circa religionem imminentibus juvare poterat, jam posthac unquam videndi spes præcideretur.

Deduxerunt autem eum ad navem.] Comitati & prosequuti sunt amice usque ad eum locum, ex quo ulterius erat provehendus: ut cum ipso adhuc essent, eumque viderent & alloquerentur, quamdiu possent.

CAPUT XXI.

Vers. 1. *Quum autem factum esset ut proveheremur nos.*] Nempe Paulus cum Luca, & aliis sociis.

Abstracti

Abstracti ab eis.] Vel separati simpliciter, ut Luc. cap. 22. 41, vel ægre ab invicem divulsi.

Recta currentes, venimus in Coum.] Cous vel Co insula inter Cycladas celeberrima: insignis cultu Æsculapii, & quod esset patria Hippocratis Coi Medicorum, & Apellis, Pictorum, præcipui.

At sequente scilicet *die, in Rhodum.*] Insulam claram atque inclytam, in qua fuit celebris ille Colossus, seu statua, Apollini sive Soli erecta, ex ære fabricata, altitudine centum & quinque pedum; Id fuit unum è septem celebribus mundi miraculis.

Et illinc in Patara.] Urbem Lyciæ maritimam.

Vers. 2. *Et inventâ navi quæ trajiciebat.*] Id est trajectura seu transfretatura erat.

In Phœniciam.] Regionem Syriæ de qua supra cap xi. 19. In qua celebres urbes Sidon atque Tyrus. Hæc regio ita dicta à Palma, quæ Græce vocatur Phœnix. Ab hac regione profecta gens Punica in Africa consedit.

Inscendentes.] Seu conscensâ illâ navi, *provecti sumus.*

Vers. 3. *Apparentes autem Cypro.*] Id est quum nobis apparuisset Cyprus, per Hypall gen. De Cypro insula celebri, quæ regnum quondam constituebat, dictum supra ad cap. 4. 36. & xiij. 4.

Et relinquentes eam sinistram.] Seu ad sinistram manum.

Navigavimus in Syriam.] Regionem Asiæ magnæ, cujus regionis pars erat Chananæa.

Et devecti sumus Tyrum.] Urbem Phœniciæ littoralem, olim celebrem mercatura, & opibus. Vide Esai. 23. & Eze h. 27. Hebraice vocata Zor, unde quondam dicta Sarra. Hinc ostrum Sarranum, seu purpura.

Illic enim navis exoneratura seu *depositura erat, onus.*] Nempe id quo erat impleta seu saburrata, scilicet merces.

Vers. 4. *Et inventis discipulis.*] Id est Christianis quibusdam, vide supra cap. xi. 19 & 26, illic Tyri habitantibus. Beza ad hunc locum notavit, distingui discipulos à fratribus, qui infra ℣. 7 nominantur: ut discipuli dicantur ubi credentes in Christum adhuc erant dispersi, nondum constitutis ibi Ecclesiis; fratres autem, ubi jam Ecclesiæ erant constitutæ. Sed existimo hoc discrimen non esse firmum. Vide supra cap. 9. 26. de Jerosolymitanis, xj. 29. de Anthiochenis, & xiv. 28. & rursus xv. 1, 10, 36. xvj. 40.

Mansimus ibi dies septem.] Conversatione cum illius loci Christianis gaudentes.

Qui Paulo dicebant per spiritum.] Id est quum Spiritu Sancto seu afflatu divino revelante cognovissent Paulo illic imminere pericula, inde impellente charitate monebant eum,

Ne ascenderet in Jerusalem.] Quia prævidebant eum Jerosolymæ esse affligendum, ideo eum ab adeunda Jerosolyma dehortabantur, ut non incurreret in periculum. At Spiritus Sanctus impellebat Paulum ut iret Jerosolymam, vide supra cap. 20. 22. Non est autem iste spiritus quamvis in diversis hominibus existens, sibiipsi contrarius, neque secum ipse pugnat. Apparet igitur istos Prophetas hoc tantum à Spiritu Sancto dictatum habuisse quod Paulum Jerosolymæ manerent pericula gravia, inde autem, non jam ex dictamine Spiritus Sancti, sed ex suæ rationis collectione, & ex benevolentia erga Paulum, hoc iter ei dissuasisse.

Vers. 5. *Quum autem factum esset ut nos perficeremus* seu *perageremus, illas dies.*] Nempe septem diebus superiore versu memoratis illic Tyri transactis.

Exeuntes, nempe ex urbe Tyro, *vadebamus.*] Nempe pergentes iter nostrum versus Jerosolymam continuare.

Prosequentibus nos omnibus.] Nempe illis Tyriis Christianis.

Cum uxoribus, & liberis, usque extra civitatem.] Indicatur eorum charitas erga Paulum.

Et positis genibus, in littore, oravimus.] De precibus cum ingeniculatione, respice notata supra ad cap. 20. 36. Precabantur autem in littore, ad oram maris, loco solitario, ab urbe remoto. Usitatas fuisse Judæis in jejunio preces littorales apparet ex Tertull. de jejuniis, & adversus Nationes 1. In precibus istis ex occasione discessus Pauli susceptis, proculdubio continebatur præter alia imploratio opis divinæ, ut tum illi discipuli in rebus præsertim ad salutem animarum spectantibus juvarentur, tum ut iter istud Pauli Jerosolymitanum, evaderet in gloriam Dei.

Vers. 6. *Et salutantes*, vel potius *complexi.*] Cum osculis, ex more. Respice supra cap. 20. 1.

Alii alios.] Mutuò, seu invicem.

Ascendimus in navem.] Nempe nos, qui ulterius eramus profecturi.

Illi autem.] Nempe discipuli, incolæ Tyri.

Reverterunt in propria.] Id est ad suam quisque domum.

Vers. 7. *Nos autem navigationem peragentes* vel *exsequentes.*] Seu ulterius navigando pergentes.

A Tyro, devenimus Ptolemaïda.] Urbem in Chananæa, ad littus maris mediterranei sitam, ita denominatam à nomine Ptolomæi Regis Ægypti, restauratoris: quæ olim vocata Accho, vide Judic. 1. vers. 31, sicut eam Syrus Interpres hoc loco vocat.

Et salutatis fratribus.] Id est Christianis qui ibi habitabant.

Mansimus diem unam apud eos.] Ab itinere respirantes aliquantum & requiescentes, tum præcipue fratrum conversationi aliquid indulgentes.

Vers. 8. *At postera* scilicet *die, egressi.*] Nempe Ptolemaïde.

Qui circa Paulum scilicet *erant.*] Id est Paulus, & qui cum eo erant, comites itineris ejus. Similis loquutio supra cap. 13. 13. Aliqua exemplaria omittunt hoc loco istas voces.

Venimus in Cæsaream.] Nempe illam prope mare mediterraneum sitam, de qua supra cap. 8. 40, in qua conversus est ad Christum ille Cornelius Centurio, supra cap. 10. sed non eadem die qua exiverunt Ptolemaïde, venerunt Cæsaream; nam est plurium dierum distantia.

Et ingressi in domum Philippi.] Qui jam pridem postquam convertit ad Christum illum Æthiopem Eunuchum, venerat Cæsaream, vide supra cap. 8. vers. 40. Apparet eum ab illo tempore ibi habitasse: & notandum est eum ibi habuisse domum suam.

Euangelistæ.] Ita vocatur non quod Euangelicam

historiam scripserit, ut nunc vulgo tales ita vocantur, sed quod Euangelium prædicaverit. Vide supra cap. 8. 5, 6 & 12. Hoc significatu hæc vox ponitur & alibi, ut Eph. 4. 11. & 2 Tim. 4. 5, & notare videtur tales Euangelii præcones qui non erant certæ Ecclesiæ affixi.

Qui erat ex illis septem.] Nempe ex Diaconis Jerosolymæ electis. Respice supra cap. 6. 5. Sed è Diacono, ministrante mensis, seu victui pauperum procurando, promotus est ad munus præstantius ut esset præco Euangelii.

Mansimus apud eum.] Diversati atque hospitio usi, ut fratres apud fratrem, gaudentes conversatione ejus & aliorum qui Cæsareæ habitabant Christianorum.

Vers. 9. *Huic autem erant filiæ.*] Apparet hunc Euangelii præconem habuisse uxorem, ex cujus conjugio filias susceperat.

Virgines.] Quæ tunc nondum nupserant, sed postea eas nupsisse scribit Clemens Alexandrinus. Quodsi in virginitate perseverarunt, non apparet eas in monasterium aliquod se reclusisse, sed in domo patris cum eo habitasse, quamvis *quatuor* essent.

Prophetantes.] Quæ spiritu prophetico erant præditæ, ut eo revelante possent prædicere futura: sicut Debora uxor Lapidoti, Judic. 4. 4. & Hulda 2 Reg. cap. 22. 14. & illa vidua Anna Prophetissa Luc. 2. 36. Ita non tantum viris sed & fœminis pietate insignibus tunc spiritum propheticum Deus impertiebat. Vide Joël. 2. 28. & Act. 2. 17, 18.

Vers. 10. *Permanentibus autem nobis*, scilicet illic Cæsareæ, *dies plures.*] Quippe tum Philippi & aliorum Christianorum conversationi sacræ indulgentes, tum ab itinere præterito marino interquiescentes, & ad fururum iter pedestre sese præparantes.

Devenit quidam à Judæa Propheta nomine Agabus.] De quo respice supra ad cap. xi. 28, 29.

Vers. 11. *Et.*] Particula copulativa posita loco pronominis relativi, *is* vel *qui.*

Veniens ad nos, & tollens seu *sumens, zonam Pauli.*] Id est cingulum quo is sese præcingebat.

Vinciensque seu *ligans*, nempe illa zonâ, *sibi* vel potius *suas, manus & pedes.*] Aliqui pro *sibi* legunt *ipsi.* Inter Græcas voces, quarum illa est αὐτῆς, ista αὐτῆς, respectu scriptionis parva ac differentia. Videtur tamen probabilius Agabum Prophetam, ex more Prophetarum, potius sibi ipsi quam Paulo, manus & pedes ligasse. In more fuit Prophetis ut ea quæ verbis prædicebant, percipienda auribus, etiam per symbola externa oculis exponerent. Ut Esa. 20. vers. 2, 3. Jer. 13. 1, 4. xxvij. 2. Ezech. 4. toto & v. 1. seqq. & xij. 3. seqq.

Ajit: Hæc dicit Spiritus Sanctus.] Non ita ut extra in aëre hæc vox audita fuerit: nam hac ratione potuisset existimari Deum Patrem vel Jesum Christum eam per Angelum pronunciasse. Sed quod Agabo Prophetæ, per Spiritum Sanctum, id est afflatum Dei, in ipso existentem, hoc suggessum fuerit, ut talia divinitus sibi revelata pronunciaret. Vide supra cap. 13. 2.

Virum cujus est zona ista, ita vincient in Jerusalem *Judæi, & tradent in manus Gentium.*] Id est Paulum: quæ prophetia impleta est eventu, infra ℣. 33.

Vers. 12. *Quum autem audissemus ista, rogabamus nosque.*] Pauli itinerum comites, ut Lucas & Aristarchus & Trophimus.

Et illi loci incolæ.] Qui Cæsareæ habitabant Christiani.

Ut non ascenderet ipse, nempe Paulus, *in Jerusalem.*] Id faciebant ex charitate erga Paulum, & erga Ecclesias Christi, quibus is usui esse potuit.

Vers. 13. *Respondit autem Paulus: Quid facitis plorantes.*] Id est cur hoc facitis, quod ploretis? vide similem loquutionem Marc. xi. 5, affectum eorum humanum quamvis ex animo erga se amico profectum, sed intempestivum & inutilem, coërcuit.

Et confringentes meum cor.] Quasi conterentes seu comminuentes. Per metaphoram, contritio cordis, vocatur, animi afflictio, per contristationem, ut Luc. 4. 18. Hæc ita dicebat Paulus, quod animum ejus propensum ad obediendum Dei voluntati, etiam cum perpessione rerum corpori molestissimarum, isti suis contrariis precibus & ploratibus turbarent.

Ego enim non solum vinciri.] Quod quamvis molestum, tamen minus est.

Sed & mori.] Scilicet morte præternaturali, aliquo atroci mortis genere affici, atque necari.

In Jerusalem.] Textus Græcus habet hic casum quartum, quasi *in Jerosolymam* sed significatur, *Jerosolymæ*, εἰς posito pro ἐν. Sicut supra cap. 20. 16.

Paratè habeo.] Id est paratus sum. Ita in animo meo proposui & institui, ut talia subire atque perpeti non detrectem. Vide supra cap. 20. 24.

Pro nomine Domini Jesu.] Id est propter Dominum meum Jesum, propter ejus gloriam, ut ea etiam per mortem meam promoveatur. Nomen alicujus pro aliquo poni, usitatum est. Ut Joh. 2. 23. iij. vers. 18. &c. & Act. 9. 15.

Vers. 14. *Quum autem non suaderetur ipse.*] Id est quum non pateretur sibi persuaderi, nempe id quod suadebamus, ne Paulus Jerosolymam ad pericula subeunda proficisceretur: quum nollet nostris dictis assentiri.

Quievimus.] Non amplius voluimus ei dissuadere iter Jerosolymitanum, sed ejus dictis acquiescentes, assensi sumus.

Dicentes: Voluntas Domini fiat.] Pii homines quamvis initio aliter existimarunt, tamen voluntati Dei hoc subjiciunt, ut non humana voluntas, sed divina effectum obtineat. Ita Christus ipse Dei filius unigenitus voluntatem suam de non patienda dira afflictione subjecit voluntati Dei Patris. Vide Luc. cap. 22. 42. Id omnes Dei servos convenit imitari.

Quanquam per istum Dominum hoc loco potest merito intelligi ipse Dominus Jesus, cujus mentionem Paulus ipse fecit versu proximo.

Vers. 15. *Post dies autem istas, apparatu facto.*] Quasi vasis seu sarcinis nostris collectis, ad demigrandum, remotis impedimentis atque obstaculis, itineri nos accingentes.

Ascendebamus in Jerusalem.] Ibamus Jerosolymam. Quidam existimant verbum ascendendi in talibus versus Jerosolymam itineribus, quod Jerosolyma esset aliis locis altior. Sed solet hoc verbum sumi pro simplici profectione in aliquem locum. Ut Gen. 35. 1. xlv. 9. xlvj. 29 & 31.

Vers. 16.

Vers. 15. *Simul iverunt autem, & discipulorum.*] Id est Christianorum. Quædam exemplaria huic voci *discipulorum* expresse præmittunt *aliqui*, alia autem subintelligunt.

A Cæsarea.] Illa urbe in qua Philippus Euangelista habitabat, ex qua tunc Paulus exibat.

Nobiscum.] Id est cum Paulo & ejus comitibus simul ituri Jerosolymam.

Ducentes.] Nempe *secum*, ut aliqui addunt: eum qui forte Jerosolymis venerat Cæsaream, inde rursus Jerosolymam revertentem in comitatu habentes.

Apud quem hospitaremur.] Nempe ut Paulus cum sociis, domi ejus diversaretur, atque hospitio uteretur, Jerosolymis per festum Pentecostes. Quamvis alias dictum sit Jerosolymitanos fratres habuisse omnia communia, atque etiam domos vendidisse Act. 4. 32, 34, tamen iste videtur ibi habuisse domum suam, non communem, in qua etiam hospites multos posset suscipere.

Mnasonem quendam Cyprium.] E Cypro insula oriundum.

Antiquum discipulum.] Id est qui jam pridem fuit ex numero discipulorum Christi, & forsan ipsum Jesum Christum docentem audivit.

Vers. 16. *Factis autem nobis in Jerosolymam.*] Id est quum autem venissemus Jerosolymam. Ita fieri pro advenire sumitur & alibi. Ut Marc. 6. 2. Joh. 6. 21. Et hac verbi istius significatione posita, ista *in Jerosolymam* accipientur proprie: alias εἰς esset positum pro ἐν. Vide supra ὑς. 13.

Libenter susceperunt vel *exceperunt nos fratres.*] Id est Christiani qui degebant Jerosolymæ, amice nos salutarunt, & adventum gratulati, gavisi sunt.

Vers. 17. *At sequente* subintelligitur *die*, *introivit Paulus nobiscum.*] Cum Luca & aliis itineris comitibus.

Ad Jacobum.] Illum minorem, Alphæi filium, qui Ecclesiam Jerosolymitanam gubernasse videtur. Vide supra cap. 12. 17. & xv. 13. & Gal. 1. 19. ij. 9 & 12. Nulla hic fit mentio Petri, nec aliorum Apostolorum; unde apparet eos tunc jam à Jerosolyma abfuisse, & in alias oras prædicandi Euangelii causa digressos fuisse.

Omnesque adfuerunt Presbyteri.] Id est Seniores Ecclesiæ Jerosolymitanæ, non tam ab ætate, quam ab auctoritate & aliis præeundi functione ita nominati. Hi erant velut Senatores Ecclesiastici. Vide supra cap. 14. 23. xv. 22, 23. Audito adventu Pauli, congregati sunt, ejus salutandi & alloquendi causa, ad Jacobum.

Vers. 18. *Et salutatis eis.*] Fraternè, cum complexu, quem vox Græca indicat.

Exposuit per unum singulum.] Id est enarravit ordine singula, seu sigillatim omnia.

Quæ fecit Deus in Gentibus.] Id est inter gentes extraneas, quæ erant à populo Israëlitico alienæ.

Per ministerium ejus.] Non sibi ut authori attribuebat Paulus ea quæ facta sunt in Gentibus, bona, in conversione gentium ad Deum verum, & ad Jesum Christum, sed Deo ut causæ principali talia operanti id adscripsit, se autem posuit pro causa media atque instrumentali, quod per ejus prædicationem hoc sit effectum. De his videndum supra cap. xvj. xvij. xviij xix, quæ Paulus post separationem à Barnaba gessit in Macedonia & Græcia, ut Athenis, in Achaïa, Corinthi, & in Asia Ephesi &c.

Quæ propterea Paulus enarrabat fratribus, ut tum ipsi de his gauderent, atque solatium acciperent, tum Deo istorum bonorum in propagando Euangelio, & hominibus ad salutem adducendis authori, gratias agerent, & gloriam debitam redderent.

Vers. 19. *Illi autem audientes* vel *quum audissent.*] Nempe ista à Paulo narrata, de Euangelio Christi inter gentes propagato.

Glorificaverunt Dominum.] Id est celebrarunt laudibus Dominum Jesum Christum quod is talia per Paulum esset operatus.

Dixeruntque ei.] Nempe Paulo.

Conspicis frater.] Amice eum compellant, volentes ei quiddam persuadere, & ejus ipsius notitiam appellant.

Quot decies millia sunt Judæorum credentium seu *qui crediderunt.*] Nempe qui fidem in Jesum Christum, per Euangelium prædicatam susceperunt.

Decies millia seu *dena millia.*] Hoc notat proprie nomen Græcum, *myriades*, sed potest simpliciter verti *quot millia.* Præter illos quorum fit mentio Act. 2. 41. & iv. 4. & v. 14. vj. 1, non pauci etiam extra Jerosolymam, assensi erant religioni Christianæ. Hinc apparet Deum ex gente Judaica, quamvis quod ad maximam partem attinet incredula, magnum numerum convertisse ad Jesum Christum. Hæc tanta multitudo credentium, non spernenda neque offendenda videbatur.

Et omnes.] Nempe isti de quibus modo dictum.

Zelotæ Legis existunt.] Id est Legem Mosaicam, non solum moralem, sed & ritualem atque cæremonialem, studiosissime retinent, & cum magno ardore atque fervore animi sectantur, & si quid contra eam fiat ægerrime ferunt. De tali zelo, vide Rom. x. vers. 2. Gal. 1. 14. Etiam ii ex Judæis qui Christianismum erant amplexi, tamen adhuc umbras illas observandas putabant, idque durabat usque ad Jerosolymorum urbis & templi excidium: imo postea quoque aliquamdiu inter eos qui Nazaræi vocabantur. Talibus in veritate nondum plene institutis, in rebus ejusmodi, quamvis tunc jam non necessariis, sed à Deo quondam præceptis, aliquantum indulgere, Christiana charitas suadebat.

Vers. 20. *Edocti sunt autem de te.*] Proprie Græcum verbum significat *sono instituti sunt*, id est ex aliorum narratione id auditione acceperunt.

Quod apostasiam seu *defectionem doceas à Mose.*] Id est à Lege per Mosen tradita. Quamvis Paulus non plane doceret, Mosaica instituta jam tunc Judæis fuisse prorsus abjicienda. Imo ipse accommodabat sese eis in talibus, ut Act. 16. 3. 1 Cor. 9. 20. Sed docebat cæremonias illas, Messia revelato, jam non esse necessarias ad salutem.

Eos qui per Gentes [sunt] omnes Judæos.] Qui inter gentes à populo Judaico diversas sparsi habitabant.

Dicens: Ne circumcidant ipsi filios.] In Græco est generalius *progenies* seu *liberos*; sed intelliguntur nati, non natæ, quia has circumcidi Lex non jubebat.

Neque consuetudinibus, id est in consuetudinibus, *ambulent.*] Hoc est ne & alios ritus patrios, legales, observent. *Ambulare* significat per Hebraismum vitam instituere. Sic Marc. 7. 5. Rom. 6. 4. viij. 1. 1 Thess. 4. 1 & 12. &c.

Vers. 22. *Quid igitur est?* subintellige *faciendum.*

Omnino oportet multitudinem convenire.] Id est non potest fieri quin turba discipulorum ex Judæis collectorum ad te visendum concurrat.

Audient enim quod veneris.] Nempe huc, Jerosolymam.

Vers. 23. *Hoc igitur fac quod tibi dicimus.*] Ut eorum scandalum atque offensionem prævertas, & avertas, obsequere aliquantum.

Sunt nobis viri quatuor votum habentes super seipsos.] Non Naziræi seculi, hoc est perpetui, sed Naziræi dierum, seu ad certos dies: qui inter alia vovebant, se comam ad tempus non tonsuros. De his vide Num. 6. 2, 5. & Act. 18. 18.

Vers. 24. *Hos assumens.*] Nempe in societatem.

Purificator cum eis.] Id est observa ea quæ ad votum Naziræatus pertinent. Ut erat abstinere à vino, & à tonsione capitis, &c. ne scilicet talibus polluerentur, seu communes fierent, & præparare se ad oblationes Deo offerendas.

Et impende sumtum super eis vel *cum eis.*] Nempe adde etiam tuam partem sumtuum, in victimas & oblationes, quas Naziræi Deo offerre debebant.

Ut tondant caput.] Expleto tempore votivo, comam deponant, ante fores tabernaculi conventûs, oblatis sacrificiis.

Et, id est *tunc*, *cognoscent omnes*, *quod eorum quæ de te edocti sunt.*] Seu auditione acceperunt, respice supra ℣. 21.

Nihil est.] Id est quod ista sint falso narrata.

Sed incedis & ipse Legem custodiens.] Nempe Mosaicam, etiam cæremonialem, facto observans, non contemnens, neque vetans.

Vers. 25. *De iis autem qui crediderunt* [*ex*] *gentibus.*] In textu Græco, de credentibus gentibus. Occurritur objectioni de iis qui ex gentibus fidem in Christum susceperunt, ne ipsi hac ratione videantur etiam ad ritus Legis Mosaicæ observandos obligari.

Nos epistolam misimus.] Scilicet ad eos, ex Synodo Jerosolymitana, vide supra cap. 15. 20, 23 & 30.

Judicantes.] Seu decernentes, communi Ecclesiæ decreto.

Ut nihil tale servent ipsi.] Nempe nullos ritus Mosaicos, quos eis aliqui sub necessitate ad salutem consequendam imponere conabantur, cap. 15. 1 & 5.

Si non, vel *nisi*, *ut caveant ipsi*, *& idolis immolatum*, *& sanguinem*, *& suffocatum.*] Scilicet edere, *& scortationem.* Hæc pauca, istis erant ad observandum præscripta, de quibus supra cap. 15. 29.

Vers. 26. *Tunc Paulus.*] Obsequutus illi fratrum monito, vitandi scandali causâ.

Assumens illos viros.] De quibus supra ℣. 23, 24.

Sequente proprie *continente*, *die*, *cum eis purificatus.*] Nempe respectu immunditiæ legalis, separans sese ab iis qui communes censebantur. Vide sup. ℣. 24.

Intravit in templum.] Illud Jerosolymitanum.

Denuncians.] Manifestum faciens sermone suo, seu profitens, nempe coram Sacerdotibus.

Expletionem dierum purificationis] Id est intra quot dies votum Nazariatus ab ipso & ipsius sociis implendum esset. Vide Num. 6. 13.

Usquequo offerretur pro unoquoque eorum oblatio.] De hisce pro Naziræis oblationibus, agni & agnæ, & arietis, atque placentarum ac laganorum, vide Num. 6. 14, 15. Non est autem verisimile omnes illos una die votum Naziræatus expungere debuisse.

Vers. 27. *Quum autem futurum esset ut septem dies perficerentur.*] Quos Paulus Naziræatus sui termino assignasse videtur.

Ii qui ab Asia [*erant*] *Judæi.*] Nempe qui ab Epheso venerant Jerosolymam ad festum solenne Pentecostes, ibi celebrandum.

Conspicati ipsum, scilicet Paulum, *in templo.*] Illo Jerosolymitano, versantem.

Confuderunt seu *concitarunt*, *omnem turbam.*] Id est populi Judaici multitudinem.

Et injecerunt manus super eum.] Prehendentes violenter Paulum. Ita ea quæ de Pauli captivitate & afflictionibus Jerosolymæ eventuris, à Deo per spiritum propheticum prædicta fuerunt, ex insperata occasione ad eventum deducebantur.

Vers. 28. *Clamantes: Viri Israëlitæ*, *adjuvate* seu *succurrite.*] Ita quiritabantur vociferatione implorantes opem aliorum Judæorum, ad Paulum affligendum & opprimendum.

Hic est ille homo qui contra populum, nempe Dei Israëliticum, *& Legem.*] A Deo per Mosem traditam.

Et locum hunc.] Templum Jerosolymitanum Sanctum.

Omnes ubique docet.] Quod doceret Paulus non solos Judæos esse pro populo Dei habendos, præsertim qui sint contumaces, sed etiam eos qui ex gentibus externis, fidem in Messiam susciperent, & Legem cæremonialem jam post Messiam exhibitum non esse observatu necessariam, præsertim iis qui ex gentibus ad religionem veram accederent, & non esse alligatum cultum Dei ad templum Jerosolymitanum. Similis accusatio & criminatio instituta est adversus Stephanum supra cap. 6. 13, & adversus Paulum ac ejus socios cap. 17. 6.

Adhucque seu *insuperque*, *Græcos.*] Id est gentiles, profanos, à populo Dei alienos.

Introduxit in templum.] Nempe in illam ejus partem, in quam populo Israëlitico, & iis qui ex illo erant mundi, aditus patebat, in quod alienigenas sacris Israëliticis non initiatos ingredi nefas erat, & capitale habebatur. Alioqui erat atrium exterius in quod & gentilibus intrare licebat.

Et communem fecit.] Id est polluit atque profanavit. Vide Matth. 15. 11, 18, 20. & Act. 10. 15.

Sanctum locum istum] Nempe templum cultui Dei Israëlitici consecratum.

Vers. 29. *Erant enim antea videntes.*] Id est viderant enim antea, scilicet aliqui ex illis.

Trophimum Ephesium.] Sibi utpote Epheso venientibus, notum, quod esset Græcus, gentilis incircumcisus, Judaicæ religioni non initiatus; de quo Trophimo dictum supra cap. 20. 4.

In civitate seu *in urbe.*] Nempe Jerosolymitana.

Cum eo.] Id est cum Paulo in comitatu & societate familiari conversantem.

Quem

Quem existimabant quod in templum introduxisset Paulus.] Etsi id non viderent, tamen re non exploratâ suspicabantur & affirmabant temere, ex conjectura incerta. Ita solent homines malitiâ occœcati.

Vers. 30. *Commotaque est civitas tota.*] Id est omnes prope cives & incolæ Jerosolymitani: permoti illo clamore istorum Judæorum, à turba illius populi ibi tunc proxime latius dimanante.

Et factus est concursus populi.] Ut solet fieri ad vociferationes, & ad rumorem alicujus facti extraordinarii.

Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum.] Ne locum sacrum sanguine ejus quem effundere parabant, pollucrent.

Et statim clausæ sunt fores.] Levitæ janitores januas templi clauserunt, ne forte in tali concursu populi, gentiles aliqui ex quorum occasione tumultus iste exoriebatur, qui Pauli amici censebantur, ipsius ulciscendi causa irruptionem in templum facerent.

Vers. 31. *Quærentibus autem.*] Id est conantibus & studiose volentibus, nempe illis Judæis.

Eum, id est Paulum, *interficere.*] Vitam ei atrociter eripere.

Ascendit dictum.] Id est pervenit iste rumor, narratum est de isto tumultu.

Tribuno.] Græcè Chiliarcho, quasi mille militibus præfecto.

Cohortis.] Militum qui præsidium tenebant circa templum, in porticibus, ut temporibus festis, tumultus prohiberent. Vide Joh. 18. 3 & 11.

Quod tota confunderetur Jerusalem.] Id est ad tumultum esset concitata. Ut supra vers. 27.

Vers. 32. *Qui, ex ipsa.*] Scilicet illa hora, seu statim, eodem momento.

Assumens milites & centuriones.] Tum simplices milites, tum etiam militum centuriis præpositos.

Decurrit super eos.] Vel ad eos, forsan ex arce.

Illi autem.] Nempe Judæi tumultuantes.

Videntes tribunum & milites.] Qui tumultuantibus erant terrori, accurrentes ad tumultum coërcendum.

Cessarunt verberantes, id est verberare, seu à verberando, *Paulum.*] Apparet eos ipsum antea multasse plagis, tunc autem territos, desiisse. Ita Deus ad defendendum ac liberandum servum suum fidelem, ne tunc à furentibus Judæis occideretur, excitavit Tribunum militum, Ethnicum.

Vers. 33. *Tunc appropinquans tribunus, apprehendit eum.*] E manibus Judæorum ereptum. Vide infra cap. 24. 7.

Et jussit vinciri catenis.] Putans eum esse reum criminis alicujus gravis, quod ita à turba hominum verberaretur, ac cæderetur: & volens populo tumultuanti ostendere, se eum non ideo rapuisse ut liberum & impunitum dimitteret. Ita turbam tumultuantem sedare voluit.

Duabus.] Non unâ catenâ alligatus est Paulus, sed binis: quippe alterâ manus, alterâ autem pedes ejus constringebantur. Ita impletum est quod ei prædixit, & futurum esse designavit Propheta Agabus, supra ℣. 11.

Et percontatus est, quisnam esset, & quid fecisset.] Ut cognosceret causam ob quam tantopere cum tanto tumultu cæderetur.

Vers. 34. *Alii autem aliud quid.*] Id est diversi diversa.

Vociferabantur, in turba.] Ut solet fieri in concursu tumultuario populi imprudentis. Vide supra cap. 19. 32.

Quum non posset autem cognoscere certum.] Id est quid veræ causæ huic rei subesset.

Propter tumultum, jussit duci eum in castra.] Vel potius in castrum, seu arcem; nam in urbe ipsa non solent proprie castra, in quibus multa tentoria militaria ad tempus figuntur, collocari. Videnda & sequentia.

Vers. 35. *Quum autem factus esset* seu *venisset.*] Vide supra ℣. 17.

Ad gradus.] Per quos ascendebatur ad illud castrum, seu arcem illam, quæ fertur dicta Antonia, ab Herode Magno in honorem Antonii exstructa.

Evenit portari eum à militibus, propter violentiam turbæ.] Id est populi eum sequentis multitudine urgente, in angustiis ne comprimeretur, factum est ut non tam duceretur quam manibus militum gestaretur.

Vers. 36. *Sequebatur enim.*] Nempe Paulum & eos qui ipsum ducebant.

Multitudo populi.] Judaici, ei infensi.

Clamans: Tolle eum.] Nempe è medio hominum, è vita, id est interfice, ut indignum qui vivat, sed mortem diram commeritum.

Vers. 37. *Quum autem futurum esset ut introduceretur in castrum Paulus.*] Quum adhuc in gradibus esset, in vestibulo arcis, in loco patentiore.

Dicit tribuno, si.] Id est *an*, ut Marc. 15. 44. bis & Luc. 22. 49.

Licet mihi loqui aliquid ad te?] Voluit Paulus excusare sese, & innocentiam suam testari.

Is autem, nempe Tribunus, *inquit, Græcè nosti?*] Quia Paulus, Judæus, Græcâ linguâ Tribunum erat alloquutus, ideo is interrogat ipsum an Græcam linguam loqui sciret. Erat tunc post Macedonum Græcorum imperium in diversas gentes obtentum, lingua Græca communis, tum Asianis tum Ægyptiis.

Vers. 38. *Nonne tu es ille Ægyptius? qui ante hos dies.*] Jam sub Felice Præside.

Tumultum movisti.] Seu statum perturbasti, seditionem excitasti.

Et eduxisti in desertum.] Mos erat talibus impostoribus qui se jactabant esse Messiam, atque ad liberandum è servitute populum Judaicum advenire, ut primo in locis desertis populum congregarent. Respice ad Matth. 24. 26.

Quatuor millia virorum.] Initiò quidem tot habuit asseclas ille impostor; sed postea successu temporis, excrevit illa multitudo ad triginta fere millia. His promittebat iste Pseudopropheta, adductis eis prope Jerosolymam ad montem Olivarum, fore ut se jubente muri Jerosolymæ corruerent, unde facilem in urbem ingressum haberent. Sed Felix impetu in eos facto, quosdam eorum occidit, quosdam vivos cepit, alios dissipavit. Refert hanc historiam Josephus Antiquit. lib. xx. & belli Judaici libro secundo.

Sicariorum.] Est in textu Græco usurpata vox

Latina; à sica seu gladio breviore, dicti sicarii, qui ex inopinato in homines insontes grassati, homicidia committebant. Aliqui putant hos fuisse ex Hessæis seu Essenis, vel ex Judæ Galilæi sectatoribus qui à populo Judaico nonnisi Deum pro Domino agnosci volebant.

Vers. 38. *Ajit autem Paulus: Ego homo quidem sum Judæus, Tarsensis.*] Significat se non esse Ægyptium, ne pro illo sicariorum duce modo memorato habeatur.

Ciliciæ non ignobilis civitatis civis.] Imo valde nobilis seu notabilis, quæ temporibus heroicis condita fertur à Perseo, metropolis & caput Ciliciæ. De cujus honore dicendum infra ad cap. 22. 28. Respice & ad cap. 9. 11 & 30.

Precor autem te permitte mihi loqui ad populum.] Ut innocentiæ suæ in criminibus sibi objectis apologiam institueret.

Vers. 39. *Permittente autem eo*, nempe Tribuno, *Paulus stans super gradus.*] Seu in gradibus illius arcis. Respice supra ℣. 34, velut è suggesto peroraturus.

Decussit manu populo.] Id est nutu manus suæ ad populum extensæ, significavit se poscere silentium, & velle populum affari. Ut supra cap. 12. 17. & xiij. vers. 16. & xix. 33. Videtur ergo tunc catena ei fuisse ex manibus resoluta vel laxata.

Multo seu *magno autem silentio facto.*] Quod plerique è populo attente & avide vellent audire quid dicturus esset ad suiipsius defensionem.

Affatus est.] Nempe populum illum Judaicum: ut de Jesu Christo & de sua ad eum conversione testimonium Judæis proferret.

Hebraica dialecto, dicens.] Non linguâ Græcâ, quâ proxime alloquutus est Tribunum militum, Ethnicum linguæ Græcæ gnarum; sed illâ linguâ quæ in populo Hebræo atque Judaico vigebat: quæ tunc non erat purè Hebræa, sed mista ex dialecto Syriaca, ut apparet ex non paucis Novi Testamenti locis ubi Domini Jesu vel Apostolorum ejus dicta quædam vernaculâ linguâ pronunciata memorantur.

Talis autem dialecti non ignari erant & alii Judæi quamvis per alias regiones extra Judæam & metropolin ejus Jerosolymam habitantes, qui tunc ad festum solenne anniversarium illuc convenerant.

CAPUT XXII.

Vers. 1. *Viri fratres.*] In orationis suæ exordio Paulus captat & conciliat sibi apud Judæos benevolentiam & attentam auscultationem. Vocat eos *fratres* ob communes cum illis progenitores, illos Patriarchas Abrahamum, Isaacum, & Jacobum seu Israelem: significans se etiam esse Hebræum atque Israëlitam sicut isti sint; & simul se fraterno atque amico erga eos esse animo. Sic Stephanus supra cap. 7. 2.

Et Patres.] Ita vocat eos qui in populo Judaico præcellebant aliis tum ætate, tum dignitate & authoritate.

Audite meam nunc ad vos apologiam.] Id est defensionem per sermonem, seu ad Judæorum Asiaticorum accusationem qua ipsum criminabantur, excusationem.

Vers. 2. *Audientes autem quod Hebraica dialecto affaretur eos.*] Vide supra cap. 21. fine.

Magis præbuerunt placiditatem.] Id est placide & quiete absque interturbatione, silentium præstiterunt: quia Hebræa lingua eis ut Hebræis erat gratior quam Græca.

Et inquit.] Ita porro ulterius sermonem continuavit.

Vers. 3. *Ego quidem sum vir Judæus.*] Narrat de se, quis sit ab ortu, quomodo institutus, & qualis antea fuerit. Ut non tantum benevolentiam sibi conciliet, sed etiam ostendat, se non temere fidem in Jesum suscepisse. Primum indicat se esse Judæum, communi cum eis stirpe oriundum. Vide & 2 Cor. xi. 22. Philip. 3. 5, non Ethnicum aliquem, alienigenam, à populo Dei alienum.

Natus in Tarso, Ciliciæ.] Scilicet urbe istius regionis. Respice ad cap. 21. 39.

Nutritus autem seu *educatus.*] Non tam à prima pueritia, quam credibile est eum Tarsi in patria sua transegisse, quam potius ab adolescentia, ut patet ex sequentibus.

In civitate ista.] Jerosolymæ, metropoli Judæorum: huc missus ad studia sacra.

Apud pedes Gamalielis.] In Cathedra sedebat Rabbi seu Magister, at discipuli in inferiore subsellio, vel minores infimi tirones, in solo seu pavimento super mattas assidebant. Ut Luc. 10. 39. Quod testatur Ambros. in 1 Cor. cap. 14.

Gamaliel iste fuit illo tempore celebris Rabbinus Judæorum, ex secta Pharisaica: de quo respiciantur dicta cap. 5. 34.

Eruditus seu *institutus secundum exquisitum modum patriæ Legis.*] Non tantum quatenus eam olim per Mosen latam, majores nostri prisci acceperunt, sed etiam quatenus ea fuit aucta per Pharisæorum traditiones, vide Gal. 1. 14. Quæ Pharisæorum secta erat exquisitissima & accuratissima in religione Judaica, ut dicitur ab eodem Paulo infra cap. 26. 5, cujus sectæ Magister inter alios insignis fuit iste Gamaliel, præceptor Pauli.

Zelotes existens Dei.] Id est fervide studiosus, & vehemens exactor observationum Legis istius quæ à Deo Israelitarum est profecta, ut supra cap. 21. 20. Ut qui Legem istam transgrederetur, contra eum ut Dei inimicum zelo accenderer.

Sicut omnes vos estis hodie.] Æquiparat se in hoc zelo Paulus aliis istis Judæis, contra ipsum insurgentibus; quibus & alibi zelum Dei seu studium ardens erga Deum ejusque Legem attribuit, quanquam non secundum scientiam, Rom. 10. 2.

Vers. 4. *Qui istam viam.*] Id est istud institutum religionis, hanc sectam quæ Jesum Nazarænum pro Messia agnoscit, quam ipse nunc teneo, & ob quam patior. Ita nomen hoc viæ accipitur, supra cap. 9. 2. xviij. 25, 26. xix. 9 & 23.

Persequutus sum.] Non modo non approbabam, nec ei favebam, sed etiam graviter eam insectabar & vexabam, in ejus sectatoribus, ut apparet ex sequentibus.

Usque ad mortem.] Ita ut etiam ejus religionis con-

confessores morte truculenta afficiendos curarem. Ut inter alios Stephanum. Vide supra cap. 7. 58. viij. 1. ix. 1.

Vinciens, & tradens in custodiam, virosque & mulieres.] Absque discrimine sexûs, vide supra cap. 8. 3. & ix. 2.

Vers. 5. *Sicut & primarius Sacerdos*, seu Pontifex, *testatur mihi.*] Id est testimonium reddere potest, ut bene gnarus istorum. Dicta sua confirmat testimoniis.

Et omne Presbyterium.] Id est ordo Seniorum, seu Senatus Judaici. De quo vide Matth. 26. 59. Luc. 22. 66.

A quibus.] Præsertim à Pontifice summo, Act. cap. 9. 1, 2, quanquam & ab aliis primariis Sacerdotibus, ut indicatur ibid. ℣. 14.

Et epistolas accipiens vel potius *epistolis acceptis.*] Per quas scilicet à talibus scriptas, facultas mihi concedebatur agendi id quod conabar.

Ad fratres.] Id est ad alios Judæos, & eorum Synagogas. Vide supra cap. 9. 2.

Damascum vadebam seu *proficiscebar.*] Extra Judæam, in urbem Syriæ, celebrem.

Adducturus & illic existentes.] Nempe ejus religionis homines, discipulos Jesu Christi, habitantes Damasci.

Vinctos, vinculis alligatos ut maleficos, *in Jerusalem* seu *Jerosolymam.*] Istam Judææ metropolim.

Ut punirentur.] Tum aliis modis, tum morte atroci.

Vers. 6. *Factum est autem* seu *evenit*, *mihi vadenti*, *& appropinquanti Damasco.*] Respice cap. 9. vers. 3. Quum jam prope esset ut suum in Jesu discipulos fervorem ad effectum deduceret, repressus est ejus impetus atque coërcitus.

Circa meridiem.] Eo tempore quo dies maxime clara lucere solet.

Ut repente.] Insperate, & brevissimo tempore.

Ex cœlo circumfulserit.] Instar fulguris.

Lux sufficiens.] Id est copiosa, seu multa, quo sensu hæc vox sæpe ponitur præsertim apud Lucam. Ut Luc. 7. 11 & 12. Act. 14. 21. xviij. 18. xix. 26. xx. 8 & 37. confer infra cap. 26. 13.

Circa me.] Et comites itineris, ut additur infra cap. 26. 13.

Vers. 7. *Cecidique in solum.*] Id est in terram, vide cap. 9. 4, utpote perculsus illo fulgore repentino.

Et audivi vocem.] Nempe cœlitus cum illa luce demissam.

Dicentem mihi.] Voci tribuitur quod dixerit seu loquuta fuerit, tanquam si esset persona, quum id conveniat personæ ei à qua vox ista dicebatur. Sic cap. 9. 4.

Saul, Saul.] Nomine proprio, ingeminato, cum vehementia, vide ibid. cap. 9. 4.

Quid me persequeris?] Et hoc expositum est ibidem.

Vers. 8. *Ego autem respondi: Quis es domine?*] Honorifico nomine cœlitus loquentem quem forsan Angelum esse putabat, compellavit, ut cap. 9. 5.

Ajit autem ad me: Ego sum Jesus, ille Nazarænus.] A Nazareta oppido Galilææ in quo fuit educatus, ita denominatus, contemtui à Judæis etiam eo ipso nomine habitus.

Quem tu persequeris.] In meis servis fidelibus. Respice annot. ad cap. 9.

Vers. 9. *Illi autem mecum existentes* seu *qui mecum erant.*] Comites illius itineris Damasceni.

Lucem quidem conspexerunt.] Quippe quæ clarissime eos quoque circumfulserat: sed personam Jesu quæ tunc cœlitus Saulo apparuit, non viderunt. Respice cap. 9. 7.

Et expavefacti sunt.] Metu magno perculsi & re admiranda. Sicut Dan. 10. 7.

At vocem non audiverunt.] Sed contrarium dici videtur supra cap. 9. 7. Quod & isti audiverint vocem. Quæ contradictionis apparentia, ita recte conciliari videtur, quod audiverint quidem sonum quendam indistinctum: sed interim soni illius verba distincte non perceperint. Simile quid factum est Joh. cap. 12. 29. Ergo non audire, hic significat non intelligere; nam qui audit sed id quod audit non intelligit, similis est non audienti. Hoc sensu id verbum ponitur etiam Gen. xi. 7. xlij. 23. Deut. 28. 49. 2 Reg. 18. 26. Esa. 36. 11. Jer. 5. 15. & 1 Cor. 14. vers. 2, 21.

Loquentis mihi.] Seu ejus qui mecum loquebatur.

Vers. 10. *Dixi autem: Quid faciam Domine?*] Id est quid vis ut faciam. Vide cap. 9. 6. Quem cum cœlesti luce ad se demissa cœlitus loquentem audiverat, ut dominum cœlestem, ejus voluntati obsequi voluit.

At Dominus.] Nempe ille Jesus Nazarænus, de quo supra ℣. 8.

Ajit ad me: Surgens.] Nempe è terra in quam prostratus, jaces.

Vade Damascum.] In eam urbem ad quam tendebas, ea intentione ut mihi addictos vexares, nunc ito alio fine.

Et illic, id est tunc ibi, *tibi dicetur de omnibus quæ constitutum est tibi facere.*] Hoc est quæ constituta sunt & decreta à me, ut tu ea facias. Talia Paulo Damasci dicta sunt, atque revelata, partim per Ananiæ indicationem, partim per visionem, atque ei conjunctas voces, à Jesu Christo ad ipsum Paulum prolatas, de quibus in sequentibus.

Vers. 11. *Quum autem non viderem.*] Nempe excœcatus, oculis graviter perstrictis.

A gloria.] Id est splendore & claritate. Ita nomen gloriæ sæpe hoc sensu sumitur. Ut Luc. 2. 9. 1 Cor. 15. 40, 41. 2 Cor. 3. 7. Heb. 9. 5. Apoc. 18. 1.

Lucis illius.] Quæ ipsius Sauli oculos præ comitibus ferierat, in eum vibrata.

Manuductus ab iis qui mecum erant.] A comitibus illius itineris.

Veni Damascum.] In eam Syriæ urbem ad quam tendebam, sed jam proposito mutato.

Vers. 12. *Ananias autem quidam.*] De quo supra cap. 9. 10.

Vir pius, secundum Legem.] Id est religiosus observator Legis à Deo per Mosen traditæ: non ut gentiles aliqui interdum pii dicuntur.

Testimonium habens.] Nempe bonum, de sua pietate, seu testimonio ornatus, ut supra cap. 6. 3. x. 22 xvj. 2.

Ab omnibus inhabitantibus Judæis.] Scilicet ibi, Damasci. Judæorum testimonium in laudem Ananiæ memorat istis Judæis, ut sciant Ananiam hunc non fuisse aliquem hominem vanum & improbum, qui eum seduxerit, sed ab ipsis popularibus eorum commendatum.

Vers. 13. *Veniens ad me, & adstans ajit mihi: Saul frater, respice* seu *recipe visum.*] Vide supra cap. 9. vers. 17, aut potius *suspice*, ut apparet ex sequentibus.

Et ego eadem hora, aut potius eodem momento, statim, *respexi* seu *suspexi in eum.*] Id est visu quem amiseram recepto, oculis apertis, adspexi eum. Vide supra cap. 9. 18.

Vers. 14. *Is autem ajit: Deus patrum nostrorum.*] Ille Deus verus quem progenitores nostri Patriarchæ jam olim coluerunt.

Designavit te.] Verbum Græcum proprie significat, præ manibus sumere aliquid quo uti velis. Hoc verbum pro verbo sumendi usurpant LXX Interpretes Jos. 3. 12. vide & 2 Mac. 3. 7. & viij. 9. Fuit Saulus iste seu Paulus vas à Deo & filio ejus electum, Act. 9. vers. 15. vide & infra cap. 26. 16.

Ut cognosceres voluntatem ejus.] Hoc est id quod Deus fieri vult, sicut hæ voces voluntatis Dei passim sumuntur: idque hoc loco ita intelligitur, ut Saulus plenius, quam antea ipse noverat & quam alii Judæi norunt, cognosceret ea quæ Deus vult ut credantur, & efficiantur, præsertim quæ sunt per Jesum Christum nomine Dei revelata.

Et videres illum justum.] Nempe Messiam. Vide supra cap. 3. 14. & vij. 52. tum Psal. 45. 8. tum Jesa. cap. 53. 11.

Et audires vocem ex ore ejus.] In illo itinere Damasceno iste Saulus seu Paulus luce cœlesti illustratus, & vidit Christum, & vocem ejus ad se directam audivit. Respice annot. ad cap. 9. 17. Sed & postea. Vide infra ℣. 18.

Vers. 15. *Quia eris testis ei.*] Finem indicat propter quem Dominus Jesus se Paulo videndum & audiendum exhibuisset, nempe ut isti Jesu testimonium perhiberet, quod is sit Messias seu Christus.

Ad seu *apud omnes homines.*] Non tantum apud Judæos, sed & apud Ethnicos, quos adire & alloqui tibi continget, passim.

Eorum quæ vidisti, & audisti.] Ut talia de Jesu testeris, nempe quod eum quem Judæi ut maleficum atque seductorem morte crucis affici curaverunt, videris in cœlesti luce habitantem, & quod ab eodem missus sis ad gentes, ut eas illumines notitia Dei, & fide in ipsum Jesum, ut Christum. Vide infra cap. 26. 17, 18.

Vers. 16. *Et nunc*, hoc est, *ideo nunc.*] Vocula *&* alibi quoque ponitur pro *ideo.* Vide supra cap. x. vers. 5.

Quid cunctaris?] Fac absque mora, quod est faciendum.

Surgens, baptizâre.] Id est baptismum aquæ, usitatum iis qui ab alia religione ad religionem Jesu Christi accedunt, suscipe.

Et ablue peccata tua.] Vel potius *abluere* ut habent quædam vulgatæ versionis exemplaria, id est, *abluitor à peccatis tuis.* Nam non active sed passive hoc est intelligendum, sicut etiam indicat versio Syriaca, atque Arabica: ut & antecedens verbum de baptismo, non est activum, sed passivum. Non est autem hinc colligendum per ipsam baptismi aquam ablui proprie peccata. Nam hæc non corporis sed animi sordes sunt, itaque aqua materiali quæ nonnisi corpus lavat, deleri non possunt. Sed per baptismum aquæ ut per signum externum, fit declaratio ejus quod interius fieri debet, vide annot. ad Act. 2. 38. Non raro verba quæ purgationem significant, pro purgationis declaratione atque contestatione sumuntur. Ut Lev. 12. 7, 8, & capitibus sequentibus ibidem sæpe, & cap. 15. 15, 30.

Non soli baptismo hæc ablutio peccatorum seu deletio, cum eorum à Deo remissione, est attribuenda, sed fidei veræ ac professioni nominis Christi, cujus adjunctum est baptismus. Ideo hæc conjunguntur Marc. 16. 16. vide & 1 Petr. 3. 21. Et hic possunt ista verba referri non ad antecedentia, sed ad sequentia, ut non baptismo ipsi, sed invocationi nominis Domini, & iis quæ sub ea continentur, peccatorum ablutio attribuatur.

Invocans nomen vel potius *invocato nomine Domini.*] Id est Jesu Christi: de quo est sermo in verbis antecedentibus, & consequentibus. Qui post unum illum Deum, altissimum, nempe Patrem, est unus Dominus cœlestis Christianorum, vide 1 Cor. 8. 6, quem Deus fecit Dominum. Act. 2. 36. Hinc apparet conveniens & licitum esse ut Christus Dominus à Christianis ejus servis, precibus invocetur. Unde ita solent describi Christiani quod sint ii qui invocant nomen Domini Jesu Christi, ut Act. 9. vers. 14, 21. & 1 Cor. 1. 2.

In ista autem invocatione nominis Domini Jesu, ubi per nomen, ut alibi sæpe, intelligitur ipsa persona quæ hoc nomen habet, comprehenditur, istius Domini cultus religiosus, cujus pars est invocatio cum fide, atque etiam ejus cultûs professio, ac erga istum Dominum obedientia. Vide Act. 2. 21. & Rom. 10. 12, 13.

Vers. 17. *Et factum est* seu *evenit, mihi revertenti in Jerusalem* seu *Jerosolymam.*] Vide Act. 9. 26.

Et orante me.] Mutata est & à verbis antecedentibus diversa facta constructio. Orationi sacræ seu precibus operam dabat sæpe Paulus.

In templo.] Nempe illo Jerosolymitano, in quo cultus Dei solennis à Judæis peragi est solitus: quod templum vocatum est ab ipso Deo domus orationis. Respice ad Matth. 21. 13. Id templum quando res ferebat, adibat Paulus quamvis jam ex Judæo Christianus factus, non quod existimaret illi loco alligatum esse cultum Dei, sed ut ibi captaret occasionem colloquendi cum Judæis de fide in Jesum Christum.

Ut fierem seu *essem in ecstasi.*] Quasi extra me raptus, sensibus corporeis sopitis. Vide de Petro, Act. 10. 10. Ille raptus Pauli in tertium cœlum, de quo 2 Cor. 12. 2, non est cum ista ecstasi confundendus.

Vers. 18. *Et viderem eum.*] Nempe illum Dominum Jesum, quem in itinere Damasceno antea viderat: tunc deinde in ecstasi vidit: nempe speciem quandam Christi apparentem, non oculis corporeis, sed menti suæ objectam.

Dicen-

Dicentem mihi: Festina & exi in celeritate, id est *cito ex Jerusalem.*] Ubi videtur Saulus iste seu Paulus voluisse diutius commorari, & ibi prædicare fidem in Jesum, ubi eam antea oppugnaverat.

Propterea quod non recipient tuum testimonium de me.] Nempe Jerosolymorum incolæ Judæi, quos & ipse Dominus Jesus quum inter eos versaretur expertus erat esse incredulos, atque obstinatos, & in Stephani negotio viderat, & porro tales fore, manente eorum malitiâ, prævidebat. Itaque Apostolum circa eos convertendos frustra laborare nolebat: qui eum etiam è vita tollere conabantur Act. cap. 9. 29.

Vers. 19. *Et ego ajebam* seu *ego autem dixi.*] Nam videtur hæc loquutio Pauli fuisse aliquo modo adversativa: quippe spem sibi faciebat Judæos qui ipsum antea discipulis Jesu valde infensum noverant, nunc insigni ejus mutatione in contrarium conspectâ, permovendos esse, ut eam justæ & magnæ causæ attribuentes, fidem in Jesum quam jam prædicabat, nonnulli saltem ex iis susciperent.

Ipsi, isti Judæi Jerosolymitani, *sciunt.*] Quia hæc oculis suis videbant.

Quod ego eram custodiæ tradens.] Id est quod in carcerem tradiderim. Vide supra cap. 8. 3. & xxij. 4.

Et cædens seu *verberans.*] Græca vox proprie significat quasi excorians.

Per Synagogas.] In conventibus Judæorum. Vide Matth. 10. 17.

Credentes in te.] Jesum pro Christo agnoscentes, atque in eo fiduciam suam collocantes.

Vers. 20. *Et cum effunderetur sanguis Stephani.*] Per lapidationem, de qua supra cap. 7. 59.

Martyris tui.] Sive testis tui, nam vox Græca martyr significat testem. Dicitur autem testis Jesu, quia de Jesu testimonium prohibebat quod is sit Christus. Quædam exemplaria habent *Protomartyris* id est primi testis; ut usitate vocatur S. Stephanus: non quod simpliciter ipse primo testimonium dederit de Jesu Christo, nam id prius faciebant Apostoli; sed quod primus sit inter eos qui non tantum verbis de Christo sunt testati, sed etiam testimonium istud sanguine suo propter Jesum Christum violenter ab adversariis effuso, obsignaverunt atque sanxerunt. Hi tales tormenta propter fidem in Jesum passi, atque ita firmissime de eo testati, peculiariter martyres à confessoribus simplicibus distincti, vocantur. Vide Apoc. 2. 13.

Et ipse eram adstans seu *adstabam ibidem.*] Assistebam.

Et consentiens interfectioni ejus.] Id est assentiebar iis qui eum interficiebant, & approbabam interfectionem ipsius, vide cap. 8. 1. Indicat se non tantum ut spectatorem adfuisse morti Stephani, sed consensu suo eandem probasse, atque ita cædis ejus participem fuisse.

Et custodiens vestimenta interficientium eum.] Etiam hoc ipsum erat signum consensûs. Vide cap. 7. 58.

Vers. 21. *Et ajit ad me: Vade.*] Dominus Jesus Paulum tergiversantem, iterato mandato jubet proficisci extra Jerosolymam.

Quia ego in gentes.] Id est ad gentes, seu nationes alienigenas, à Judæorum populo discretas, & habitas pro hominibus profanis, à Deo neglectis.

Procul.] In terras longinquas ab Jerosolymâ longe remotas. Et alias Ethnici dicuntur fuisse procul respectu Judæorum, quod essent alieni à politia ac Republica Israëlitarum, absque fœdere Dei, absque promissis, absque notitia voluntatis divinæ viventes. Eph. 2. 13.

Emittam te.] Ut Apostolum ac Legatum meum, ut inter gentes externas prædices Euangelium, atque eas ad Messiam quem Judæi rejiciunt, convertas. Paulus fuit peculiariter Apostolus gentium. Gal. 1. 16. & ij. 8. Eph. 3. 8. 1 Tim. 2. 7. 2 Tim. 1. 11.

Vers. 22. *Audiebant autem eum usque ad hunc sermonem.*] Tolerabant utcunque Pauli dicta superius prolata, non tantopere eis offendebantur; sed istud proxime dictum, jam tolerare patienter non potuerunt, quod senserunt Paulum indicasse Judæis tanquam indignis ob incredulitatem rejectis, ex gentibus extraneis quas isti oderant, esse Messiæ populum colligendum. Senserunt ut apparet Paulum innuere illa Dei verba de gentibus alienigenis ad ipsum convertendis, quæ exstant apud Mosen, Deut. 32. vers. 21. & Esa. 65. 1.

Et, id est tum autem, *sustulerunt*, seu in altum extulerunt, *vocem suam.*] Per clamorem vehementem atque magnum.

Dicentes: Tolle à terra talem.] Nempe hominem, hujusmodi, tam nefarium, ut opinabantur. Volunt à Tribuno militum interfici Paulum: ut antea cap. 21. vers. 36.

Non enim convenit eum vivere.] Id est indignus est qui ultra vivat. Ita atrox contra eum odium, atque detestationem ejus significant, ut inimici populi sui.

Vers. 23. *Clamantibus autem.*] Seu vociferantibus voce ingenti, inconditâ.

Et projicientibus vestimenta.] Quidam putant indicari eos vestimenta sua superiora exuisse atque in terra deposuisse, ut ad Paulum violenter aggrediendum & forsan lapidandum essent expeditores. Sicut supra cap. 7. 58.

Sed potius est ut intelligatur ipsos, vestes suas correptas manibus agitasse & jactasse sursum, versus aërem, quo gestu animum suum concitatum atque valde impatientem & impotentem significabant, tanquam væsani ac furiosi.

Et pulverem jacientibus in aërem.] Etiam hoc erat signum iræ vehementis atque animi impatientis. Cajetanus notavit Judæos ista pulveris in aërem versus cœlum, jactatione, voluisse designare, Paulum hunc esse & terræ & cœli perturbatorem.

Vers. 24. *Jussit eum Tribunus duci in castrum, dicens.*] Id est jubens.

Flagris exquiri eum seu *flagellis inquiri in eum.*] Ut hoc tormento veri confessio ei extorqueretur. Ita solebant quæstiones haberi per flagrorum verbera. Inquisitiones pro tormentis etiam alibi ponuntur, ut 2 Mac. 7. 37. & Sap. xi. 10. Etiam in communi sermone per quæstiones solent significari tormenta.

Ut cognosceret seu *resciret, propter quam causam.*] Seu quod crimen: nam interdum causa pro crimine ponitur, ut Matth. 27. 37. & Marc. 15. 26.

Ita acclamarent ei.] Seu vociferantur adversus eum:

eum: quum ex Judæis furentibus nullum certum crimen nedum probationem ejus audiret.

Vers. 25. *Quum autem protendissent*, scilicet milites, *eum loris.*] Nempe adstrictum, & mox flagellis verberandum.

Ajit adstantem, seu ut aliqua exemplaria habent, *superstantem Centurionem.*] Centum militum præfectum, quem Tribunus mille militum præfectus, hisce tormentis & inquisitioni præesse jusserat.

Paulus.] Vinctus extensus, jamjam verberandus, volens se liberare ab hac probrosa atque contumeliosa publica in oculis Judæorum adeo ipsi infensorum tractatione, ne hoc ejus probro tum Christiani aliqui infirmi scandalizarentur, tum causæ ipsius bonæ præjudicium fieret.

Si.] Id est *an.* Ut Act. 21. 37. & alibi.

Hominem Romanum.] Quamvis iste Saulus qui & Paulus, esset è Tarso urbe Ciliciæ, tamen se Romanum civem esse asserit, sicut & supra cap. 16. 37, quia Tarsus erat juribus immunitatis ac privilegiis libertatis donata, primum ab Antonio Triumviro, deinde à Cæsare Augusto, id confirmante: testibus Plinio, & Dione Cassio & Appiano Sed jus municipii Romani videtur aliquis majorum Pauli tempore bellorum civilium sibi comparasse. Facinus autem erat vincire civem Romanum, scelus verberare, ut dixit Cic. contra Verrem.

Et injudicatum.] Non dictâ causâ, non convictum criminis: tantum propter populi furentis tumultum.

Licet vobis flagellare.] Servili modo verberare. E Legibus libertatis Romanæ, eximium beneficium erat, flagellorum verberumque immunitas. Ex hoc Pauli Apostoli exemplo patet, quamvis Christiani debeant esse ad omnia dira patienda parati, tamen licere eis quando possunt honeste, modos sese à miseria ac servili afflictione liberandi inire. Vide 1 Cor. cap. 7. 21.

Vers. 26. *Audiens autem* vel *quum audisset*, nempe hoc dictum Pauli, *Centurio.*] Ille de quo dictum versu proxime præcedente.

Adveniens seu *accedens*, *nunciavit Tribuno*, *dicens: Vide quid sis facturus.*] Nempe circa istum vinctum, quem jussisti flagellari.

Nam homo iste Romanus est.] Qualem Leges flagris cædi vetant.

Vers. 27. *Adveniens autem Tribunus ajit ei.*] Nempe Paulo, permotus nuncio de eo inexspectato.

Dic mihi si tu Romanus es?] Id est an sis. *Si* pro *an*, sicut supra vers. 25.

Is autem inquit: Nè.] Id est certe. Ita est.

Vers. 28. *Respondit autem Tribunus: Ego multâ summâ*, proprie Græcè *multo capite.*] Sed caput pro summa ponitur etiam alibi, ut Exod. 30. 12. Num. 4. 2. & v. 7. & xxxj. 26, 49. Quamvis istis locis de hominum numeratorum summa dicatur, sed etiam de pecuniæ summa id dici potest, vide Levit. 6. 4.

Sub Claudio Imperatore jus civitatis Romanæ per avaritiam illorum temporum vendebatur, quod alias donabatur. Iste Tribunus magnâ pecuniâ datâ id emit.

Civitatem hanc.] Id est jus civitatis, jurium atque immunitatum ac libertatum, quibus Romani rerum Domini fruebantur, participationem.

Acquisivi.] Quia magna erat civium Romanorum dignitas, ideo eam externi homines industrii magno studio acquirebant; sicut nunc in iis præsertim regionibus ubi nobiles & equestris ordinis homines magnas præ aliis habent libertates atque immunitates, ii qui sunt plebeji, jus nobilium, & alienigenæ jus indigenarum, studiose venantur. Indicavit iste Tribunus, hanc dignitatem difficulter acquiri, ideoque mirabatur Paulum istum eam sibi vendicare.

At Paulus inquit: Ego autem & natus sum.] Scilicet in isto jure civitatis Romanæ: non demum recens id acquisivi, sed ex Progenitoribus meis, eo jam gaudentibus, accepi. Quod quomodo de Paulo cive Tarsensi verum sit, supra ad vers. 25 est annotatum.

Vers. 29. *Statim igitur abstiterunt ab eo.*] Nempe Tribuno id, postquam de Pauli dignitate notitiam accepit, jubente.

Ii qui in eum erant inquisituri.] Id est ipsum flagellis torturi. Respice ad vers. 24.

Et Tribunus autem timuit.] Nempe ne ob civem Romanum contra jura vinctum in jus vocaretur, ac puniretur. Sic supra cap. 16. 38.

Cognito quod Romanus sit.] Nempe iste Paulus.

Et quod, vel *quia*, *eum vinxerat.*] Non est sensus, Tribunum etiam id cognovisse quod istum vinxisset, nam id ratio non patitur, hoc enim non potuit ignorare: sed significatur causa timoris, quod talem vinciri jussisset. Ideo vocula *&* videtur hoc loco redundare. Intelligitur autem hic illa vinctura qua ad flagellationem ac torturam vinctus erat. Nam alioqui, ne effugeret, etiam postea in vinculis detinebatur: ut apparet ex sequentibus.

Vers. 30. *At postridie volens cognoscere certum.*] Seu veritatem certam, ut Luc. 1. 4. Act. 2. 36. & xxj. 34.

Hoc.] Vocula ista hoc loco videtur redundare. Vide annot. ad Marc. 9. 23.

Quid.] Seu cujus rei, aut quamobrem.

Accusaretur à Judæis.] Qui contra ipsum tumultuabantur ac vociferabantur, poscentes ut interficeretur, non exprimebant autem cujus criminis reus esset.

Solvit eum à vinculis.] Ut absque eis posset commodius ambulare, & coram consessu causam dicere.

Et jussit venire, seu ut aliqua exemplaria habent, *convenire.*] Forsan in loco conventuum talium solito.

Primarios Sacerdotes.] Præter summum Pontificem etiam alios ex familia Aharonis.

Et totum consessum eorum.] Nempe præter Sacerdotes, etiam alios ad Synedrium Judaicum pertinentes, ut Legisperitos, & Senatores civiles: ut de Paulo ejusque causa dijudicarent.

Et producens, seu productum, *Paulum*, *statuit*, *in eos.*] Ita est proprie in Græco textu, sed significat *inter eos*, vel *coram eis.*

CAPUT

CAPUT XXIII.

Vers. 1. *Intendens autem Paulus consessui.*] Id est intentis oculis, in eos qui in illo Concilio sedebant. Sic Act. 1. 10. iij. 4. vj. 15. 2 Cor. 3. 7. Is intuitus erat signum confidentiæ Pauli, ob innocentiæ conscientiam.

Ajit: Viri fratres.] Respice supra cap. 22. 1.

Ego omni conscientiâ bonâ.] Nullius criminis mihi conscius, secundum modum notitiæ de eo quid sit honestum atque rectum, primum in Judaismo ex Lege, deinde in Christianismo, ex Euangelio. Vide infra cap. 24. 16. & 2 Tim. 1. 3.

Conversatus sum.] Seu gessi me, in officio meo. Verbum Græcum hoc loco in textu positum, derivatur à Politia, seu civili statu: & significat vitæ tenorem ita dirigere prout civis alicujus Reipublicæ debet. Vide Philip. 1. 27.

Deo.] Seu coram Deo, Dei ejusque Legum respectu habito, officia mea præstiti Deo.

Usque ad hanc diem.] Non solum olim, sed etiam nunc.

Vers. 2. *At primarius Sacerdos* seu *summus, Ananias.*] Non idem qui Annas. Videatur de eo Josephus Flavius, Antiquit. lib. xviij. & xx.

Imperavit iis qui adstabant ei.] Nempe ministris, qui huic Senatui sedenti aderant stantes, jussa capessere parati.

Percutere ejus os.] Ut Paulo alapas impingerent. Offensus videtur Pontifex eo Pauli dicto, quod is quem Judæi pro impio apostata atque religionis patriæ & Legis Dei desertore habebant, se secundum conscientiam bonam vitam agere, & nullius criminis reum esse jactaret: ideo ejus quasi falsa & indigna loquentis, os jussit verberari. Fuit hoc iniquum superbæ tyrannidis factum, hominem demum judicandum, sceleris non convictum, ante sententiam de ipso pronunciatam verberibus contumeliose afficere. Similiter olim fecit Sedechias Pseudopropheta, Michææ vero Prophetæ 1 Reg. 22. 24. & Phassur Pontifex, Jeremiæ Prophetæ, Jer. 20. 2. & Jesu Christo unus ex ministris Cajaphæ Pontificis Joh. cap. 18. 22.

Vers. 3. *Tunc Paulus ad eum ajit.*] Percussus in os, immerito, non obmutuit, sed istum tyrannum reprehendit.

Percussurus est te Deus seu *futurum est ut percutiat.*] Non dixit, ut quædam exemplaria Latina vulgatæ versionis habebant, *percutiat*, quasi Paulus imprecaretur. At hæc non est imprecatio, sed ob iniquitatem pœnæ divinitus sequuturæ prædictio.

Paries incrustate.] Id est opere tectorio, ut calce aut gypso trullissate atque dealbate. Notat hunc Pontificem fuisse hyprocritam,

Introrsum turpem, speciosum pelle decorâ,

Simulantem religionis atque pietatis curam, quum intus non esset vere pius. Tali similitudine Christus Judæorum Legisperitis & Pharisæis, eorum hypocrisin exprobravit, Matth. 23. 27.

Et.] Hæc vocula videtur hoc loco redundare. Nisi sensus sit, inter alios etiam tu.

Tu sedes judicans me secundum Legem.] Judæorum judices in Synedrio etiam tunc judicia exercebant, quatenus Romani eis imperantes permittebant, eaque debebant exercere secundum Legem Dei eis præscriptam: quod etiam se facere præ se ferebant.

Et, id est *at*, *transgrediens Legem jubes me verberari?*] Quum Lex præcipiat juste judicare, & iniquitatem in judicio non committere Lev. 19. 15. Est autem valde iniquum, judicii processum ab exequutione incipere.

Vers. 4. *At adstantes.*] Forsan illi ipsi de quibus supra vers. 2 dictum, ministri.

Ajebant.] Quia forsan ipse Pontifex justa à Paulo reprehensione perculsus, obstupuerat, nec verbum ei reponere poterat, alii pro eo verba fecerunt, ejus honori velificantes.

Summo Sacerdoti seu *Pontifici Dei.*] Id est qui à Deo est populo Dei præpositus, & negotiis ad Dei cultum spectantibus præest.

Convitiaris.] Vocans eum parietem incrustatum.

Vers. 5. *Inquitque Paulus: Non sciebam, fratres, quod sit summus Sacerdos.*] Videtur vix potuisse ignorare Paulus istum esse Pontificem summum, quum vel ex ipsa in loco præcipuo sessione, atque etiam assecliis ac ministris ei adstantibus, id agnoscere potuerit. Itaque aliqui putant Paulum id dixisse per quandam ironiam, atque dissimulationem, ut Augustinus. Sed hæc opinio non videtur convenire cum verbis sequentibus. Ut & illa qua alii existimant, sensum esse, quasi Paulus diceret: Ego in hoc homine non agnosco summum Sacerdotem Dei, sed hypocritam. Alii ita hoc intelligunt & exponunt, ut dicti Paulini veritatem ac sinceritatem tuentes, dicant non esse mirum ignorasse Paulum hunc esse summum Pontificem; quod ipse Paulus aliquandiu extra Jerosolymam versaretur, & illa tempestate summi Pontifices pro Romanorum imperitantium arbitrio crebro mutarentur, & alii aliis substituerentur: tum etiam quod summi Pontificis cultus extra sacra, parum aut nihil differret ab habitu cæterorum Sacerdotum primariorum, quales erant plures ex familia Aäronis oriundi. Vide Matth. 2. 4. xxvj. 3. & Act. 4. 6. & xxij. 30.

Sed quidam arbitrantur, sensum esse, quod Paulus affectu quodam abreptus, non satis considerasset atque animadvertisset istum esse summum Sacerdotem.

Scriptum est enim, principi populi tui non dices male.] Affert Paulus rationem qua indicat se si scivisset istum esse Pontificem Maximum non dicturum ei fuisse verba tam aspera quæ pro maledicto & convitio haberi potuerunt. Citat verba ex Lege Mosis, Exod. cap. 22. 28. ubi scriptum est, Diis id est Magistratibus excellentibus, qui magnam potestatem divinæ similem habent, non convitiaberis, & elevato seu Principi populi tui non maledices. Tunc autem Pontifices summi inter Judæos erant loco Principum. Ita convenit ex Dei mandato honorare Magistratum præsertim legitime constitutum, quamvis iniquum.

Vers. 6. *Gnarus autem Paulus quod una pars.*] Nempe Senatus Judaici in illo consessu.

Est Sadducæorum.] De hac Judæorum secta videatur annotatio ad Matth. 3. 7. & hic infra vers. 8. Hi Sadducæi non parum poterant in populo. Vide

Act. 4. 1, 2, ex quorum secta videtur fuisse etiam summus Pontifex, Act. 5. 17.

Altera autem, scilicet pars, in illo concilio erat, *Pharisæorum.*] De quorum secta etiam dictum ad Matth. 3. 7. Istæ sectæ alioqui à se dissidentes, consentiebant in oppugnando Jesu Christo ac ejus discipulis. Paulus igitur quum animadverteret eos ad se damnandum inique conspirare, prudenter jecit inter eos pomum Eridos, seu discordiæ.

Clamavit in Synedrio.] Seu consessu aut concilio, voce clara id protulit, ut ab omnibus exaudiretur, ut eorum aures & animos percelleret.

Viri fratres.] Amica compellatio Judæorum, ut supra ℣. 1.

Ego Pharisæus sum.] Ab adolescentia sua iste Saulus Tarsensis seu Paulus, erat addictus sectæ Pharisaicæ, quippe erat discipulus Gamalielis supra cap. 22. vers. 3, qui Gamaliel erat Pharisæus, Legis Doctor celebris, supra cap. 5. 34. Et alibi Paulus profitetur se fuisse Pharisæum, infra cap. 26. 5. & Philip. 3. 5.

Filius Pharisæi.] Vel ut quædam exemplaria habent *Pharisæorum*, indicat se etiam progenitores habuisse huic sectæ Pharisaicæ addictos, ut ita innuat studium erga istam sectam non esse sibi novum, sed hæreditarium. Id dixit eo fine, ut Pharisæos qui eruditionis & pietatis nomine apud Judæos erant celebriores, sibi conciliaret, & adduceret ad tuendam causam suam saltem quatenus eam cum ipsis communem habebat.

De spe & resurrectione mortuorum ego judicor.] Seu in judicium vocor. Aliqui hæc distinguunt ita ut per spem intelligatur illa olim à Deo promissa, à Judæis sperata benedictio per Messiam seu Christum, quæ indicatur ab eodem Paulo etiam infra cap. 26. 6, 7, per resurrectionem mortuorum autem id quod Paulus annunciaret, tum Jesum quamvis morte affectum, esse à Deo ex morte eductum ac resuscitatum, & alios mortuos esse olim resuscitandos atque in vitam revocandos, ut eorum quæ egerunt præmia referant in altera vita. Sed videntur aliis non abs re hæc duo pro uno eodemque sumi, ut per figuram quæ vocatur Hendyadis, significetur spes resurrectionis mortuorum. Saltem non volebat Paulus Pharisæos intelligere se per spem significare id quod de Jesu Christo docebat: quia sic eos sibi non conciliasset.

Vers. 7. *Hoc autem eo loquuto, facta est seditio Pharisæorum & Sadducæorum.*] Dum illi sententiam de mortuorum resurrectione, à Paulo prolatam approbarent, isti autem eandem improbarent, orta est inter ipsos gravis dissensio.

Et scissa est multitudo.] Ita, scinditur incertum studia in contraria vulgus, ut ait Virgilius. Quippe tum ex ipso Senatu illo qui in judicio sedebat, tum ex adstantibus, alii ajebant pro resurrectione, alii contra negabant eam. Hinc illi qui antea erant contra Paulum conjuncti, tunc ex Pauli occasione sunt à seipsis divisi, in diversas factiones.

Vers. 8. *Sadducæi quidem enim.*] Seu; Nam Sadducæi quidem: recensentur quædam eorum dogmata, à Pharisaicis differentia, imo eis contradicentia.

Dicunt non esse resurrectionem.] Vide Matth. 22. vers. 23, quia Moses de ea expresse & clare nihil dixit. Alicubi autem in Sacris Literis Veteris Testamenti, exstant tales loquutiones quæ eam in dubium vocare videntur. Ut Job. 7. 7, 8, 9, 10. XIV. 7, 10, 12. & Eccles. 9. 5, 6, 10.

Neque Angelum.] Hoc est magis mirandum, quod Sadducæi, dicantur negasse esse Angelum, nempe ullum, sive bonum sive malum; quum ii reciperent pro veris scripta Veteris Fœderis, si non aliorum Prophetarum, saltem Mosis, in quibus crebra fit mentio Angelorum Dei, & eorum apparitionis. At forsan ipsi per Angelos intelligebant non substantias aliquas, sed vel Dei virtutes inter homines editas, vel inspirationes, aut motus in animis hominum excitatos.

Neque Spiritum.] Nempe substantiam incorpoream aliquam, quæ separatim subsistat, ut indefinite, in genere, vox Spiritus accipiatur: (quum Sadducæi etiam Deum corporeum esse putarent.) Quidam hoc restringunt ad spiritum hominis, seu animam, quæ etiam alibi vocatur spiritus Matth. 27. vers. 50. Luc. 23. 46. Act. 7. 59. Hebr. 12. 23, quam Sadducæi non substantiam aliquam spiritualem, quæ separata à corpore possit subsistere, sed tantum quandam corporis atque humorum ejus crasim, & temperamentum esse, ideoque homine moriente cum corpore corrumpi & evanescere atque interire opinabantur: attestante Josepho.

Pharisæi autem, confitentur seu *asserunt, hæc utraque.*] Plurale pro singulari; ambo ista. At videtur non duo enumerasse, sed tria. Verum quia Angeli sunt species spirituum, & cum animabus sub eodem genere continentur ideo ista in unum conjunguntur.

Vers. 9. *Factus est autem clamor magnus.*] Sicut in contentionibus ac rixis ex animorum commotorum vehementia fieri solet.

Et seu *tunc, exsurgentes Scribæ.*] Id est Legisperiti, Rabbini, quorum munus erat Scripturam Sacram publice exponere, qui in eo Synedrio aliis Judæorum Senatoribus assidebant, è sedibus suis surrexerunt, sessionem solventes.

Partis Pharisæorum.] Non omnes Scribæ seu Legisperiti erant Pharisæi, nam & ex Sadducæis erant aliqui Scripturæ Sacræ Interpretes. Sed hic indicatur illos Legisperitos qui Pharisaicam sententiam & factionem sequebantur, tunc consurrexisse.

Depugnabant.] Scilicet verbis, contra Sadducæos.

Dicentes: Nihil malum invenimus in homine isto.] Nempe in Paulo ad judicium adducto. Ex odio adversæ sectæ Sadducæorum, oblatâ occasione eis contradicendi, Paulum quem alias pro adversario habebant, nunc defendunt, & innoxium esse profitentur, quia confessus est se esse Pharisæum, & cum Pharisæis de mortuorum resurrectione consentire. Ita Dominus quando vult excitat inter ipsos adversarios causæ suæ & suorum patronos.

Si autem Spiritus loquutus est ei.] Videntur existimasse, potuisse fieri ut anima quæpiam à corpore separata hominis sancti mortui, Paulo apparens, eum affata revelaverit ei aliquid quod non sit reprobandum. Id dixerunt isti Pharisæi, ut ægre facerent Sadducæis, talia negantibus.

Aut Angelus.] Id est aliquis nuncius cœlestis. Forsan respexerunt illa dicta cap. 22. 7, 8, 10.

Ne

Ne Deo repugnemus.] Quia Deus Angelos ut Legatos suos mittere solet ad homines, atque per illos aliqua istis revelare, ideo qui Angelum Dei nomine loquentem contemnit, is Deum ipsum cujus iste Legatus est contemnere eique repugnare videtur. At Deo qui est supremus omnium Dominus, nullo modo est repugnandum: quod recte monuit etiam Gamaliel supra cap. 5. 39. Interim videndum est & recte examinandum, an vere Deus aliquid per Angelum aut Spiritum aliquem revelet: ne per vanas ac illusorias vel confictas revelationes temere creditas, falsæ opiniones obtineant, neve pro Dei dictamine habeatur id quod cum verbo Dei manifesto pugnat, ideoque non est à Deo dictatum.

Vers. 10. *Multa autem facta seditione.*] Seu magna tumultuatione ortâ, inter istas duas Judæorum partes dissidentes, nempe Pharisæorum & Sadducæorum, illorum pro Paulo, istorum autem contra Paulum, decertantium.

Verius Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis.] Sicut interdum quibusdam inter contendentium & huc illuc raptantium manus, evenisse narratur.

Etsi is Tribunus Ethnicus nullam causam privatam habuit ob quam Paulum vitamque ejus tantopere tueretur, tamen Deo vel Domino Jesu ipsum incitante id fecit, ne Paulus tunc ibi interficeretur.

Jussit milites.] In Græco est nomen singulare, quod notat militum manum, seu militarem populum, *descendentes*, nempe ex arce decurrentes.

Rapere eum è medio ipsorum, ducereque in castrum.] Ut in locum tutum.

Vers. 11. *At subsequente* seu *succedente nocte, superstans* vel *adstans.*] Vide Luc. 2. 9.

Ei, id est Paulo, *Dominus.*] Nempe is quem Deus fecit Dominum cujus servum se Paulus profitebatur, id est Jesus Christus. Lorinus Jesuita ad hunc locum notavit, probabilem esse sententiam Carthusiani, (nempe Dionysii Rikel) fuisse apparitionem imaginariam, dormienti factam, ab Angelo qui referret Christum. &c. Ergo non est necesse opinari tunc Dominum Jesum vel relicto cœlo in terram ad Paulum descendisse, vel in cœlo & in terra simul personâ suâ fuisse. Beza quoque annotavit: Hoc autem gestum est nocturnâ visione, ac proinde non corporeâ, sed intellectuali quam vocant: sive dormienti, sive etiam vigilanti Paulo istud accidisse dicamus.

Ait: Confide Paule.] Id est ne metue, quasi Jerosolymis sis à Judæis interficiendus: esto animo forti. Ita eum in periculis Christus confirmavit, addens ei animum.

Sicut enim attestatus es.] Id est clare & constanter testatus, vide simile verbum supra cap. 18. 5.

Ea quæ de me subintelligitur *sunt.*] Nempe quæ ad meam gloriam pertinent.

In Jerosolymam seu *in Jerusalem.*] Sed Græcè ponitur vocula talis quæ construitur cum quarto casu. Εἰς pro ἐν, ut & alibi. Vide inter alia Act. 8. vers. 40. xviij. 21. & xxj. 17. Testatus est autem Jerosolymis coram Judæis pridie de Jesu Christo ejusque gloria cœlesti Paulus, ut narratum est supra cap. 22. 6, 8 & seqq.

Ita te oportet & in Romam.] Id est Romæ. Iterum εἰς pro ἐν posito. Post testimonium in celeberrima urbe Judæorum à Paulo de Jesu Christo perhibitum, vult ipse Jesus Christus simile testimonium ad gloriam suam spectans, ab eodem Paulo in celeberrima Ethnicorum urbe perhiberi: & simul docet à se proficisci ea quæ cum Paulo agenda erant.

Vers. 12. *Facta autem die.*] Quum post illam noctem qua Jesus Paulo talia dixit, dies exorta esset.

Facientes aliqui Judæorum.] Præsertim è secta Sadduceorum magis ei adversa, ut indicatum superius.

Coitionem.] Facto conventiculo, initâ societate seu conspiratione. Ut cap. 19. 40.

Anathematizarunt seipsos.] Id est devoverunt sese diris exsecrationibus, per *cherem*, quod apud Judæos genus anathematismi usitatum, imprecati sibi dira, & horrenda, ut à Deo vindice, si aliter facerent, atroci exitio perderentur. Vide annot. ad Matth. 26. 74. Anathema ex Græco dictum à reponendo, significat rem ab usu communi sepositam, nempe Deo, sive ex pietate ejus cultui consecratam, sive eidem ut malorum vindici devotam.

Dicentes: Neque edere neque bibere.] Id est se neque esuros neque bibituros quidquam; ita seipsos volebant obligare firmiter & adigere ad id etiam cum periculo exsequendum.

Usque quo interemissent Paulum.] Quem habebant pro homine nefario, Legis divinæ desertore, indigno qui vivat. Vide supra cap. 21. 28, 31. & xxij. 21. Ita zelo inordinato accensi fervebant isti Judæi, existimantes se dum hoc agerent sacrificium Deo gratum esse oblaturos. Vide Joh. 16. 2.

De zelotis, ut Phinea, & Matathia, quorum exempla isti scilicet imitari volebant, videatur annotatio ad Luc. 6. 15.

Vers. 13. *Erant autem plures quadraginta.*] Id est quam quadraginta. Tam multi Judæi in hoc facinus pravum conspiraverant, & sese devoverant: ut si unus aut alter effectu frustraretur, alii idem ad effectum deducerent; vel ut multi simul violenter in eum irruentes tanto facilius id perficerent.

Qui istam conjurationem fecerant.] Apparet eos juramento se obstrinxisse, Deo invocato ut testis ejus propositi esset, atque vindex si fefellissent.

Vers. 14. *Qui adeuntes primarios Sacerdotes.*] Ut summum Pontificem Ananiam, de quo supra ℣. 2, & alios ex familia Aäronica.

Et Presbyteros.] Seniores populi, dignitate Senatoria eminentes, de quibus tum alibi, tum supra cap. 22. 5.

Ajebant: Anathemate anathematizavimus, seu devotione devovimus, *nos ipsos.*] Id est serio omnino graviter nos devovimus. Est Hebraismus; de quo vide Luc. 22. 15. Act. 2. 30. iv. 17. v. 28.

Nihil gustare.] Id est nihil nos gustaturos esse seu nihil cibi sumturos.

Usquequo interimamus Paulum.] Vide supra ℣. 12, sanctum scilicet votum.

Vers. 15. *Nunc igitur vos.*] Dant consilium Sacerdotibus quid agere dolose debeant, ut ipsi machinationem suam ad effectum deducere queant.

Comparete Tribuno.] Id est ostendite vos, dilucidantes seu declarantes atque indicantes postulatum vestrum.

Cum Synedrio.] Id est non vos soli, sed cum toto consessu seu concilio, seu iis qui ad concilium pertinent; ne scilicet Tribunus quorundam tantum studio privato, hoc à se peti existimet, ideoque facere recuset.

Ut cras, eum, nempe Paulum, *deducat ad vos.*] Sicut jam fecit supra cap. 22. 30.

Quasi percognituros exquisitius ea quæ de ipso.] Scilicet sunt, seu quæ ad eum spectant. Moris est ut de reis non semel fiat cognitio, sed sæpius: quum judices aut novi aliquid de eis rescisciunt, aut etiam an isti sibi constent, volunt explorare.

Nos autem priusquam appropinquet.] Scilicet ad vestrum consessum, ne vos eo nomine argui possitis, adhuc in via.

Parati sumus interimere eum] Ita homines stulto zelo correpti, sanguinarii, existimant, sibi licere in dissidentes grassari quovis modo, & per mendacia, & per cædes violentas; quo ipso produnt se esse Diaboli mendacis & homicidæ filios, secundum dictum Christi, Joh. 8. 44.

Vers. 16. *Audiens autem* vel potius *quum audisset, filius sororis Pauli.*] Qui inter Judæos non gnaros an Pauli cognatus esset libere versabantur, nec ab eis cavebatur. Interim is avunculo suo favens, attendebat & explorabat quæ circa eum fierent.

Insidias.] Scilicet istas, quæ Paulo parabantur.

Adveniens, & ingressus in castrum.] Illud in quo Paulus detinebatur.

Annunciavit Paulo.] Nempe ea quæ de hisce in eum insidiis atque ista machinatione adversariorum audiverat.

Vers. 17. *Advocato autem Paulus uno Centurionum.*] Seu quodam ex centurionibus, qui nempe in illo castro, militum catervis ac centuriis præfecti erant.

Inquit: Adolescentem istum abduc ad Tribunum, habet enim quod annunciet ei.] Paulus prudenter curavit istam contra se initam conjurationem detegi Tribuno, qui eam poterat impedire. Interim nec accusavit aliquem nominatim, nec noxam ei procuravit, sed tantum prudentiæ Tribuni, ut obviam huic periculo iret, commisit, cætera Domini Jesu cujus Spiritu rigebatur, providentiæ, commendavit. Hinc apparet piis quantumvis divinæ tutelæ confisis, licere tamen periculi avertendi causâ media honesta non negligere, atque etiam per homines ea adhibere.

Vers. 18. *Is quidem igitur*, nempe Centurio, *assumtum eum*, hoc est istum adolescentem qui ad Paulum venerat, *duxit ad Tribunum.*] Obsequutus Pauli monito, vel postulato.

Et inquit: Ille vinctus Paulus advocans me, rogavit, ut hunc adolescentem ducerem ad te.] Ne putaret Tribunus Centurionem proprio arbitrio eum adduxisse, temere.

Habentem quiddam loqui tibi.] Seu quod tibi loquatur.

Vers. 19. *Prehendens autem manum ejus Tribunus.*] Ut facere solent qui aliquem in locum secretiorem abducere, atque privatim alloqui volunt.

Et secedens seorsum.] Seu privatim, quia secretum aliquid, non omnibus revelandum, narraturum existimavit, ideo prudenter semotis arbitris eum audire voluit.

Percontabatur, quid est quod habes annunciare mihi?] Seu annunciandum.

Vers. 20. *Ajit autem.*] Nempe ille adolescens adductus.

Quod.] Vocula ista, more solito in referendis dictis aliorum, redundat.

Judæi constituerunt.] Proprie in Græco, composuerunt, ex composito.

Rogare te.] Seu ut rogent.

Ut cras in consessum deducas Paulum, quasi percontaturi exquisitius de eo.] Respice supra vers. 15.

Vers. 21. *Tu igitur ne assentitor eis.*] Id est ne patiaris tibi persuaderi ut hoc ad eorum postulatum facias, sicut supra cap. 21. 14.

Insidiantur enim ei ex ipsis viri plus quadraginta.] Vide supra vers. 13.

Qui anathematizarunt seipsos.] Seu exsecrationibus sese devinxerunt.

Non edere neque bibere usque quo interimant eum.] Respice supra vers. 12.

Et nunc parati sunt.] Scilicet ad id faciendum atque exsequendum.

Exspectantes seu *præstolantes, à te promissionem.*] Non jam factam à te ipsis, sed demum faciendam: seu quid à te promittatur: ut postulantibus eis promittas te id facturum, aut quid eis à te renuncietur.

Vers. 22. *Ipse quidem igitur Tribunus dimisit illum adolescentem*, nempe ut jam ab ipso abiret, *præcipiens nemini eloqui, quod ista declarasti, apud* vel *ad me.*] Mutatio personæ; quum esset proxime dictum in tertia persona, nunc introducitur sermo ut primæ personæ loquentis. Ut supra cap. 1. 4. & xvij. 3. Vult hoc secretum sibi indicatum celari Tribunus, ne Judæi rescirent suam conjurationem esse patefactam, atque aliud consilium de Paulo necando inirent. In arcanis magni refert ut silentio premantur, non divulgentur.

Vers. 23. *Et advocans duos quosdam Centurionum, ajit: Parate milites ducentos* nempe pedites, *ut vadant usque Cæsaream.*] Illam maritimam, de qua supra cap. 8. 40. & x. 1. & xij. 19. xviij. 22. xxj. 8, ubi propter maris opportunitatem, ii qui à Romanis imperatoribus missi Judææ præsidebant, sedem suam tunc habere sunt soliti: teste Tacito lib. Annal. xviij.

Et equites septuaginta.] Expeditiores ad iter & promtiores ad excursiones.

Et stipatores.] In Græco textu est nomen quod proprie notat *dextram tenentes*, ut significentur ii qui dextrum latus præfecti custodiunt: vel qui dextra prehendunt eos qui prehendi jubentur, aut qui dextra tantum manu arma sumunt & gerunt, non etiam sinistrâ sicut scutati solent, ut isti fuerint hastati. Aliqui putant significari dextros id est peritos jaculatores. Quædam exemplaria Græca habent tale nomen quod notat *dextra jacientes*, & Syrus Interpres habet, *qui mittunt dextera*, ut significentur ii qui jacula jaciunt solâ dextrâ manu, non ut sagittarii qui non solâ manu sed arcu, nec solâ dextrâ sed cum ope sinistræ sagittas ejaculantur. Ita denotarentur ii qui ut levis armaturæ manu tela missilia mittebant, vel etiam funditores, qui è funda lapides jaciebant.

Ducentos.

Ducentos.] It solicitam curam habebat Tribunus iste, de Pauli ut civis Romani salute tuenda, ut ei tot milites varios ad defensionem contra pericula adderet.

A tertia hora noctis.] Post occasum Solis tribus horis elapsis: ut id non aperte sed clam fieret, atque ita lateret Judæos Pauli adversarios.

Vers. 24. *Et jumenta.*] Ut camelum, aut equum; Syrus & Arabs habent in singulari *jumentum*, sed potest fieri ut non unum fuerit, ut Paulus uno fatigato alteri insideret.

Præbere.] Mutatur sermo rectus in obliquum. Sed ponitur infinitivus pro imperativo *præbete*. Sicut Matth. 5. 34 & 39.

Ut imponentes Paulum.] Græcum verbum est specialius, & proprie significat ita sustollere aliquem, ut conscendat jumentum. Sicut Luc. 10. 34. & XIX. vers. 35.

Salvum perducerent.] Vel incolumem sisterent.

Ad Felicem præsidem.] Felix iste fuit frater Pallantis, qui ex servo factus libertus à Claudio Imperatore, apud quem magnâ gratiâ & potentiâ pollebat, & nuptias Agrippinæ matris Neronis, cum Claudio patruo conciliavit, atque Nerori imperium paravit. Pallante curante, iste frater ejus Felix similiter è servo libertus, præfectus fuerat à Claudio Samariæ & quibusdam vicinis regionibus, deinde à Nerone Judææ toti. Vocatur à quibusdam, ut Josepho & Suida Claudius Felix, nomine priore indito à Claudio Imperatore qui eum è servo libertum fecerat. Tacitus ei prænomen dat *Antonius*, à matre Claudii Antonia, cui servierat. Videatur de eo & Suetonius. Adduntur hic in vulgata Latina versione quædam, quæ non exstant in Græcis exemplaribus.

Scripta epistolâ, continente formam hanc.] Exprimit Lucas non tantum epistolæ summam, sed ipsa verba quibus conscripta & formata fuit.

Claudius.] Nomen Romanum, familiæ claræ, inditum huic homini qui non erat natione Romanus, forsan à Claudio Imperatore, cujus gratiâ jus Romanæ civitatis acquisivit.

Lysias.] Nomen Græcanicum: quod huic tribuitur etiam infra cap. 24. 7. Ex more tunc recepto, nomen scribentis epistolam, quamvis inferioris, præpositum nomini ejus ad quem scribebatur.

Potentissimo seu *præstantissimo.*] Quidam vertunt *optimo*, quia nomen istud, etiam hoc notare solet: & potuit à Tribuno tribui præsidi isti quamvis non revera optimo, per adulationem. Sed verisimilius est significari honorem respectu potentiæ, seu potestatis, quam is provinciæ illi imperans eamque gubernans, obtinebat. Tali titulo ornavit etiam Theophilum, Lucas, in Euangelio. cap. 1. 3.

Præsidi.] Qui provinciæ illi Judææ gubernandæ, erat ab Imperatore Romano impositus.

Felici.] Hoc fuit ejus nomen quasi proprium.

Salutem subintelligitur *dicit* vel *optat.*] Græcus textus proprie habet, *gaudere:* quod Græci usurpant pro salve. Hinc Horat. in Epist.

Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano.

Vide supra Annot. ad cap. 15. 23.

Vers. 27. *Virum istum.*] Nempe Paulum, quem ad te mitto.

Comprehensum à Judæis, quum futurum esset ut interimeretur ab eis.] Accusat Judæos tumultuantes.

Superveniens cum militum manu seu *exercitu, erui* seu *eripui, eum.*] Hæc vox redundat per Hebraismum. Commendat suam in eo servando, seu à cæde tumultuaria liberando curam atque industriam. Vide supra cap. 21. 31, 32, 33.

Edoctus, seu quum didicissem, id est cognovissem seu rescivissem, *quod Romanus sit.*] Atqui non propterea ipsum eripuerat, quum demum postquam eum vinciri ad torturam præcepisset, rescivisset eum esse civem Romanum. Vide supra cap. 22. 25, 27, 28. Sed dissimulat Tribunus id ob quod reprehendi jure potuisset, & à veritate deflectens, laudem suam quærit.

Vers. 28. *Volens autem nosse causam, propter quam incusarent eum.*] Seu crimen, cujus eum postularent. Diligentiam suam in causæ inquisitione testatur.

Deduxi eum, in consessum eorum.] Supra cap. 22. vers. 30.

Vers. 29. *Quem inveni appellatum*, seu *incusatum, de quæstionibus Legis ipsorum.*] Nempe ob dissensum circa controversias religionis Judaicæ: qui dissensus non videbatur grande nefas & morte piandum.

Nullum autem dignum morte aut vinculis crimen habentem seu *habere.*] Testatur de Pauli vincti innocentia, eumque excusat.

Vers. 30. *Indicatis autem mihi insidiis.*] Seu adverso consilio, ut supra cap. 9. 24.

In hunc virum, fore ut fierent à Judæis.] Vide supra ℣. 12, 15, 20.

E vestigio.] In textu Græco *ex ipsa* scilicet hora, eadem.

Misi subintelligitur *eum, ad te.*] Ob illas insidias Judæorum, quos accusat, ideo eum ab eis Jerosolymà submovit, & ad præsidem mox ablegavit.

Denuncians & accusatoribus.] Scilicet Pauli, Judæis; qui forsan ut inter eos convenerat, accesserant ad Tribunum eodem illo die, postulantes ut Paulum ad consessum suum iterum velut examinandum produceret, ignari suos dolos esse patefactos. Quanquam videtur Tribunus id quod hic scribit, postera demum die post Paulum ablegatum, eis denunciasse.

Dicere, seu ut dicant, *ea quæ adversus eum.*] Scilicet habent.

Apud te.] Ut apud superiorem Tribuno præsidem, ac judicem.

Vale.] Concludens epistolam more solito optat ei bonam valetudinem.

Vers. 31. *Illi quidem igitur milites secundùm constitutum eis.*] Id est ita ut constituerat seu ordinaverat Tribunus.

Assumentes Paulum, duxerunt per noctem, Antipatridem.] Urbem prope mare mediterraneum sitam, quæ olim vocabatur Caphar Salama, de qua 1 Mac. 7. 31, in medio itineris inter Joppen & Cæsaream: quam Herodes Magnus Rex Judææ restauraverat, atque à patris sui Antipatri nomine, Antipatrida nominaverat.

Vers. 32. *At postera die, dimittentes* seu *relinquentes ibi, illos equites, ut vaderent cum eo.*] Scilicet ulterius, Cæsaream.

Reversi sunt.] Nempe ipsi pedites; quod proculdubio Tribunus quum eos emitteret ita mandaverat, existimans Paulum eo usque ab Jerosolymâ noctu progressum, jam fore in tuto, ut à solis equitibus deduci posset: & nolens partem præsidii longius ablegare & diutius abesse, quum nosset Judæos ad seditionem proclives.

In castra.] Illa quæ Jerosolymis tenebant, seu *in castrum.*

Vers. 33. *Qui.*] Non isti de quibus proxime dictum, sed illi remotius nominati equites.

Quum ingressi essent Cæsaream.] Illam maritimam, in qua præses residebat.

Et reddidissent illam epistolam.] A Lysia Tribuno scriptam.

Præsidi.] Felici.

Stiterunt & Paulum ei.] Seu coram eo.

Vers. 34. *Quum legisset autem præses.*] Nempe epistolam illam sibi traditam.

Et interrogasset ex qua, Græcè propriè *quali provincia esset.*] Nempe Paulus.

Et rescivisset quod ex Cilicia.] Scilicet esset. Vide supra cap. 21. 39. & xxij. 3.

Vers. 35. *Audiam*, in Græco textu est quasi *perandiam, te, inquit: quando & accusatores tui aderunt.*] Præsentibus demum accusatoribus, & accusationem proponentibus, vult audire à reo ipsius excusationem.

Jussitque eum in prætorio.] In aula & quasi palatio, quod ita nominatur quia in eo prætor qui dictus quasi præitor, id est præses, residebat. Ergo in loco honorato, non in carcere Paulus ibi habitus videtur.

Herodis.] Quod Herodes ille Magnus qui Cæsaream instauravit, exstrui curavit.

Custodiri.] Nempe à militibus aliquibus aut aliis custodibus, ne elaberetur.

CAPUT XXIV.

Vers. 1. *Post quinque autem dies.*] Nempe ab illa Pauli Cæsaream adductione, exactos.

Descendit.] Nempe Jerosolymâ Cæsaream.

Summus Sacerdos Ananias.] Ille de quo dictum supra cap. 23. 2.

Cum Senioribus.] Id est Senatoribus populi Judaici.

Et Rhetore.] Rhetor nomen Græcum, à Latinis solet usurpari de Magistris artis Rhetoricæ, quæ docet dicere facunde, quales Græci vocant Sophistas. At hoc loco significat oratorem, seu causidicum: qualem ut formularum in foro agendi peritum, isti Judæi sibi assumserunt, & conduxerunt, ut eorum nomine accusationem contra Paulum institueret.

Tertullo quodam.] Videtur ex ipso isto nomine advocatus iste fuisse generis Italici, ut Latinæ linguæ, peritus, ea lingua coram præside Romano causam ageret.

Qui comparuerunt.] Vide supra cap. 23. 15, vel declaraverunt se adesse, ut ibid. ℣. 22.

Præsidi, Felici, *contra Paulum.*] Ejus accusandi causâ.

Vers. 2. *Vocato autem.*] Seu citato ad judicium per præconem, aut aliquem ex præsidis apparitoribus. *Eo*, id est Paulo.

Cœpit accusare.] Id est accusabat: nam sæpe in his libris incipere aliquid facere, significat facere.

Tertullus, dicens.] Videtur oratio istius causidici quæ forsan more tunc usitato prolixior fuit, hic summatim & compendiose referri.

Vers. 3. *Multa pace potientes per te.*] In exordio captat benevolentiam Præsidis, tribuens ei laudem magnam, quod curet ut provincia cui præest sit pacata, atque ut ejus incolæ vitam agant tranquillam. Quanquam is præses Felix, pontificem Jonatham Annæ filium, quod ab eo liberius increparetur, interfecit per sicarios, quibus etiam in alios Judæos grassari impune permisit, teste Josepho Antiquit. lib. xx. cap. 5. & 6. Sed iste causidicus hoc callide silentio involvens, atque dissimulans, quod ipsius causæ non proderat; videtur eo respicere quod Felix Eleazarum prædonem insignem supplicio affecerat: qui etiam postea Ægyptium illum impostorem, de quo supra cap. 21. 38, cum ejus factiosis compressit. Simul autem innuit, par esse ut præses sicut alios seditiosos studio publicæ tranquillitatis puniverat atque compescuerat, similiter in hoc præclaro instituto progrediens etiam hunc quem accusandum suscepit, ut pacis publicæ turbatorem severe puniret.

Et correctionibus.] Vel recte factis officiis, qualia Cicero lib. de officiis hac ipsa quæ hic in textu exstat Græca voce usus, vocat perfecta officia: & lib. de Finibus recta facta seu recta officia.

Factis genti huic.] Nempe Judaicæ.

Per tuam providentiam.] Quæ est præsidum, provinciis gubernandis præfectorum, dos eximia.

Semperque & ubique.] Seu omni tempore & omni loco.

Accipimus.] Nempe animo, & verbis id agnoscentes.

Potentissime seu *præstantissime Felix.*] Solitum dignitatis atque honoris titulum ei tribuit, quem eidem tribuerat Lysias Tribunus supra cap. 23. 26. Aliqui notant, etiam optimi titulum qui hoc nomine Græco significari potest, tribui solitum Magistratibus, qui quod præ aliis præcipui atque optimi esse censeantur, & esse debeant, inde etiam optimates vocantur.

Cum omni gratiarum actione.] Indicatur ob ista recte facta seu beneficia, à Judæis, Felici reddi grati animi testificatio.

Vers. 4. *Ut autem non super plus* seu *amplius.*] Nempe quam oportet.

Te interpellem.] Longis exorsis, & molestis ambagibus, te remorari nolens, & ab aliis agendis retardare, ac tempus eis impendendum subtrahere.

Precor te ut audias nos.] Quia non suo sed Judæorum plurium nomine loquitur, ideo plurali voce utitur. Petit attentionem suæ orationi præberi.

Breviter.] Proprie in Græco textu *concisè*, id est succincte atque compendiose, scilicet dicturos, non prolixa oratione usuros. Grata est auditu prudentibus, præsertim occupatis, atque negotiorum multitudine

tudine districtis brevitas sermonis, si multas res paucis verbis perspicue exprimat: ut contra multiloquium molestum, & cum tædio atque fastidio conjunctum esse solet: quod tempus aliis rebus impendendum aufert, atque frustra consumit & perdit. Veritatis oratio est plerumque simplex & compendiosa; sed id interdum etiam calumnia æmulatur, ut simplicius narrans, eo fallat speciosius.

Pro tua æquitate.] Intelligat benignam in exaudiendo facilitatem, atque patientiam; quæ dos Judices valde commendat.

Vers. 5. *Invenimus enim.*] Seu comperimus.

Virum hunc.] Nempe Paulum, quem ibidem adstantem manu ostendit.

Pestem.] Id est pestilentiam seu pestiferum, per metonymiam effecti hyperbolicam: quasi lue contagiosa noxia multos inficientem atque vitiantem. Ita sæpe Oratores vocant pestes eos homines quos valde noxios in publicum existimant. Sed iste rabula ita rabiose vocavit immerito Paulum innocentem. Ita & hodie ii qui pro hæreticis quamvis non vere censentur, solent vocari homines pestilentes.

Et moventem seditionem.] Falsò Paulum insimulant seditionis concitatæ. Sed ita fieri solet ut veritas cum hominum receptis opinionibus pugnans, dum ab hominibus pravis non suscipitur, sed oppugnatur, seditionis atque tumultus temere excitare & pacem populi turbare videatur. At isti ipsi Judæi Paulum criminantes, seditiones contra ipsum in variis locis concitabant. Ut supra cap. 9. 23. & xiij. 50. xiv. 5. xvij. 5 & 13. xviij. 12. & xxj. 30, 31. Hic libet usurpare illud

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Omnibus Judæis iis [qui sunt] per habitatam seu *habitabilem.*] Scilicet terram, id est per orbem terrarum. Vide Luc. 2. 1, non solum in Judæa, sed & alibi per diversas regiones, per quas Judæi erant dispersi.

Antistitemque.] Seu antesignanum, quasi primum stantem in acie, metaphorâ ductâ à re militari. Erat profectò Paulus post Jesum Christum Ducem, eximius Ductor & quasi Tribunus militum excellens in ista acie militari spirituali Christianorum, religionem Jesu Christi ut unus è præcipuis strenue propugnans.

Illius Nazarænorum.] Ita vocant Judæi Christianos, à Jesu dicto Nazaræno, vide Marc. 10. 47. Luc. 18. 37. Joh. 1. 46. xix. 19. Act. 2. 22. x. 38. xxij. 8, qui Nazaretæ ignobili Galilææ oppido fuit educatus. Quanquam hæc appellatio velut per contumeliam imposita, divinitus est commendata, vide Matth. 2. 23, utpote ipsi Jesu gloriosa, quippe respiciens ad Naziræos, separatos ac Deo consecratos, vel ad Netzer, surculum illum de stirpe Davidis per Prophetas promissum. Ita nunc solent etiam veram doctrinam sequentes Christiani vocari novis nominibus, vel ab iis qui inter ipsos excellebant, quanquam non primi authores eorum religionis erant, vel à locis, in quibus vigebant, derivatis appellationibus. Sed istud Nazaræorum cognomen, quod tunc Christianis tribuebatur, ut & Paulo, hæsit postea in iis qui Jesu Christi doctrinam amplexi, adhuc ritus Mosaicos ut necessarios retinebant.

Hæreseos.] Seu sectæ. Hæresis, nomen per se significans electionem alicujus dogmatis, ut fiebat in variis Philosophorum opinionibus, sed jam plerumque in malam partem accipitur, ut 1 Cor. xi. 19. Gal. 5. 20. Tit. 3. 10. vide & supra cap. 5. 17. Sumitur autem hic hæresis pro ipsis hæreticis eam amplectentibus, seu secta, pro sectariis. Ita Judæi Christianos veros, ab illis dissidentes, habebant pro hæreticis, quod ab Ecclesia publica quæ tunc Dei esse censebatur, discreparent: quamvis isti non ipsi sibi elegerant dogmata aliqua erronea, sed à Deo commendata, vera, tenebant. Sic etiam hodie similiter ii qui veram Christi religionem sequuntur, sed à prolapsis in errores Christianis vulgaribus dissident, hæretici nominantur.

Vers. 6. *Qui & templum tentavit profanare.*] Scilicet illud Jerosolymitanum: quod Paulo calumniose objectum, vide supra cap. 21. 28.

Quem & seu *etiam, prehendimus.*] Sed violenter, per tumultum, respice ad cap. 21. 27 & 30.

Et secundum nostram Legem voluimus judicare.] Hoc falsum est: nam absque judicio seu dijudicatione causæ legitima, voluerunt Paulum Judæi violenter occidere, vide cap. 21. 31. Apparet Judæis fuisse relicta judicia in negotiis religionis, ut & in Jesu negotio apparuit, sed citra pœnas capitales, in quibus consensus Romani præsidis ex jure requirebatur.

Vers. 7. *Adveniens autem Lysias Tribunus.*] Jerosolymæ residens cum militum Romanorum cohortibus, qui tunc Paulum misit ad Felicem præsidem.

Cum multa vi.] Seu magna violentia.

Ex manibus nostris [eum] abduxit.] Subintelligitur, eripiens, vide cap. 21. 32, 33. Perstringunt & quodammodo incusant coram Præside Tribunum, quod Paulum violenter istis eripuerit, quum ipsi violenter Paulo injudicato vitam eripere voluerint: quasi eis injuriam intulerit quod eos ab inferenda alteri injuria cohibuerit.

Vers. 8. *Jubens accusatores ejus*, id est Pauli, *venire ad te.*] Ut coram præside causa ista dijudicetur.

A quo.] Vel à Lysia Tribuno, ut videtur apparere ex ℣. 22. Vel, quia Lysiæ non videntur fuisse nota ea quæ Paulo sunt objecta ab istis, de Judæis per orbem commotis, & de templi profanatione; ex ipso Paulo.

Poteris ipse dijudicans de omnibus istis cognoscere, quorum seu *de quibus, nos accusamus eum.*] Nempe per diligentem ac severam inquisitionem.

Vers. 9. *Consenserunt autem & Judæi.*] Nempe Pontifex Maximus, cum Senatoribus, de quibus supra ℣. 1.

Ajentes hæc ita [se] habere.] Oratoris sui Tertulli orationem nomine ipsorum habitam, approbarunt, eique sunt adstipulati.

Vers. 10. *Respondit autem Paulus: Innuente ei præside ut diceret.*] Ad accusationem qua reus fiebat criminum, purgandi ac defendendi sui causa reposuit responsionem, præsidis ipsius Felicis jussu aut permissu, qui etiam partem alteram audire merito voluit. Respondit autem non per advocatum, ut Judæi accusarant, sed ore suo proprio.

Ex seu *à multis annis.*] Felix iste antea vicinas

Judæ regiones, & ad eam pertinentes, Trachonitidem, Bataneam, & Gaulonitidem, gubernaverat per decennium; videatur Josephus de bello Judaico lib. 2. cap. XI, ipsam autem Judæam proprie dictam jam tertium annum gubernabat.

Existentem te judicem.] Id est ex Hebræorum loquendi consuetudine, gubernatorem. Sic olim illi qui ante Reges constitutos populum Israëliticum regebant, ac bella pro ejus defensione gerebant, vocati sunt Judices.

Genti huic, nempe Judaicæ, *sciens.*] Id Paulus quamvis per multos annos alibi extra Judæam versatus, sed tamen Judæam aliquoties accedens, scire potuit.

Meliore animo.] Id est alacriore & promtiore, ut coram rerum Judaicarum perito, Judice idoneo.

Ea quæ de meipso scilicet *sunt.*] Seu quæ ad me attinent.

Sermone defendam.] Talis per sermonem defensio, Græca voce dicitur Apologia. Ut supra cap. 22. vers. 1.

Vers. 11. *Quum possis tu nosse.*] Quia es non ignarus Judaicarum consuetudinum, atque id quod dicam facile potes inquirere.

Quod non plures sint mihi dies quam duodecim.] Proprie in Græco *decem duo* sicut & supra cap. 19. 7. Quia Judæi qui extra Jerosolymam vivebant, more solito, proxime ante festum solenne quale tunc erat Pentecostes, supra cap. 20. 16 Jerosolymam confluebant: Paulus ergo qui advena fuit etiam proxime ante venerat, & mox ante festum captus, ac in vinculis detentus fuit: ut exiguo tempore, peregrinus, seditionem talem de quali accusabatur concitare non potuerit. Hi dies colligi possunt ex cap. 21. 17, 18, 26. & XXIJ. 30. XXIIJ. 12, 32. XXIV. 1.

A qua, scilicet die, *ascendi.*] Id est adveni.

Adoraturus.] Nempe Deum, in templo, culturus, sacrificia ei oblaturus, festo solenni.

In Jerusalem.] Hæ voces possunt referri vel ad verbum *ascendi*, vel etiam ad vocem *adoraturus.* Jerosolymam veniebant Judæi, ut Jerosolymæ Deum adorarent.

Vers. 12. *Et neque in templo invenerunt me ad aliquem* seu *cum aliquo disputantem.*] Quamvis hoc non erat illicitum neque criminosum, de rebus sacris, etiam in aditu templi ac illa ejus parte in quam populus convenire solebat disserere atque disceptare: sed etiam hoc quod licebat, Paulus se fecisse negat, ut longius à se amoveat omnem criminis speciem: quum posset existimari, eum ex disputatione circa res ad religionem spectantes, occasionem tumultui cuipiam dedisse.

Aut coitionem seu *concursum*, *facientem turbæ.*] Id est plebis convocatæ vel concitatæ ad tumultum.

Neque in Synagogis.] Extra templum, in scholis Judæorum.

Neque in urbe.] In alio aliquo urbis loco. Varios locos recenset, in quorum nullo seditionem excitavit.

Vers. 13. *Neque exhibere*, id est ostendere atque probare evidenter, *possunt*, *de quibus nunc accusant me.*] Non habent ulla ad probandum crimen argumenta vera. Non tantum negavit Paulus se tumultum excitasse, sed non contentus simplici inficiatione, validius refellit adversarios & accusatores suos, in faciem hoc eis coram præside dicens, quod ea quæ de ipso affirmant crimina non possint probationibus confirmare. At accusatore crimen objectum non probante, reum absolvi oportet.

Vers. 14. *Confiteor autem hoc tibi.*] Negato crimine seditionis excitatæ, quod falso erat objectum, aliam objectionem de secta Nazaræorum non negat Paulus, verum confitetur palam coram præside, sed excusat. Ita debent Christiani, ubi res requirit, esse parati ad confessionem de religione, & pro ea apologiam. Vide 1 Petr. 3. 15, etiam præcipue quum apud Judices religionis causâ accusantur.

Quod secundum hanc viam.] Id est religionem, quæ est modus accedendi ad Deum, eumque colendi. Vide supra cap. 18. 26. XIX. 23. XXIJ. 4.

Quam dicunt hæresin.] Ita isti accusatores religionem Christianam vocarunt, hæresin Nazaræorum, supra ℣. 5.

Ita.] Explicat modum religionis suæ Paulus, summatim.

Servio patrio Deo.] Indicat se non aliquod novum ac recens excogitatum vel alienum numen religiose colere, sed eum Deum quem jam olim Patres seu Majores Israëlitarum coluerunt. Hoc servitium Deo à se præstitum & alibi memorat Paulus, ut Rom. 1. 9. 2 Tim. 1. 3.

Credens.] Hoc est ut credam, seu certo sim persuasus de istorum veritate, absque dubitatione.

Omnibus.] Non tantum aliquibus, ut solent hæretici nonnulli.

Illis secundum Legem vel *in Lege.*] Intelligit Legem patriam, Mosaicam.

Et in Prophetis.] Qui post Mosen vixerunt, & quædam Dei nomine populo Israëlitico annunciaverunt, præsertim de futuris Dei beneficiis, populo Israëlitico conferendis, vide infra cap. 26. 6, 7 & 22. In his autem præcipue continetur promissio de Messia seu Christo exorituro, atque ad populum mittendo: qui jam tempore expleto est missus.

Scriptis.] Non ad traditiones aliquas incertas oretenus propositas, & per manus hominum non satis fidas, posteris transmissas, Paulus provocat: sed Scripturam Sacram, ut certam normam, ponit pro suæ fidei fundamento. Ita nos quoque in rebus ad fidem ac religionem spectantibus, Sacras Scripturas firmiter tenere & sequi debemus.

Vers. 15. *Spem habens in Deum* seu *in Deo.*] Nempe Dei potentiâ atque justitiâ implendam: isti innixam non vanam ex commento humano arreptam. Post declaratam fidem suam, nunc declarat spem, ob quam Deo serviat.

Quam & isti ipsi exspectant.] Nempe ex Judæis, & istis accusatoribus meis, plerique: præsertim Pharisæi, quæ erat secta inter Judæos potissima, vide supra cap. 23. 6, 8. Qui Pharisæi quamvis antea cum Sadducæis non consentirent, imo Paulum insontem sibi videri pronunciarent, supra cap. 23. 9, tamen forsan postea cum illis syncretismum contra Paulum fecerant. Indicat in hoc dogmate suum cum adversariis plerisque consensum.

Resurrectionem futuram esse mortuorum.] Quod non

non sit mors ultima linea rerum, quod homines post vitam hanc terrenam exactam, morte soluti, non sint prorsus perituri, sed rursus ad vitam revocandi. Quam doctrinam Moses quidem in Fœdere Antiquo expresse non docuit, sed eam Judæorum Magistri collegerunt ex quibusdam Prophetarum dictis, ut Psal. 16. 10. XLIX. 16. Dan. 12. 2. Hos. 13. 14. Præcipue autem videtur firmata inter Pharisæos circa tempora Macchabaica, quum multi pii Dei cultores atrociter afflicti & dira morte essent sublati, & tamen Deus promiserit, piis, Legem suam observantibus, se præmia redditurum, hinc concepta est spes innixa divinæ bonitati ac in promissis fidelitati, ejusdemque potentiæ, naturæ vires exsuperanti, fore ut isti quantumvis morte affecti, à Deo resuscitentur.

Sed gratia sit Deo, quod per Jesum Christum dederit nobis non obscuram, sed claram & apertam è morte resurrectionis promissionem, & quidem piis ad vitam cœlestem æternam atque beatam. Vide inter alia Joh. 5. 28, 29. 1 Cor. 15. 20, 21, 22, 26, 52. 1 Thess. 4. 15, 16. 2 Tim. 1. 10.

Justorum & injustorum.] Inter Judæorum Magistros & Pharisæos plerosque opinio fuit, animis piorum post mortem patere reditum in corpus, sed impiorum animas carceribus æternis conclusas teneri, ita ut nunquam corporibus reddantur. De qua opinione videatur Josephus, ubi scribit de Pharisæis, Antiquit. lib. xviij. cap. 2. Belli Judaici lib. ij. cap. 7. & lib. 3. cap. 14. Solet quidem in Sacra Scriptura resurrectio absolute ac simpliciter posita sæpe significare à potiore specie eam resurrectionem quæ fit ad vitam æternam, beatissimam.

Sed interdum significat generaliter resuscitationem mortuorum ad judicium, ex quo aliqui ad præmia beata, alii ad pœnas sint deducendi. Ut hoc loco, ubi nominatur resurrectio non tantum justorum, sed etiam injustorum. Sicut etiam in verbis Christi Joh. 5. 28, 29, ubi dicuntur è sepulchris exituri omnes, & quidem ii qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, id est ad vitam æternam; at qui mala egerunt, in resurrectionem judicii, id est ad condemnationem & punitionem, atque perditionem. Ubi non subest causa justa cur à propria verborum significatione recedatur, & ad impropriam confugiatur. Et 2 Cor. 5. 10, idem Paulus Apostolus dicit, omnes nos sive in corpore degentes, sive è corpore migrantes oportere comparere coram tribunali Christi, nempe in illo judicio ultimo, ut reportet quisque ea quæ per corpus egit, id est eorum vel præmia vel pœnas, secundùm ea quæ egit, sive bonum, sive malum. Et Apoc. 20. 12, 13, scripsit S. Johannes se vidisse per revelationem de futuris, mortuos resuscitatos, & judicatos secundùm opera ipsorum.

Non est autem justa causa, cur ut aliqui faciunt à proprietate vocis discedentes absque necessitate, per injustos intelligamus eos qui quum aliquando injusti fuissent, postea injustitiâ relictâ justitiam coluerunt. Nam quando simpliciter absque ulla adjectione ponuntur simul justi & injusti, eis oppositi, seu mali & justi, tum injusti seu mali intelliguntur ii qui in malitia seu injustitia perseverarunt, ut Matth. 13. 49. Nec potest inveniri exemplum dissimile ad instantiam. Nam Luc. 15. 7, justis opponitur quidem peccator, qui etiam salutem cum justis consequetur, sed additur *resipiscens.*

Neque vero huic propriæ expositioni nostræ repugnat, quod inconveniens videatur spem Pauli quam hic declarat extendi etiam ad impiorum resuscitationem ut interitu extremo afficiantur: quum spes nonnisi bona spectet. Nam ut taceatur illud quod sperare interdum pro timere accipiatur, considerandum est, Pauli spem seu fiduciam, pertinere primario ad resurrectionem justorum, prius nominatam. Non est autem absurdum, secundario quanquam minus proprie spem istam spectare etiam ad injustorum præsertim eorum qui voluntatem Dei revelatam habentes eam contemserunt pertinaciter, & justos inique afflixerunt, resuscitatorum, pœnas justas à Deo justissimo per Christum Judicem eis infligendas. Vide 2 Thess. 1. 6, 7. & Apoc. 16. 5, 6. & xviij. vers. 20. XIX. 1, 2, 3.

Vers. 16. *In hoc autem.*] Id est in isto negotio seu in ista re: vel propter hoc, nempe quia talem fiduciam de mortuorum resurrectione habeo. Ita per Hebraismum, in aliquo, significat propter aliquid: sicut Matth. 6. 7. Eph. 3. 13. Col. 2. 16.

Ipse exerceo] Nempe meipsum: serio in id studium impendo, atque gnaviter in id incumbo ac in eo elaboro. In virtutis atque sanctimoniæ habitu acquirendo, requiritur ut homo studiosam ac diligentem circa eam adhibeat sui ipsius exercitationem. Propter similem spem simile studium in purificando seipsum indicatur 1 Joh. 3. 3. vide & 2 Cor. 7. 1. Philip. 3. 14.

Postquam Paulus significavit quid crederet, quidque speraret, nunc porro significat quid faceret, seu quomodo vitam suam ageret.

Non sufficit ad officium hominis pii implendum ut vera credat, & speret beata, sed oportet insuper ut operetur bona atque honesta.

Inoffensam seu *absque offensa*, *conscientiam habere.*] Id est ut habeam. Conscientia est judicium morale de actionibus propriis ad regulam applicatis. Quando homo habens in corde inscriptam regulam vivendi secundum Legem honesti, præsertim autem secundum Leges Dei sibi revelatas, contra istas Leges aliquid facit, tum offendit atque lædit suam conscientiam, à qua etiam accusatur atque punitur, vide Rom. 2. 15. Absque offensa autem est conscientia quando quis ita agit sicut ei conscientia dictat, ut possit, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa: Adeoque bonam ac lætam conscientiam, facta sua approbantem, & secundum ea bene de gratia Dei sperare jubentem, habere.

Ad Deum.] Respectu eorum officiorum quæ ad Deum ejusque cultum directe spectant. Etiam antea coram Judæis dixit Paulus se in bona conscientia conversatum esse erga Deum. Supra cap. 23. 1. vide & 2 Tim. 1. 3.

Et homines.] Cum hominibus quoque ita vixi, ut in conscientia mea non arguar eos sciens volens aliqua in re offendisse. His dictis indicat Paulus non vere sibi objecta esse ista crimina, supra ℣. 5 & 6, quod & seditiones excitaverit, & templum profanare voluerit. Oportet Christianis curæ esse ut bonam conscientiam habeant, ne scelerum redargui

vere possint. Vide 1 Petr. 3. 16, & procurari ab iis honesta, non solum coram Domino, sed & coram hominibus 2 Cor. 8. 21.

Per omne.] Scilicet tempus, seu semper. Non tantum interdum & in aliquibus factis Paulus secundum conscientiam bonam egit, sed absque interruptione, eodem tenore bono, vitam duxit.

Vers. 17. *Per* vel *post annos autem plures.*] Postquam Jerosolymis abfui, alibi versatus.

Accessi.] Nempe Jerosolymam.

Eleemosynas facturus in gentem meam.] Id est per alias regiones collectam stipem allaturus & præstiturus meis popularibus egenis ex populo Judaico. Etiam antea id fecerat, vide cap. xi. 29, 30. & 1 Cor. cap. 16. 1. & tunc. Vide Rom. 15. 25, 26. Indicat se non seditionum excitandarum causâ venisse Jerosolymam.

Et oblationes.] Nempe Deo debita sacrificia in festo solenni oblaturus.

Vers. 18. *In quibus.*] Id est interea dum hæc ago. Vide similem dicendi formulam infra cap. 26. 12.

Invenerunt me purificatum in templo.] Respectu voti Naziræatus. Vide supra cap. 21. 26. An hoc est, ut isti criminantur, templum profanare?

Non cum turba.] Id est non ita ut aliquam populi multitudinem mecum in templum adducerem, ad aliquid nefarium moliendum.

Neque cum tumultu.] Nec aliquem motum temerarium excitantem, sed pacate agentem.

Quidam ab Asia Judæi.] Id est ex Asia minore, stricte ita dicta, vide supra cap. 21. 27. Alias etiam Jerosolyma totaque illa terra Chananæa est in Asia, nempe magna.

Vers. 19. *Quos oportet apud te adesse.*] Utpote eos qui primi in templo contra me insurrexerunt, & impetu facto violenter sævire voluerunt. Hi qui primarii actores esse debebant, par erat ut nunc in judicio isto comparerent.

Et accusare si quid haberent ad me seu *adversus me.*] Nempe crimen aliquod. Quum autem illi non adsint, neque accusationem instituant, suspecta est hæc eorum absentia, & horum qui ipsi initio hujus rei non adfuerunt, absque illis actio.

Vers. 20. *Aut ipsi isti.*] Qui nunc hic ex Judæis adsunt, adversarii mei, Sacerdotes, & Senatores: qui initio impetus in me facti non aderant præsentes, sed tantum ab aliis quædam de me delata acceperunt.

Dicant si quod invenerunt in me injuste factum vel *iniquum.*] Magna libertate dicendi ac fiducia, Paulus ut nullius criminis sibi conscius, provocat adversarios suos ut proferant si quod in ipso crimen ipsi deprehenderunt.

Stante me seu *quum starem.*] Non *quum stem* ut habet vulgata versio.

In Synedrio seu *consessu.*] Nempe Senatus Judaici, cui me stiterat Tribunus militum, ad causam meam cognoscendam. Vide supra cap. 22. 30. & xxiij. 1. Ibi in ipso loco in quo sum comprehensus Jerosolymæ, in facto recenti, ubi multi aderant qui ad testandum de meo facinore si quod erat, & ad id probandum adhiberi potuerunt, nullius criminis sum convictus.

Vers. 21. *Aut* seu *nisi forte.*] Scilicet dicturi sunt, velut de injuste facto aut crimine meo, in quo facto nullum crimen inest.

De una ista voce qua clamavi stans in eis.] Id est inter eos, ut supra cap. 7. 44. & xviij. 11.

Quod.] Vocula ista hic redundat, ut sæpe in sermone referendo.

De resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.] Hoc vox expressa est supra cap. 23. 6. Hanc autem Pauli vocem, non esse in crimine ponendam, apparet ex eo quod dixit supra ℣. 15, ipsos Judæos adversarios suos exspectare mortuorum resurrectionem.

Vers. 22. *Audiens autem ista* vel potius *auditis istis.*] Nempe quæ dicta sunt, tum à Judæis accusantibus, tum à Paulo sese excusante ac defendente.

Rejecit eos.] Id est distulit Præses in aliud tempus de ista causa sententiæ seu decreti pronunciationem: ampliavit, ut amplius de hoc negotio deliberaturus.

Exquisitius.] Comparativus ponitur pro positivo ut cap. 17. 21.

Sciens ea [quæ sunt] de hac via.] Per viam hanc intelligitur religio Christiana, sicut supra cap. 9. 2. & xix. 9, 23. xxij. 4, quæ objecta est à Judæis Paulo sub titulo hæreseos Nazaræorum, supra vers. 5.

Hujus igitur religionis Christianæ saltem quoad historiam rerum à Judæis cum Jesu Christo Nazaræno factarum, & controversias Judæorum cum Christianis, indicatur non ignarus fuisse præses iste Felix; tum quod inter Judæos, apud quos ista de religione Christiana vehementer agitabatur controversia, à multis annis versaretur, vide supra ℣. 10, tum quod uxorem haberet Judæam, infra vers. 24. à qua de his potuit audire. Simile quid de Rege Agrippa indicatur infra cap. 26. 26. Nam non videtur subesse causa necessaria, cur hic vocum trajectio admittatur, ut quidam volunt, quasi hæc verba essent præsidis Felicis, indicantis se velle cognoscere exquisitius de hac via seu religione, ut vox *dicens* quæ hic postponitur, præponatur.

Ajens.] Exprimitur modus illius rejectionis seu dilationis in isto negotio.

Quum Lysias Tribunus descenderit.] Id est Jerosolymis ubi degit, huc ad me Cæsaream venerit.

Dignoscam ea quæ secundum vos.] Id est vestra ista negotia.

Vers. 23. *Constituensque* vel *mandans Centurioni.*] Cuidam ex præfectis militum qui ipsi aderant.

Servari Paulum.] Id est ut asservaretur in custodia.

Habereque relaxationem.] Ut non premeretur vinculis, & custodiâ arcta atque rigida, sed mitius ac liberalius tractaretur.

Et neminem prohibere propriorum seu *suorum.*] Id est familiarium vel amicorum Pauli.

Ei ministrare.] In procurandis rebus necessariis.

Aut adire eum.] Colloquii & solatii causâ. Ita Deus præsidis istius alias non boni animum flexit ut Paulo captivo indulgeret.

Vers. 24. *Post dies autem aliquos, adveniens* vel *quum adesset Felix.*] Ille Præses Judææ non videtur tunc Cæsaream venisse aliunde. Sed quum Cæsareæ esset, è suo prætorio, accessisse propius ad illum locum in quo Paulus in liberali custodia asservabatur. Nisi forte intelligatur Cæsarea ad aliam aliquam urbem

bem Judææ interim digressus, rursus tunc Cæsaream rediisse.

Cum Drusilla.] Cui nomen hoc inditum videtur in memoriam Drusi, Patris Claudii Romanorum Imperatoris, qui valde diligebat Herodem Agrippam Regem Judæorum: vel in memoriam Liviæ Drusillæ uxoris Augusti Cæsaris, & Matris Drusi. Erat ista de quo hic dicitur Drusilla filia Herodis Agrippæ senioris, Regis Judæorum, de quo dictum supra cap. 12. ex Antonii Triumviri & Cleopatræ Reginæ Ægypti filia Cypride, uxore istius Herodis Agrippæ: soror Agrippæ Regis junioris, de quo infra xxv. 13. videatur Josephus, & Tacitus.

Uxore sua.] Quam à Patre nuptum datam Azizo Emessenorum Regi, circumcisionem suscipienti, Felix ob eximiam pulchritudinem adamatam, per quendam Judæum magum, Agrippæ amicum, pellexit, ut maritum priorem desereret, ac sibi nuberet.

Erat is Felix, ut testatur Suetonius in vita Claudii cap. 28, trium reginarum, id est regiarum filiarum ac neptium maritus: non uno tempore, quod Romanis insolens, sed una mortua, alia ducta.

Existente Judæa.] Seu quæ erat Judæa, quamvis ex Idumæorum stirpe, sed Judaicæ religioni addicta.

Accersivit Paulum.] Forsan impellente uxore Drusilla, vel etiam sua propria curiositate.

Et audivit eum de illa in Christum.] Addunt quædam exemplaria *Jesum, fide.* Id est de Christiana religione.

Vers. 25. *Disserente autem eo.*] Nempe Paulo, *de justitia* præter sermonem de eo quid sit de Jesu Christo credendum, adjecit de iis quæ sub hac fide comprehenduntur concionem, homini tali qualis erat iste præses Felix, necessariam: docuit quomodo ex Dei & Christi mandato observanda sit justitia, reddendo unicuique quod suum est, & nemini facienda injuria.

Et continentia.] Seu temperantia ac præsertim ejus specie castitate, atque abstinentia à libidine. De his etiam gentiles, qualis erat Felix, ex ipso lumine naturali convinci potuerunt.

Et judicio quod futurum est.] Quo Deus sub finem hujus mundi homines omnes, etiam potentes & eos qui nunc sedent alios judicantes, postea coram tribunali suo stantes, judicabit juste, per Jesum Christum constitutum à Deo judicem vivorum & mortuorum, secundum opera uniuscujusque, justis præmia & injustis supplicia convenientia formidabilia redditurus. De quo judicio etiam coram Athenienfibus in Areopago Paulus peroravit, Act. 7. 31. Doctrina de isto judicio, recensetur inter religionis Christianæ principia Hebr. 6. 1, 2.

Exterritus factus.] Seu expavefactus, metu correptus.

Felix.] Quia sibi conscius erat vitæ flagitiosæ; nam contra justitiam, servili ingenio, per omnem sævitiam, jus regium exercebat, & contra continentiam, uxorem alienam à marito invito abduxerat. Videatur de eo Tacitus, Annalium XII. & Historiarum V. Ideo conscientia scelerum eum pungente, atque turbante, audita Pauli concione, de virtutibus contra quas peccabat, & de horrendo à Deo ob talia peccata judicio atque supplicio infligendo, terrore ac formidine perculsus fuit, non tamen permotus ad resipiscentiam.

Respondit, quod nunc attinet.] Seu ad præsens, Beza vertit, ut nunc se res habent.

Vade.] Dimittit eum à se ut abeat in illud conclave seu cubiculum in quo asservabatur. Noluit diutius audire sermones molestiam sibi atque terrorem afferentes.

Opportunitatem autem nactus, advocabo te.] Nempe ad colloquia. Indicabat scilicet doctrinam istam quam Paulus proponebat, non prorsus sibi displicere.

Vers. 26. *Simul autem &* seu etiam, *sperans, quod pecuniæ darentur ei à Paulo.*] Quia intellexit Paulum ut Christianorum antesignanum, à multis hominibus etiam divitibus, apud quos etiam eleemosynas in egenos collegerat, supra ℣. 17. amari & honorari, ideo homo avarus, & ut Hesiodus tales vocat doni-vorus, contra leges, etiam Romanas de talibus latas, & actione Repetundarum firmatas, pecuniam cui valde inhiabat, dari sibi à Paulo vel ejus amicis propter ipsum, desiderabat.

Ut solveret eum.] Id est, in causa ista absolveret ac liberum pronunciaret, vel ex captivitate ista atque ex custodia emitteret.

Ideo & seu *etiam, crebrius eum accersens, colloquebatur cum eo.*] Ut scilicet per ista crebra colloquia intelligeret an Paulus sese pecuniis ex ista captivitate redimere vellet.

Vers. 27. *Biennio autem impleto.*] A Paulo capto.

Accepit successorem Felix.] Quum ob scelera accusatus, ab officio procurationis Judææ per Neronem Cæsarem remotus esset, teste Tacito.

Porcium Festum.] Ex familia Porciorum fuerunt olim Romæ insignes Catones.

Volensque.] Vel volens autem, *gratias* seu *gratiam* ut habent alia exemplaria,

Præstare proprie *deponere Judæis Felix.*] Non tantum ut iis ex quorum gente vel religione uxorem habuit, rem gratam faceret, sed etiam ut eos quos diversis flagitiis irritaverat, placaret.

Reliquit Paulum vinctum.] Quia sese pecunia sperata non redemerat, reliquit eum in vinculis, quod sperabat Judæos grato animo suscepturos. Sed hoc eum nihil juvit: nam Judæi eum ob varia scelera coram Cæsare Nerone graviter accusarunt. Hinc factum est ut eum iste ejus successor Portius Festus miserit vinctum Romam ad Neronem, qui ipsum pœna capitali afficere voluit, sed precibus Pallantis fratris ejus ipsum donavit. Ita qui Paulum innocentem in vinculis detinuit, ipse nocens & vincula & metum mortis atrocis expertus est.

CAPUT XXV.

Vers. 1. *Festus igitur ingressus provinciam.*] Nempe Judæam, sibi ab Imperatore Romano commissam procurandam.

Post tres dies.] Non longa temporis mora interjecta.

Ascendit in Jerosolyma.] Seu Jerosolymam, ut istius Provinciæ metropolim. Ut ibi gubernationem suam susciperet & aggrederetur.

A Cæ-

A Cæsarea.] In quam utpote primam ab Italia in Judæam adventantibus occurrentem urbem, & in qua residere ordinarie debebat. Vide annot. supra ad c.23.23.

Vers.2. *Comparuerunt autem eo.*] Ut supra 23.15. & 24 1.

Princeps sacerdotum.] Idem ille, ut videtur, qui superius est memoratus, Ananias, 23.2. & 24.1.

Et primi Judæorum.] Id est primarii seu præcipui, ex Judæis, ut Marc.6.21. tales supra 24.1. vocantur *Seniores*, seu Senatores.

Contra Paulum.] Istius negotii causa mox coram Præside comparuerunt, ut Paulum accusarent.

Et precabantur eum.] Nempe Festum præsidem novum.

Vers. 3. *Petentes gratiam.*] Quia solet à præsidibus recens inauguratis, favoris initio captandi causa, concedi gratia aliqua provincialibus, justum aliquid petentibus, ideo hac occasione mox arripta, isti supplicarunt.

Contra eum.] Id est contra Paulum, adversarium suum.

Ut accerseret eum in Jerusalem.] Quasi negotii ejus & litis cum eo disceptandæ ac dijudicandæ causa, in ista metropoli.

Insidias facientes.] Id est facere conantes seu facturi si præses eorum petitioni annuisset.

Ut interimerent eum in via] Per sicarios ad id paratos, atque in id intentos, ut supra cap.23. 15. quum animadverterent se in ista lite circa religionem suam apud præsidem Romanum Ethnicum, talia non curantem, nihil persecturos, quia crimina aliqua coram eo plausibilia probare non poterant, quod per legitimam juris viam efficere nequiverunt, ut Paulum è vita tollerent, id vi efficere machinabantur. Ita diligentes & indefessi fuerunt in suo proposito maligno sanguinario. Sic solent & nunc servorum Christi adversarii.

Vers. 4. *Ipse quidem igitur Festus respondit, servari Paulum in Cæsarea.*] Seu Cæsareæ non annuit Præses isti Judæorum quamvis primariorum de re ut videbatur non magni momenti petitioni, indicans non esse justam causam cur Paulus Cæsarea ubi custodiebatur, & ubi judicari posset, Jerosolymam deduceretur. Ita Deus qui cor Præsidis in manu habuit, animum & linguam ejus pro suo arbitrio direxit, & adversariorum servi sui machinationes corrupit.

Seipsum autem in celeritate.] Seu celeriter, non longa mora interjecta.

Profecturum.] Scilicet illuc, Cæsaream.

Vers. 5. *Qui igitur potentes.*] Vel præ cæteris authoritate pollentes, ut Apoc. 6. 15. vel potius qui sunt instructiores ad reum istum accusandum & convincendum similiter ut infra cap. 27.43.

Id vobis id est *inter vos.*] Ita sæpe *in* sumitur pro *inter.* Ut supra 7.44. xviij.11. xxiv.21.

Inquit, simul descendentes.] Nempe Jerosolymis Cæsaream una mecum proficiscentes.

Si quid est.] Addunt codices emendatiores vetusti ἄτοπον *inconveniens* id est improbum, ut Luc.23. 41. vide & 2 Thess.3.2.

In viro isto.] Nempe in Paulo.

Accusent eum.] Crimen ejus proferant & probent.

Vers.6. *Commoratus autem.*] In Græco textu est *conterens* seu *quum contrivisset*, scilicet tempus, ut Joh.3.22. & xj.54. & xiv.3. & x.28. xv.35.

In eis.] Id est inter eos. *In* pro *inter*, sicut versu proxime præcedente.

Dies plures.] Aliqui codices habent *non plures* quia dixit supra 10.4. se celeriter profecturum.

Quam decem.] Quædam exemplaria habent *octo aut decem.*

Descendens.] Vel quum descendisset, nempe Jerosolymis, digressus.

Cæsaream.] In eam urbem in qua residere debebat.

Postera die mox post adventum sedens in tribunali.] Ad judicia exercenda.

Jussit Paulum adduci.] Ut ejus causam dijudicaret.

Vers.7. *Adveniente autem eo.*] Vel quum adfuisset, scilicet Paulus.

Circumsteterunt.] Nempe *eum* ut aliqui codices addunt.

Illi qui à Jerosolymis descenderant Judæi.] Ut jusserat Præses supra vers. 5.

Multas & graves causas vel *criminationes, ferentes contra Paulum.*] Ut supra 24. 5, 6. Forsan addebant talia qualia objiciebant alii Judæi alibi eidem Paulo, supra 17.7. xviii. 13.

Quas non valebant demonstrare] Sicut dictum supra 24. 13. Non sufficit crimina alicui objicere eaque affirmare, sed oportet eorum affirmationem confirmare atque argumentis idoneis probare. Nam si accusasse sufficiat, quis insons erit? Recte Apulejus, insimulari quivis innocens potest, revinci nisi nocens non potest. At maligni & improbi accusatores sicut erant Pauli adversarii, temere accusant Christi servos innoxios, atque objiciunt eis crimina, sed ea veris rationibus probare non possunt.

Vers. 8. *Respondente eo.*] Apologiam reddente, seu pro defensione sui dicente.

Quod.] Hæc vocula ut sæpe in referendo sermone alicujus, redundare videtur, nisi in verbo hujus versus ultimo, prima persona pro tertia accipiatur.

Neque in legem Judæorum.] Id est contra legem quam à Mose latam Judæi tenent, vel contra eorum ritus patrios, ut dicit infra cap. 28. 17. & indicavit supra 24. 14.

Neque.] Seu adversus *templum* nempe Jerosolymitanum, quod profanare voluisse dicebatur, supra 24. 6. Vide ibid. vers. 12.

Neque in Cæsarem quid seu *quidquam, peccavi.*] Videntur isti Judæi tunc objecisse Paulo simile quid ei quod ipsorum populares eidem objecerant Thessalonicæ supra cap. 17. 7.

Paulus respondens, ista crimina sibi objecta breviter negat, atque inficiatur & diffitetur: quanquam forsan prolixius hunc sermonem diduxit, additis etiam negationis suæ rationibus; nec non quædam de suæ religionis capitibus addidit, ut indicatur infra vers. 19. Sed hic id compendiose refertur. Reo respondenti sufficit ea quæ ab adversariis opprobrantur & affirmantur negare, & affirmantes adversarii tenentur ea quæ asserunt probare.

Vers. 9. *Festus autem, Judæis volens gratiam præstare.*]

stare.] Seu gratificari, Græce est gratiam deponere, ut de Felice dictum supra 24. 27.

Quod antea Festus facere nolebat ut indicatum supra vers. 4. quippe à Deo tunc prohibitus, id nunc facere cogitat, Sacrificorum & Senatorum Judaicorum corruptelis expugnatus.

Respondens.] Seu Sermonem proferens simpliciter, ut sæpe vox *respondendi* in his libris sumitur.

Paulo, ajit, vis ne Jerosolymam ascendens.] Quamvis Judæorum importunitati indulgere volebat Præses, tamen ne in Paulum quem civem Romanum esse forsan resciverat, videretur iniquior, non jubet eum Jerosolymam ire, sed interrogat an velit proficisci ad istam Judæorum metropolim.

Illic de his judicari sub me.] Seu apud me, præsente Judæorum Synedrio.

Vers. 10. *Ajit autem Paulus, ad tribunal Cæsaris stans sum* seu sto.] Ut civis Romanus à Cæsaris Romani judicio judicari volo, & nunc coram Cæsareo judicio consisto. Nam Præses seu procurator à Cæsare præfectus, Cæsaris nomine atque mandato judicabat.

Ubi me oportet judicari.] Non alio loco in gratiam accusantium, & accusatoribus judicio adsidentibus.

Judæis.] Istis accusatoribus meis *nihil nocui* seu nulla eos injuria affeci.

Sicut & tu pulchrius seu *melius.*] Comparativus positus pro positivo vel superlativo, id est bene, vel optime.

Nosti.] Seu cognoscis. Ad ipsius præsidis Festi notitiam provocat: Indicat Paulus illum ipsum, ex iis quæ tum ab accusatoribus tum ab ipso reo dicta sunt, perspicere palpabiliter suam innocentiam.

Vers. 11. *Si quidem enim injuriam facio.*] Id est feci, per enallagen temporis, præsentis pro præterito: ut patet ex mox sequentibus.

Et dignum morte egi aliquid.] Crimen aliquod, grande nefas & morte piandum, commisi.

Non recuso mori.] Declarat Paulus se si flagitio aliquo pœnam sit meritus, non detrectare, sed paratum esse, ex judicii secundum leges sententia, mortem atrocem sustinere.

Si autem nihil est eorum quorum isti accusant me.] Ut certe nihil tale revera fuit, sicut dictum est supra ℣.8.

Nullus.] Neque tu Feste, quamvis sis præses.

Potest.] Nempe jure, hoc non licet; etsi per injuriam id facere quis posset.

Eis.] Id est Judæis, adversariis, & accusatoribus meis, quos nulla injuria affeci, ut dictum versu proxime præcedente.

Gratis dare seu donare.] Videtur adversariis dono dare reum is qui ipsum eorum judicio tradit, atque ita permittit ut cum eo agant prout ipsis libet. Aliter hoc verbum acceptum supra c. 3. ℣.14.

Cæsarem apello.] Seu ad Cæsarem provoco: ut ab his inferioribus judiciis ad illius ipsius judicium causa ista mea devolvatur, & ab illo ipso dijudicetur. Hoc Romanis legibus civi Romano licebat. Quia Paulus animadvertit Præsidis istius Festi levitatem, & ad gratificandum Judæis adversariis suis, inclinationem, prudenti consilio ad Cæsarem Romanum provocavit; præsertim quum ex prædictione Christi supra 23. 2. sciret opus esse ut etiam Romæ de Christo testimonium perhiberet. Hinc apparet à Paulo Cæsarem Romanum esse agnitum pro ipsius legitimo principe, ac supremo in terris Magistratu, cujus se subditum fatebatur. Atque etiam illud indidem patet, quod liceat Christianis in necessitate uti legibus ac judiciis etiam alienorum Magistratuum, quando præsertim in jus vocati negotium habent cum adversariis non Christianis.

Vers. 12. *Tunc Festus colloquutus cum consilio.*] Id est cum iis qui ipsi à consilio aderant, ut assessores in judiciis. Id fecisse videtur partibus litigantibus secedere jussis: ut requireret sententias suorum adsessorum, quid eis videretur, utrum hæc ad Cæsarem appellatio Paulo sit permittenda necne?

Respondit, Cæsarem appellasti.] Subintelligitur præponendum, *quoniam*, seu *quandoquidem.*

Ad Cæsarem vades.] Non sine aliqua indignatione Præses concedit quod per leges non poterat non concedere: quia alioqui reum inique gravasset, atque seipsum vis publicæ reum coram Cæsare cujus honorem per istam appellationem quæsitum impedire & spernere videretur, fecisset. Ægre solet ferre judex appellationem rei ad alium judicem superiorem, quod per eam de suspecto & iniquo judicio argui videatur.

Vers. 13. *Diebus autem transactis aliquot.*] Non diu post istam actionem.

Agrippa.] Hoc nomen datum huic in gratiam ac memoriam illius Marci Vipsanii Agrippæ, viri celebris, qui fuit Augusti Cæsaris amicus & gener, qui cognomen istud *Agrippa* ab ægro partu ductum habuit. Cujus & Juliæ Augusti Cæsaris filiæ filia fuit Agrippina, uxor Cæsaris Germanici, & Mater Caji Cæsaris dicti Caligulæ; qui valde charum habuit ut amicum, Herodem illum Herodis Magni Regis nepotem, de quo supra cap. 12. qui etiam dictus est Agrippa senior. Hujus filius fuit iste de quo hic est sermo, Agrippa junior.

Rex non Judææ, nam hanc ecce Cæsaris Romani nomine ejus procurator eo tempore administrabat; sed primo post Herodem patruum, Chalcidis Rex factus à Claudio Imperatore, deinde loco Chalcidis, ab eodem Claudio dono tenuit regio nomine, Tetrarchiam Philippi, in qua erat Ituræa & Trachonitis Luc. 3. 1. & tetrarchiam Lysaniæ, Abylenam, de qua ibid. cui Nero addidit partem Galilææ &c. Fuit vir prudens atque sedatus, ut describitur à Josepho.

Et Bernice.] Ex Græco nomine Pheronice, Macedonica dialecto dicta Berenice seu Bernice, quod nomen habuit etiam Ptolomæi è stirpe Macedonica Regis Ægypti dicti Philadelphi mater, & filia. Hæc autem de qua hic narratur fuit istius Agrippæ Junioris Regis soror: quæ nupserat Herodi patruo, Chalcidis Regi, tunc autem vidua, habitabat apud fratrem Agrippam: quæ postea Titum ut concubina sectata fuit. De qua etiam videatur Josephus: sed & Juvenalis Satyra VI.

Devenerunt in Cæsaream, salutaturi Festum.] Quia à Romanis Imperatoribus dependebant ut clientes, ideo & Romanorum præsidum gratiam officiose captabant.

Vers. 14.

Verſ. 14. *Quum autem plures dies contriviſſent.*] Id eſt Agrippa & Bernice.

Illic.] Id eſt Cæſareæ.

Feſtus præſes Regi. Iſti Agrippæ, *expoſuit quæ ad Paulum* ſubintelligitur, ſpectabant, poſt alia colloquia, etiam hoc enarravit.

Dicens, vir quidam eſt relictus à Felice vinctus.] Seu in vinculis. Reſpice ſupra cap. 24. 27.

Verſ. 15. *De quo, quum eſſem Jeroſolymis.*] Εἰς Ἱεροσόλυμα quaſi in Jeroſolymam, εἰς ponitur pro ἐν: ut xx. 16. & alibi.

Comparuerunt primarii ſacerdotes & ſeniores Judæorum.] Reſpice ſupra verſ. 1, 2.

Petentes contra eum jus.] Ita proprie eſt in Græco textu. Vox iſta quæ hoc loco ponitur, alias ſignificat, tum actionem coram judice, quando quis jure diſceptat, ſeu judicio conflictatur, tum judicis de lite cognitionem; ſed hic videtur intelligenda ſententiæ judicialis pronunciatio, imo damnatio, atque cognitionis exſequutio: & quædam exemplaria Græca pro hac voce ſimplici habent compoſitam, quæ ſignificat condemnationem. Quanquam enim hæc petitio damnationis potius quam dijudicationis, eſt inſolens & abſurda, tamen eſt conveniens Judæorum Paulo infenſorum malignitati, & præjudicio, quaſi Paulus eſſet manifeſti criminis reus. Hunc iſtius vocis ſenſum hoc loco eſſe, patet ex ſubjuncta Feſti reſponſione, & hujus petiti, ut injuſti rejectione.

Verſ. 16. *Ad quos ſeu quibus reſponderi.*] Forſan tunc non adhibuit talia reſponſionis verba, quippe quæ ſupra ℣ſ. 4, 5. non exprimuntur: ſed nunc ea finxit, declarandæ æquitatis & juſtitiæ ſuæ cauſa.

Quod non ſit mos Romanis.] Qui juſtitiæ famam præ aliis gentibus affectabant, & operam dabant ne barbarica feritate laborare viderentur.

Donare aliquem hominem ad perditionem.] Seu in gratiam alicujus concedere ut quiſpiam homo ſupplicio aut exitio afficiatur: præſertim ita ut mox in ſequentibus explicatur.

Prius quam accuſatus.] Vel qui accuſatur, *ad faciem* ſeu ad conſpectum, vel in conſpectu coram, *habeat accuſatores* qui eum præſentem ipſi præſentes arguant de crimine.

Locumque Apologiæ.] Seu defenſionis per ſermonem, *accipiat*, dante ac permittente judice, *de criminatione.* Ut judex non unam tantum litigantium partem audiat, ſed & alteram.

Verſ. 17. *Convenientibus igitur eis.*] Hoc eſt Judæorum præcipuis, vel potius quum conveniſſent *huc* id eſt Cæſaream.

Rejectionem vel *dilationem nullam faciens.*] Nempe in aliud tempus quo cauſa iſta dijudicaretur.

Conſequente.] Scilicet die, *ſedens in tribunali*, judicaturus, *juſſi adduci iſtum virum* nempe reum vinctum Paulum.

Verſ. 18. *De quo, ſtantes accuſatores.*] Seu quum adſtarent, coram tribunali.

Nullam cauſam proferebant.] Seu nullum crimen objiciebant.

Eorum quæ ſuſpicabar ego.] Non de vi, neque cæde, nec veneno, ut ſcripſit Martialis: neque de aliis ſceleribus quæ contra leges civiles committuntur. Similiter in ejuſdem Pauli à Judæis accuſati cauſa, Gallio proconſul Achaïæ dixit, ſupra cap. 18. 14.

Verſ. 19. *Quæſtiones autem quaſdam de propria* ſeu *ſua.*] Id eſt Judaica *ſuperſtitione.* Vox Græca hoc loco poſita, à metu numinum denominata, eſt media, ſignificans tum religionem, tum ſuperſtitionem, ut dictum ſupra ad cap. 17. 22. Agrippa Rex cui iſta Feſtus narrat, Judaicam religionem ſequebatur. Sed Feſtus ut homo Romanus, alienas à ſua religiones non æſtimabat.

Habebant ad vel *adverſus eum.*] Id eſt Paulum, forſan indicat controverſias circa ritus legis Moſaicæ, & circa eorum obſervationem, vel etiam nominatim hoc ipſum quod quaſi explicationis loco mox addit.

Et de quodam Jeſu.] De quo fortaſſe Feſtus vix quidquam ante audiverat.

Defuncto.] Seu mortuo, & quidem morte dira affecto.

Quem ajebat Paulus vivere.] Hinc apparet Paulum in ſua coram Feſto apologia, aſſeruiſſe de Jeſu Chriſto, quod ſit à mortuis reſcitatus, ut infra 26. 23. At Feſto abſurdum dictu videbatur, mortuum revixiſſe.

Verſ. 20. *Dubitans.*] Seu hæſitans, ac incertus quid eſſet ſtatuendum, *autem, ego, in eam de hoc quæſtionem*, id eſt in ea quæſtione, εἰς poſito pro ἐν, ut ſæpe.

Non optima fide Feſtus negotium iſtud enarrat, & tegit culpam ſuam, quod voluerit Judæis Pauli adverſariis gratificari, ut indicatum eſt ſupra ℣ſ. 9. Et tamen hoc ipſo dicto prodit culpam, cur enim dubitabat an reus in quem nullum crimen probaretur eſſet abſolvendus?

Dicebam.] Nempe Paulo, *ſi vellet*, pro an vellet. Ita *ſi* pro *an* ſumitur & alibi, ut Luc. 22. 19. Actor. 21. 37. & 22. 25.

Vadere Jeroſolymam, & ibi judicari de iſtis.] At quando Judæorum primores, quum præſentes adeſſent Cæſareæ ubi cauſa iſta judicabatur, nullum crimen morte dignum in Paulum proferebant neque probabant, etiam mutato loco, Jeroſolymæ nihil tale protuliſſent.

Verſ. 21. *At Paulo provocante.*] Seu appellante, Id eſt quum appellaſſet, *ſervari ipſum* id eſt ut ſervaretur ipſe.

Ad Auguſti.] Id eſt Cæſaris ſeu Imperatoris Romani, qui tunc imperium tenebat. Primo omnium Cajus Octavianus Cæſar, Julii Cæſaris ex ſorore nepos, poſt res auguſtas geſtas & augmentum Imperio Romano additum, Auguſtus eſt appellatus, titulo eximio & valde honorifico, qui venerandum & inſtar numinis ſancte colendum, ſignificat. Inde aliis quoque Imperatoribus Romanis quamvis minus merentibus iſte titulus eſt attribui ſolitus. Tunc autem quum hæc fierent, Nero Imperium Romanum tenebat, qui hic Auguſti titulo inſignitur.

Cognitionem.] Proprie dignotionem, id eſt dijudicationem.

Juſſi ſervari eum.] Nempe in cuſtodia.

Quouſque mittam eum ad Cæſarem.] Quem antea Auguſti nomine deſignavit, eundem nunc vocat Cæſarem, nempe ipſum Neronem Imperatorem. A Cajo Julio, cujus cognomen familiæ erat *Cæſar*, qui

qui primus in Romana Republica libera Monarchiam inchoavit, dicti sunt Cæsares etiam alii Imperatores Romani post eum, quod in familiam istam essent assumti per adoptiones. Sed etiam cessante ista adoptione in hoc Nerone, alii quoque ad imperium Romanum evecti, istud Cæsaris vocabulum velut imperii titulum retinuerunt.

Vers. 22. *Agrippa autem ad Festum, inquit: Volebam* vel potius *velim, & ipse hunc hominem audire.*] Petit civiliter Agrippa Rex à Festo præside ut ei concedatur facultas Pauli istius differentis audiendi.

Ille autem, nempe Festus, *cras inquit audies eum.*] Concedit Festus Agrippæ cupienti, facultatem Pauli mox postridie audiendi, propter oblectamentum otii.

Vers. 23. *Igitur postridie, veniente* seu *quum venisset.*] Nempe in prætorium.

Agrippa, Rex ille, *& Bernice.*] Quæ erat Regis istius soror, & ipsa Regina, relicta post maritum Regem Chalcidis vidua, de qua supra ℣. 13.

Cum multa seu *magna apparentia.*] Nempe cum speciosa in oculos spectantium incurrente pompa atque magnificentia, & splendore Regio, tum in vestitu, tum in comitatu, ministrorum & amicorum.

Et ingressis in auditorium.] Id est in aulam in qua reorum causæ audiebantur, atque judicabantur: seu conclave ad talia destinatum.

Cumque Tribunis.] Nempe militaribus, qui millenis militibus erant præfecti.

Et viris secundum excellentiam existentibus illius civitatis.] Id est qui eminebant dignitate præ cæteris in illa urbe, id est Cæsarea. Ita theatrum insigne & frequens paravit Deus Paulo, ut in præsentia hominum celebrium, postremo in Judæa perhiberet de filio Dei Jesu Christo, testimonium.

Et.] Vocula ista abest à quibusdam codicibus, videturque superflua, aut significat *tunc.*

Jubente Festo, Præside, *adductus est Paulus.*] E custodia, in vinculis productus in publicum à Præsidis apparitoribus. Consideranda hic est antithesis inter illos magno splendore in auditorio assidentes, & Apostolum Christi reum stantem ex vinculis causam dicentem, qua in re etiam capiti suo Christo est conformatus.

Vers. 24. *Et*, id est *tunc*, *inquit Festus.*] Enarrans summatim Pauli negotium.

Agrippa Rex.] Hunc primo ac præcipue alloquitur, ut præcipuum inter eos qui aderant.

Et omnes qui simul adestis nobis viri.] Qui indicati sunt versu proxime præcedente.

Spectatis istum de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me, & Jerosolymis.] Vide supra ℣. 1, 3.

Et hîc.] Vide vers. 6, 7.

Acclamantes non oportere ipsum vivere amplius.] Sicut antea coram Lysia Tribuno clamabant cap. 22. vers. 22. Hic coram Festo hoc eos clamasse quamvis non sit expressum, tamen ex eo quod narratum est vers. 7. Judæos multa & gravia crimina contra Paulum protulisse, colligi potest, eos talem clamorem addidisse.

Vers. 25. *Ego autem comperiens nihil dignum morte eum egisse.*] Tale testimonium innocentiæ dederunt Paulo antea Pharisæi cap. 23. 9, & hic Festus ipse Præses atque Judex: & infra cap. 22. 31. alii.

Et ipso autem isto appellante Augustum.] Vide supra vers. 21.

Judicavi, id est decrevi, *mittere eum.*] Nempe ad Cæsarem.

Vers. 26. *De quo certum quid.*] Ut cap. 22. 30. Id est clarum & exploratum.

Scribere Domino.] Id est Cæsari, Neroni. Hunc titulum sublimen, ortum ab adulatione, & indicantem, ex vi relatorum, quasi Romani cives essent Imperatoris servi, recusavit sibi tribui Octavianus Augustus, testibus Dione & Tertulliano. Sed postea invaluit.

Non habeo.] Potuit scribere ea quæ agnovit supra vers. 18, 19 & 25.

Propter quod produxi eum ad vos.] Qui nunc huc convenistis.

Et maxime ad te Rex Agrippa.] Ut præcipuum ex iis qui aderant, & Judaicarum controversiarum gnarum.

Ut dijudicatione factâ.] Non judicio novo, post appellationem jam admissam, sed inquisitione.

Habeam quid scribere seu *quod scribam.*] Nempe Cæsari, de isto Pauli negotio.

Irrationale seu *præter rationem.*] Absurdum, quod à viro prudenti committi est inconveniens, & caveri debet.

Enim mihi videtur.] Et revera est.

Mittentem vinctum, qualis erat Paulus, *non &*, vel etiam, *eas quæ contra ipsum*, scilicet *sunt*, aut objiciuntur, *causas.*] Id est crimina, quæ supra vers. 7, voce paulum immutata vocantur.

Significare.] Id est scripto annotare, & declarare.

CAPUT XXVI.

Vers. 1. A*Grippa autem.*] Ille Rex de quo dictum superius.

Ad Paulum.] Quem coram se adstare videbat, & audire avebat.

Inquit: Permittitur tibi.] Nempe à Præside Festo, & à me.

Pro teipso dicere.] Id est ut tuam causam proponas ac defendas. His verbis eum adhortatus est ad dicendum libere.

Tunc Paulus.] Ille vinctus, accusatus.

Rationem reddebat seu *apologiam proferebat.*] Sermone causam suam defendebat.

Extendens manum vel *extensâ manu.*] Ut solent talem gestum adhibere orationem ad auditores habituri; non tam ad captandum silentium quam ad libertatem ingenuam contestandam.

Vers. 2. *De omnibus quorum postulor.*] Scilicet reus, seu accusor, *à Judæis.*

Rex Agrippa.] Compellat eum titulo honorifico, debito. Cuivis præsertim in potestate constituto tribuendus est titulus honoris ipsi conveniens.

Duxerim seu *duco*, id est existimo, *meipsum beatum.*] In parte felicitatis id posuit quod ad negotium præsens attinebat. Id faciebat Paulus non assentandi Regi, sed captandæ benevolentiæ, ejus lucrandi causa, & declarandi se non vereri coram tantæ dignitatis

tatis homine, coram Rege, de causa sua loqui, sed potius de oblata hac occasione sibi gratulari. Sic Apulejus in Apologiæ suæ exordio, ad Maximum Proconsulem; Gratulor quod mihi copia & facultas te judice obtigit, purgandæ apud imperitos Philosophiæ, & probandi mei.

Quod sim defensione usurus apud te hodie.] Non tantum propter personæ ipsius dignitatem, sed multo magis propterea quod Paulum non lateret hunc Regem Agrippam fuisse virum bonæ indolis & sedatæ mentis, atque intelligentem & prudentem, quo elogio eum ornat Josephus Flavius, de Bello Judaico lib. 2. cap. 16. Tum etiam ob eam rationem quam mox subjungit.

Vers. 3. *Maxime.*] Potissimum ac præcipue eam ob causam gratulor mihi quod sim coram te apologiam prolaturus.

Gnaro existente te.] Vel gnarum esse te sciens, quod participium addunt quædam exemplaria Græca, & Syrus atque Arabs Interpretes.

Omnium illarum quæ apud Judæos scilicet *sunt.*] Quia Judæorum regionis partem regebat iste Agrippa, & sacris eorum erat addictus.

Consuetudinumque.] Id est rituum religionis, seu cæremoniarum sacrarum; Genus ponitur pro specie per Synecdochen.

Et quæstionum.] Id est circa ejusdem religionis placita seu sententias, controversiarum. Magnopere refert ut quis in controversiis judicem rerum de quibus agitur intelligentem ac peritum nanciscatur. Simile quid aliquatenus de Felice præside dixit idem Paulus supra cap. 24. 10, 11.

Ideo precor te, ut patiente animo audias me.] Petit attentionem.

Vers. 4. *Illam quidem igitur vitam.*] In Græco textu est quasi dicas victionem, seu vitæ transactionem; aut vivendi consuetudinem.

Illam ex juventute.] Seu ab adolescentia.

Illam quæ ab initio, nempe ætatis meæ juvenilis, *fuit in gente mea*, inter Judæos, *Jerosolymis.*] In urbe præcipua seu metropoli, ubi Saulus iste seu Paulus fuit educatus. Vide supra cap. 22. 3.

Sciunt seu *noverunt, omnes Judæi.*] Præsertim in Judæa degentes. Quum inter eos vixerit.

Vers. 5. *Prænoscentes me antea.*] Seu superiore tempore, vel, ab origine, sicut Luc. 1. 3, hæc vocula accipitur.

(*Si velint testari*).] Significat ipsos Judæos adversarios suos quibus pridem ipse bene notus fuit, posse sibi testimonium perhibere de vita sua præterita, ita ut eam reprehendere atque culpare non possint, acta, si modo testes esse istius rei non recusent.

Quod secundum accuratissimam.] Vel exquisitissimam, seu exactissimam, quæ diligentissime ac scrupulosissime ea quæ ad religionem & controversias spectant, inquirit & examinat atque observat.

Hæresin.] Ita vocatur Græce ab electione, quæpiam secta seu forma studii doctrinæ atque vitæ quam quis eligit sibi sequendam. Initio vocabulum istud fuit medium non in vitio positum, sicut postea, quum in eam significationem devenit, ut notet sententiam in religione à vera doctrina dissentientem ita, ut cum vera fide atque pietate consistere nequeat, sed eam pertinaciter evertat. Vide supra cap. 24. 5 & 14. Non isto posteriore significatu, sed illo priore, medio vocem hanc Paulus isto loco usurpavit. Non enim Pharisæorum de qua hoc dicit, observationem Legis Mosaicæ, vituperavit. Sed neque etiam rursus dum istam sectam vocavit *accuratissimam*, prorsus eam laudavit atque approbavit, respectu omnium dogmatum, etiam respectu earum traditionum quibus præter Legem Dei homines onerabantur & conscientiæ eorum obstringebantur, imo quæ Legi divinæ repugnabant: contra quas dictum à Christo Matth. 15. 3. & xxiij. 16. Sed loquitur hic Paulus ex hypothesi Judæorum, quorum plerique sectam hanc habebant pro exactissima religiosissima atque sanctissima. Unde indicat Judæos non habere causam cur respectu vitæ Pauli anteactæ eum reprehendant.

Nostræ religionis.] Nempe Judaicæ. In qua tunc tres erant sectæ, una Pharisæorum, altera Sadducæorum, tertia Essenorum.

Vixi Pharisæus.] Pharisæi sunt ex voce Hebræa, denominati, inde quod essent à cæteris Judæis Legem Mosaicam observantibus separati, nempe respectu eximiæ cujusdam doctrinæ & sanctimoniæ, secundum vulgarem opinionem. Vide ad Matth. 3. 6. Etiam alibi Paulus se Pharisæum fuisse testatus est, ut supra cap. 23. 6. & Philip. 3. 5.

Vers. 6. *Et tunc.*] Quasi dicat Paulus, non solum antea recte me in vita atque religione mea gessi, sed etiam hoc tempore, ita ut par est me gero.

In spe.] Id est ob spem. Per spem autem videtur intelligi metonymice res sperata, ut patet ex sequentibus. Spem istam nonnulli exponunt de spe resurrectionis mortuorum. De qua supra cap. 23. 6. & xxiv. 15. Sed alii id accipiunt de spe liberationis Judæorum per Messiam, seu salutis per Christum consequendæ. Nec abs re: Nam quamvis hic infra ℣. 8, fiat nominatim mentio excitationis mortuorum, tamen id non obstat huic sententiæ, quod ibi erit videndum. Deinde in spe ista salutis per Christum utpote latius sese extendente, continetur etiam mortuorum justorum resuscitatio. Præterea, non potest ostendi clare, mortuorum resurrectionis promissionem patribus Judæorum factam esse à Deo quod hic statim subjungitur. At de Messia seu Christo factam esse non obscure sed expresse, manifestum est, ut mox videbimus. Ut prætereatur illud quod de spe resurrectionis vix recte dici possit id quod versu mox sequente dicitur, nempe duodecim tribus Israëlitarum sperare se ad eam deventuras. Quum inter istas duodecim tribus multi fuerint qui de resurrectionis mortuorum spe persuasionem non habuerunt, ut Sadducæi, & qui eorum sententiæ favebant.

Illius ad Patres.] Nempe majores Judæorum; aliqua exemplaria addunt *nostros.*

Promissionis factæ à Deo.] Scilicet de Messia seu Christo. Quæ promissio facta est Abrahamo, Gen. cap. 22. 18. & Isaaco, Gen. 26. 4. & Jacobo, Gen. cap. 28. 14. & Judæ, cap. 49. 10. & Israëlitis, Deut. cap. 18. 15. & Davidi, 2 Sam. 7. 12. Psal. 132. 11. Esa. 7. 14. ix. 6, 7. xj. 1. Jer. 23. 5. xxxiij. 14, 15. Ezech. 34. 23, 24. xxxvij. 24, 25. vide & Dan. 9. vers. 24,

vers. 24, 25. Hos. 3. 5. Mich. 5. 2. & vij. 20.

Hunc Messiam olim à Deo promissum, & tum adhuc à Judæis speratum, sed jam tunc reipsa exhibitum, eumque esse Jesum, quem à Judæis crucifixum Deus resuscitavit, Paulus passim prædicabat: ob idipsum autem à Judæis vexabatur.

Steti, id est *sto.*] Præteritum positum pro præsenti. Quanquam & jam stabat coram Felice & coram Festo præsidibus, & deinde staturus erat coram Cæsare.

Judicio subjectus.] Seu in judicium vocatus: nempe accusantibus Judæis.

Vers. 7. *In* seu *ad quam.*] Nempe promissionem, id est rem promissam, scilicet liberationem & salutem atque eximiam felicitatem populo Israelitico per Messiam conferendam.

Duodecim tribus nostræ.] Nempe Israëliticæ, secundum numerum duodecim filiorum Jacobi seu Israëlis. Mirum videri potest quod Paulus hic de duodecim tribubus asserit: quum decem tribus, in Assyriam & terram Medorum, à Salmanassare Assyriorum Rege sint deportatæ, 4 Reg. 17. 9 & 23. xviij. 11. Et quidem ita ut tunc quum tribus Judæ è Chaldæa seu Babylonia rediret in terram suam, sub Regibus Persarum, istæ decem tribus non redierint. Sed credibile est, quamvis non ita distincte secundum tribus totas id sit factum, tamen non paucos Israëlitas ex aliis tribubus, tribui Judæ sese adjunxisse. Hoc indicatur Esd. 6. 17. viij. 35. vide & ad Luc. 2. 36. & Jac. 1. 1.

In intentione seu *cum intensione.*] Id est intente & enixe, impense, magno studio.

Noctem & diem.] Id est omni tempore, quod in noctes atque dies distribuitur. Continuo & perpetuo, absque intermissione.

Servientes.] Nempe Deo religiose, Deum patrium colentes.

Sperant devenire.] Seu se deventuras esse. Nempe sperabant Israelitæ omnes illum pridem à Deo promissum atque ab ipsis desideratum ac exoptatum Messiam, tandem aliquando adventurum, & cum eo felicitatem quandam eximiam sibi obventuram, seque ea esse ex Dei gratia per Messiam seu Christum potituros.

De qua spe postulor seu *accusor, Rex Agrippa à Judæis.*] Quamvis ipsi Judæi omnes habeant spem de Christo, ex Dei promissione, tamen me qui spem istam prædico jam esse impletam, nimirum, jam Christum, qui sit Jesus ille Nazarænus, esse exhibitum à Deo, & quanquam Judæi ipsum utpote non secundum opinionem eorum apparentem, morte dira affecerunt, tamen à Deo esse ex morte resuscitatum, atque exaltatum, ideo accusant, & litem mihi intendunt.

Vers. 8. *Quid?*] Per interrogationem cum vehementia & gravitate occurrit tacitæ objectioni. Poterant enim auditores præsertim qui erant ex Ethnicis, & Sadducæis, cogitare atque dicere, tu Paule prædicas Jesum morte affectum revixisse, quod est absurdum.

Incredibile, seu fide indignum, ut impossibile. *judicatur apud vos* seu *à vobis.*] Itane videtur vestro judicio?

Si, id est *quod.*] Ut & infra ℣. 23, quia isti auditores de eo dubitabant, ideo utitur vocula dubitandi.

Deus.] Qui omnia creavit, qui est Dominus omnipotens: qui vitam dat non habentibus eam.

Mortuos excitat?] Qui jam vitâ per mortem sunt privati, ii naturali modo quidem ad vitam revocari non possunt. At Deus naturâ superior, in cujus manu est & mors & vita, id facere potest. Ideo non est negandum eum è mortuis excitasse etiam Jesum Christum, de quo mox sermonem subjungit.

Vers. 9. *Ego quidem.*] Indicat Paulus se quoque antea Jesum illum crucifixum non agnovisse pro Messia, nec credidisse eum revixisse, imo sicut & plerique Judæi faciunt, valde adversatum fuisse ejus doctrinæ, ut ostendat se propria experientiâ postea cognovisse illum vivere atque esse glorificatum, seque ideo mirabiliter ad eum esse conversum.

Igitur.] Particula ista vel redundat hoc loco, vel servit transitioni ad ulteriorem sermonem, sicut Joh. 9. 18. & 1 Cor. 14. 23.

Videbar.] Seu existimaveram, aut statueram.

Mihi ipsi.] Hoc alii construunt cum verbo proximè præcedente, ut sensus sit, existimaveram seu statueram apud meipsum; sed nonnulli cum vulgato Interprete referunt id ad verbum illud quod postea sequitur *oportere.*

Adversus nomen Jesu Nazareni.] Nomen hoc loco sumitur vel pro ipsa persona cujus hoc est nomen, sicut Act. 4. 12. Vel pro religionis à Jesu traditæ professione, ut Matth. 10. 22. Act. 5. 41. 1 Pet. cap. 4. 14. Apoc. 2. 3.

Oportere vel *debere.*] Quasi ex officio, quando cum aliis Judæis, Jesum istum pro seductore atque impostore, & pro Dei adversario habebam.

Multa contraria agere.] Vexando & affligendo, atque persequendo eos qui hoc nomen profitebantur, ut mox declaratur.

Vers. 10. *Quod &* vel etiam, *feci.*] Nempe, ut illa opinione atque persuasione plenus, vexaverim istius Jesu discipulos.

Jerosolymis.] In urbe Judæorum præcipua, ubi degunt summi Sacerdotes & Seniores populi, istorum conscii: in qua nunc captus sum & in vincula conjectus.

Et multos sanctorum.] Id est Jesu nomen profitentium, seu religionem Christianam sectantium, qui dicuntur Sancti, quia sunt à vulgo hominum incredulorum separati, tum professione, tum vita pia: tunc autem Saulus iste tales pro impiis & execrabilibus reputabat. Non contra unum aut alterum talium, sed contra multos, magno numero, se adversa egisse ait.

Ego custodiis seu *carceribus conclusi.*] Ut homines improbos, nefarios, pœnis dignos. Vide supra cap. 8. 3. & xxij. 4.

A primariis Sacerdotibus, seu principibus Sacerdotum, *potestate.*] Seu facultate talia agendi *acceptâ.* Indicat istius sui contra Christianos fervoris atque eorum insectationis, conscios fuisse Judæorum primores.

Cumque interimerentur ii.] Nempe isti Sancti, Christiani, quum à Judæis morte dira afficerentur.

Tuli suffragium.] Proprie in textu Græco est, *detuli calculum*, quasi calculo meo ac sententiâ, aliorum Judæorum sententiis adjectâ, hoc ipsum quod Christianos occiderent approbavi, iis assensus in tali facto: ut circa Stephani lapidationem. Respice ad cap. 8. 1. xxij. 20.

Vers. 11. *Et secundum* vel *per omnes Synagogas.*] Seu congregationes, locos in quibus homines ad sacra peragenda congregantur. Possunt intelligi conventicula Christianorum, ut Jac. 2. 2, in quæ Saulus irrumpens, eos protrahebat ad affligendum. Vel etiam Judæorum conventus, ad quos eos adductos sistebat. Vide Matth. 10. 17.

Multoties.] Non semel sed frequenter.

Puniens eos.] Vel affligens, torquens, curans eos plagis affici: sicut postea factum est illi ipsi. 2 Cor. xi. 24.

Cogebam blasphemare.] Id agebam ut vi eo adigerem Christianos, quò Jesum non tantum negarent esse Messiam illum promissum, sed etiam eundem exsecrarentur, eique maledicerent. Sicut tempore persequutionum fiebat à quibusdam non bona fide Christianis, ut testatur Plinius epistolâ ad Trajanum Imperatorem.

Abundanterque.] Seu valde, supra modum.

Insaniens in eos.] Non tantum zelo amaro ac fervore sed furore quodam accensus, ita irâ efferatus contra eos ut instar furiosi præter rationem sævirem. Ita solent facere ii qui zelo religionis non secundum scientiam flagrant.

Persequebar usque & vel *etiam, in exteras civitates.*] Non contentus eram eos vexasse Jerosolymis, etiam ulterius promovebam eorum persequutionem: quod mox in specie declarat.

Vers. 12. *In quibus.*] Id est interim, dum hæc agerem & in his versarer. Ita supra cap. 24. 18.

Et seu *etiam.*] Ut hæc vocula sumitur. Joh. 5. vers. 17. xv. 20. & hic supra ℣. 10, & alibi.

Vadens Damascum.] Syriæ metropolim ut & illic vexarem Christianos. Respice cap. 9. 2. & xxij. 5.

Cum potestate.] Seu facultate agendi, velut jure, atque authoritate.

Et procuratione.] Quasi officio isto demandato.

A primariis Sacerdotibus.] Scilicet data; vel accepta. A quibus epistolas quoque eam in rem petiit, atque obtinuit. Respice cap. 9. 1, 2 & 14. & xxij. 5. Rursus hic indicat istius sui contra Jesu Christi discipulos vehementis zeli conscios fuisse Judæorum præcipuos.

Vers. 13. *Die media.*] Circa meridiem, ut dixit supra cap. 22. 6, quum Sol clarissime lucere solet.

Secundum seu *per viam*, sive *in via.*] Quum iter faciens esset prope Damascum, vide cap. 9. 3. xxij. 6.

Vidi.] Oculis meis conspexi, rem inopinatam admirandam.

Rex.] Iterum hic compellat titulo honorifico Agrippam, excitans eum ad attentionem.

Cœlitus, è cœlo ad terram, *super splendorem Solis.*] Qui alioqui est valde splendidus, & tamen iste splendor, splendorem Solis superabat: quia à superiore luce cœli empyrei veniebat.

Circumfulgens me lumen.] Respice cap. 9. 3. & xxij. 6.

Et eos qui mecum vadebant.] Non solum istum Saulum seu Paulum, fulgor iste de cœlo descendens collustravit, sed etiam ejus comites, qui cum eo simul iter tunc faciebant, qui hoc miraculum factum esse poterant attestari.

Vers. 14. *Omnibus autem decidentibus nobis in terram.*] Non solus Saulus seu Paulus ista luce perculsus procubuit humi, sed etiam alii omnes qui ipsi aderant: quamvis alibi in locis paulo ante citatis de ipso solo id narretur.

Audivi vocem loquentem ad me.] Non proprie vox loquitur, sed persona quæ vocem emittit: & tamen hoc quod personæ proprium est tribuitur rei quæ non est persona. Sic & cap. 9. 4. xxij. 7.

Et dicentem.] Jam vult exprimere quæ & qualis ista loquela fuerit.

Hebraica dialecto.] Quia tunc coram Festo præside & aliis Hebrææ linguæ parum gnaris Paulus loquebatur linguâ Græcâ, ideo indicat ea quæ prolaturus est verba, non alia quam Hebræa linguâ utpote ad Hebræum Saulum directa, esse pronunciata.

Saul, Saul, quid me persequeris?] Hæc verba jam sunt exposita supra cap. 9. 4. vide & xxij. 7.

Durum tibi contra stimulos calcitrare.] Et hæc exposita sunt cap. 9, ubi postponuntur iis quæ hic versu mox sequente ponuntur.

Vers. 15. *Ego autem dixi: Quis es Domine? Is autem ajit: Ego sum Jesus.*] Supra cap. 22. 8. additum *ille Nazarænus.*

Quem tu persequeris.] Etiam horum expositio videatur supra cap. 9. Ex hac voce Jesu, cœlitus demissa, apparet, Jesum postquam morte affectus est, resuscitatum esse, & vivere in cœlis.

Vers. 16. *Sed exsurge, & sta in pedes tuos.*] Quia in terram prociderat, supra vers. 14.

In hoc enim, id est eo fine seu ejus rei gratiâ, *apparui tibi.*] Id est me videndum exhibui. Hinc liquet in illo lucis cœlestis fulgore apparuisse Saulo isti seu Paulo Jesum Christum. Quamvis is in cœlum assumtus, Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. Act. 1. 11, ibi sedeat ad dexteram Dei, Marc. 16. 19. Eph. 1. 20. Hebr. 1. 3. &c. quem oportet cœlo contineri usque ad tempora restitutionis omnium, Act. 3. 21. & demum ultimo die descendere de cœlo 1 Thess. 4. 16. Tamen in cœlo existens, se Saulo in terra existenti per apparitionem istam, videndum exhibuit. De quo dictum supra ad cap. 9. 17.

Ut designarem vel *constituerem.*] De hoc verbo, vide notata supra ad cap. 22. 14.

Te, ministrum.] Ut mihi ministres ac servias, sicut præco meus.

Et testem.] Ut hæc prædices & annuncies hominibus.

Eorumque quæ vidisti.] Nempe me Jesum vivere, & in cœlesti luce atque gloria habitare, &c. vide supra cap. 22. 15.

Et quibus seu *in quibus apparebo tibi.*] Id est quorum notitiam ulteriorem tibi adhuc postea ostendam & declarabo.

Vers. 17. *Eripiens te.*] Id est erepturus, seu exemturus, præsens pro futuro. Significavit Dominus Jesus Saulo quem ad ministerium suum vocabat se eum defensurum ac liberaturum esse à periculis quæ

quæ ob istius ministerii functionem eum ab hominibus maneant. Hoc sensu verbum tale sumitur supra cap. 7. 10 & 34. xij. 11.

Ex populo.] Id est ex manibus & insidiis Judæorum, qui ita simpliciter velut per excellentiam populus vocari solent. Quanquam hic quum sit præpositus articulus Græcus, quidam vertant *ex hoc populo:* etsi mox similem articulum non observent ita ut eum in versione exprimant.

Et gentibus.] Nempe extraneis, alienigenis, præter populum Judaicum existentibus. Ab utrisque tum Judæis tum aliis gentibus Paulo imminebant afflictiones, ob Euangelii de Jesu Christo prædicationem.

In quos.] Id est ad quos, ut Matth. 15. 24. Act. cap. 16. 16, 40. xxij. 30. Mutatum est genus, habitâ ratione non tam vocis quam significationis: nam homines intelliguntur. Vide Matth. 28. 19, 20. & infra Act. 28. 28.

Nunc te mitto seu *mittam brevi.*] Ut Legatum meum seu Apostolum: nam verbum Græcum hoc loco positum tale est à quo Apostolus derivatur. Primum quidem ad populum Judaicum Saulus iste seu Paulus est à Christo ablegatus, postea autem idque præcipue ad alias gentes extraneas, quarum proprie Apostolus erat. Respice ad cap. 22. 21.

Vers. 18. *Aperire.*] Id est ut aperias, nempe per prædicationem Euangelii de Jesu Christo, velut causa ipsi Christo ministrans.

Oculos eorum.] Nempe oculos mentis seu animi, antea clausos, quum isti homines velut cœci versarentur in ignorantia voluntatis Dei, postea autem sunt illuminati, per doctrinam veram. Vide Esa. 42. vers. 7. Eph. 1. 18.

Ut convertantur seu *convertant sese.*] Nam plerumque verbum Græcum hoc loco positum ita intransitive accipitur. Sic interpretantur Syrus, Arabs, & vulgatus Latinus Interpres. Beza secus *& convertas eos*, statuens ellipsin absque necessitate.

A tenebris.] Nempe spiritualibus, ut Judæi ab ignorantia Messiæ jam dati & manifestati, & à quibusdam invectis erroribus: Ethnici autem à falsis religionibus. Vide Col. 1. 13.

In lucem.] Id est ad lucem. *In* pro *ad*, sicut versu proxime præcedente. Per lucem autem significatur lux animorum spiritualis, notitia mysteriorum divinorum atque veræ religionis.

Et [à] potestate Satanæ.] Qui spiritus malignus adversarius dum Deo & hominibus adversatur, per errores seminatos & vitia atque peccata ex iis exorta, homines veræ doctrinæ divinæ ignaros tenet in sua potestate, ut sub Tyrannide in misera servitute, ducens eos in extremum exitium.

Ad Deum.] Quando Dei voluntate ac religione vera quæ ipsi placet, agnitâ homines eam suscipiunt & sequuntur, tunc ad Deum accedunt.

Ut accipiant ipsi remissionem peccatorum.] Homines, præsertim ii qui religionem veram ignorant, peccatis gravibus onusti, obnoxii sunt pœnis Dei adeoque exitio æterno. Hoc ut evadant, opus habent ut Deus eis peccata præterita remittat atque ignoscat, ne eos propter illa puniat. Hanc remissionem peccatorum omnium plenariam, atque justificationem ut reos resipiscentes velut justos tractet, Deus per Jesum Christum obtulit hominibus, si modo vere & serio resipiscant, atque ad Deum convertantur. Vide Luc. 24. 47. Act. 5. 31. xiij. 38, 39.

Et sortem.] Id est hæreditatem: quia hæreditates sorte distribui solebant.

Per istam sortem seu partem hæreditatis, significatur locus in regno cœlorum, & vita æterna, atque illius beatitatis divinæ qua Deus ipse fruitur, participatio.

In sanctificatis.] Id est inter sanctificatos, nempe eos quos Deus primum ex Judæis, deinde & ex aliis gentibus vocavit atque elegit & à vulgo hominum profanorum sibi separavit, ac Spiritu suo sanctificavit, quibus si ut filii ejus obedientes sancte vixerint, hæreditatem istam cœlestem & summam felicitatem assignavit.

In pro *inter* sæpe ponitur. Ut præter alia Act. cap. 18. 11. xxiv. 21. Similia istis verba habentur Act. 20. 32. & Eph. 1. 18. & Col. 1. 12.

Fide, quæ [est] in me.] Id est per fidem in Jesum Christum. Hoc est medium per quod ex Dei gratia obtinentur ista superius memorata eximia beneficia, præcipue remissio peccatorum atque à pœnis per ea commeritis præsertim à morte secunda æterna, liberatio, & hæreditatis cœlestis ac vitæ æternæ donatio: nempe fides in Christum Jesum, seu fiducia in eo ut Servatore & in promissis ejus collocata, eaque viva & efficax per charitatem, atque obedientiam præceptis ejusdem Servatoris præstitam. Vide Gal. 5. 6. Jac. 2. 17, 22, 26. & 1 Joh. 3. 23, conjuncta cum resipiscentia seria de qua infra ℣. 20, ut & supra cap. 20. 21. Fides autem ista in Christum Dei, pro termino habet fidem in ipsum Deum. Vide Joh. 12. 44. & 1 Petr. 1. 21.

Vers. 19. *Unde.*] Id est quamobrem seu quapropter, ut Hebr. 3. 1. vij. 25.

Rex Agrippa.] Rursus eum ad quem præcipue orationem habuit compellat, ut eum ad recentem attentionem commoveat. Enarrat quomodo se post istam à Jesu Christo è cœlo vocationem admirandam gesserit. Idque primum in genere, deinde in specie. In genere hic dum ait: *Non factus sum*, id est non fui, *inobediens* quasi rebellis, non contradixi, non sum reluctatus pertinaciter. Vide Esa. 50. vers. 5. & Psal. 95. 7. Hebr. 3. 7, 8, 15. & iv. 7.

Illi cœlesti apparitioni.] De qua supra ℣. 16, quam non ut visionem in ecstasi in anima percepi, sed oculis corporeis rem extrinsecus objectam cœlitus, conspexi. Ita enim distingui solet apparitio à visione: quamvis non ubique discrimen istud observetur.

Ita par est facere quemvis hominem animi probi, ut si revera cœlitus à Deo vel Christo sibi aliquid revelari sentiat, ei obsequentem sese præbeat.

Vers. 20. *Sed.*] Jam obedientiam suam in specie exponit.

Illis Damasci, scilicet habitantibus, *primum.*] Vide supra cap. 9. 19, 20, 22.

Et Jerosolymis.] Supra ibid. cap. 9. 28, in metropoli Judæorum.

In omnemque regionem seu *in omni regione Judæa.*] Non tantum in metropoli, sed & per alias civitates

Judaicas: imo etiam extra Judæam, inter Judæos per alias regiones habitantes, ut Act. 13. 5 & 14, 16. & xiv. 1. & xvij. 2 & 10. & xviij. 4 & 19. & xix. 8.

Et gentibus.] Aliis præter Judæos, alienigenis, dictis Ethnicis. Talibus Paulus prædicavit, Act. 13. vers. 42, 48. & xiv. 1 & 15 & 21 & 25, 26. & xv. 35. xvj. 13, 32. xvij. 17 & 22 seqq. xviij. 4. xix. 10.

Annunciabam.] Loquens prædicabam.

Ut resipiscerent.] Id est à mala ac vitiosa vita aversi, eam relinquerent, & animos suos mutarent ad bonæ vitæ propositum. Vide notata ad Matth. 3. 2.

Et converterentur ad Deum.] Gentes quidem idolorum cultui & falsis religionibus deditæ ut commentitiis ac fictis Diis abjectis, Deum verum, creatorem mundi agnoscerent: Judæi autem & proselyti Deum Israëlis jam utcunque colentes, ut ab imperfecta, ad perfectam ejus colendi rationem, per Jesum Christum à Deo cum Novo Fœdere missum revelatam, progrederentur.

Digna resipiscentiâ opera agentes.] Convenientia resipiscentiæ, & quæ professionem resipiscentiæ deceant: qualia sunt opera bona, præceptis Dei præsertim per Christum propositis, conformia. Non sufficit ut ii qui salutem ac vitam æternam ex Dei gratia consequi volunt, fidem utcunque habeant ac profiteantur, & pœnitentiam male actæ vitæ verbis testentur, ac præ se ferant; sed oportet insuper, ut agant & operentur bona talia quæ cum resipiscentiæ proposito conveniunt. Quæ alibi fructus pœnitentiæ vocantur, ut Matth. 3. 8. Luc. 3. 8. vide & Gal. cap. 5. 22, 23. Eph. 4. 1. Philip. 1. 27. Col. 1. 10. 2 Petr. 1. 5 seqq. 8, 9, 10. 1 Joh. 3. 3, 6, 7.

Vers. 21. *Causâ horum* seu *ob hæc.*] Quod ista de Jesu Christo & fide in eum cum resipiscentia seria conjuncta, ad salutem consequendam necessaria Judæis ac gentibus aliis prædicarem; non ob aliqua scelera & maleficia.

Me Judæi comprehendentes seu *comprehensum in templo.*] Illo Jerosolymitano, supra cap. 21. 27, 30, in loco sacro.

Tentabant.] Id est conabantur, studiose & enixe id molientes.

Manibus interficere.] Non simpliciter occidere, sed ut verbum Græcum notat, manibus violentis illatis, vitâ ereptâ oblidere, vel discerpere. Ita non jure sed vi cum eo agere voluerunt.

Vers. 22. *Auxilium igitur.*] Videtur hic vocula *igitur* quæ est conclusiva non habere propriam significationem: & sumenda esse pro adversativa *autem* sicut Matth. 12. 12. Nam Judæorum contra se violentiæ opponit Paulus auxilium divinum.

Nactus illud quod [est] à Deo.] Indicat se ex manibus violentorum adversariorum, liberatum esse, Deo opitulante. Id ei Christus Dei promisit supra vers. 17. & tunc præstitit, per media ac modos, de quibus supra cap. 21. 31, 32, 33. & xxij. 23, 24. & xxiij. 6, 9, 10 & 16, 24. & xxv. 10, 11. Quamvis autem isti modi liberationis videantur esse humani, ordinarii, tamen non sunt facti absque ope divina, quæ tales modos suppeditavit. Ita Deus & Christus ministros suos fideles functionem suam debitam obeuntes, defendit miris modis, & à periculis liberat. Isti autem liberatione potiti, par est ut non fortuito casui talia adscribant, sed divinum beneficium grato animo agnoscant.

Usque ad diem hanc steti.] Seu perstiti, incolumis & nunc persisto. Præteritum enim istud pro præsenti sumi potest, ut supra vers. 6. Ita humanis molitionibus adversis irritis, Dei servi, ipsius auxilio tuti conservantur: etsi cadere atque opprimi videantur, tamen consistunt.

Testificans.] Seu clare & aperte docens atque declarans.

Parvoque & magno.] Id est tum parvis & infimæ sortis hominibus, ut plebejis, tum magnis seu illustribus personis, in dignitate constitutis. Est is modus loquendi Hebraicus, ut Deut. 1. 17. 1 Sam. 30. vers. 2. 1 Reg. 22. 31. 2 Reg. 23. 2. Nam non solum coram vulgo hominum Paulus talia testabatur atque prædicabat, sed etiam coram primariis Sacerdotibus ac primoribus Judæorum, ut supra cap. 22. & 23. &, iisdem præsentibus, coram Felice Præside cap. 24. & coram Festo cap. 25. 8, & tunc ecce coram Agrippa Rege.

Ita diversæ conditionis hominibus, etiam in Magistratu ac sublimi dignitate positis, oblata occasione annunciandum est Euangelium.

Nihil dicens extra ea quæ & Prophetæ loquuti sunt futura esse.] Nempe præcipue de iis quæ ad Messiam, & doctrinam de eo spectabant, ut patet ex iis quæ mox versu sequente subjunguntur. Indicat Paulus non esse causam justam cur Judæi contra ipsum de Christo docentem insurgant, quum ipse non nova & commentita de eo dogmata proferat, sed ea quæ jam pridem Prophetæ Dei prædixerunt, & scriptis suis consignarunt.

Et Moses.] Hunc à Prophetis seorsim memorat, ut aliis Prophetis eminentiorem, Veteris Fœderis divini Mediatorem ac Legislatorem, quem Judæi maximo in pretio habent. Vide de his Prophetarum ac Mosis testimoniis annotata ad Luc. 24. 27.

Vers. 23. *Si.*] Conjunctio ista conditionalis sumitur hoc loco assertive & significat *quod*, sicut supra vers. 8.

Patibilis Christus.] Non tantum quod pati potuerit, nam Judæi non ambigebant quin Messias esset verus homo futurus, ut ad hunc locum Beza annotavit; sed quod ex Dei destinatione pati debuerit, & actu ipso passurus fuerit, acerba tormenta, atque mortem atrocem. Id indicatum est præcipue Psal. 22. & Esa. 53. toto & Dan. 9. 26.

At Judæi qui animis conceperant Messiam fore Regem mundanum potenter in terris dominantem, qualem & nunc fore opinantur, non sinebant sibi persuaderi eum in tam misero statu futurum ut affligatur, & servili supplicio & probrosa atque crudeli morte afficeretur. Ita Dei consilia & modi agendi opinionibus hominum carnalium adversantur.

Si.] Id est *quod* ut proxime.

Primus ex resurrectione mortuorum.] Id est primus ex iis qui quum mortui sint, resuscitantur à Deo atque resurgunt è morte ad vitam immortalem. Unde alibi ab eodem Paulo Christus post mortem resuscitatus vocatur primitiæ eorum qui obdormierunt 1 Cor. 15. 20, 23, & primogenitus ex mortuis Col. 1. 18, & à Johanne, Apoc. 1. 5.

Lucem.

Lucem.] Id est veram religionem, qua à tenebris ignorantiæ atque errorum homines liberati illuminantur. Respice supra ℣. 18, atque simul claram & illustrem de vita & felicitate perenni doctrinam: sicut Beza ad hunc locum bene annotavit. Vide Matth. 4. 16. Joh. 1. 4. viij. 12. 2 Tim. 1. 10.

Futurum est ut annunciet seu *prædicet.*] Non ipse Christus post resurrectionem è morte prædicavit ista passim hominibus, sed id fecit per suos Apostolos ipsi hac in re ministrantes. Vide Eph. 2. 17. 1 Pet. 3. vers. 18, 19.

Populo.] Nempe Judaico, qui pro Dei populo peculiari habebatur, & à gentibus distinguebatur, ut supra ℣. 17.

Et gentibus.] Extraneis præter populum Judaicum. Non solis Judæis, sed etiam Ethnicis, præsertim postquam Judæi plerique Euangelium Christi contemserunt, lux ista erat proferenda, ut indicatum Esa. 42. 6. & XLIX. 6. vide & Luc. 2. 32. & Act. 13. 46, 47.

Vers. 24. *Hæc autem eo pro defensione sua dicente.*] Nempe Paulo.

Festus.] Ille præses, Romanus.

Magna voce inquit.] Exclamavit cum vehementia.

Insanis Paule.] Mysteria ista divina, de Christo Rege morte dira affecto, & deinde ex mortuis redivivo, in cœlis dominante, hominum veræ religionis imperitorum, qualis erat iste Festus, Ethnicus, opinionibus adversa, videntur esse absurda ac deliramenta. Vide 1 Cor. 1. 18, 23. & ij. 14.

Multæ te literæ.] Quibus legendis in Mose & in Prophetis quorum testimonia citas apparet te esse occupatum.

In seu *ad insaniam convertunt.*] Sive adigunt. Solent interdum ii qui relictâ aliarum rerum curâ studiis literatis unice pertinaciter incumbunt, auctâ inde melancholiâ ad maniam & phrenesin deduci, videatur Aristot. Problem. sect. 30. Et nullum magnum ingenium sine mistura dementiæ fuisse scripsit Seneca. Sed id Paulo Apostolo objectum est immerito.

Vers. 25. *Is autem*, nempe Paulus, *non insanio inquit.*] Amolitur à se & negatione avertit probrum insaniæ, atque delirii.

Præstantissime Feste.] Hoc titulo honoris solito, de quo supra cap. 23. 26. XXIV. 3, honorat Paulus istum Præsidem, quamvis illi ab eo inhoneste objecta est insania. Discamus hinc, Magistratus etiam tunc quum nos honore spoliant, tamen honorare.

Sed veritatis & sobrietatis verba.] Id est per Hebraismum, vera & sobria: Non ficta aut cum mendacio conjuncta, neque à dementia vel delirio, sed à sana mente profecta. Vox ab eodem à quo ista sobrietatem designans fonte profecta, usurpatur de illo qui fuerat dæmoniacus ideoque furiosus, postquam à Christo sanatus mentem sanam recuperavit, Marc. cap. 5. 15. & Luc. 8. 35.

Eloquor.] Seu pronuncio.

Vers. 26. *Scit enim de his Rex.*] Nempe iste qui adest, Agrippa. Provocat ad id quod apud Festum valere posse putabat, ad istius hominis dignitate conspicui coram quo stans ipse causam dicebat, testimonium: quod istarum rerum sit conscius. Nempe de Jesu Christi miraculis, & passione atque morte truculenta, & de ejusdem resurrectione.

Ad quem &, id est *etiam*, *libere dicens loquor.*] Ob idipsum quia mihi constat me loqui vera, & ipsi non ignota.

Latere enim eum quid istorum nequaquam persuadeor.] Seu persuadeo mihi, aut arbitror. In Græco textu est duplex negatio, quæ apud eos validius negat. Credebat Paulus ista quæ de Jesu Christo asserebat ab Agrippa Rege non ignorari.

Non enim est in angulo actum hoc.] Affert rationem cur ista ab hoc Rege non ignorari existimet: quia hæc pleraque acta sunt publice, palam, non in latebris. Quanquam autem Christi à mortuis redivivi exhibitio, non sit facta nisi in oculis discipulorum ipsius, tamen credibile est, & sepulchri ejus custodes qui tunc quum resurgeret, admirando Angeli fulgidi ad sepulchrum illud accessu perculsi fuerunt, & postea hæc quæ ibi facta sunt, primariis Sacerdotibus annunciaverunt, Matth. 28. 4 & 11, quamvis tunc pecunia deliniti dissimularunt, tamen sensim posthac famam ejus rei inter homines sparsisse: & ex tot discipulorum Jesu Christi, qui hoc ut oculati testes publice asserebant, afflictiones ideo obortas nihil veriti, testimoniis, eandem dimanasse.

Vers. 27. *Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quod credas.*] Hac Apostrophe ad Regem istum rursus conversâ oratione, urget eum authoritate Prophetarum Dei: per schema quoddam interrogans eum, & mox loco responsionis ab illo exspectandæ ipse sibi de eo respondens: utpote in re non dubia. Nam quum iste Rex esset Judaicæ religioni addictus, ut dictum supra ad vers. 3, non poterat Prophetarum à Judæis receptorum authoritati sacræ refragari eamve repudiare. Inde vult inferre Paulus istum Regem Prophetarum scripta vera esse credentem, debere etiam ea quæ ipse de Jesu Christo asserat, credere: quum eadem quæ Prophetæ prædixerant impleta esse doceat. Respice supra ad vers. 22, 23.

Vers. 28. *At Agrippa ad Paulum infit.*] Seu fatus est.

In parvo.] Quidam hoc exponunt de tempore exiguo atque brevi, quasi dicat Agrippa, vis tantillo temporis spatio id fieri. Sed rectius exponunt alii ut sensus sit, propemodum, seu ferme, aut parum abest quin hoc fiat. Observatum est Platonem in Apologetico tales voces Græcas tali sensu usurpasse.

Me suades vel *mihi persuades*, *Christianum fieri.*] Seu ut Christianus fiam. A Christi magistri nomine inditum hoc nomen Christi discipulis, Antiochiæ, supra cap. XI. 26, ulterius dimanaverat, & passim jam innotuerat. Rex iste videtur ex dictis Pauli acri stimulo cordi suo infixo, commotus, agnovisse religionem Christianam à vero non abhorrere, saltem non esse absurdam. Unde factum est, ut quamvis eam non sit amplexus, tamen Christianis non infensus fuerit, quum eis tempore belli Romani contra Judæos exorti, in ditionibus suis commorationem pacatam concesserit, ut testantur historiæ Ecclesiasticæ. Forsitan hoc dictum ut homo Politicus in præsentia multorum, subridens protulit: quasi non satis serio loquutus.

Verſ. 29. *At Paulus ajit.*] Iſtis verbis Regis apprehenſis.

Optarim utique Deo.] Id eſt à Deo, ut Deus id efficiat, in ſuam gloriam.

Et in parvo & in multo.] Id eſt non tantum propemodum ut dixiſti, ſed etiam admodum, non ex parte ſed ex toto, ut id quod parum abeſſe ais, plene & prorſus fiat.

Non ſolum te.] O Rex, qui hoc dixiſti.

Sed & omnes audientes me hodie.] Qui hic præſentes adſunt, & diſſertationem iſtam meam quam nunc proloquutus ſum auribus perceperunt, nullo excepto.

Fieri tales qualis & ego ſum.] Nempe Chriſtianos, fidem ac religionem Jeſu Chriſti tenentes, mihi ſimiles.

Exceptis vinculis iſtis.] Ne quis auditorum illis verbis Pauli auditis diceret, non eſt quod nobis optes ut ita miſere tractemur ſicut tu tractaris, addit Paulus exceptionem cum civilitate & urbanitate, hoc ſolum ſe in iſta ſecum ſimilitudine eis non optare ut ita captivi fiant ſicut ipſe & vinculis adſtricti, ſeu carceri addicti. Non ideo hoc dixit Paulus quaſi vincula iſta probroſa eſſe exiſtimaret, quum ea non ex inhoneſta cauſa patererur, & alias de talibus gloriaretur, ut 2 Cor. xi. 23. xij. 10, ſed quod tales qualis erat Agrippa Rex, & alii qui ibi aderant, pompis hujus ſeculi involuti, non eſſent tam ſublimis & paradoxæ ſapientiæ cum patientia capaces.

Quanquam Paulus tunc in publico perorans, non videtur catenis fuiſſe alligatus, ſaltem reſpectu manuum, ut indicatum ſupra verſ. 1. Sed potuit per vincula ſignificare carcerem vel cuſtodiam cui ſolebat includi.

Verſ. 30. *Et hæc dicente eo.*] Vel quum dixiſſet.

Surrexit, è loco in quo audiens ſedebat, *Rex.*] Ille Agrippa.

Et præſes, Feſtus, *atque Bernice.*] Illa ſoror Agrippæ Regina vidua, de qua ſupra cap. 25. 13. & 23.

Et qui conſederant cum eis.] Nempe illi Tribuni militares, & viri è civitate illa Cæſarea præcipui, de quibus dictum cap. 25. 23.

Verſ. 31. *Et quum ſeceſſiſſent.*] Nempe, vel in illo ipſo auditorio ſeu conclavi amplo, ad aliquod latus ejus, ut ſine arbitris auſcultantibus ſecum conferrent, vel in aliud illius aulæ ſeu prætorii conclave digreſſi.

Loquebantur alii ad alios.] In illo ſeceſſu, ſicut ſupra cap. 4. 15.

Dicentes.] Exprimitur compendioſe ſumma iſtorum quæ ad invicem loquebantur.

Quod.] Vocula iſta hoc loco ut ſæpe redundat inſerviens referendo ſermoni aliorum.

Nihil morte dignum aut vinculis agit.] Id eſt egit, nullum crimen commiſit.

Homo iſte.] Nempe Paulus, quem tunc perorantem audiverant. Agnoverunt & ex ipſo vultu imperterrito, & ex ſermone libero, atque nullum flagitioſi hominis ſignum redolente, ſed pietatem erga Deum ſpirante, eum fuiſſe innocentem. Sicut jam antea & Phariſæi id erant confeſſi, cap. 23. 9, & Præſes Feſtus, cap. 25. 25. Ita Deus ſervorum ſuorum piorum ignominias atque afflictiones, & adverſariorum impiorum furores, novit ac ſolet convertere in bonum, nempe in piorum innocentiæ declarationem, & nominis ſui gloriam.

Verſ. 32. *Agrippa autem.*] Ille Rex qui Paulum perorantem audiverat.

Feſto.] Præſidi qui Paulum antea judicabat.

Inquit: Dimitti poterat homo iſte.] Id eſt in judicio abſolvi, ut liber abiret, ob idipſum quia eſt inſons, & nullius criminis convictus.

Si non appellaſſet Cæſarem.] Quum ipſe Paulus à judicio præſidis provocaverit ad judicium Cæſaris, jam poteſtas præſidis ut inferioris judicis, non ſolum ad condemnandum ſed etiam ad abſolvendum eum ceſſabat, ut cauſa iſta integra cognitioni illius judicis ſuperioris ſervaretur.

Omnia iſta directa ſunt divinitus ita, ut Paulus alibi de Jeſu Chriſto teſtatus, coram aliis hominibus, etiam Romæ in loco orbis terrarum celeberrimo, coram eo qui tunc ſuper omnes homines honore eminebat, nempe coram Cæſare, de eodem teſtaretur, ad majorem ipſius gloriam ac doctrinæ de ipſo divulgationem atque propagationem, & ad hominum multorum æternam utilitatem. Reſpice cap. 23. 11.

CAPUT XXVII.

Verſ. 1. *UT autem judicatum eſt.*] Seu decretum, vel conſtitutum, nempe à Feſto præſide Judææ: qui jam ante ea de re conſtituerat, ſupra cap. 25. 12.

Ut abnavigaremus, à Judæa, è Cæſareæ urbis portu, *nos.*] Nempe Paulus cum ſociis, ut Luca qui hæc conſcripſit, & Ariſtarcho, qui mox verſu ſequente memoratur.

In Italiam.] Illam regionem Europæ celebrem in qua ſita Roma, ubi Cæſar, ad cujus judicium Paulus appellaverat, reſidebat.

Tradiderunt.] Non exprimitur quinam tradiderint, ſed ſubintelliguntur, Feſtus Præſes, cum iis qui ei adjutores ac miniſtri aderant.

Et Paulum.] Qui à Judæis accuſatus, à Præſide judicatus, ad Cæſarem provocavit.

Et quoſdam alios vinctos.] Qui ſimiliter ut Paulus erant in vinculis, quanquam diſſimilem ob cauſam: ut ob crimina enormia ab eis commiſſa, vel etiam ob cauſarum cognoſcendarum difficultatem. Ita Paulus inſons cum ſontibus ac ſceleratis eſt computatus & exæquatus.

Centurioni, nomine Julio.] Forſan fuit è libertis familiæ Juliæ, ex qua erant Cæſares: quia liberti nominibus patronorum ſuorum ſæpe ſolebant nominari: ut Terentius Afer, à Terentio Varrone. Vide & ſupra annot. ad cap. 23. 24.

Cohortis Auguſtæ.] Quæ erat pars legionis Auguſtæ, ab Auguſto Cæſare ita denominatæ; ſicut illa cohors cui Cornelius centurio erat præpoſitus, fuit pars legionis Italicæ, ſupra cap. 10. 1.

Verſ. 2. *Conſcenſo autem navigio Adramytteno.*] Fuit Adramyttus vel Adrumetum, ſeu potius Hadrumetus, urbs Africæ maritima: ſed fuit alia quoque eo nomine in Myſia ad fluvium Caicum. Quidam

dam ex illa alii ex hac, navem istam fuisse censent; quæ mercimonii causâ ad littus Judææ venerat. Ex hac autem potius eam venisse, colligi potest inde quod versus istam oram navigavit, ut patet ex verbis mox sequentibus de Asia, & infra ỷ. 5. Apparet ea nave usam ad tempus istam cohortem Romanam, ideo quod navis alia quæ recta in Italiam navigaret, tunc ibi non adesset.

Navigaturi, eos [qui] secundum Asiam sunt locos.] Intelligitur Asia minor, cujus pars est etiam Mysia: Loca Asiæ istius maritima erat navis ista aditura.

Avecti sumus.] Ut supra cap. 16. 11. xviij. 21. xx. 3 & 13.

Existente cum nobis Aristarcho, Macedone, Thessalonicense.] Ex amore in Paulum, comes istius itineris fuit ei iste; qui describitur à patria latiore, nempe regione, Macedonia, & deinde strictiore, id est urbe Thessalonica. De eodem dictum supra c. 19. vers. 29. & xx. 4. Is & postea Paulo adfuit. Vide Col. 4. 10. & Philem. 24.

Vers. 3. *Altera* scilicet die, *evecti sumus [in] Sidonem.*] Urbem illam Phœniciæ celebrem, de qua ad Matth. xi. 21.

Humaniterque Julius.] Ille Centurio, de quo supra ỷ. 1, qui hoc loco in quibusdam exemplaribus dicitur Julianus.

Paulo, usus.] Seu Paulum, quamvis vinctum sibi traditum, humane & benigne tractans.

Permisit, ad amicos vadentem, curam nancisci.] Ut à Christianis sibi faventibus, qui in illa ora Phœniciæ fuerunt, supra cap. xi. 19. xxj. 3, 4, Paulus accedens ad eos, quæ ad curandas corporis necessitates, & ad victum pro itinere requirebantur, acquireret. Ita Dominus Jesus huic servo suo gratiam apud hominem alioqui alienum conciliabat, ut ipsius afflictio leniretur: flectebat ejus centurionis animum militarem, ut Paulum in custodia non adstricta sed laxa haberet: sicut supra cap. 24. 23.

Vers. 4. *Et illinc avecti, subnavigavimus Cyprum.*] Insulam illam celebrem, de qua supra ad cap 4. 36. & xiij. 4. Infra hanc obliquato cursu navigarunt.

Propter hoc quod venti essent adversi.] Affertur causa cur non recto itinere, sed obliquo, navigassent, quia ventis adversis cedere cogebantur.

Vers. 5. *Illudque pelagus quod juxta Ciliciam.*] Regionem, in qua urbs præcipua Tarsus, patria Pauli, vide supra cap. 6. 9. xv. 41. xxj. 39. xxij. 3.

Et Pamphyliam.] De hac regione Asiæ, dictum ad cap 13. 13. vide & xiv. 24.

Pernavigantes.] Seu navigando emensi.

Devenimus [in] Myra.] Quæ alias Limyra dicta. Vulgatus Interpres Latinus per errorem posuit hoc loco Lystram, quæ est urbs alterius regionis, Lycaoniæ, procul à mari in continente sita.

Lyciæ.] Regionis Asiæ, subintellige, *urbem.*

Vers. 6. *Et illic inveniens Centurio navigium Alexandrinum* seu *navem Alexandrinam.*] Quæ illuc venerat ab Alexandria urbe Ægypti, de qua vide ad cap. 18. 24.

Navigans, seu navem navigantem, *in Italiam.*] Quò sæpe ab Alexandria naves, ex Ægypto, frumentum, & alias ab oriente merces advehere solebant.

Imposuit nos in id vel *in eam.*] Nempe quia prior navis procul deflexura Adramyttum ibat, hæc autem rectiore via Italiam petebat, ad quam iste Centurio tendebat: ideo eos quos devehendos susceperat ex illa nave in hanc transposuit: seu effecit ut eam inscenderent.

Vers. 7. *In.*] Hæc vocula hoc loco redundat, vel sumitur pro *per*, ut sæpe.

Multis.] Græce proprie sufficientibus, *diebus.*

Tarde navigantes.] Propter ventum qui non adspirabat ita ut navem cito ferret, sicut paulo post indicatur.

Et vix venientes juxta Cnidum seu *Gnidum.*] Promontorium Asiæ ab hac parte ultimum, in Cariæ peninsula Doride, oppositum Cretæ.

Non permittente nobis vento.] Quippe non secundo, sed adverso.

Subnavigavimus.] Obliqua navigatione, sicut supra vers. 4.

Cretam.] Insulam, quæ jam ad Europam spectat, centum quondam urbibus potentem, quæ nunc vocatur Candia.

Juxta Salmonem.] Cretæ promontorium orientale, alias Salmonium.

Vers. 8. *Vixque*, id est cum difficultate magna, ob ventos incommodos, *præterlegentes eam.*] Id est præternavigantes: quia loca aspera in mari funibus collectis prætereuntur.

Venimus in locum quendam, vocatum Pulchros portus.] Locum in Creta insula, ita dictum.

Cui prope erat civitas Lasæa.] Quædam exemplaria habent Alassa: at vulgatus Interpres Thalassa, quod corruptum esse admonuit Hieronymus.

Vers. 9. *Multo autem tempore peracto.*] In navigatione lenta & incommoda, præter spem nautarum & vectorum insumto.

Et existente jam intutâ seu *periculosa navigatione.*] Propter tempus incommodum, quod mox indicatur.

Propterea quod & jejunium.] Intelligitur tempus jejunii Judaici, ut declararunt Syrus & Arabs Interpretes. Significatur autem jejunium solenne magnum, mense septimo, sub festum expiationis, celebrari solitum; de quo Lev. 16. 29. seqq. & xxiij. vers. 27. seqq. Nam & articulus Græcus præfixus, notum ac certum jejunium designat. Hic jejunium pro tempore jejunii celebrati ponitur. Hoc tempus autem Lucas nominavit, scribens iis qui ritus Judaicos partim notos habebant, partim adhuc ipsi observabant.

Jam præteriisset.] Celebrabatur hoc jejunium circa æquinoctium autumnale, mense Tisri, qui partim fini Septembris partim primæ parti Octobris nostro more respondet. Hoc tempore transacto, mare jam magis tempestuosum, & navigationibus incommodum redditur.

Admonebat Paulus.] Ne navigationem continuare vellent, prædicens damna quæ eventura divino spiritu revelante prævidebat.

Vers. 10. *Dicens eis: Viri, conspicio* seu *video quod.*] Ista vocula *quod* vel redundat hoc loco, vel significat *utique* sicut 1 Joh. 3. 20. Alias sub finem istius versus committeretur solœcismus.

Cum

Cum injuria, seu calamitate, *& multo damno.*] Vide infra ad ℣. 21.

Non solum oneris.] Quo navis erat saburrata, forsan frumenti, & aliarum mercium: quorum jactura est noxia.

Et navis.] Quæ tempestatibus procellisque jactata, corrumpetur.

Sed & animarum nostrarum.] Quod majus est damnum, & magis vitandum. Per *animam* intelligitur sæpe vita, quæ est ab anima, per Metonymiam Sed intelligitur interdum per Synecdochen homo, ut Act. 2. 41. vij. 14. Rom. 13. 1. 1 Petr. 3. 20.

Futuram esse hanc navigationem.] Hæc verba Græce per infinitivum prolata sunt. Unde apparet voculam *quod* ut supra notatum est, non obtinere hic suam solitam significationem.

Vers. 11. *At Centurio*, ille Julius, *gubernatori.*] Ei qui navem gubernaculo dirigebat.

Et nauclero.] Qui navem possidebat, seu ad quem navis sors seu hæreditas spectabat.

Credebat magis.] Velut in arte sua versatis, ac peritis. Græce proprie *persuadebatur*, id est assentiebatur.

Quam eis quæ à Paulo dicebantur.] Quia Paulum rei nauticæ imperitum censebat, neque Spiritu divino prophetico præditum agnoscebat.

Vers. 12. *Non apposito autem portu existente.*] Id est non apto, non commodo.

Ad hyemationem.] Id est ad hyemale tempus, quod navigationi est ineptum, ibi transigendum. Videatur similis vox infra cap. 28. 11.

Plerique statuerunt consilium solvendi seu *provehendi, & illinc.*] Consilio capto, consenserunt ut ulterius proveherentur.

Si quomodo possent.] Id est volebant conari, atque experiri an & ut hoc consequi possent.

Devenientes in Phœnicem.] Non regionem Phœniciam, in qua fuit cum Tyro urbs Sidon, jam à tergo dudum eis relicta ℣. 3 & 4, sed urbem Cretæ, ut mox enarratur. Phœnix Græcè palma vocatur: & color rubeus seu sanguineus.

Perhyemare.] Id est illic hyemis tempus transigere.

Portum Cretæ.] Urbi ejus nominis adsitum, in littore illius insulæ de qua supra vers. 7.

Spectantem ad Africum.] Id est ventum qui ab Africa seu Libya spirat, inter meridionalem & occidentalem plagam.

Et ad Chorum seu *Corum* aut *Caurum.*] Ventum qui flat inter occasum & septentrionem. Apparet portum hunc fuisse sinuosum ac flexuosum, ita ut una parte ad illum altera vero ad istum ventum vergeret, - - curvatus in arcum.

Vers. 13. *Adspirante autem.*] Seu potius leviter spirante.

Noto.] Vento meridionali, ita Græce dicto, ab humore ut plerique putant: qui Latinis Auster vocatur.

Æstimantes propositum tenere.] Id est opinantes se id quod proposuerant obtenturos.

Tollentes.] Nempe navigando provehentes è portu.

Asson.] Quidam existimant id esse nomen loci. Sed primum non potest notari locus ille Troadi vicinus, de quo supra cap. 20. 13, 14, qui à Creta valde longe remotus erat. Aliqui igitur putant notari oppidum Cretæ ejus nominis. At si ita esset non absque præpositione aliqua fuisset positum. Potius igitur significat *prope*, seu proxime, quo sensu talis vox Græca non tantum Homero Poëtæ, sed & Herodoto historico, usurpatur, & pertinet ad sequentia.

Præterlegebant.] Id est præternavigabant, ut supra vers. 8.

Cretam.] Illam insulam, ita ut navigando, ejus oræ adhærerent.

Vers. 14. *Post non multum autem.*] Scilicet tempus.

Irruit ad eam.] Id est Cretam, cum vehementia.

Ventus typhonicus.] Turbo turbulentus ac procellosus.

Vocatus Euroclydon.] Eurus est ventus orientalis, flans ab ortu hyberno, à quo hoc nomen compositum, additâ voce *clydon*, quod Græce fluctum notat. Quidam exponunt late undas cientem.

Apud vulgatum Interpretem est Euroaquilo: quasi ex Euro orientali, & Aquilone septentrionali, conflatus, vel potius inter utrumque medius.

Vers. 15. *Quum autem correpta esset navis.*] Nempe ab illo turbine venti contorta.

Et non posset obtueri.] Quasi oculis oppositis, id est prora obversa obniti, *vento*; vel contra eum tendere.

Dantes.] Seu concedentes, scilicet vento proxime nominato, navem.

Ferebamur.] Non quò oportebat, sed quò ventus pellebat.

Vers. 16. *Insulam.*] Græca voce diminutiva quasi insululam, si ita loqui liceret.

Autem quandam accurrentes.] Seu subeuntes infra eam, obliquo cursu ut supra vers. 4 & 7.

Vocatam Clauden.] Aliqua exemplaria habent *Cauden.* Ista Claude, Ptolomæo Claudos, prope Cretam ponitur. Alia ab ea videtur esse Gaudos sive Gaulos, Cretæ vicinior.

Vix valuimus compotes fieri scaphæ.] Ita vocatur navicula parva, ex arbore cavata, quæ navi magnæ solet alligari: quâ requirente necessitate excurritur eò quò navis grandis accedere non potest. Ea tunc à ventis raptabatur: & forsan navi ipsi allidebatur, vel etiam in periculo erat ne avellerctur.

Vers. 17. *Qua sublatâ.*] Ita ut in navem magnam imponeretur: vel potius, propter illa quæ mox adduntur, ut eâ adducta & propius navi alligatâ, ejus auxilio prius navem cingerent, ut statim narratur.

Adjutoriis utebantur.] Aliqui exponunt ita ut collatis operis nautæ opem ferrent: Alii autem intelligunt, funes, catenas, uncos, adhibitos juvandæ navi.

Succingentes navem.] Nempe funibus sub carina adductis navem adstringentes, ne ab agitatione facile dissolveretur, atque in frusta dissiliret.

Metuentes autem ne in Syrtim.] Syrtes dicuntur loca in mari vadosa arenis æstuantia, prope littus Africæ. De quibus ita Virgilius, in Æneæ navium afflictione, tres Eurus ab alto,

> In brevia & Syrtes urget, (miserabile visu)
> Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Exci-

Exciderent.] Seu vento pellente acti, impingerent.

Demisso vase.] Id est malo, seu arbore, cui in medio navis erectæ solent vela alligari. Vel igitur malus iste tunc est laxatus, atque depositus, vel saltem ea quæ ipsi transversa adstringitur antenna, cum velo appenso, est detracta, nam

Effugit hibernas demissa antenna procellas.

Ita ferebantur.] Per undas fluctuabant. Vide supra ad ℣. 15.

Vers. 18. *Vehementer autem tempestate jactatis nobis.*] A venti turbine atque procella, & a fluctibus vastis marinis, non tantum huc illuc navem ad latera agitantibus, sed etiam nunc versus cœlum attollentibus, nunc inter dehiscentes undas velut in abyssum & barathrum præcipitantibus. Vide Psal. 107. 25. Ita Paulus ille vir Deo & Christo dilectus, & vas ejus electum, -- multum & terris jactatus, & alto.

Sequente, scilicet die, *jactum* seu *jacturam fecerunt.*] Id est sarcinas graviores, & impedimenta atque merces onerosiores, è navi ejecerunt, nempe nautæ, & vectores: ut navis onere levata, ex aqua altius eminens, minus facile undis irruentibus obrueretur. Ita rerum alioqui utilium & dilectarum damnum ultro ab hominibus fieri solet in periculo, evitandi majoris damni gratiâ: ex damno quæritur remedium: è duobus malis minus eligitur.

Vers. 19. *Et tertia* scilicet *die.*] Nempe ab exorta illa tempestate procellosa.

Ipsi manibus, instrumentum navis.] Seu armamenta, ut malum, seu arborem, remos, rudentes, &c.

Ejecimus.] Nos qui in navi vehebamur, una cum nautis. Aliqua exemplaria habent, *ejecerunt.*

Vers. 20. *Neque autem Sole*, diurno tempore, *neque astris.*] Seu sideribus ac stellis, tempore nocturno, *apparentibus.* Ita,

Eripiunt subito nubes cœlumque diemque,
Illorum ex oculis, ponto nox incubat atra,

etiam tum quum dies esse deberet.

Per plures dies.] Non per unum, quod esset malum tolerabilius.

Et tempestate non parva incumbente.] Vulgatus Interpres habet *imminente*, sed id posset significare futuram demum adventantem procellam, hic autem intelligitur præsens, quæ istos jam premebat. Vox ista quæ tempestatem eadem hyemem Græcis significat: Et solet hyems quoque sumi pro turbulenta ac nimbosa tempestate. Quando

-- cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris;
Involvere diem nimbi. - - -

Postremo ablata erat omnis spes salutis nostræ.] Seu servandi nostri. Ita solet fieri ut homines periculis talibus urgentibus non sperent se posse servari, quando venti vehementes ac procellæ sæviunt, & metuitur naufragium ac submersio in mari profundo,

Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Sed inter cæteros desperantes, Paulus servus Christi non desperabat, ut patet ex sequentibus.

Vers. 21. *Multa autem inedia existente.*] Id est quum illi qui in navi erant ob illam jactationem tristes ac timore periculorum mœsti, cibum diu non caperent; quum adessent alimenta, ut apparet infra vers. 36 & 38.

Tunc stans Paulus in medio eorum.] Nempe illorum sociorum cum quibus navi vehebatur.

Ajit.] Monendo eos, & consolando: oblata occasione, fungens officio hominis prudentis & pii.

Oportebat quidem ô Viri, obediendo mihi non provehi à Creta.] Primum eos reprehendit leniter quod prædictioni & admonitioni suæ, de qua supra ℣. 10, non auscultaverint: quam tamen veram & utilem fuisse, eventus ipse comprobavit.

Lucrarique injuriam hanc & damnum.] De quo ℣. 10. Qui damnum quod accepturus erat evitat, is lucrum facere, & fortunatus esse dicitur; attestante Aristotele, Magnorum Moralium lib. secundo cap. 9. Injuria hic indicatur ista à tempestate jactatio, & salutis desperatio: damnum autem, illa mercium jactura, & instrumentorum navalium ejectio, de quibus vers. 18 & 19: adhuc autem alia damna erant metuenda, quæ supervenerunt postea. Vide ℣. 38 & 41.

Vers. 22. *Et nunc.*] Id est nunc igitur, ut cap. 5. ℣. 38, vel nunc autem. Quando jam dictis ejus prioribus, fidem conciliavit eventus, nunc majore cum fiducia eos alloquitur.

Adhortor vos, ut bono animo sitis.] Mœstos & timentes pericula, consolatur.

Amissio enim.] Consolationis rationem affert.

Animæ.] Id est hominis ullius, per Synecdochen, ut supra ℣. 10.

Nulla vel *nullius.*] Ut habent quædam exemplaria; *erit ex vobis*, id est nullus vestrûm peribit, in hac navigatione, quamvis periculosa. Sed id intelligendum sub conditione, vide infra 31.

Præterquam navigii.] Scilicet amissio erit.

Vers. 23. *Adstitit enim mihi.*] Precanti assidue, ut credibile est, pro conservatione sui, & sociorum.

Nocte hac.] In tenebris.

Angelus.] Quos Ethnici vocabant genios, ii apud sacros authores vocantur Angeli, id est nuncii, nempe non vulgares, terreni, sed cœlestes.

Dei.] Nempe numinis veri, per excellentiam ita dicti, Domini mundi.

Cujus sum.] Legatus ab illo Deo cui ego sum addictus, ut Domino supremo, qui est Deus Israëlitarum, ut populi sui peculiaris.

Cui & vel *etiam servio.*] Nempe servitio religioso, adorans eum, atque colens. Simile dictum olim Jonas Propheta navigans inter Ethnicos de se protulit, Jon. 1. 9. Innuit Paulus oblique se ab inimicis immerito accusatum ut impium: & simul perstringit eos cum quibus navigabat, ut Deum verum ignorantes.

Vers. 24. *Dicens: Ne metue Paule.*] Quamvis in ista marina jactatione non sis absque metu periculi, tamen, revocato animum mœstumque timorem mittito: non peribis in ista navigatione.

Cæsari te oportet sisti.] Sicut in negotio judicii tui

ad

ad Cæsarem provocasti, supra cap. 25. 11, ita fiet, ut Romam delatus coram Cæsare vivus sistaris & compareas, ab eo judicandus.

Et ecce donavit tibi Deus omnes navigantes tecum.] Id est propter te servum suum, tibi gratificans, Deus, istos tuos socios in vita conservabit, ita ut non pereat ullus eorum: quamvis erant multi, ut indicatur infra ℣. 37.

Propter decem justos quondam, petente Abrahamo, si reperti fuissent Sodomis, toti Sodomorum civitati impiæ Deus parcere voluit Gen. 18. 32. Hic autem propter unum Paulum, omnibus cum eo navigantibus. Ita propter unum interdum pium multi quamvis impii, à Deo benigno, servantur, atque è periculo liberantur. Alio sensu contrario vox donandi accepta supra cap. 25. 11. Sed simili huic supra cap. 3. 14.

Vers. 25. *Propterea bono animo estote viri.*] Post istam narrationem, lætabilem, atque consolatoriam, infert repetens eam quam jam vers. 22 dixerat, consolationem.

Credo enim Deo quod ita erit quemadmodum dictum est mihi.] Ut credant auditores ista quæ Paulus de iis in periculo conservandis dixit, vera esse, suo exemplo eos confirmat, qui id ita certo fore firmiter credat atque persuasus sit; quippe Deo id per Angelum legatum suum annunciante, & prædicente. Dei oraculis & promissis quæ hominibus evidenter revelavit, credendum est absque dubitatione, & pro certo habendum, quamvis pericula fidem impedientia non absint, tamen id quod Deus verus, qui mentiri non potest, pronunciavit, omnino ita esse eventurum.

Vers. 26. *In insulam autem quandam oportet nos excidere.*] Præter alia quæ ad consolationem facientia dixit Paulus, etiam prædixit fatidico spiritu locum in quem illa tempestate jactati ab instituta navigatione sint evasuri: Id etiam ei proculdubio divinitus fuit revelatum. Ipse autem id prædixit ideo ut postea homines illi ex eventu agnoscerent, eum esse divino munere futurorum occultorum præscium, & vatem non falsum: atque inde ad eum quem ipse colebat Deum verum glorificandum atque celebrandum eos impelleret. Ea vaticinatio quomodo sit effectu impleta, narratur infra c. 28. 1.

Vers. 27. *Ut autem quarta decima nox facta est.*] Seu quum advenisset, nempe ab incœpta illa in mari per tempestatem jactatione.

Quum differremur nos.] Id est huc illuc à ventis jactaremur.

In Adria.] Fuit Adria oppidum vetus in ostio Padi fluvii ad mare conditum. Ab hoc etiam mare illud vocatur Adria, seu Adrianum, & usitatissime Adriaticum; non tantum autem ille sinus qui est à Venetiis ad Corcyram, ita appellatur, sed etiam ulterius mare ad Ionium nomen istud extenditur.

Circa medium noctis suspicati sunt nautæ appropinquare quandam eis regionem.] Græce hoc loco est verbum quod proprie significat *adducere* subintelligitur, se. Navigantibus terra accedere vel recedere dicitur, quia ita ita visui decepto apparet, quum ipsi navigantes vel accedant ad terram, vel ab ea recedant.

Vers. 28. *Et bolide demissa.*] Bolis est instrumentum nauticum, ita Græce vocatum à jaciendo, plumbum funiculo appensum, quo in mare demisso ob gravitatem tendente deorsum, nautæ solent profunditatem explorare: & quidem adipe inungunt quum volunt experiri an locus sit arenosus.

Invenerunt orgyjas viginti.] Orgyja est mensuræ species notans spatium tantum quantum brachiis utrinque extensis comprehendi potest.

Paulùm autem distantes seu *progressi, & rursum bolide jacta, invenerunt orgyjas quindecim.*] Jam minorem priore profunditatem.

Vers. 29. *Metuentes autem ne quomodo in aspera loca excíderent.*] Nempe in arenas vel etiam saxa atque scopulos quibus navis cum periculo naufragii allideretur.

E puppi.] Id est parte navis postica.

Jactis anchoris.] Anchora est instrumentum nauticum ferreum uncos utrinque habens, quod funi crasso alligari solet, & demitti in maris fundum quando navem sisti oportet.

Quatuor.] Apparet fuisse gravem tempestatem, in qua sistendæ navi non una anchora sufficiebat, sed requirebantur quatuor, ut ab utroque navis latere binæ demitterentur.

Optabant diem fieri seu *oriri.*] Quia nox atra in tenebris terrores cœcos auget, lux autem diurna, res ut sunt ostendit, non ultra veritatem extendit, ideo in terroribus versantes solent diurnam lucem avide exspectare.

Vers. 30. *At nautis quærentibus fugere ex navi.*] Quum periculum imminens vellent evitare, inibant modum quo evaderent.

Et demittentibus scapham in mare.] Apparet scapham fuisse è mari sublatam in navem: de quo supra vers. 16, 17.

Prætextu velut è prora anchoras extensuri.] Hanc fingebant demissionis scaphæ & sui in mare descensûs causam, ut anchoras etiam *è prora*, id est parte navis anticâ, funibus longius prolatis, figerent.

Vers. 31. *Ajit Paulus Centurioni & militibus.*] Quibus nautarum fuga erat ignota, quam Paulus, Deo ut credibile est revelante, cognoverat, illi autem eam inhibere potuerunt.

Nisi isti, nempe nautæ, *manserint in navi, vos servari non potestis.*] Quamvis Paulus habuerat datum à Deo promissum de omnibus qui cum eo navigabant per gratiam suam conservandis, ne perirent, de quo supra vers. 22 & 24, tamen hinc apparet promissionem istam fuisse hypotheticam, sub ea conditione, si media ordinaria ad ipsos ab exitio tuendos requisita, non negligantur, sed adhibeantur. Ita & alibi indicatur Dei promissa esse conditionalia, ut 1 Sam. 2. 30. & xiij. 13, 14, sicut & minas ejusdem, ut 1 Sam. 23. 11, 12. 2 Reg. 20. 1, 4, 5, 6. Jonæ 3. 2, 4, 10. vide & Jer. 18. 7, 8, 9, 10. Hinc etiam patet, quamvis causis secundis non sit fidendum, nec si Deo adimente absint, desperandum, tamen eas quum haberi possunt, ad conservationem nostri, non esse negligendas. Hic nautæ rei nauticæ periti ad auxilium in navigando requirebantur.

Vers. 32. *Tunc milites abscíderunt funes scaphæ.*] Quibus

quibus adhuc erat navi alligata, ita ut ex navi in eam exscensus fieri posset.

Et siverunt eam excidere.] In mare procul abire: ne eâ nautæ ad fugam abuti possent.

Vers. 33. *Usque autem dum inciperet dies fieri.*] Seu quum instaret dies, vel interea antequam diesceret. Quia mox die clarâ illucescente, alia erant agenda. Vide infra ℣. 39.

Adhortabatur Paulus omnes, ut sumerent cibum.] Quo vires corporum reficerent.

Dicens: Quatuordecimam hodie diem, scilicet agitis, *exspectantes.*] Nempe ex quo tempestas vehemens eos affligere cœperat. Vide supra ℣. 27.

Jejuni permanetis seu *impasti, nihil* scilicet ciborum, *assumentes.*] Quum absque alimento omni, in corpore alioqui sano, homo ultra septimum diem vitam retinere non possit, naturaliter; aliqui putant, istos de quibus hic dicitur, miraculo divino tamdiu absque omni cibo vixisse. Sic Chrysost. & August. Sed non est necesse miraculum hic statuere: nam Deus non temere miracula facit, quando id quod per miraculum fieri deberet, alio præter miraculum ordinario modo fieri potest. Istis hominibus non defuerunt alimenta usitata, ut patet infra vers. 36 & 38. Sed apparet eos, in periculo, ex jactatione, & mœrore, languentes, raro & perparum comedisse, non solito modo sese refecisse, nec famem saturasse, vide supra vers. 21. Est hic loquutio hyperbolica. Similiter Matth. xi. 18 dicitur Johannes neque edisse neque bibisse, quum tamen alibi indicetur cibus quo usus fuit, ut Matth. 3. 4. Mar. 1. 6.

Vers. 34. *Ideo adhortor vos ut sumatis cibum.*] Hic ipsum monitum exprimitur.

Hoc enim ad vestram salutem existit seu *est.*] Additur moniti ratio: quod hoc faciat ad eorum vires reficiendas, ac valetudinem & vitam conservandam. Nisi cibo vires refecissent, non fuissent pares tolerando labori, ut ex naufragio imminente enatarent. Hic iterum videmus Paulum quamvis Deo promittenti istos omnes salvos atque incolumes evasuros, crederet, tamen causas secundas non negligendas sed adhibendas putasse.

Nullius enim vestrum pilus ex capite cadet.] Quia metus periculi illos à cibo capiendo cohibebat, ideo Paulus metum hunc eis eximens, ait eos, non modo non perituros sed nec in re minima quæ ipsorum sit, qualis est capillus, esse lædendos. Est loquutio proverbialis, hyperbolica, de qua videatur annotatio ad Matth. 10. 30. vide & Luc. 21. 18.

Vers. 35. *Dicens autem hæc.*] Seu, quum hæc dixisset.

Et sumens panem scilicet *in manus.*] Nempe vulgarem cibum, ad qualem sumendum eos cum quibus navigabat, fuit cohortatus supra vers. 33 & 34. Sic Beda, Theophylact. Oecumen. & Lorin. Vasquez. Non est enim cur quis hîc de pane sacro, corporis Christi symbolo à Paulo tunc sumto, agi somniet. Non tantum verbis, sed etiam exemplo suo Paulus eos ad cibum sumendum voluit inducere atque invitare.

Gratias egit Deo.] Quum Deus cibum suppeditet, ad vires corporis alendas ac reficiendas, & cum benedictione, petens ut cibum hunc idem ipse sanctificaret, atque ad valetudinem fovendam converteret. Id Judæis usitatum facere ante cibi esum. Quod & Dominum Jesum fecisse legimus, ut Matth. 14. 19. xv. 36. Joh. 6. 11, & Paulus alibi cum gratiarum actione escas sumendas esse monet, 1 Tim. 4. 3, 4, 5.

Coram omnibus.] In conspectu eorum, ut eis persuaderet quo idem facerent.

Et frangens, nempe illum panem, *cœpit edere.*] Id est comedit.

Vers. 36. *Bono animo autem facti omnes.*] Id est quum & verbis & exemplo Pauli, cujus prædictionis veræ jam specimen habebant, essent animati, curis emotis, & pulsâ parumper è corde tristitiâ.

Et seu *etiam ipsi assumserunt cibum.*] Ut inediâ priore debilitatas vires refocillarent.

Vers. 37. *Eramus autem in navi omnes animæ.*] Id est homines. Vide supra vers. 10 & 22.

Ducentæ septuaginta sex.] Tum nautæ, tum milites, tum ii qui vincti erant in Italiam devehendi. Tam multi homines ad unius Pauli preces sunt à Deo ex periculo conservati: per tam multos oculatos testes gratia Dei admiranda per & propter Paulum præstita, fuit ad gloriam Dei divulgata.

Vers. 38. *Satiati autem cibo.*] Viribus per esum refectis.

Allevabant navem.] Id est exonerabant: ut in ea minus profunde merla propius ad terram possent adnavigare, & ita facilius in littus evadere.

Ejicientes frumentum in mare.] Apparet navem istam Alexandrinam ex Ægypto more solito frumentum seu triticum in Italiam vexisse, eaque merce fuisse oneratam. Primo jactu fuit facta jactura sarcinarum ℣. 18 secundo, vasorum nauticorum, ℣. 19. Isto autem tertio, cibariorum.

Vers. 39. *Quum autem dies facta esset.*] Jam Sole exorto, jam rebus luce retectis. Ergo ea quæ proxime sunt narrata, à versu 33 facta sunt ante diem exortam.

Terram non agnoscebant.] Nempe videbant è mari regionem quandam terrestrem, de qua jam suspicionem acceperant vers. 27, sed interim ignorabant quænam ista terra esset & quo nomine appellaretur, ad quam per tempestatum jactationem & ventos adversos ab itinere proposito aversi deferebantur.

Sinum autem quendam.] Ita vocari solet pars aliqua maris, à littoribus non valde late remotis intercepta.

Animadverterunt, habentem littus.] Id est marginem terræ, quæ à mari allicitur atque linitur.

In quem vel *in quod.*] Nam Græca vox ita anceps est ut possit tam ad sinum referri, quam ad littus, quum utrumque in Græca lingua sit generis masculini. Expetebant quidem isti navigantes tunc præcipue ut ex marina jactatione ad littus & terram appellerent, ut & versu mox sequente indicatur: sed potest dici eos etiam desiderasse prius ingredi istum sinum inter duo littora situm.

Cogitaverant.] Vel potius quod proprie Græca vox sonat, *consilium ceperant* seu consilio inter se inito decreverant, *expellere navem.* Ut jam tandem à tam periculosa navigatione & jactatione æstus marini, in locum tutum se reciperent.

Vers. 40. *Et anchoras.*] Quæ erant quatuor, in mare jactæ supra vers. 29.

Undique tollentes.] Præcisis funibus quibus alligatæ fuerant.

Miserunt in mare.] Videtur significari, anchoras esse in mari relictas. Aliqui id exponunt de nave, quod eam mari permiserint.

Simul laxatis juncturis gubernaculorum.] Quibus gubernacula navium, navibus jungi, & contineri atque firmari solent. Plurali numero dicuntur, vel quia tota species gubernaculorum, etiam aliarum navium, designatur: vel quia antiquis navibus bina erant gubernacula, singulis in puppi lateribus singula.

Hæ junctura laxatæ sunt, forsan ut gubernaculum in aquas descenderet, vel ut expeditius navem eò quò volebant impellerent.

Et attollentes artemonem.] Ita dicitur velum minus, quod appendi solet majoris celeritatis causâ.

Flanti.] In Græco est participium fœmininum, subintelligitur auræ, vel flationi.

Tendebant in littus.] Ut tandem utcunque terra optata potirentur.

Vers. 41. *Decidentes autem in locum bimarem.*] Id est talem qui à duabus partibus seu utrinque mari alluitur; velut isthmum.

Illiserunt navem.] Vento pellente, cum impetu impegerunt in locum vadosum.

Et quidem prora, id est pars navis antica, *infixa manebat inconcussa.*] Quippe inflicta vado hærebat.

At puppis, pars navis postica, *solvebatur à vi fluctuum.*] Quum ea ex quibus compacta erant tabulæ atque asseres, rimis actis, dissolverentur. Ita in naufragio periculoso versatus est Paulus, cum aliis. Istud autem naufragium, evenit post illa quæ ipse memorat 2 Cor. xi. 25, quia epistolam illam scripsit ante suam istam captivitatem atque Romam profectionem.

Vers. 42. *At militum consilium erat ut vinctos interimerent.*] Homines militares cædibus hominum assueti, crudeles, volunt eis qui ipsis traditi erant in vinculis Romam devehendi ita sævire ut eos vita violenter privarent.

Ne quis enatans diffugeret.] Ratio istius consilii maligni affertur. Censebant istos homines vinctos, ut scelerum reos, indignos esse qui viverent, & cavendum esse ne ubi evasissent adhuc scelera aliqua perpetrarent. Sed forsan non omnes isti in vinculis detenti, erant plane scelerati. De Paulo quidem qui inter istos erat constat eum fuisse insontem.

Vers. 43. *At Centurio.*] Ille Julius de quo supra vers. 1, qui etiam antea benignum se & humanum erga Paulum exhibuit, vers. 3.

Volens conservare Paulum.] Cujus & innocentiam agnoscebat, & prudentiam, ac prædictionem ejus ut viri divini veram esse experiebatur. Ita Deus servum suum fidelem ex periculo mortis truculentæ per hoc medium liberavit.

Prohibuit eos [ab] hoc consilio.] Obstitit huic militum maligno & crudeli proposito, ne id exsequerentur.

Jussitque ut qui possent natare.] Qui natandi in aquis tum peritiam tum vires sufficientes habebant.

Abjicientes [se] primos, scilicet in mare ad natandum, *in terram evaderent.*] Apparet, quamvis in locum vadosum cum navi inflicta devenissent, tamen adhuc ibi non fuisse terram firmam in qua possent subsistere, sed aliquanto inde spatio distitisse.

Vers. 44. *Et reliquos.*] Qui vel natandi peritia vel viribus destituebantur.

Hos quidem in tabulis.] Seu asseribus atque plancis, quæ in transtris, foris navium & scalmis haberi solent.

Hos autem, id est alios, *in quibusdam à nave.*] Seu ex nave nempe à vi fluctuum marinorum soluta & fracta, fragmentis.

Et sic factum est [ut] omnes servarentur.] Seu salvi evaderent.

Ad terram.] Ut nemo eorum in mari submersus periret. Ita impleta est per gratiam Dei illa ejus promissio, & Pauli servi ejus veri vaticinatio, de qua supra ℣. 22 & 24. Etiam hoc facto, per tot hominum ex terribili naufragio liberationem, Pauli servi sui prædicationi fidem, & nomini suo gloriam conciliavit.

CAPUT XXVIII.

Vers. 1. *Et conservati.*] Seu quum salvi evasissent, & è naufragio in terram advenissent.

Tunc cognoverunt.] Forsan ex hominum qui illum locum incolebant, alloquio.

Quod Melita ea insula vocaretur.] Prædixerat Paulus supra vers. 26, eos evasuros in insulam quandam. Ea insula nunc nomine suo indicatur. Melita ista, à melle ut quibusdam videtur dicta, inter Africam & Siciliam jacens, nunc vulgo Malta vocatur: quam incolunt illi militares equites, qui antea dicti Rhodienses.

Ab hac diversa est alia minus celebris similis nominis Corcyræ vicina, versus littus Illyricum, dicta Melitine: sed hic non hanc verum illam notari, colligitur tum aliunde tum ex iis quæ infra narrantur vers. 11, 12, 13, etiam nunc est in illa locus qui Italice appulsus Sancti Pauli nominatur.

Vers. 2. *At barbari.*] Nempe illius insulæ incolæ, plerique tum Pœnorum qui ex Africa illuc venerant, reliquiæ. Barbari à Græcis ut cultis & politis distincti, vocabantur illis cæteri populi, quasi deserta incolentes, vel potius murmure quodam quod intelligi nequit loquentes. Vide Rom. 1. 14 1 Cor. 4. 11.

Præstabant non vulgarem humanitatem nobis.] Præter morem Barbarorum humanos se præbebant hospitibus peregrinis naufragis. Multo magis similis humanitas afflictis exhibenda est ab iis qui pro barbaris non habentur.

Accendentes enim pyram.] Seu accensâ pyrâ, id est cumulo materiæ ad ignem alendum idoneæ. Inter prima humanitatis, hospitibus, præsertim tempore hyberno exhiberi solita officia, est ignis ad calefaciendum oblatus.

Acceperunt omnes nos.] Nempe benigne susceperunt, ad ignis usum calefaciendi causâ admiserunt.

Propter imbrem instantem seu *imminentem.*] Vel potius urgentem, ac jam prementem.

Et propter frigus.] Tum ob anni tempus hyemale, tum

tum ob factam in mari non tantum navigationem, sed & natationem, tum ob imbrem istum.

Vers. 3. *Congregante autem Paulo sarmentorum multitudinem.*] Id est surculorum seu virgultorum à vitibus resectorum, aridorum: quæ etiam cremia vocantur. Apparet eam insulam non abundasse lignis, ideo, eorum loco ad ignem fovendum ista sarmenta collecta adhibebantur.

Et imponente in pyram.] Ut igne majore excitato tum ipsorum qui è mari enataverant corpora calesierent, tum vestes madefactæ exsiccarentur.

Vipera.] Græcè echidna, species bestiæ è genere serpentum: quæ Latine ita vocata non à vi pariendo, nempe prole alvum matris erodente, ut aliqui putarunt; sed ab eo quod non aliorum serpentum more ova, at fœtum vivum pariat. De quo videatur Theophrastus & Ælianus in Historia Animalium. Est valde venenata.

Ex calore exiens.] Inter sarmenta forsan in fasciculo frigore torpens erat allata, postea vero per calorem fota, recepit vigorem & prorepsit. Alioqui salamandra, quæ etiam est viperæ similis, quum sit valde frigida, in igne aliquamdiu illæsa vivere posse narratur.

Invasit seu *arripuit, manum ejus.*] Id est apprehendens momordit.

Vers. 4. *Ut autem viderunt barbari.*] Nempe illi Melitenses incolæ.

Pendentem bestiam.] Græcum nomen θηρίον, solet alias notare feram: sed etiam talis bestia parva ita vocatur. Inde denominatur Theriaca, antidotum nobile, quod præter alia etiam ex viperæ quamvis venenatæ carnibus conficitur, ut assumtum intra corpus venena sibi similia è corpore exsucta, educat.

Ex manu ejus.] Nempe quum manum Pauli morsu apprehendisset, ei adhærens mordicus, ita ab ea dependebat.

Dicebant alii ad alios.] Inter sese invicem colloquentes.

Omnino homicida est homo iste.] Tale judicium isti ex hac occasione ferunt de Paulo, quasi esset homo sceleratus ac facinorosus, & nominatim homicidii ac sanguinis insontis effusi reus. Sed hoc eorum judicium temerarium, eventus refutavit.

Quem servatum ex mari, ultio vivere non sivit.] *Ultio* hîc notat vindictam divinam: quam Ethnici Nemesi Deæ attribuere soliti. Ita de isto loquuntur ut credant eum mox certo moriturum. Ita isti argumentabantur; Homo iste naufragio proximus, quum ex eo salvus evaserit, quia in mari submersio non tantum malos atque sontes sed etiam insontes perdere solet; nunc autem rursus nova pœna eum per morsum viperæ invaserit, apparet Deum ei ut scelesto, per vindictam suam, eripere vitam, qua sit indignus.

Quamvis autem calamitates plerumque sint pœnæ justæ peccatorum, tamen ex iis non est semper judicandum & necessario concludendum eos qui talia patiuntur, à Deo propter peccata puniri. Nam Deus in affligendis hominibus non semper ipsorum peccata respicit, sed habet & alias talium factorum suorum causas, ut ex Jobi exemplo patet. In talibus exitus ulterior est spectandus.

Vers. 5. *Ille quidem igitur.*] Nempe Paulus, à vipera morsus.

Excutiens bestiam in ignem.] Nempe illam viperam quæ manui ejus adhæserat.

Nullum passus est malum.] Nihil ei vel sanitati corporis ejus iste morsus viperæ venenatus, nocuit. Ita in Paulo tunc impleta est illa Christi prædictio ac promissio de qua Marc. 16. 18. & Luc. 10. 19.

Vers. 6. *Illi autem.*] Nempe barbari, Melitenses, spectatores hujus rei.

Exspectabant fore ut is intumesceret.] Græcum verbum hoc loco positum proprie notat *incendi.* Quia veneno ejusmodi diffuso, solet corpus, spiritibus commotis, succendi & inflammari atque inde valde intumescere. Isti igitur exspectantes etiam hic more solito id futurum putabant.

Aut concideret repente mortuus.] Solent quædam talia venena absque mora diuturna vitam hominibus eripere, & mortem subitam adferre.

Ad multum autem, scilicet tempus, *ipsis exspectantibus, & videntibus, nihil incommodum in eum factum.*] Græce ἄτοπον alias significat inconveniens atque absurdum. Hoc loco notat malum non culpæ sed pœnæ, & quidem ignominiosum, ex quo reus criminis argueretur.

Mutati.] Seu mutantes sese: à priore sententia in aliam contrariam transeuntes.

Dicebant Deum eum esse.] Ut eundem Paulum ex conspecto miraculo Lycaonii, habebant pro Deo quodam ac nominatim Mercurio, Act. 14. 11, 12. Ita similiter hic, Melitenses, quum viperæ venenatæ morsum nihil ei nocuisse cernerent, miraculo perculsi, dicebant eum esse Deum quendam: & forsan, quod aliqui notant, Herculem, qui in illa insula Melita religiose coleretur, qui angues geminos in cunis adhuc peremisse creditus, pro numine Alexicaco, seu mala averruncante habebatur.

Vers. 7. *In iis autem quæ circa locum illum.*] Scilicet sita fuerunt, id est in loco illo seu regione illa prope littus illud.

Erant prædia.] Græca voce notantur regiones. Vide Matth. 26. 36.

Primo insulæ.] Id est primario, ut Marc. 6. 21. Videtur Magistratum ibi gessisse.

Nomine Poplio.] Posset quis opinari fuisse Popilium, ex familia Romana. Sed videtur esse Publius, ut infra versu 13 Potioli, pro Puteolis nominantur. Quanquam prænomen Publii, multis per varias familias commune fuit. Mirum est aliud nomen ejus non addi.

Qui recipiens nos tres dies amice hospitio excepit.] Apparet fuisse eum hominem, & divitem qui posset, & perhumanum qui vellet, tam multos hospites, tanto tempore suppeditatis ad victum necessariis benigne tractare.

Vers. 8. *Factum est autem ut pater Publii, febribus.*] Nempe sæpius accedentibus earum paroxysmis.

Et dysenteria.] Alvi citæ excrementis cum sanguine profluentibus.

Detentus.] Quasi constrictus ac vexatus, ut Matth. 4. 24.

Decumberet.] Æger jacens in lecto.

Ad quem Paulus ingressus.] Forsan accersitus ac

invitatus, ex occasione miraculi illius quod ipsi viperæ morsus nihil nocuisset, spe conceptâ eum posse morbos sanare.

Et precatus.] Ut ostenderet se non gerere sese pro Deo, pro quali ab illius loci incolis haberi cœpit, sed Dei veri opem ad sanandum implorare.

Impositis manibus ei, sanavit eum.] Sicut Christus per manuum super infirmos impositionem à discipulis suis fidelibus factam, eos sanandos prædixit, Marc. 16. 18.

Vers. 9. *Hoc igitur facto.*] Quum Paulus morbi sanati specimen in isto viri illius loci primarii patre exhibuisset.

Et reliqui qui habebant infirmitates.] Seu tenebantur infirmitatibus, seu morbis afficiebantur.

In illa insula.] Nempe Melita.

Adveniebant, scilicet ad Paulum, *& curabantur.*] Id est sanabantur, non usitato modo per medicamenta adhibita, sed miraculose per nominis Jesu Christi super eos invocationem.

Vers. 10. *Qui.*] Nempe sanati per Paulum. *Et* id est etiam.

Multis honoribus honoraverunt nos.] Ita pro accepto beneficio sanationis gratum animum ostendebant Paulo & ejus comitibus. Credibile est quoque aliquos saltem ex iis per talia miracula, prædicationi Euangelii de Jesu Christo à Paulo addita, esse ad fidem in Christum conversos.

Et quum proveheremur.] Nempe ab illa insula solventes, ulterius navigaturi.

Imposuerunt.] Nempe in navem.

Ea quæ ad usum.] Scilicet erant. Ut ad cibum & potum necessaria.

Vers. 11. *Post tres autem menses.*] Ab appulsu ad Melitam, post transactam hyemem, tempore jam ad navigandum aptiore adveniente.

Provecti sumus in navigio quod hyemaverat in ea insula, Alexandrino.] Ut & prius Alexandrina nave erant à Lycia vecti, tendente in Italiam, supra vers. 6.

Cui insigne [*erat*] *Dios curi.*] Solebant naves, ut & nunc fit, habere appicta aliqua insignia, à quibus denominabantur. Hæc navis pro insigni habebat *Dios curos.* Ita dicti Græco nomine Jovis pueri: nempe Castor & Pollux, fratres gemini, quos è Tyndari Laconiæ Regis uxore Juppiter genuisse narratur: quorum Castor eques, Pollux pugil fuisse fertur. Hi quod inter Argonautas essent celebres, & mare à piratis liberassent, post mortem ab Ethnicis inter deos relati sunt: assignato eis illo asterismo qui vocatur Gemini. Hinc si supra navem duarum flammarum quasi stellarum geminarum meteorum appareret, id pro signo serenitatis sequuturæ nautæ habere solebant. Usitatum est ut ab uno ex iis, ambo Castorum nomen obtineant. Notandum non abnuisse Paulum in necessitate uti ea navi quæ idoli imaginem præferebat.

Vers. 12. *Et devecti Syracusas.*] Urbem Siciliæ insulæ olim celeberrimam.

Mansimus.] Scilicet illic, Syracusis, *dies tres.*

Vers. 13. *Unde circumeuntes, devenimus Rhegium.*] Oppidum Italiæ. Ita vocatum Græcè à ruptura: quia quum antea cum Sicilia tellus ista una foret

-- venit vi pontus, & undis Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbes

Littore diductas, angusto interluit æstu.

Situm est oppidum istud prope fretum Siculum, ubi

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis, Obtinet,

Hæc vorticosa, illa scopulosa, utraque navigantibus periculosa.

Et post unam diem.] Nempe commorationis in illo loco.

Adveniente Noto.] Seu Austro vento Meridionali.

Secunda die.] Nempe altera post discessum à Rhegio.

Venimus Puteolos.] Oppidum Campaniæ prope Neapolim: quod ita nominatum fertur à putore vel puteis aquarum calidarum è venis sulphureis illic ebullientium: olim dictum Dicæarchia. Illuc naves ab Alexandria cum frumento appellere solebant.

Vers. 14. *Ubi inventis fratribus.*] Id est Christianis, qui ex Judæis ibi habitantibus conversi erant ad Christianismum.

Rogati sumus.] Nempe ab istis fratribus, Paulum benigne accipientibus.

Ut apud eos vel *propter eos, permaneremus dies septem.*] Huic rogationi apparet assensum esse illum Centurionem Julium, cui Paulus erat commissus, qui & antea humanum se Paulo præbebat, cap. 27. vers. 3 & 43.

Et ita.] Post illos septem dies Puteolis transactos.

Romam ivimus.] Græcum verbum proprie significat *venimus.* Sed ex sequentibus apparet eos tunc nondum Romam ipsam attigisse. Notatur igitur hîc quod Romam irent. Ut Luc. 15. 20. & Joh. 6. 17.

Vers. 15. *Et illinc.*] Id est ex urbe Roma.

Fratres.] Id est Christiani qui Romæ tunc habitabant, ad quos antea Paulus scripserat Epistolam, quæ inscribitur ad Romanos.

Audientes ea quæ de nobis.] Id est quum audissent forsan à fratribus Puteolanis accepto nuncio de Paulo, quod vinctus Romam duceretur, & de sociis ejus Christianis, quales fuerunt, ipse qui hæc scripsit Lucas, & Aristarchus.

Exiverunt in occursum nobis.] Fraterna charitas erga tantum Christi ministrum Paulum eos impulit, ut de adventu ejus acceptâ notitiâ, non domi manentes eum exspectarent, sed procul ab urbe procederent eum fraterne salutaturi, & consolaturi.

Usque [*ad*] *Appii forum.*] Oppidum ita denominatum ab Appio Claudio Romano Senatore: dictum autem forum, quia ibi variarum rerum mercatus erat. Similiter alius locus Italiæ, forum Livii, alius forum Julii, dictus.

Et tres Tabernas.] Alium locum urbi Romæ propiorem: qui ita nominatus quod ibi in via ab oriente Romam tendente, esculenta & vinum venderentur: sicut in cauponis fieri solet. Significatur aliquos ex Christianis Romanis longius à Roma & prius occurrisse Paulo ad forum Appii, alios autem serius ac propius, apud tres tabernas, obviam venisse.

Quos videns.] Vel quum vidisset *Paulus*, sibi occurren-

occurrentes, seque fraterne salutantes.

Gratias agens Deo.] Nempe quod veri cultores Dei, etiam illic essent, & quod ipsi Paulo eos videre & coram affari datum esset.

Sumsit fiduciam.] Tum quod videret se Romæ quamvis in vinculis illuc adductum, habiturum amicos à quibus porro solatia acciperet: tum quod bonam spem inde conciperet, rei Christianæ ibi bene gerendæ, quum isti partim exemplo, partim operæ suæ pollicitatione eum animarent.

Vers. 16. *Quum autem venissemus Romam.*] Illam urbem non solum inter Italicas sed inter omnes omnium regionum urbes celeberrimam, orbis terrarum dominam.

Centurio.] Nempe ille Julius, de quo supra 27. 1.

Tradidit vinctos, exercitus præfecto.] Qui alias præfectus prætorio vocabatur, & præerat militibus prætorianis, qui Romæ Imperatori ad usum præsto erant. Sub ejusdem præfecti cura videntur fuisse reorum custodiæ. Is præfectus tunc apud Neronem Cæsarem videtur fuisse Burrhus, Senecæ socius.

At Paulo permissum est.] Credibile est id factum ex centurionis Julii apud Prætorii præfectum, commendatione, quum is dedisset Paulo virtutis & quidem non vulgaris, in eo ex conversatione agnitæ, testimonium. Forsan accesserat & Festi præsidis Judææ, a quo Romam ad Cæsarem missus erat Paulus, epistola, qua eum testabatur nullius esse criminis reum, ut dixerat supra cap. 25. ℣. 18, 19.

Manere per seipsum.] Id est seorsim, ab aliis captivis, non in castrensi carcere. Vel *secundum seipsum*. id est secundum animi sui sententiam, seu pro suo arbitratu, ut habitaret in quo vellet hospitio. Ita Deus & Christus huic servo suo benignam captivitatem conciliavit, ut commodius cum quibus vellet colloqui posset, sicut supra 24. 23. atque Euangelium Romæ prædicare.

Cum custodiente eum milite.] Additus ei fuit a præfecto miles custos; qualis solebat ei qui ipsius custodiæ commissus erat, eadem catena longiore qua captivi dextra vinciebatur, in manu sinistra alligari. Videatur Seneca Epist. 5. & lib. de Tranquil.

Vers. 17. *Factum est autem post dies tres.*] Ab adventu Pauli, in urbem.

Ut convocaret Paulus.] Nempe ad se, in hospitium.

Eos qui erant Judæorum primi.] Id est primarii ac præcipui, ut supra cap. 25. 2. xxviij. 7, nempe qui inter Judæos Romæ, post illud Claudii Cæsaris interdictum, de quo supra cap. 18. 2 abrogatum, habitantes, dignitate & doctrinâ aliis Judæis præcellebant.

Convenientibus autem eis vel potius *quum convenissent, dixit ad eos.*] Non tantum sui apud eos à criminis suspicione purgandi causâ, sed etiam ut sibi faceret aditum ad Euangelium eis prædicandum.

Viri fratres.] Ita Judæos appellat Paulus, ob genus cum eis commune. Ut supra cap. 22. 1. xxiij. 1.

Ego nihil contrarium faciens, vel potius, quum nihil adversum fecerim, *populo.*] Nempe nostræ nationis, Israëlitico, ac Judaico: cui nullam noxam Paulus inferebat.

Aut consuetudinibus seu *ritibus patriis.*] Declarat se non deliquisse contra Leges Majorum, à Mose Legislatore acceptas, ut & supra cap. 25. 8. Nam Paulus non impediebat quominus ab iis qui in Judaismo nati erant, cæremoniæ legales observarentur, ut circumcisio & alia ejusmodi: sed tantum Ethnicos ad Deum & Messiam ejus conversos istis non obligari docebat.

Vinctus ex Jerosolymis traditus sum in manus Romanorum.] Quia Judæis Jerosolymæ Paulum ut hominem nefarium & vitâ indignum perimere volentibus, Romani eum vinculis tradiderunt. Vide cap. 21. 31. seqq. & xxij. 22, 24.

Vers. 18. *Qui*, nempe Romani, *dijudicantes me.*] Id est quum negotium istud meum examinassent, & quæstionem de eo habuissent. Ut præsides, Felix, cap. 24. & Festus cap. 25.

Volebant absolvere, propterea quod nulla causa mortis.] Id est crimen capitale morte violenta puniendum, *esset in me.*

Non meritum fuisse Paulum ut morte plecteretur, agnovit & Claudius Lysias tribunus cap. 23. 29, & Felix præses, dum eum benigne tractavit cap. 24. 23. Idem testatus est alter præses Festus cap. 25. 18. & ib. vers. 25. Vide & cap. 26. 31.

Vers. 19. *Contradicentibus autem Judæis.*] Qui id agebant ut Paulus ipsis dederetur, & interficeretur cap. 25. 3.

Coactus sum appellare Cæsarem.] Seu ad ejus judicium superius provocare, vide supra cap. 25. 11. Indicat se id non ultro fecisse, sed necessitate adactum, ne insons indemnatus, occideretur.

Non quasi gentem meam habens aliquid accusare.] Declarat Paulus se nolle quamvis posset, Judæos è quorum gente erat, quantumvis sibi immerito infestos, velut inimicum, criminis alicujus postulare apud Romanum Imperatorem, non ea de causa se ad eum provocasse, sed tantum ut suam innocentiam defenderet.

Vers. 20. *Propter hanc igitur causam advocavi vos, videre, & alloqui.*] Id est ut vos viderem, & coram alloquerer; ne de me aliquam sinistram suspicionem habeatis.

Propter spem enim Israëlis.] Id est Messiam, quem à Deo per Prophetas promissum Servatorem ac Liberatorem, populus Israëliticus, adventum ejus sibi salutarem sperans, avide exspectat, vide supra c. 26. vers. 6, 7. Hanc spem, seu rem speratam, jam completam esse post tot secula, exhibito reipsa Messiâ, qui est Jesus ille Nazarænus, Paulus docebat, atque confirmabat. Potest per hanc spem significari etiam resurrectio mortuorum, quæ à Pharisæis inter Israëlitas credebatur, quam Paulus cum Pharisæis confitebatur contra Sadducæos, vide supra cap. 23. 6. xxiv. 15, 21. Sed & hæc per Messiam erat perficienda. Prius illud potissimum hic innui, videtur apparere tum ex loco cap. 26. modo citato, tum ex Judæorum verbis, de quibus infra ℣. 22.

Catenâ hac circumdatus sum.] Quia de Messia exhibito docebam & testabar, ideo quasi maleficus & scelestus, quamvis immerito, vinctus sum & alligatus istâ catenâ ferreâ: hanc tunc gestans Paulus ostendebat.

Vers. 21. *Illi autem*, nempe Judæi Romani, *ad eum*, nempe Paulum, *ajebant.*] Ejus sermoni ad ipsos habito, respondentes.

Nos neque literas de te accepimus à Judæa.] Declarant isti Judæi Romæ degentes, se nihil habere de Paulo ac ejus negotio significatum per aliquam epistolam scriptam, è Judæa illuc ad ipsos missam.

Neque adveniens aliquis fratrum.] Nempe è nostro populo Judaico, huc Romam accedens.

Annunciavit aut loquutus est aliquid de te malum.] Indicant nec oretenus aliquem nuncium de quopiam Pauli crimine se accepisse.

Vers. 22. *Dignum*, seu conveniens, *existimamus aut velimus, autem à te audire quæ sentis*] Nempe de Messia, num existimes quod is jam advenerit, & an ipse sit ille Jesus Nazarenus.

Nam quidem de hæresi ista] Id est de religione quæ Christiana vocatur, quam Paulum profiteri, isti Judæi forsan ex ejus sermone conjecturam ceperunt. Ea alibi vocatur hæresis seu secta Nazaræorum. Vide supra cap. 24. 5 & 14.

Notum est nobis quod ubique [*ei*] *contradicatur.*] Non tantum Jerosolymis, ac alibi passim ubi Judæi habitabant, sed etiam inter Ethnicos per varias mundi regiones per quas jam tunc religio Christiana erat disseminata, atque etiam Romæ, à plerisque ut falsa rejiciebatur. Ita illam Simeonis de Jesu Christo vaticinationem, quod is futurus esset signum cui contradicatur, Luc. 2. 34. eventus comprobavit.

Non est igitur quod quis miretur etiam nunc quando eadem religio Christiana ab erroribus ei per hominum commenta adjectis ex verbo Dei sincero depurgatur, multos ei passim quasi esset erronea contradicere atque adversari.

Vers. 23. *Quum constituissent autem ei diem.*] Forsan tunc temporis brevitate obstante ne sermoni prolixo de re tanti negotii vacare possent, aliam diem certam assignarunt, qua ad eum venirent, ejusque sermonem audirent.

Venerunt ad eum in hospitium plures] Iis qui antea eum adierant, postea accesserunt alii multi numero, audiendi sermonis Paulini causâ.

Quibus exponebat attestans.] Id est edisserebat, cum seria asseveratione, ut testis certus. Vide Luc. cap. 16. 28. Act. 18. 5.

Regnum Dei] Quod Deus in terris per Messiam olim promissum, Regem populi sui à se constitutum jam cœpit erigere per Euangelium: quo homines ad regnum suum cœleste, ut ibi isti quoque cum eo regnent, ducit. Quod regnum Judæi simile regnis hujus mundi fore falso opinabantur. Vide ad Luc. 17. 20.

Suadensque eis] Id est hoc agens sermonibus suis, ut suaderet; persuadere conabatur quamvis non omnibus persuadebat; sicut de re simili dictum est similiter supra cap. 19. 8, quamvis hic aliqui passi sunt hæc sibi persuaderi, ut indicatur infra ℣. 24.

Ea quæ de Jesu.] Quod nempe Jesus ille Nazarænus dictus, sed Bethlehemi natus, in familia Davidica, Novum Fœdus olim promissum annunciarit, idque Dei nomine miraculis multis insignibus beneficis confirmarit: qui quamvis insons morte dira crucis affectus, à Deo sit tertia die resuscitatus, & in cœlum assumtus, ubi eum regnantem, iste ipse olim Saulus ei adversus nunc autem Paulus, vidit & expertus est.

Et à seu *è Lege Mosis, & Prophetis.*] Vide supra cap. 26. 6. & 22, testimonia de Messia in Sacra Scriptura Veteris Fœderis de Messia consignata, citans, eaque applicans ad Jesum, in quo ista sunt impleta, ut doceret hunc esse illum Messiam seu Christum Dei, Servatorem mundi.

A mane usque ad vesperam.] Per totam diem Paulus Apostolus Jesu Christi hoc egit, ut Judæos veram de Jesu doctrinam doceret, eisque fidem in eum persuaderet. Ita diligens & sedulus fuit in officio suo, circa Domini Jesu gloriam propagandam.

Vers. 24. *Et hi quidem.*] Id est aliqui ex illis Judæis qui ista audiverant.

Persuadebantur, seu assentiebantur ut veris, *iis quæ dicebantur.*] Nempe à Paulo, ex Sacris Scripturis allegata, & de Jesu explicata.

Alii autem non crediderunt.] Apud multos contumaces ista dicta Apostolica quamvis vera fidem non invenerunt, quia isti non probo animo erant, & carnalibus suis studiis ad recipiendam veritatem Dei salutarem obstantibus, impediebantur. Ita idem semen verbi Dei non eundem effectum sortitur, quando in diversos animos ut in diversas terræ partes incidit, vide Luc. 7. 11, 12. seqq. Et aliquibus quidem est odor vitæ, aliis autem odor mortis, vide 2 Cor. 2. 16. Similiter diversi prædicationis ejusdem Pauli effectus notati sunt supra cap. 17. 4 & 5.

Vers. 25. *Discordes autem existentes ad invicem.*] Græca vox proprie notat eos dissonasse alios ab aliis: nempe credentes ab incredulis. Ita Euangelium Christi quod per se ad unitatem & charitatem homines ducit, ob animorum in hominibus diversitatem, per accidens efficit dissensiones atque discordiam. Vide Matth. 10 34. seqq. & Luc. 12. 51, 52.

Discedebant.] Proprie in Græco est *dissolvebantur.* Videtur notari, istos omnes Judæos post sermones Pauli auditos, abitum parasse à Paulo, ad sua: & ex illo conventu cœpisse dilabi.

Ajente Paulo verbum unum.] Id est post alia quæ ad eos dixerat multa de Jesu Christo, & fide in eum, tandem hoc insigne dictum adjecit pro epilogo, & coronide illius sermonis.

Quod.] Vocula ista in formanda prosopopœia seu mimesi sermonis alterius redundat sæpe, ita & hoc loco.

Bene.] Id est recte & vere.

Spiritus Sanctus loquutus est.] Id est Deus per Spiritum suum Sanctum. Non sequitur hinc Spiritum Sanctum esse personam Dei: nam similiter alibi scriptum est: *Lex dicit* Rom. 3. 19. & *Scriptura dixit* Joh. 7. 38. & XIX. 37. & Rom. 4. 3. & *Justitia dicit* Rom. 10. 6 & 8, quum tamen neque Lex Dei, neque Scriptura Dei, neque Justitia sit persona.

Per Esaiam Prophetam.] Capite ejus 6. 9.

Ad Patres vestros.] Id est de Patribus seu Majoribus vestris, illis antiquioribus Judæis contumacibus, quibus vos nunc similes estis. Ita *ad* pro *de* interdum sumitur. Ut Marc. 12. 12. Luc. 19. 9. Rom. 10. 21.

Vers. 26. *Dicens.*] Deus quem tunc Esaias super solio

solio excelso sedentem videbat, ista dixit ad Esaiam, ut ipse ibi scripsit.

Vade ad populum istum.] Ut legatus Dei ad populum Judaicum contumacem.

Et dic: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis.] Hæc verba in Esaiæ prophetia per imperativos enunciata, hic per futura indicativi efferuntur: per quæ indicatur, Homines contumaces & verbo Dei obsequi nolentes, propriâ sua culpâ id mereri, ut ea quæ audiunt quasi non audiant, & quæ vident quasi non videant, ita ipsorum vitiis eorum animi sensibus impedimentum afferentibus: Deo id in eorum pro culpa meritam pœnam justo judicio suo permittente. Videatur de his annotatio ad Matth. 13. 14.

Vers. 27. *Incrassatum est enim cor populi hujus.*] Cor crassum pinguedine multa obductum non gignit spiritus subtiles. Hic per cor intelligitur animus, incrassatus & obduratus per affectus vitiosos. Vide & Joh. 12. 40.

Et auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt.] Hic eorum ipsorum culpa notatur.

Ne quando cernant oculis, & auribus audiant, & corde, id est animo, *intelligant, & convertantur.*] Seu convertant sese, sicut Beza vertit.

Et sanem eos.] Ista exposita sunt ad Matth. 13.

Hæc verba de priscis Judæis contumacibus & verbo Dei non obsequentibus olim pronunciata, Paulus allegavit, indicans istos ad quos ipse tunc loquebatur Judæos, illis antiquis majoribus suis similes esse, perinde verba Dei negligentes, imo eis obedire contumaciter detrectantes.

Vers. 28. *Notum ergo sit vobis.*] Jam Paulus concludit, quum Judæi plerique verum Messiam sibi à Deo datum despiciant & pertinaciter rejiciant, ipsos quoque à Deo rejici, & ipsorum loco aliis nationibus nuncium de Messia esse ex Dei voluntate annunciandum. Id istis Judæis hoc loco denunciat, ut hoc bene notent, ne postea se non esse monitos conquerantur.

Quod gentibus.] Nempe extra populum Israëliticum exsistentibus, nationibus quondam profanis, quæ carebant Fœdere Dei, & promissis, & erant absque Deo, ut scripsit idem Paulus, Gentium Apostolus, Eph. 2. 12. Similia dicta de sermone Dei Euangelico, à Judæis ingratis ad gentes exteras transferendo, pronunciavit idem Paulus alibi in Synagoga Antiochiæ Pisidiæ, supra cap. 13. 46. & in alia Synagoga Corinthi cap. 18. 6, talia & hic Romanis Judæis significavit.

Missum sit salutare Dei.] Alibi hoc nomine notatur ipsa persona Christi, qui salutem à Deo hominibus paratam offerebat eandem daturus credentibus & obedientibus, ut Luc. 2. 30. Hîc autem per istud *salutare Dei*, notatur sermo Euangelii de Christo: in quo sermone salus æterna ex Dei gratia, & modus ejus consequendæ per fidem in Christum ac obedientiam ei præstitam, à Deo offertur, vide Luc. 3. 6. Id Euangelium de salute, Judæis primo missum, jam ob eorum incredulitatem ad Ethnicos mittitur. Vide Rom. xi. 11 & 30.

Et illi aut *ipsi etiam* vel potius *autem.*] Nam vocula *&* in Græco textu hîc postponitur: ac non raro pro *autem* ponitur.

Illi.] Nempe Gentes, hic non vocum sed rerum convenientia & sensus spectatur. Dum nomini generis neutrius in Græco, additur pronomen masculinum. Ut & alibi: vide Matth. 28. 19 & 20. Act. cap. 26. 17. Rom. 2. 14.

Audient.] Id est non tantum auribus percipient, sicut etiam Judæi percipiebant, sed animum quoque attendent, & auscultantes, obedient. Ita hoc verbum sumitur Matth. 17. 5. xviij. 15, 16. Luc. 16. 29. Sperabat Paulus, nec temere, loco Judæorum contumacium, homines gentiles ex gentibus extraneis, sermonem Euangelii libenter accepturos. Cujus rei jam specimen quoddam habuerat, sup. c. 13. 42 & 48.

Vers. 29. *Et hæc eo ajente*, seu quum hæc dixisset, *abiverunt Judæi.*] Ex hospitio Pauli tunc ad sua discesserunt.

Multam habentes in seipsis.] Id est inter seipsos. Sic *in* pro *inter* sumitur non raro. Ut Matth. 20. 26. Luc. 1. 25. Joh. xi. 54. Act. 7. 44. xxiv. 21.

Quæstionem.] Quædam exemplaria Græca habent vocem compositam, quæ significat altercationem, ut supra Act. 15. 7.

Disputatio est exorta inter Judæos ex occasione sermonum Pauli, dum aliqui eos accusarent, alii autem defenderent. Vide supra vers. 24 & 25.

Vers. 30. *Mansit autem Paulus biennium totum.*] Ibi Romæ tunc commoratus, tempore sat longo.

In proprio conductu.] Id est in hospitio suo, quod sua pecunia sibi ad habitandum conduxerat: credibile est eum etiam ibi labore manuum suarum sibi necessaria parasse.

Et recipiebat omnes ingredientes ad eum.] Excipiebat humaniter & benigne eos qui ad ipsum visitandi & colloquendi causa accedebant. Si Petrus Apostolus tunc jam Romæ ut vulgo creditur, sicut Episcopus urbis residebat, mirum est nullam hic esse factam ejus mentionem: quemadmodum neque ultimo capite Epistolæ ad Romanos, inter tam multos salutatos.

Vers. 31. *Prædicans regnum Dei.*] Id est Euangelium de regno Dei inter homines per Messiam instaurato, & porro instaurando. Vide Marc. 15. 43. & hic supra vers. 23.

Et docens ea [quæ sunt] de Domino Jesu Christo.] Quæ spectant ad illum quem Christiani pro Domino suo cœlesti, ipsis à Deo Summo dato, agnoscunt: de quo Actor. 2. 36. & 1 Cor. 8. 6, qui est Jesus ille Servator, qui dicitur Christus seu Unctus Dei, Rex populi divini à Deo constitutus. De quo Paulus & prædictiones propheticas explicabat, ut supra vers. 23, & jam eas compleri probabat, & se istum Jesum qui mortem diram ex voluntate Dei propter salutem humani generis, ac Novi Fœderis confirmationem est passus, post mortem resuscitatum viventem & regnantem in cœlo vidisse testabatur, & docebat per hunc Jesum atque in eo collocatam fidem cum obedientia, peccatorum remissionem ac vitam æternam ex gratia Dei ab hominibus esse obtinendam. Qualia habentur in ipsius Pauli concionibus, quarum compendia continentur supra cap. 9. vers. 20 & 22. xiij. 23 seqq. xvij. 3 & 31. xviij. 5. xxvj. 23. &c. & in Epistolis ad Romanos, Galatas, Ephesios, & aliis.

Cum omni libertate dicendi.] Omnia quæ dicenda erant, libere omnino atque cum fiducia dicens, absque metu. Vide supra cap. 4. 31. viij. 27. xix. 8.

Absque prohibitione.] Græcè una voce quasi *improhibite*, quod potest bifariam accipi, vel ita ut Paulus ita docere à nemine sit prohibitus, vel hoc animo eum docuisse & hac efficacia, per Dei ac Domini Jesu potentiam adjuta, ut à nemine posset impediri, sicut Erasmus ad hunc locum annotavit.

Ita id quod Dominus Jesus Paulo prædixerat, oportere ut sicut Jerosolymis de ipso testabatur, ita etiam Romæ testaretur, supra cap. 23. 11, tunc eventu ipso est impletum. Sic admiranda Dei gubernatione factum est, ut ob quod velut grande crimen Paulus erat reus, & captivus in vinculis tenebatur, nempe quod Jesum Christum, ejusque Euangelium prædicaret, idipsum Romæ in loco orbis terrarum celeberrimo, ubi variarum gentium magnus erat concursus, ubi is ad cujus judicium appellaverat, nempe Cæsar, residebat, libere ageret. Ex hac porro captivitate Romana scripsit Paulus Epistolas, ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, ad Philemonem, & denique secundam ad Timotheum. Hucusque Lucas perduxit historiam Pauli.

Aliæ historiæ narrant, Paulum tunc à Nerone Cæsare qui intra quinquennium, probum principem agere visus est, fuisse absolutum, ac dimissum. Interea peragratâ docendo Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, atque Græciâ, & Asiâ, post octennium aut decennium, Romam reducem, ejusdem Neronis, jam sæva tyrannide efferi, & alios Christianos exquisitissimis tormentis persequentis, ut refert Tacitus lib. v. jussu, esse gladio decollatum. Videantur, Eusebius in Chronico, & Hieronymus, & Damasus, &c.

PRO-

PROOEMIUM

IN EPISTOLAM

PAULI APOSTOLI

Ad Romanos.

Hic sumit initium secunda pars Scriptorum Sacrorum Novi Testamenti, quæ in se complectitur Epistolas Apostolicas, & Apocalypsin Johannis. Inter Epistolas primo loco positæ sunt illæ, quæ ab Apostolorum Coryphæo Paulo exaratæ sunt. De quibus tenendum est, eas non secundum ordinem temporis, quo scriptæ fuerunt, hic collocatas esse, sed secundum dignitatem eorum, ad quos scriptæ sunt, ordinatas esse ab iis, qui primi scripta Novi Testamenti in Canonem redegerunt. Hinc est, quod quæ ad integras Ecclesias scriptæ sunt Epistolæ, primum locum teneant, & deinceps sequantur particularibus personis inscriptæ. Inter prioris generis Epistolas agmen ac familiam ducit Epistola ad Romanos, tum propter urbis istius celebritatem ac præstantiam, ut quæ Caput Orbis putabatur, tum propter Epistolæ argumentum, in qua præcipuum Caput totius Religionis Christianæ, nempe articulus de Justificatione hominis coram Deo per fidem, accuratius ac fusius, quam usquam in aliis hujus Apostoli scriptis, quæ ad nostras venêre manus, pertractatur: adeo ut hæc Epistola pro brevi summa & Compendio totius Religionis Christianæ haberi queat.

Cæterum huic Apostolo duo tribuuntur nomina in Actis Apostolorum: unum est Sauli, alterum Pauli. Posterius nomen à Luca in hoc Actuum libro primum ei imponitur, cum eum scribit una cum Barnabâ accersitum ad Sergium Paulum Proprætorem, Act. 13. 9. Ab eo tempore nomen hoc postea constanter retinuit, ita ut Petrus Apostolus quoque eum potius Paulum, quam Saulum vocaverit, 2 Petr. 3. 15. Est autem extra omnem controversiam, Sauli nomen, (quod Hebraicum est, & exoptatum seu desideratum significat) ejus verum ac proprium nomen fuisse, quod ei in circumcisione à parentibus inditum fuit. Pauli autem nomine videtur primo vocatus esse à dicti Sergii Pauli domesticis, propter nominum istorum, unicâ tantum literâ inter se discrepantium, vicinitatem. Fieri enim id in nominibus propriis consuevit, ut pro linguarum & nationum diversitate, literis quibusdam immutatis, diversimode efferantur. Sic qui Judæis fuit Jesus, Græcis Jason dictus est; & qui Judæis vocabatur Silas, à Romanis Sylvanus appellatus est: & Hebræorum Jochannan, Græcis & Latinis est Johannes, Germanis Hans, Gallis Jean, Italis Giovanni. Cum ergo Apostolus tunc cum à Sergio Paulo accitus fuit, primum cœpisset munus suum inter Gentes, ad quod non multo ante una cum Barnaba à Spiritu Sancto segregatus fuerat, Act. 13. 2 exercere, merito Lucas ab illo tempore cœpit eum nomine Pauli appellare, quod nomen etiam ille perpetuo postea inter Gentes usurpavit.

Apostolus iste genere Hebræus fuit, è tribu Benjaminis, proinde Israëlita, & Abrahami semen: ut ipsemet testatur Act. 21. 39. xxij. 3. Rom. xi. 1. 2 Cor. xi. 22. Phil. 3. 5. Patria ejus fuit Tarsus urbs Ciliciæ clarissima, nobilitata inprimis celebri Academiâ. In hac urbe patrem ejus jure Romanæ civitatis gavisum fuisse ex Act 22. 28 liquet, ubi dicit Apostolus, se Romanum natum esse. Verisimile quoque admodum est, Apostolum in suâ juventute dedisse operam Philosophiæ aliisque artibus liberalibus, quæ in Academiâ, quæ Tarsi erat, tractabantur: id quod colligi potest ex eo, quod nonnullorum veterum Poëtarum dicta, nempe Arati, Menandri, & Epimenidis ab eo allegata legamus, Act. 17. 28. 1 Cor. cap. 15. 33. Tit. 1. 12. Et Hieronymus scribit, eum linguam Græcam à teneris didicisse: quanquam ista (ut & aliorum Scriptorum Novi Instrumenti) non adeo pura est in ejus scriptis, ut non plurimis Hebraismis scateat. Artium liberalium scientiæ etiam opificium conficiendi tabernacula adjunxerat, quod etiam post suam conversionem exercuit, Act. 18. 3. Chrysostomus in 1 Cor. 7. perhibet, eum coria ad paranda tabernacula consuere solitum. Jacto in patria bonarum artium fundamento, missus est à patre suo Hierosolymam, ubi erat Templum Dei, & summa divinæ Legis sapientia tradebatur, ut illic celeberrimos Legis Doctores atque Interpretes audiret, divinâque ab eis sapientiâ imbueretur. Ibi inter alios magistrum sibi delegit Gamalielem, præstantissimum Pharisaicæ sectæ Doctorem (cujus honorifica fit mentio Act. 5. 34.) ad istius pedes educatus & institutus fuit ad exquisitam formam patriæ Legis, ut ipsemet testatur Act. 22. 3. Et ut erat naturâ sagacis & excitati ingenii, nec non probi & pietatis secundum Legem studiosissimi animi, ita supra multos coævos suos in Judaismo atque in scientia paternarum traditionum profecit Gal. 1. 14. Cumque inter Judæos illâ tempestate sectæ complures vigerent, Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum, præ cæteris sectæ Pharisaicæ se met addixit, quippe quæ tunc laude sapientiæ & peritiæ in Lege Dei maxime celebris erat, & præterea assiduitate orandi, jejunandi, aliisque externis pietatis exercitiis, nomen sanctimoniæ singularis sibi comparaverat Philip. 3. 5. Vitam suam secundum rigorem Legis & traditionum illarum, quas à Magistro suo didicerat, tam exacte & emaculate instituit, ut de se ipse affirmet, se quod ad justitiam, quæ est in Lege, omni vacasse crimine Phil. 3. 6. Zelo in tuenda Lege ac tra-

ac traditionibus patriis tam vehementi arsit, ut strenue imitatus exemplum reliquorum sectæ suæ hominum, quîs infestiores doctrina Christi hostes nullos habuit, acerrimus Ecclesiæ Christi persecutor existeret Act.22.4, 5. Gal.1.3. 1 Cor.15.9. 1 Tim.1.13. Phil.3.6. Lapidationi Stephani viri sanctissimi adfuit præsens, & assentiebatur cædi ipsius Act.7.58. viij 1. xxij.20. Spirabat minas ac cædem adversus discipulos Christi, utque sanguinarium zelum suum reipsâ testaretur, acceptâ à Pontifice Maximo Hierosolymis potestate ac literis profectus est Damascum in Syriam, ut si quos invenisset Christi confessores tum viros, tum mulieres vinctos abduceret Hierosolymam, ibi trucidandos Act.9.1,2. Sed Deus, qui mirabilis est in operibus suis & in bonitate ac misericordiâ dives, hunc tantum zeloten gloriæ suæ tantopere resistentem, jam olim præviderat ac destinaverat fore electum vas gloriæ suæ promovendæ. Nam separaverat illum ab utero matris ejus, ac vocaverat per gratiam suam, ut Christum prædicaret inter Gentes Gal.1.15,16. Atque eo ipso tempore, cum zelus ejus maxime adversus fideles Christi ferveret, id est, in eodem illo itinere, quo furibundus ruebat Damascum rabiem suam in Christianos effusurus, Deus eum reipsa modo prorsus miraculoso, (nec minus illustri, quam olim Mosen) vocavit ad Apostolicum munus, ut nomen Domini Jesu annuntiaret Gentibus & Regibus: ut conversionis ejus historia pluribus testatur, Act.9.

Conversus igitur hoc modo ad Christum Apostolus, non solum æque ac reliqui Apostoli, Spiritu Sancto per impositionem manuum Ananiæ repletus est Act.9 17. sed raptus quoque fuit usque in tertium cœlum, quod de nullo alio Apostolorum legitur, ibique audivit verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui 2 Cor.12.2,4, nimirum tunc ipsi factæ sunt excellentes illæ revelationes, quarum supereminentia ne supra modum efferretur, datus est à Deo carni ejus stimulus 2 Cor.12.2,3,7.

Quo zelo olim erga traditiones patrias flagravit, eodem postea in obeundo munere Apostolico, inque Euangelio Christi promovendo usus est, ita ut glorietur, se plus cæteris omnibus Apostolis laborasse 1 Cor.15.10. 2 Cor.xi.23. seque ab Hierosolyma ac circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum Euangelii prædicatione omnia implevisse Rom.15.19. Labores ac molestias, curas & ærumnas, pericula & afflictiones, quas Apostolus iste in Apostolatûs sui functione sustinuit, ipse recenset copiose 2 Cor.xi.23 & seqq. sed & maxima ac molestissima illa itinera ejusdem, quæ in Actis Apostolicis leguntur, idem testantur.

Quod scripta hujus Apostoli attinet, dubium non est, longe plura eum scripsisse, quam quæ ad nostra perdurarunt tempora. Nam ipse in Epistola ad Ephesios cap.3.3, mentionem facit alterius Epistolæ, quam ad eos scripserat: & ex Phil.3. ℣.18, probabiliter quoque colligitur, eum ad Philippensium Ecclesiam sæpius scriptitasse. Meminit etiam ipse Epistolæ cujusdam ex Laodicea scriptæ Col.4.16, quæ omnes, & sine dubio plures aliæ interciderunt. Quod vero ad ea, quæ supersunt, scripta ejus attinet, partim ex certis judiciis, partim ex conjecturis nonnullis intelligitur, epistolas ejus hoc temporis ordine scriptas esse.

Primo scripta est utraque ad Thessalonicenses Epistola, idque, judicio quorundam, Athenis, tum cum eò venisset Apostolus ex Beroœnsi civitate, ibique Silam ac Timotheum expectaret Act.17.16. Ac de priori quidem conjectura sumitur ex illius Epistolæ cap.3.1,2. Cumque ex argumento posterioris Epistolæ non obscure pateat, eam non multo post primam scriptam esse, creditur Apostolus eam etiam Athenis exarasse Quanquam sunt, qui existiment, utramque vel ad minimum postremam scriptam esse Corinthi, quo se Apostolus Athenis non diu moratus contulit, ubi etiam, non Athenis, Apostolum invenerunt Timotheus & Silas, ac per tempus aliquod cum eo ibidem manserunt Act.18.1,5. Quod enim ad calcem utriusque Epistolæ ad Thessalonicenses adjectum est, eas scriptas esse Athenis; sciendum est, subscriptiones illas, quæ in fine omnium Epistolarum Pauli leguntur, quasque etiam Lutherus in sua translatione retinuit, incertas esse, neque constare, an illæ ad textum vere pertineant, & quæ ab ipso Apostolo sint appositæ. Certe aliquas falsas esse, exemplo sunt illæ, quæ ad finem prioris Epistolæ ad Corinthios, & illius, quæ ad Hebræos, extant. Præterea non omnes in omnibus exemplaribus habentur & in quibus habentur, non uno leguntur modo. Verisimile est, quasdam istarum subscriptionum si non omnes, adjectas esse ab iis, qui scripta Novi Fœderis primi collegerunt, qui vel ex indiciis, quæ in ipsis Epistolis deprehenderunt, vel ex aliis circumstantiis sibi notis judicarunt, hoc vel illo in loco Epistolas singulas scriptas esse. Ita ut ex istis subscriptionibus nullum certum argumentum de loco scriptarum Epistolarum sumi queat.

Post utramque ad Thessalonicenses putatur scripta esse prior Epistola ad Timotheum. Apostolus enim Aquilam ac Priscillam reliquerat Ephesi, ipse profectus Hierosolymam, atque inde Antiochiam, Galatiam, Phrygiam, cujus metropolis fuit Laodicea; ubi Apostolus hanc Epistolam scripsisse fertur. Quanquam ejus rei nullum aliud documentum est, quam quod subscriptio istius Epistolæ testetur, eam Laodiceæ scriptam esse.

Hanc, ut existimatur, secuta est prior Epistola ad Corinthios, quam Apostolus Ephesi conscripserit. Cum enim Ecclesiam Corinthi plantasset, ut narratur Act.18. profectus est inde Ephesum Act.19.1. Ubi accepto nuncio de schismatis ac dissensionibus, aliisque vitiis, in Ecclesia illa gliscentibus, perhibetur hanc dedisse ad Corinthios Epistolam. Quod colligitur ex 1 Cor.16.19, ubi Apostolus salutat eos nomine Ecclesiarum Asiaticarum, inter quas erat etiam Ephesina. Hancque sententiam Syriaca & Arabica exemplaria comprobant, in quibus subscriptio locum scriptæ Epistolæ nominat Ephesum. Ex quo manifestum est, subscriptionem hujus Epistolæ, quæ habetur in Græcis exemplaribus, & Philippis civitate Macedoniæ scriptam esse perhibet, falsam & adulterinam esse.

Circa idem ferme tempus missa etiam censetur ab Apostolo ad Titum Epistola Ephesi scripta: quanquam non desunt, qui eam Romæ scriptam esse arbitrentur. Postea Paulus in suo quinto itinere, quod fecit Epheso Hierosolymam per Macedoniam & Achaiam Act.19.21, scripsit secundam ad Corinthios Epistolam Philippis, ut habet subscriptio.

Porro sequitur Epistola ad Romanos, quam Apostolus scripsit Corinthi; cujus rei indicia sunt: primo quia Epistola missa est per Phœben, ministram Ecclesiæ, quæ fuit Cenchreis, qui fuit portus Corinthiorum. Deinde, quia Apostolus salutat Romanos a Gajo & Erasto cap.16.23. quos Corinthios fuisse, de primo ex 1 Cor.1.14. de altero ex 2 Tim.4. ℣.20 colligitur. Scripta autem est hæc Epistola non in primo Apostoli Corinthum adventu, de quo Act.18.1. sed in secundo, cum in quinto itinere suo, quo per Macedoniam & Achaiam Epheso Hierosolymam, atque inde Romam tendere constituerat, & in Græcia ferme tres menses commoratus est Act 19.21. xx.3. quo tempore probabile non est, eum Corinthiorum Ecclesiam visitare neglexisse. Hoc vero satis superque perspicitur, si locus Act.19.21. cum Rom.15.24. conferatur. In utroque enim loco itineris Hierosolymitani fit mentio.

Post Epistolam ad Romanos creditur Apostolus Romæ sub tempus biennalis captivitatis suæ, de qua Act.28.16,30, scrisisse Epistolam ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, & ad Philemonem.

Posterior ad Timotheum Epistola est postrema earum, quę ad notitiam nostram pervenerunt; sed de loco & tempore, quo scripta sit, variant sententiæ. Plerique veterum auctorum censent, scriptam esse post Apostoli primam liberationem ex biennali captivitate, & quidem paulo ante mortem ipsius: idque hinc sumunt, quod cap.4.6 scribat Apostolus, tempus discessus sui jam instare.

Epistolam ad Hebræos quod spectat, uti Auctor ejus incertus est, ita & tempus, quo exarata sit, ignotum est.

Tandem exitus vitæ hujus Apostoli talis fuit, ut anno 14. Neronis Cæsaris crudelissimi, in cruenta illa persecutione, qua in Christianos sævitum fuit, cum Nero urbem Romam ipse clam curaret incendi, in Christianos incendii culpa conjecta, una cum multis millibus aliorum martyrum capite plecteretur.

ANNO-

ANNOTATIONES
In Epistolam
S. JACOBI.

PROLEGOMENA.

DE hujus Epistolæ authoritate, atque etiam authore à quibusdam dubitatur. Ii qui authoritatem ejus elevant, ac censura sua notant ipsam non esse recipiendam in Catalogum earum Scripturarum Sacrarum quæ vocantur Canonicæ, id est Regulares, quod regulas credendi & vivendi contineant, has præcipue causas afferunt.

Primo quod non videatur prædicare Jesum crucifixum, & resuscitatum, nec docere, salutem per eum consequendam. At non est necesse ut singuli sacri scriptores singulis temporibus idem argumentum ex professo tractent: præsertim quando ii ad quos scribitur, de eo jam non dubitant, & quando necessitas aliud requirit. Ita nec Johannes Apostolus, in epistola sua prima, quæ tamen pro Canonica absque dubitatione recipitur, ex professo docet, de Christi morte truculenta, & resurrectione, atque exaltatione, & aliis ejusmodi fidei ut vocantur articulis. Apparet Jacobum scripsisse ad eos qui jam tenebant *fidem Domini nostri Jesu Christi gloriosi* ut indicat cap. 2. 1. Sed fidei non addebant fructus ea dignos: ad quos proinde præcipue eos adhortandos esse necessitas postulabat. Deinde illud solet maxime urgeri ab iis quibus ista epistola non placet, quod ejus author videatur adversari doctrinæ Pauli Apostoli, docentis homines justificari per fidem absque operibus Legis. At si mens hujus scriptoris recte exponatur, eum à Paulo non dissentire sed potius consentire intelligetur: quod Deo favente, in explicatione capitis secundi videbimus.

Quod autem olim de hujus epistolæ authoritate Apostolica est dubitatum, ut ex Eusebio & Hieronymo apparet; sicut etiam de Epistola ad Hebræos, & posteriore Petri, & duabus posterioribus Johannis, & Judæ, & de Apocalypsi Johannis: id forsan inde fiebat quod non statim ab initio omnibus Christianis certo innotuerit ista scripta fuisse ab Apostolis exarata, quod ad aliquos serius pervenerint. Interim quamvis de Authoribus an isti revera sint, aliquamdiu fuerit dubitatum, tamen ipsa quæ in eis continetur doctrina, merito ut Apostolica semper in vera Christi Ecclesia recipiebatur & nunc recipitur: ita ut inter libros Apocryphos censeri non debeant. Jam olim ubi libri Canonici recensentur, & Apocryphi omittuntur, ista Epistola Jacobi enumeratur, ut in Concilio Laodiceno, quod celebratum est paulo post annum Christi 360. canone 59. Videatur & Concilii Carthagiensis 3. tempore Augustini & præsente eo celebrati, canon 47. Et Doctorum Ecclesiæ antiquorum testimonium.

Restat quæstio quisnam Jacobus istius Epistolæ Author fuerit. Syrus Interpres eam attribuit Jacobo illi qui fuit filius Zebedæi: sicut & Arabs eum sequutus. Sed constat ex Act. 12. Jacobum Zebedæi etie sub initia Euangelii per Apostolos prædicati ab Herode Agrippa interfectum. At ista epistola aliquanto post tempore scripta videtur, post Euangelium inter Græcos quoque seu Gentiles, prædicatum: inter quos vivebant isti ad quos Jacobus epistolam hanc scripsit dispersi duodecim tribuum Israelitæ.

Neque illud est probabile Authorem hujus epistolæ esse non Apostolum, sed alium Jacobum, qui & Oblias & Justus vocatur, ac narratur fuisse Episcopus Ecclesiæ Jerosolymitanæ. Cujus necem injuste ei illatam notavit cum elogio Josephus Antiq. lib.xx.

Sed credibile est hujus epistolæ scriptorem esse Apostolum, illum Jacobum qui vocatur Jacobus Alphæi, scilicet filius: Matth. 10. 3. Marc. 3. 18. Luc. 6. 15. Act. 1. 13, qui etiam dictus est Jacobus minor, Marc. 15. 40, quod respectu illius Jacobi Zebedaidæ esset minoris celebritatis, vel etiam ætatis. Qui propterea quod mater ejus esset soror matris Domini Jesu, ut indicatur Joh. 19. 25, collato cum Mar. cap. 15. 40, vocatus est frater Domini, id est consobrinus Gal. 1. 19, & fuit inter Apostolos non exiguæ authoritatis, ut patet Act. 12. 17. & xv. 13. & xxj. 18. & Gal. 2. 9 & 12.

Certe Epistolam ejusmodi, ad duodecim tribus Israëliticas scribere, cum authoritate monendi, reprehendendi, præcipiendi, videtur fuisse proprium muneris Apostolici.

Inscribitur ista Epistola *Catholica* nomine Græco id est universalis, quod non ad unum aliquem hominem, neque ad unam aliquam Ecclesiam, sed ad multas Ecclesias directa fuerit.

Idem titulus tribuitur aliis sex Epistolis, eam subsequentibus. Sed Johannis secunda & tertia, non recte eundem titulum præferunt, quum ad certas quasdam personas sint conscriptæ.

Ista autem à Jacobo scripta præmittitur epistolis Petri ac Johannis, & ordine prior ponitur, quia ut probabile est, tempore scriptionis prior exstitit.

Est autem hæc Jacobi epistola parænetica ac monitoria: in qua variæ admonitiones de officiis pietatis continentur: ac tum vitia quædam reprehenduntur atque

atque corriguntur, tum virtutes iis contrariæ præcipiuntur atque commendantur.

Porro in istis monitis variis, non semper solet observari aperta ordinis cohærentia. Nam fere eo modo quo Salomonis proverbia de diversis rebus, & Jesu Siracidæ sententiæ, accumulantur. Sed tamen in hujus epistolæ contextu potest, in plerisque ratio connexionis inveniri.

CAPUT I.

Vers. 1. IN hoc versu habetur Inscriptio hujus epistolæ, quippe exprimitur quis eam, & quibus scripserit.

Jacobus.] Nomen hoc gessit primo ille Abrahami nepos, Isaaci filius, alias dictus Israël, patriarcha insignis, author duodecim tribuum Israeliticarum. Hic autem eo nominatur ille Alphæi filius, de quo in Prolegomenis, Apostolus. Quamvis non exprimit titulum Apostoli, tamen inde non est concludendum, hunc scriptorem non fuisse Apostolum. Sicut non bene argumentaretur quispiam si argueret non tantum Epistolam ad Philemonem, sed etiam ad Philippenses, & utramque ad Thessalonicenses, non à Paulo Apostolo sed ab alio quopiam Paulo conscriptas esse, quod in eis titulus Apostoli nomini Pauli non addatur. Ista omissio tituli Apostolici, excellentis, potest dici à modestia authoris esse profecta.

Servus Dei.] Solent alias etiam alii qui Deo serviunt, præsertim fideliter, vocari servi Dei, ut Act. 2. ℣. 18. ut & Domini Jesu, vide & 2 Tim. 2. 24. & Apoc. 2. 20, sed excellenti modo servi istius Domini cœlestis fuerunt Apostoli, ad servitium seu ministerium eximium ablegati. Hinc & Paulus se cum Timotheo adjuncto vocat servum Christi, Phil. 1. 1. sed & seorsim sibi hunc titulum adscribit, Rom. 1. 1. & Tit. 1. 1. Iste ergo titulus servi Dei, quamvis ejus qui eum sibi tribuit modestiam & erga Dominum reverentiam indicat, tamen simul notat etiam honorem, quod tali Domino excellenti, Regi cœlesti, famuletur: Huic Domino qui serviunt, sunt vere liberi, & gaudent dignitate regali 1 Petr. 2. 9. Apoc. 1. 6. & v. 10.

Et Domini Jesu Christi.] Non tantum Dei altissimi sed etiam alterius Domini servum se esse profitetur Jacobus, nempe Jesu Christi; à quo est vocatus & electus inter cæteros ad Euangelium ejus annunciandum, & ad functionem Apostolicam. Nominat eum *Jesum*, quod nomen à salute sumtum, notat Servatorem: nempe per quem salus perfectissima hominum, liberatio à peccatorum reatu, Matth. 1. ℣. 21, & ab eorum pœna præcipue à morte æterna, est allata nomine Dei, & procurata, & per eundem est reipsa danda iis qui in ipso fidem collocant, eique obediunt. Vide Act. 4. 12. v. 31. Hebr. 5. 9.

Addit ei cognomen *Christi* qui Hebraicè dicitur Messias, id est Unctus, quem nempe Deus unxit oleo Spiritus sui Sancti, ut sit Rex populi divini, non vulgari modo sed eximio regnans. Quod nomen olim huic Regi assignatum, Psal. 2. & Dan. 9. vide & Joh. 1. 42. & annot. ad Matth. 1. 16. Præponit eidem titulum *Domini*, qui in peculiari significatione solet tribui in Novo Fœdere Jesu Christo, quem Deus post mortem resuscitatum, fecit Dominum, nempe cœlestem, sibi secundum atque proximum. Vide Act. 2. 36. & 1 Cor. 8. 6.

Hic notandum est à Deo absolute & per excellentiam ita nominato, nempe Altissimo, qui ex seipso habet Deitatem ac divinam potestatem, distingui istum Dominum, nempe Jesum Christum; sicut & alibi sæpe. Ut Act. 20. 21. Rom. 16. ult. 1 Thes. 1. ℣. 9, 10. 2 Thes. 1. ult. 1 Tim. 1. 1. ij. 5. vj. 13. 2 Tim. 4. 1. Tit. 3. 4, 6. 2 Petr. 1. 1 & 2. Apoc. 12. ℣. 10. xx. 6. Unde etiam apparet istum Dominum, nempe Jesum Christum, non esse ipsum illum eundem Deum altissimum, qui est Unicus: qui etiam non potest recte vocari Christus, id est Unctus.

Duodecim tribubus.] Jam exprimit eos ad quos epistolam istam dirigit. Ita notantur posteri illius patriarchæ Jacobi qui fuit nepos Abrahami, vocatus Israël, à cujus duodecim filiis propagatæ sunt duodecim tribus Israelitarum. Inter quas præcipua quidem erat tribus Judæ, sed non sola. Secundùm istarum duodecim tribuum Israëliticarum numerum, Dominus Jesus adhuc in terris versatus, elegit ex discipulis suis duodecim numero Apostolos, ut eis Euangelium de Jesu Christo annunciarent. Itaque Israëlitis docendis inprimis illi incumbebant. Inter alios autem præcipue Petrus, & Johannes, atque Jacobus. Vide Gal. 2. 7, 8, 9. Ubi cum Petro seu Kepha, & Johanne, Jacobus iste nominatur columna, cui nempe Ecclesia Christi ex Judæis collecta innitebatur: quique cum istis collegis suis, ad eos qui ex circumcisis erant legationem Christi nomine obire debebat.

Illis in dispersione.] Scilicet existentibus seu manentibus: aut simpliciter dispersis: nempe extra illam terram promissam. Quamvis decem tribus Israëliticæ olim abductæ sunt in Assyriam 2 Reg. 17. ℣. 23. & xviij. 11, ita ut nulla inter eos & Judæos in terra promissa habitantes commercia intercederent; tamen jam antea & mox post divisionem regni, sub Roboamo, ex omnibus tribubus Israëliticis viri probi adjunxerant se Judæis, ut patet ex 2 Paral. xi. ℣. 16, 17, & deinde sub Ezechia, aliqui ex tribu Aseris, & Manassis, & Zabulonis, iisdem adhæserunt, cap. 30. 11. Post reductionem autem è captivitate Babylonica, tum ob bella & persequutiones, tum ob commercia & alias occasiones, sparsi erant Judæi, & alii eis adhærentes Israëlitæ, per varias regiones antea sub imperio Macedonum seu Græcorum, & postea sub imperio Romano. Vide Joh. 7. vers. 35. & 1 Petr. 1. 1. Inter quos ex variis regionibus Jerosolymam ad festa solennia adventantibus, ut habetur Act. 2. 5 & 9, 10, 11, non pauci ad prædicationem Petri susceperunt religionem Christianam, ut narratur ibid. vers. 41, 42. Ii ergo jam Christiani facti, detulerunt secum fidem in Christum ad loca habitationum suarum, & ut credibile est, aliis ex gente sua eandem communicarunt. Ad hos igitur Israëlitas, jam Christianos factos, Jacobus direxit hanc suam epistolam.

Salutem.] Subintellige, precatur. Græcum verbum hoc loco positum, proprie notat *gaudere*. Quo verbo à Græce loquentibus salutatio peragebatur. Vide

Vide Act. 23. 26. Atque etiam in epistola quam Apostoli & alii Christiani Jerosolyma ad fratres scripserunt Act. 15. 23. Per metonymiam effecti, pro causa, intelligitur salus seu felicitas, ac omnia bona tum spiritualia tum corporalia, ex quibus homines gaudium capere solent.

Vers. 2. E variis monitis quæ istâ Epistolâ continentur, primo loco proponitur adhortatio ad patientem imo lætam tentationum tolerantiam. Credibile est Jacobum non ignarum quod isti ex Israëlitis Christiani varie vexarentur, ideo ab hac adhortatione in eo statu maxime necessaria, istam ad eos epistolam inchoasse.

Omne gaudium ducite.] Gaudio isti quod eis in salutatione optavit, obstare videbantur ea quæ ipsis eveniebant adversa, ob quæ homines solent mœrere, atque cum dolore contristari. Hinc tacitæ objectioni occurrens Jacobus, monet ut non tantum ob ista non angantur, sed etiam gaudeant atque lætentur.

Omne.] Sumitur pro eo quod est plenum & summum in suo genere. Ut Ephes. 4. 2. Col. 1. 11. 1 Tim. 1. 16. ij. 11. Tit. 2. 10. iij. 2.

Gaudium.] Id est gaudii ac lætitiæ materiam atque causam. Ut Phil. 4. 1. 1 Thes. 2. 19, 20.

Ducite.] Id est existimate; subintelligitur *esse*. Tale gaudium ob talem causam præcepit suis ipse Christus, Matth. 5. 11, 12. & Luc. 6. 22, 23, & Petrus Apostolus 1 Petr. 1. 6. & iv. 13, 16. Talis gaudii specimen & exemplum habetur in Apostolis, à Synedrio Judaico verberatis Act. 5. 41. vide & Rom. 5. 3. Philip. 1. 29. 1 Thes. 1. 6. Hebr. 10. 34. Ratio autem istius gaudii inferius indicatur.

Fratres mei.] Tali titulo compellat Jacobus istos ex Israëlitis Christianos, indicans eos secum amicitiâ arctâ junctos esse, non tantum ut ejusdem gentis, sed etiam quod majus est ut ejusdem religionis consortes: ejusdem Dei filios, quos proinde se amore fraterno complecti indicat, & ista quæ eis proponit monita, ex amore erga eos proficisci innuit. Hunc titulum fratrum ipse Christus discipulis suis commendavit Matth. 23. 8.

Quum in tentationes incideritis.] Per tentationes intelliguntur hic vexationes & afflictiones, seu res quæ vocantur adversæ. Ita hæc vox accipitur Luc. cap. 22. 28, & 1 Cor. 10. 13. Gal. 4. 14. 1 Petr. 1. 6. 2 Petr. 2. 9. Apoc. 3. 10.

Ita autem vocantur, quod Diabolus, qui Tentator per excellentiam vocatur, 1 Thes. 3. 5, per instrumenta sua ut homines malignos, his vexationibus immissis, tentet & solicitet credentes ad defectionem à fide ac pietate; Deo permittente talia fieri, ad fidem suorum & pietatem explorandam atque probandam, de quo vers. seq. In has tentationes incidunt homines quando illæ eis eveniunt, & inferuntur. Videntur isti ex Israëlitis Christiani fuisse ob religionem Christianam receptam obnoxii vexationibus atque afflictionibus, non tantum ab Ethnicis, sed etiam à suæ nationis hominibus, nempe Judæis incredulis ac pertinacibus, atque ideo istos à se diversos odio capitali persequentibus. Vide 1 Thes. 2. 14.

Olim in Veteri Fœdere Mosaico, apud populum illum maxima ex parte carnalem, res adversæ & calamitates, communiter pro signis iræ Dei & ob peccata pœnis habebantur. Ut Lev. 26. 17, 25. Deut. 28. 15. 25, 31, 33, 43, 62.

At sub Novo Fœdere apud populum spiritualem, talia, carni ingrata, in parte beatitatis ponuntur. Quamvis enim castigatio ista in præsenti non videatur esse gaudii sed mœroris, tamen deinde reddit iis qui per eam exercitantur fructum pacificum justitiæ, ut scriptum est, Hebr. 12. 11. Ideoque etiam tempore afflictionum gaudendum est ob spem Rom. cap. 12. 12, in Domino Phil. 4. 4. vide & 1 Petr. 1. ℣. 8, 9. Quomodo autem hoc Jacobi monitum non pugnet cum eo quando Christus jubet orare ne inducamur in tentationem, videantur annot. ad Matt. cap. 6. 13. & xxvj. 41.

Varias.] Quia diversi sunt modi afflictionum quibus adversarii solent pios vexare ob dissidium in religione; ut sunt tum verborum contumeliæ, tum per honoris ademtionem ignominiæ, seu infamiæ, tum facultatum ereptiones, tum per exsilia ex habitaculis expulsiones, tum carceres, verbera, cædes, cum tormentis multifariis: qualium plenæ sunt de martyribus historiæ. Vide Hebr. xi. 35, 36, 37.

Vers. 3. *Scientes.*] Id est quoniam scitis, aut scire debetis ex doctrina Christiana, aut etiam jam aliqui propriâ vestrâ experientiâ id addiscitis, ex re præsenti. Exprimitur hic ratio illius propositæ admonitionis paradoxæ, cur scilicet in tentationibus seu afflictionibus gaudere oporteat Christianos.

Quod exploratio fidei vestræ.] Id est hoc per quod fiducia vestra erga Deum & Christum exploratur, atque probatur. Tentationes seu afflictiones ob religionem illatas, de quibus proxime egit, nunc vocat explorationem fidei eorum: per metonymiam effecti, quia illæ efficiunt explorationem. Nempe sicut aurum an sit purum putum, seu obryzum absque mistura alicujus scoriæ, exploratur per ignem, qui impura repellit atque excernit; reliqua autem efficit nitidiora, ita afflictio igni similis explorat & ostendit num quis sit Deo fidelis ac in fiducia constans. Qua similitudine utitur Author Sap. 3. 5, 6. & Sirac. cap. 2. 5. & Petrus Apostolus epist. 1. cap. 1. 7.

Operatur.] Græcum verbum non est simplex sed compositum, quod quidam vertunt adoperatur; potius significat peragit seu perficit.

Patientiam.] Seu tolerantiam, rerum adversarum perseverantem. Ita calamitas res alioqui per se non bona, parit & efficit rem bonam, virtutem patientiæ. Idque non solum quatenus occasionem ejus præbet, sed etiam quatenus per assuetudinem magis magisque firmat atque roborat animos fidelium, in eorum constantia, præsertim quod Deus ac Christus in istis perpessionibus, viris bonis cum mala fortuna luctantibus assistit per Spiritus sui Sancti auxilium atque solatium. Qui adversa non sunt unquam experti, ii etiam ipsi non habent bene cognitum atque perspectum num sint ista virtute eximia patientiæ firmæ, præditi: quod experti & exercitati norunt.

Videtur istud dictum Jacobi non consentire cum illo Pauli, qui Rom. 5. 4 dicit, quod *patientia operetur explorationem*, seu *probationem*. Sed apud Jacobum probatio seu exploratio sumitur pro ipsa ten-

tatione per quam fit exploratio fidei; at apud Paulum probatio (quanquam paulo diversa voce Græca, quum Paulus habeat δοκιμὴν, Jacobus autem δοκίμιον) ponitur pro tentationis effectu, quando patientia jam comperta, approbatur. Itaque ista dicta bene secum consentiunt. Potest etiam dici quod & patientia inchoata efficiat probationem, & vicissim probatio patientiam plenam. Sicut spes inchoata est causa pietatis, & pietas est causa spei consummatæ.

Vers. 4. *At patientia opus perfectum habeat.*] Monet porro Jacobus ut ista in tentationibus seu afflictionibus ob religionem patientia, sit non inchoata tantum, & deficiens, sed ita operosa ut ad finem usque hujus vitæ calamitatibus obnoxiæ perduret atque perseveret: ut non tantum ad aliquod tempus exiguum aliquas afflictiones patiatur; sed si Deo libeat diuturniora & plura adversa immittere, etiam ea cum modestia & constantia perpetiatur. Sunt interdum aliqui patientes impatientes, (ut sic dicam) qui adversa velut onus impositum ferunt utcunque, sed cum gemitu & animo immodesto atque immansueto; cum tædio. Id in bona causa ob Christianismum, bonis Christianis non convenit.

Ut sitis perfecti.] Sicut in aliis virtutibus, debent veri fideles ut Dei filii & Christi discipuli, esse perfecti, de quo Matth. 5. 48. vide & Eph. 4. 13, ita etiam in ista virtute patientiæ, addita aliis virtutibus 2 Petr. 1. 6. Si quis alias virtutes habeat, & interim patientiâ careat, non erit perfectus Christianus. Deinde requiritur in Christianis, non tantum perfectio partium, ut non solum unam aut alteram virtutem sed omnes virtutum species in se habeant, sed etiam perfectio graduum, ut in unaquaque specie virtutis quantum possunt ad supremum gradum perveniant; non autem in infimo subsistant.

Et integri.] Omni ex parte absoluti, atque completi: non manci aut mutili.

In nulla.] Id est nulla re, nempe ad officium vestrum Christianum spectante ac requisita.

Deficientes.] Absque ullo defectu, ne quid vobis desit. Ita perfectionem illam, aliis verbis additis declarat.

Vers. 5. *Si autem alicui vestrum deest sapientia.*] Quia monuit istos ad quos scribit, ut in patientia sint perfecti, posset autem quispiam objicere, valde difficilem esse istam patientiæ perfectionem, & quum varii casus in afflictionibus occurrant, sæpe hominem nescire quid agere & quomodo sese gerere debeat, ne quid in discrimine temere agat, neve in rebus perplexis erret, consilio recto carens, magna hic opus esse sapientiâ, quæ non multis adsit; ideo Jacobus admodum apposite objectioni huic tacitæ occurrens, addidit ista de sapientia, si desit in perpessionibus, docens unde & quomodo ea sit acquirenda.

Per sapientiam hanc hic intelligitur non theoretica, quæ contenta est rerum contemplatione, sed practica, quæ alias proprie vocatur prudentia, quæ circa res agendas bene consulit. Ut Prov. 1. 2, & alibi, Col. 4. 5. & Eph. 5. 15.

Petat.] Indicat homines ipsos ex se non posse invenire vel etiam ab hominibus aliis acquirere istam quæ hic requiritur sapientiam, sed debere eos illam aliunde petere, & precibus impetrare.

A Deo.] Illo mundi Creatore, supremo rerum Rectore, qui est fons omnis sapientiæ ac prudentiæ.

Qui dat.] Non sibi soli eam retinet, sed communicat, libenter, Proverb. 2. 6, 7.

Omnibus.] Nempe ei adhærentibus, ac voluntatem ejus facere paratis; præsertim autem, debito atque conveniente modo petentibus: vide Matth. 7. vs. 8, absque discrimine & respectu personarum, atque in iis qualitatum ad rem non pertinentium.

Simpliciter.] Id est non parce, sed benigne, promte, large ac liberaliter. Ita & alibi vox simplicitatis, ubi de dando sermo est, accipitur, ut Rom. 12. 8. & 2 Cor. 8. 2. & IX. 11, 13.

Et non exprobrat.] Homines solent vel daturi petentibus beneficium exprobrare eorum indignitatem, aut petendi importunitatem; vel postquam dederunt, præsertim si quis iterum eorum ope ac beneficio indigeat, cum opprobriis & objurgationibus, se eis immeritis multum boni præstitisse, etiamsi isti nullam justam exprobrandi causam præbeant, contumeliose commemorant, aut reposcunt. Indicat Deum non ita maligne agere cum iis quibus beneficia confert, si illi probe se gerant ac datis bene utantur.

Et dabitur ei.] Id est, tunc dabit & largietur ei Deus istam qua ille opus habet sapientiam.

Vers. 6. *Petat autem in fide.*] Docet quomodo sit hoc donum à Deo petendum, ita ut impetretur. *In fide*, id est cum fide. *In* non raro sumitur pro *cum*, ut Matth. 16. 27. Marc. 1. 23. Luc. 1. 17, 44, 75. IV. 32. Act. 5. 23. vij. 14. xvij. 31. Rom. 12. vers. 8. &c.

In fide autem petere, videtur hoc loco significare id, ut is qui petit, religionem Christianam, quæ solet fidei nomine notari; ut infra cap. 2. 1. & 14. seqq. teneat firmiter, certo persuasus eam esse verissimam doctrinam, tum circa alia credenda, tum circa promissa, à Christo proposita: præsertim quando propter istam fidem sunt sustinendæ tentationes, seu patiendæ afflictiones, de quibus superius dictum. Plerique fidem hoc loco putant notare fiduciam firmam, persuasam certo de Dei potentia, ac erga fideles suos benigna voluntate: vide inter alia locos huic similes Matth. 21. 21, 22. & Marc. XI. 23, 24. Quam fidem maxime fulciunt promissa gratiæ Dei eximiæ expressa, qualia præcipue in Christi doctrina continentur.

Sed prior quam attulimus vocis fidei significatio, est huic loco convenientior: tum quia verbis antecedentibus & scopo Jacobi est accommodatior; tum quia ex isto sermone apparet, hominem istum preces ad Deum fundentem sibi persuadere, se id quod petit impetraturum, adeoque non sine fiducia & spe petere, & tamen spe sua falli, nisi petat in fide, id est nisi in persuasione de Christi doctrinæ veritate sit constans.

Nihil disceptans vel *dubitans.*] Græcè proprie *dijudicans.* Exponit quid sit cum fide petere, dum id declarat à remotione ejus rei quæ est fidei contraria. Qualis declaratio etiam habetur in locis Matt. & Marc. modo memoratis.

De ista disceptatione seu dubitatione, quæ fidei repugnat, vide & Rom. 4. 20. & XIV. ult. Solent homines

homines increduli, ipsi cum animo suo disceptare & quasi disputare, objicientes sibi contra partem affirmantem argumenta pro parte negante; atque dubii in quam partem inclinent, hæsitare.

Nam qui disceptat seu *dubitat.*] Rationem affert cur in petendo à Deo non sit dubitandum.

Similis est fluctui maris ventis agitato & jactato.] Similitudine egregiâ illustrat quam inconveniens sit fidelibus Dei, ista dubitatio. Maris undæ solent à ventis insurgentibus & flantibus huc illuc volvi, & jactari, ut nunc dextrorsum vel antrorsum provolvantur, nunc sinistrorsum vel retrorsum revolvantur, nunc attollantur, mox deprimantur.

At animum hominis qui Deo firmiter adhærere eique fidere debet, ita huc illuc fluctuare atque jactari, ac nunc fiduciam concipere, mox rursus eandem abjicere, valde dedecet: quum hoc sit indicium inconstantiæ. Ejusmodi fere similitudine Paulus declarat similem circa doctrinam Christi instabilitatem Eph. 4. 14.

Vers. 7. *Ne enim existimet.*] Vel opinetur, vana & falsa opinione, fundamento destitutâ. Vocula *enim* vel non retinet hoc loco vim suam propriam, nempe ut contineat rationem proxime dictorum, & significat potius idem quod *igitur*; vel respicit remotius dicta, cur non sit in petendo disceptandum seu dubitandum.

Homo ille.] Nempe qui non cum fiducia precatur, sed dubitat.

Quod accipiet seu *accepturus sit aliquid*] Tum alias, tum præcipue quod hoc loco spectatur, in tentationibus atque afflictionibus, requisitam sapientiam, & alia auxilia atque solatia.

A Domino.] Nempe cœlesti, sive Deo altissimo, de quo est iste sermo cœptus vers. 5, sive ab eodem per Mediatorem Jesum Christum, qui peculiariter inter Christianos solet nomine Domini denotari: ut & hîc supra vers. 1.

Intelligitur autem tamdiu iste homo non acceptur us nec impetraturus aliquid à Deo, quamdiu fuerit talis, nempe non tenens fidem ac religionem Christianam, nec ei firmiter adhærens, vel non habens certam in Deo collocatam fiduciam. Ita preces ejus frustra erunt, absque effectu utili.

Vers. 8. *Vir duplici animo.*] Cujus animus non est unitus, non integre ac sincere Deo fidens, eique addictus, sed divisus, in duas partes, partim fidens, partim diffidens & dubitans, circa rem unam atque eandem, ut circa religionem, ac circa promissa Christi: qui secum diffidet ipse. Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, in partesque rapit varias. Ita hominibus dolosis tribuitur cor & cor, Psal. 12. 3, id est animus duplex. David autem petiit à Deo ut is uniret cor ipsius in timore nominis sui Psal. 86. 11.

Inconstans.] Seu instabilis, & inquietus atque turbulentus, modo huc modo illuc animum inclinans.

In omnibus viis suis.] Id est cogitationibus & consiliis atque actionibus, quæ per Hebraismum solent vocari viæ. Ut Psalm. 10. 5. cxix. 26. Esa. 55. 8, 9. 1 Cor. 4. 17. & alibi. Isti in fide vacillantes, ac diffidentes, etiam in actionibus suis sunt perplexi, & duabus viis incedere dicuntur Sir. 2. 13. Videtur autem hac ulteriore descriptione talis hominis fide vera destituti, aut circa eam dubii, rursus annectere causam cur talis utpote vanus, Deo non placens, nihil sit ab ipso impetraturus.

Vers. 9. *Glorietur autem.*] Videtur hîc respicere ad id quod proposuit supra ℣. 2, nempe gaudendum esse in afflictionibus. Gloriatio ista de qua hic loquitur adjunctum habet gaudium eximium seu lætitiam. Ut & Rom. 5. 2, 3.

Frater.] Id est Christianus, qui vivit in ista arcta societate fraterna, Christi discipulorum. Ita & alibi nomine fratrum significantur Christiani, ut Joh. 21. ℣. 23. Act. 2. 30. x. 23. xj. 1 & 12. & alibi: & hic supra ℣. 2.

Humilis.] Id est qui est sortis abjectæ & vilis, secundum carnem, apud homines hujus mundi; tales sunt Christiani pauperes, oppositi divitibus, de quibus mox ℣. seq. Ita humilitas accipitur Luc. cap. 1. 48. Plerique qui tunc Christi doctrinam recipiebant, erant collecti ex hominibus nec opibus nec genere in mundo insignibus, vide 1 Cor. 1. 26. Nonnulli autem alias nobiles & honorati, ob ipsam Christianismi professionem fuerunt depressi, ac bonis terrenis spoliati, per afflictiones. Videtur gloriatio ista opponi ei de qua superius dictum est dubitationi: nempe tantum abesse ut homo Christianus afflictionibus pressus ob religionem, dubitet de ipsa religione, ut potius tunc in mediis afflictionibus debeat gloriari, quod propter religionem patiatur.

Quia paradoxum est ut vilis & humiliatus, glorietur, addit causam ob quam talis Christianus apud homines mundanos inglorius, debeat gloriari.

In sublimitate sua.] Humiliationi opponit exaltationem. *In* significat hoc loco *propter*, sicut Mat. 6. ℣. 7. Luc. 10. 20. Act. 7. 29. Rom. 10. 5. & alibi.

Sublimitas ista, seu excellens atque honoratus status istorum vilium respectu carnis & coram hujus mundi hominibus Christianorum, consistit in eorum quoad spiritualia apud Deum exaltatione, maxime in eo quod Deus eos vocaverit in suum regnum, atque gloriam 1 Thess. 2. 12, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi 2 Thess. 2. 14, utpote filios Dei, ideoque hæredes ejusdem, & cohæredes Christi, ut si cum eo patiantur, etiam cum eodem glorificentur Rom. 8. 17, ac si toleraverint adversa propter eum, simul cum eo regnent 2 Tim. 2. 12.

Quin etiam id ipsum quando Christiani pro Jesu Christi Domini sui ac Regis cœlestis nomine afflictiones patiuntur & ignominiâ afficiuntur pro dignitate sua qua eos Dominus dignatur, reputant, ut Act. 5. 41, & pro dono ex gratia Dei profecto Philip. 1. 29, dum fiunt conformes filio Dei unigenito, in perpessionibus; ut etiam ei conformes evadant in præmio excellenti.

Vers. 10. *At dives.*] Hunc humili de quo proxime vers. 9 dictum est, opponit. At videtur hic intelligere talem divitem qui etiam ut ille humilis, sit frater, id est Christianus. Subintelligitur autem hic καυχάσθω verbum illud in proxime præcedente versu positum, *glorietur.*

In humilitate sua.] Hic quoque *in* ut ℣. 9, significat

ficat *propter*. Humilitas autem hoc loco notat depressionem, & in humilem ac vilem statum secundum carnem dejectionem, per afflictiones; & divitiis abundantes Christiani propter religionem non minus quam pauperes patiuntur, & divitiis suis vel frui tunc non possunt, vel iis privantur: quin etiam seipsos iis privant, dum eas fratribus egentibus atque inopibus impertiuntur.

Quia.] Affertur ratio cur dives Christianus debeat gloriari in sua humiliatione. Sed videtur subintelligendum *alias*, id est nisi ob istam suam conditionem qua per afflictiones ob religionem deprimitur, gaudeat atque glorietur; Vel indicatur ratio cur recte faciat si de vili suo secundum carnem statu propter Christum suscepto gaudeat atque glorietur, potius quam de divitiis terrenis.

Sicut flos herbæ præteribit.] Nempe dives quoad divitias terrenas, & cum suis istis divitiis; brevi evanescet & corrumpetur: per varios casus, quemadmodum flos eleganter ad tempus florens, cito decidit, atque perit. Tali similitudine à floris cita corruptione ducto utitur etiam David Psal. 103. ℣. 15, 16. & Esaias cap. 40. 6, 7, quæ verba citantur 1 Petr. 1. 24.

Vers. 11. *Exortus est enim Sol cum æstu.*] Subintelligitur particula similitudinis, *sicut* nam postea sub finem versus ponitur, *sic*. Et alibi non raro ista vocula *sicut* subauditur, ut Psalm. xi. 2. xxij. 14. Proverb. 15. 4. xvj. 24. xvij. 8 & 14. xxj. 1. xxv. ℣. 18, 20, 23, 27. xxvj. 6, 7, 11. xxvij. 9. Hos. 7. ℣. 8. &c. Loquitur autem per tempus præterim, ut etiam in sequentibus verbis, quum significet in præsenti actum consuetum.

Et arefecit gramen, & flos ejus decidit.] Ita fieri solet à Solis radiis calidis, humore siccato.

Et decor faciei ejus periit.] Id est speciosus & spectabilis ornatus ipsius, respectu pulchri coloris atque vigoris. Facies tribuitur gramini seu herbæ per metaphoram.

Ita & dives.] Similis herbæ floridæ, propter divitiarum splendorem. Intelligitur autem hic præcipue talis quisque homo opulentus qui opibus ac divitiis suis non utitur bene, sed abutitur: qui ita vivit sicut ordinarie divites vivere solent.

In viis seu *profectionibus suis.*] Id est vitæ suæ actionibus per quas ad metam suam tendit, vide sup. ℣. 8. Viæ istæ divitum sunt quod plerumque consueverunt suas tantum delicias cum luxu curare, eisque indulgere, absque cura gloriæ Dei, & provisione necessariorum pauperibus. Sicut ille descriptus Luc. 12. 19, 21. & xvj. 19.

Marcescet.] Per metaphoram ab herba à qua modo similitudo est ducta, significatur tum divitias ejus velut flosculos perituras, per adustionem torridam pœnarum à Deo immissarum, tum ipsum divitem periturum: non tantum morte naturali sicut reliqui homines obiturum, sed gravi exitio esse puniendum.

Vers. 12. Adhortationem inchoatam ad patientiam, continuans, concludit eam, addito argumento ab eventu maximæ utilitatis.

Beatus scilicet *est.*] Id est in bono atque eximie felici statu constitutus: nunc spe, postea autem re ipsa: quamvis apud vulgus hominum carnalium, videatur esse valde miser.

Vir.] Id est homo: non enim notatur sexus distinctus, sed species, ita ut etiam fœminæ similes hic comprehendantur. Sicut Psal. 1. 1.

Qui tolerat tentationem.] Id est qui afflictiones, de quibus tali voce notatis dictum est supra vers. 2, religionis Christianæ causa inflictas, sustinet, & perfert patienter, atque constanter usque ad finem.

Quia.] Affert rationem cur talem qui miser videtur, dicat esse beatum.

Quum probatus fuerit.] Id est postquam per ista adversa experimenta virtutis, jam apparebit exploratus & probus, ut aurum igni probatum, atque à Deo approbatus, utpote qui à religione & virtute sua, rebus adversis non est aversus: qui tempore tentationis non abscessit à Deo in eumque fide vera atque pietate; contra quam faciunt multi de quibus Luc. 8. 13. vide & Rom. 5. 4.

Accipiet coronam vitæ.] Est metaphora sumta ab athletis, vel à militibus qui fortiter sese in periculis gerentes victoriam consequuti, solebant donari præmii loco coronâ aliquâ: non semper ex auro, sed sæpius ex foliis arboris alicujus confectâ: honoris causa, vide 1 Cor. 9. 25. Dicit autem *coronam vitæ* per genitivum speciei, vel differentiæ, ut Joh. 2. 21. Rom. 4. 11. 2 Cor. 1. 22.

Intelligit talem coronam, id est rem quandam eximiam, quæ est ipsa vita: nempe illa quæ per excellentiam ita vocatur absolute; & est vita illa maxime vitalis incorruptibilis, æterna, quam nulla mors consequetur: hæc est illa summa beatitudo. Nam ab hac vita in cœlis degenda absunt omnia mala, & adsunt ei omnia bona, perfecte ac perpetuo. Similis loquutio est Apoc. 2. 10. Similiter coronam justitiæ, id est justificationem in qua etiam vita æterna continetur, Paulus ut strenuus athleta dandam à Domino dicit sibi & sui similibus in illa die extrema 2 Tim. 4. 8.

Quam promisit Deus.] Beatitudinis istius certitudinem confirmat à promisso divino: ostendens spem ejus non esse vanam ac fallacem.

Dominus.] Per Dominum absolute dictum quamvis in rebus ante Euangelium gestis soleat designari Deus altissimus; qui est supremus omnium dominator, à seipso habens dominium supremum; tamen sub Euangelio hoc nomine usitate designatur Jesus Christus quem Deus fecit Dominum; de quo dictum supra vers. 1.

Per hunc itaque Dominum, id est per Jesum Christum Deus verax mentiri nescius fecit & confirmavit istam de vita æterna promissionem. Multis in locis Novi Fœderis habetur expressa promissio vitæ æternæ. Vide inter alia Matth. 19. 29. xxv. 46. Joh. 3. vers. 15, 16, 36. v. 29. xij. 25. &c.

Iis qui diligunt ipsum.] Exprimit quibusnam hæc vitæ æternæ promissio sit facta: ne quilibet eam temere speret. Diligere Deum & Christum ejus, dicuntur ii qui voluntatem ejus faciunt, seu mandata ejus observant, vide Joh. 14. 21. & 1 Joh. 5. 3. Quia autem inter alia mandata fere gravissimum ac difficillimum est afflictiones ob pietatem perpeti constanter; ideo isti qui eas perpetiuntur, maxime ostendunt

ostendunt se Dominum istum cœlestem diligere, cujus causa talia sustinent. Hæc dilectio Dei in qua fides continetur est medium obtinendæ vitæ æternæ, & conditio sine qua ea non obtinebitur.

Vers. 13. *Nullus tentatus.*] Post mentionem tentationum seu afflictionum, quibus obnoxii & subjecti sunt Christi servi; quum aliqui tentationibus vexati, eas non ita ut par est tolerarent, sed eis succumberent, & adducerentur ad peccandum; ut vel adversa sibi illata ulciscerentur, vel religionem Christianam, cujus causa eis ista inferebantur, deserent, & abnegarent; vel saltem ob pericula congregationes Christianas negligerent, & ad mundi hujus amorem converterentur; hinc eveniebat ut nonnulli delictorum suorum causam in Deum transferrent. Hanc blasphemiam hîc S. Jacobus amolitur, atque ab ea dehortatur.

Tentatus seu quum tentatur, nempe ut tentatione vincatur, & ad peccatum adducatur. Vide Matth. cap. 6. 13. & xxvj. 41.

Dicat quod à Deo tentor.] Ista vocula *quod* hoc loco redundat, ut sæpe, in mimesi sermonis alieni. Sensus est quasi dicatur, Deus qui afflictiones istas mihi immittit, est causa cur ego miser solliciter ad peccandum, & in peccatum cadam.

Nam Deus intentabilis est malis.] Seu non potest tentari malis, nempe rebus. Ratio affertur, cur non sit dicendum dum homines tentantur nempe ita ut per tentationem ad peccatum adducantur, Deum esse hujus mali authorem.

Deus qui est perfecte bonus atque justus, nequit ullo modo ad malas actiones adduci atque impelli: ita enim ejus natura & voluntas est aversa à peccato, ut nequaquam peccare possit. Deus non vult impietatem, Psal. 5. 5. & Sirac. 15. 13. 21.

Tentat autem ipse nullum.] Nempe hoc modo tentandi ut ad mala seu peccata adducat vel impellat. Alioqui dicitur Deus tentasse Abrahamum Gen. 22. vers. 1, nempe dum exploraret ejus fidem per mandatum de Isaaco filio occidendo; cujus exsequutionem ipse impedivit. Et alibi Deus dicitur populum suum tentare seu probare atque explorare, ut Deut. cap. 8. 2. & xiij. 3. Sed non eo modo ut ad peccandum inducat. Nam hoc est opus proprium Satanæ adversarii Dei; qui ideo vocatur *tentator* Matth. 4. vers. 3. & 1 Thess. 3. 5. Non tentat ergo Deus tentatione seductionis quamvis interdum tentet tentatione probationis. Verum quidem est non impellente sed permittente Deo, tentationes afflictionum inferri à diabolo, & ab hominibus malis, per quas homines non satis probi ad peccandum capiunt occasionem: sed Deus fidelis, non sinit probos tentari supra vires, sed cum tentatione facit etiam exitum ut illi eam sufferre possint 1 Cor. 10. 13.

Vers. 14. *Unusquisque autem tentatur à propria cupiditate.*] Ostendit veram causam tentationis ad mala: nempe internam in homine: quæ est cupiditas *propria* id est sua. Nomine cupiditatis significatur appetitus sensitivus qui fertur ad ea quæ in mundo videntur bona & appetitui grata, in quo comprehenditur cupiditas carnis, seu voluptatum carnalium, & cupiditas oculorum, in qua continetur avaritia, seu amor divitiarum, & fastus hujus vitæ, seu cupido honorum atque gloriæ hujus mundi. Quæ species enumerantur 1 Joh. 2. 16.

Extractus.] Seu dum extrahitur, nempe extra limites virtutis, à bono vero & recto specie boni rebus istis mundanis ac terrenis adhærente abductus. Ita dicitur --- trahit sua quemque voluptas. Et -- sua cuique Deus fit dira cupido.

Et inescatus.] Seu illectus. Est metaphora sumta ab animalibus ut feris, avibus, piscibus, quibus capiendis adhibetur esca aliqua apposita qua solent delectari, ut ejus illicio atque illecebrâ, adducantur & capiantur.

Ita iis quæ sensibus humanis grata objiciuntur, quum adsit species apparens boni cujuspiam, jucundi seu cum voluptate conjuncti, vel utilis, vel honorati; homines per istas illecebras ducuntur ad inhonesta, impellente ac irritante cupiditate, nisi ea compescatur. Hinc voluptas à Platone vocata est esca malorum.

Vers. 15. *Deinde cupiditas concipiens.*] Velut fœmina in utero semen prolis suscipiens, à qua hîc metaphora ducitur. Cupiditas autem tunc concipit, quando delectationem boni apparentis admittens animus ac voluntas hominis, ei appetendo ac procurando consensum præbet.

Parit peccatum.] Continuatur capta metaphora à fœmina sumta, per allegoriam. Post conceptum fœtum, solet sequi partus prolis, ita ut is ex utero matris parturientis in lucem prodeat & nascatur. Ita cupiditas mala mater, producit istum pejorem se fœtum, nempe peccatum: id est actionem vitiosam ac inconvenientem, quæ dicitur transgressio Legis, vel potius à Lege discrepantia 1 Joh. 3. 4. Paulus Rom. 7. 8, contrarium quiddam dicere videtur, nempe quod peccatum operetur cupiditatem. Sed alia apud illum significatione sumitur cupiditas; aliâ hîc. Apud Jacobum cupiditas notat appetitum seu affectum naturalem, qui nisi cohibetur ac regatur, deducit ad peccatum seu peccandi actum. At apud Paulum sensus est peccatum seu pronitatem ad peccandum operari seu excitare cupiditates, id est ipsos rerum malarum concupiscendarum actus: ut etiam Rom. 6. 12.

Hinc autem apparet cupiditatem ipsam quatenus est affectus homini à natura implantatus, imo etiam cupiditatis motus primos, quamdiu voluntas eis non assentitur, non esse proprie peccatum: Quoniam Jacobus dicit quod cupiditas concipiens pariat peccatum. Quum igitur a cupiditate tanquam causa & velut matre distinguatur peccatum ut effectus & veluti proles, patet ipsam cupiditatem ita ut diximus in se consideratam, peccatum proprie dictum non esse.

At peccatum peractum.] Quando ad actum & exsequutionem deducitur, seu consummatur, etiamsi non externa actione membrorum peragatur, sed intra animum ei consentientem, foveatur.

Parturit.] Velut genitrix fœtum conceptum edit: continuatur adhuc allegoria: & ulterior istius genealogiæ malæ gradus apponitur.

Mortem.] Non intelligit naturalem vitæ privationem actualem, quanquam & hæc ex peccato primorum hominum per Dei decretum evenit; sed

mortem illam secundam, æternam, ex qua jam nullus dabitur exitus. De qua dicitur Apoc. 2. 11. xx. 14. Hanc peccatum merito suo producit per justam à Deo punitionem. Sicut antea versu 12 per vitam absolute positam intelligebatur vita in significatione perfecta, nempe vita æterna; ita hic per mortem absolute positam intelligitur mors in significatione plena atque summa, nempe mors æterna. Ad hanc ducit peccatum, hæc est peccati finis, hæc ejus stipendium, vide Rom. 6. 16, 21, 23. Atque hujus consideratio inter alia debet nos à peccando deterrere. Hinc patet non Deum sed hominem propriâ suâ culpâ esse causam quod ipse in tentationibus seu afflictionibus non præstans debitam constantiam, peccatum committat & in exitium ruat.

Vers. 16. *Ne errate.*] Repetit & concludit monitum illud vers. 13 positum, ne quis Christianus hanc falsam opinionem foveat, quasi Deus sit author mali culpæ seu peccati. Hanc opinionem vocat errorem: sed est error iste non levis verum valde gravis atque perniciosus. Itaque monet ne se in eum seduci sinant: vel ne in eo maneant.

Fratres mei dilecti.] Blande compellat istos ad quos scribit Christianos, declarans eis suam fraternam charitatem, ex qua istud monitum proficiscatur, ut moniti asperitatem leniat. De titulo fratrum dictum est supra ad vers. 2. & 9.

Vers. 17. Ut errorem illum adhuc magis refutet & ab eo fovendo dehortetur, affert porro contra eum argumentum ductum à contrario, ab eximia Dei bonitate seu benignitate.

Omnis datio bona vel *omne datum*, id est quod datur, *bonum.*] Id est quicquid est quod hominibus datur conveniens & accommodatum fini debito, & quicquid homines tum bonos facit, tum ad beatitatem veram eos ducit. Continentur hîc bona tum ad corpus tum præcipue ad spiritum spectantia: ea homo non habet à seipso, sed aliunde ei dantur. Opponitur autem illi de qua dictum est tentationi, quam à Deo esse quidam falso opinabantur, ista datio bonorum à Deo proficiscens. Ut intelligatur tantum abesse ut Deus tentet homines, ut potius omnia quæ isti habent bona, Deus eis largiatur.

Et omne donum.] Quod donatur seu gratuito confertur hominibus.

Perfectum.] Et in se plenum absque defectu, continens omnia ea quæ continere debet, & homines perficiens atque ad perfectionem ducens.

Supernè seu *è supernis.*] Id est è loco supremo, ex cœlo altissimo, vide Joh. 3. 31, in quo habitat ut in sede sua Deus altissimus, qui mox describitur.

Est descendens.] Potest verbum *est* accipi pro existit, seu proficiscitur, sed potest etiam conjungi cum participio sequente, ut dicatur *est descendens* id est descendit, ut Marc. 1. 4, 39. ij. 18. Luc. 1. 10 & 21 &c. De omni dono cœlesti non de solo Spiritu Sancto dicit quod descendat, tanquam de supposito.

A Patre luminum.] Ita describit Deum altissimum. Hoc eum elogio ornat vel propterea quod ipse sit author omnis luminis, id est sapientiæ: quæ est lumen mentium, ut 2 Cor. 4, 6. In quo videtur esse allusio ad urim seu illuminationes, designatas in pectorali Pontificis Exod. 28. 30, tum etiam sanctitatis, atque salutis & felicitatis; quæ per lucem notatur tum alibi, tum Job. 22. 28. Psal. 4. 7. xliij. 3. vel quod quum sit Pater hominum fidelium, quos sibi genuit, ut mox vers. seq. dicetur, est totus lucidus, seu maxime luminosus, tum lucem habitans inaccessam, 1 Tim. 6. 16, tum sanctissimus ac purissimus, unde ipse dicitur esse lux 1 Joh. 1. 5. Ita alibi vocatur *Pater gloriæ*, ut Act. 7. 2. & Eph. 1. vers. 7, id est maxime gloriosus.

Videtur autem Deum assimilare Soli, ut fit etiam Psal. 84. 12, quippe sicut Sol est maximum in mundo luminare visibile, lucis radios ex se spargens quaquaversum, & mundum hunc atque ea quæ in ipso sunt illuminans, calefaciens, atque vegetans; ita Deus, qui est veluti Sol quidem invisibilis; sed isto visibili multo perfectior, ut mox declaratur.

Apud quem non est transmutatio.] In Sole visibili est mutatio, quod non semper meridiana luce fulgeat, sed aliquando oriens prodeat aliquando rursus ad occasum vergat: aliquando per eclipsin à Luna, vel per nubes atque caligines quasi velo obducto obscuretur, ac lumen ejus hominibus subducatur.

Aut conversionis obumbratio.] Sol tum ad Tropicos (quos vocant) versus diversas zonas & polos mundi, arcticum & antarcticum, accedens, vel rursus ab iis recedens, diversis anni temporibus, quidusdam regionibus lucet, interim autem aliis oppositis non lucet; tum etiam non semper in nostro hemisphærio atque horizonte versatur, sed per vices nunc in hoc nunc in alio, à parte telluris opposita apud antichtones seu antipodes: unde non semper nobis lucem diurnam communicat, sed interdum aversus à nobis, per terræ opacæ umbram, efficit noctem tenebrosam. At apud Deum qui alioqui est instar Solis, talia non fiunt. Nam is non mutatur Malach. 3. 6. vide & Rom. xi. 29. Non avertit gratiam suam ab iis qui eum diligunt. Neque vero cum ejus sincera ac stabili bonitate consistere potest id quod aliqui docent, duplicem simul contrariam sibi esse circa eosdem homines ejus voluntatem; aliam revelatam, qua eorum salutem velle se testatur, aliam autem occultam, qua eandem non vult; sed loco ejus damnationem.

Vers. 18. *Is* seu *qui*, nam in Græco textu deest pronomen, *volens*, *genuit nos.*] Bonitatem Dei beneficam erga homines, & quod is non ad mala ducat sed bona ac salutaria largiatur, probat atque declarat eximio specimine gratiæ ejus, in hominum regeneratione. Quam illustrat à causis.

Volens.] Ultro, ex mera & gratuita benevolentia sua, absque meritis nostris, de quo vide Tit. 3. 4, 5, ex beneplacito suo Eph. 1. 5, quia ei sic placitum. Hic notatur causa Deum primam causam, impellens ad id quod mox sequitur.

Genuit nos.] Nempe generatione spirituali, quæ alibi vocatur regeneratio, vide Joh. 3. 3, 5. Tit. 3. 5. 1 Petr. 1. 23. Quum jam essemus ab ipso creati respectu nativitatis nostræ carnalis, deinde nos genuit vel ut Græcum verbum hoc loco proprie significat, parturiit seu peperit; quod fœminis puerperis dum fœtum enituntur tribui solet. Id fecit Deus ille Pater luminum, de quo dictum versu proxime præcedente: dum homines diabolo addictos ob peccata, fecit

fecit filios suos, collustrato eorum intellectu notitiâ veritatis, & voluntate ipsorum à malitia ad bonitatem conversâ, atque ita eos sibi assimilavit. Vide Joh. 1. 13, ad vitam spiritualem, atque etiam æternam. Olim de populo Israëlitico dixit Moses, quod Deus eum genuerit seu pepererit Deut. 32. 18, nempe dum ipsum è servitute Ægyptiaca liberavit. Multo excellentius id dici potest de istis qui sunt Dei filii sub Novo Fœdere. [Et Psal. 100. 3 dicitur: Ipse nos fecit populum suum, non nos ipsi.]

Sermone veritatis.] Hic exprimitur istius generationis qua Deus filios sibi gignit causa instrumentalis. Et alibi sermo Dei assimilatur semini ex quo homines regenerantur 1 Petr. 1. 23. Is ipse sermo divinus cum spiritu ejus conjunctus, seminis Dei nomine notatur 1 Joh. 3. 9.

Sermo iste dicitur esse sermo *veritatis*, id est verus imo verissimus, in quo nihil est falsum, vel umbratile, sed eximia veritas divina, salutaris. Per istum sermonem veritatis, intelligitur per excellentiam Euangelium Jesu Christi: ut exponitur Eph. 1. 13. vide & 1 Petr. 1. 22, 25. vide annot. ad Jac. 5. 19. Hunc sermonem divinum velut semen in terram bonam satum, dum homines predicari audiunt, eumque intelligunt, ac suscipiunt, & in corde bono retinent, per illum formantur ut fiant filii Dei, & fructum Deo uberem ferant. Vide Matth. 13. 19, 23, 38. Luc. 8. 11. 15.

In hoc ut simus.] Indicatur istius generationis causa finalis; cur Deus istos ex hominibus electos filios genuit.

Nos.] Præcipue ex Israëlitis duodecim tribuum, ad quos scribit, & ex quibus ipse cum collegis suis, Apostolis Christi, fuit, selecti: prius quam ex aliis gentibus.

Primitiæ quædam.] Vel sicut primogeniti filii, qui secundum Legem Deo consecrabantur, Exod. 13. ℣. 2. xxij. 29. Num. 3. 13. &c. & habebant præ aliis prærogativam, etiam respectu duplæ portionis in hæreditate Deut. 21. 17. Ita ex Israëlitis qui Euangelium receperunt, facti sunt quasi primogeniti filii Dei præ aliis; postea vocatis. Vel sicut primitiæ frugum, quæ etiam Deo consecrabantur. Exod. 23. ℣. 19. & xxiv. 26. Lev. 23. 17. Num. 15. 20, 21.

Ita ea quæ prima sunt respectu cæterorum, vocantur primitiæ, ut primitiæ Achaïæ Rom. 16. 5. & 1 Cor. 16. 15, qui ex Achæis primi facti sunt Christiani, & primitiæ eorum qui ex mortuis resurrexerunt ad vitam immortalem, Christus, 1 Cor. 15. 20 & 23, & primitias Spiritus nempe Sancti, habuisse dicuntur ii qui eum primi per Christum acceperunt Rom. 8. 23.

Ejus creaturarum.] Creaturæ Dei sunt aut veteres, respectu primæ antiquæ creationis, carnalis; aut novæ respectu creationis quæ est secunda tempore sed potior dignitate, nempe illa quæ fit per renovationem spiritualem: præcipue sub Novo Fœdere Christi.

Nam si quis est in Christo, est nova creatura. 2 Cor. cap. 5. 17. Homines qui per Christi religionem renovantur spiritu mentis suæ, tum intellectu tum voluntate Eph. 4. 23, vocantur *nova creatura* Gal. 6. vers. 15, inde etiam tales dicuntur *creati per Jesum Christum* Eph. 2. 10, *creati in unum novum hominem* ibid. 15. Et simpliciter *creatura* vocantur, ut hîc ita Rom. 8. 19, 20, 21, 22. Et Christus ipse vocatur *primogenitus omnis creaturæ* Col. 1. 15. & *principium creaturæ Dei* Apoc. 3. 14. Harum novarum creaturarum, primitiæ, dicuntur illi primi Christiani. Primum ante alios Deo per Christum consecrati.

Quum igitur Deus istos eo fine sibi genuerit & reformaverit, ut ea dignitate ornarentur, vel hinc apparet Deum eos non tentare ita ut ad peccata adducantur.

Vers. 19. *Itaque.*] Quia antea vers. 13. reprehendit vanum & blasphemum sermonem eorum qui audent dicere se à Deo tentari seu solicitari ad peccata, & proxime fecit mentionem sermonis veri, Euangelici; ideo hinc infert monitum sequens.

Fratres mei dilecti.] Ut supra vers. 16, monito adjunxit blandam compellationem, ita hic rursus alii monito eandem præmittit.

Sit omnis homo velox ad audiendum.] Nempe non ut vanis verbis hominum aut blasphemis, aures præbeat, quod non decet, & noxium est, sed ut auscultet attente dum dicuntur ac docentur salutaria, ut ea discat; qualia præcipue continentur in illo verissimo sermone Euangelii divini, per quem sermonem nos Deus sibi gignit in filios ut dictum vers. 18, cujus sermonis auditi usus magnus exponitur postea vers. 21 & seqq. Sed similiter audienda sunt libenter & alia monita recta, verbo Dei congruentia, & ad doctrinam quæ est secundum pietatem conducentia: ut errores ac vitia dediscantur, contra autem vera dogmata & sancti mores addiscantur. Vide Sir. 5. 13. Quo pertinet maxime id ut dum aliquis ob vitiosa facta reprehenditur ac redarguitur, auscultet patienter monitis salutaribus.

Tardus ad loquendum.] Auscultationi debitæ atque docilitati contrarium ac frequens inter homines vitium est ut sint præceleres atque præporperi ad verba vana imo noxia proferenda, imo temere garrienda. At prudentis est non abuti lingua & verbis, non loqui nisi opportuna & utilia: In cæteris autem frænare linguam, ne tacenda, præcipue futilia effutiat, multo vero magis caveat à blaterandis inhonestis atque blasphemis sermonibus. Nam multiloquium non solet esse absque peccato, sed qui cohibet labia sua prudens est Proverb. 10. 19. Ne festines super ore tuo, & cor tuum ne acceleret proferre verbum ante Deum: quia Deus est in cœlis & tu super terram: idcirco sint verba tua pauca, ut monet Ecclesiastes cap. 5. 1. vide & Sirac. 19. 6. Maxime autem in eo abstinendum est à loquendo, ne quis dum monetur atque redarguitur, vicissim monentes arguat, & ne gravioribus obnoxius vitiis in aliorum levia delicta invehatur. Vide. Matth. 7. 3.

Tardus ad iram.] Amoto uno auditionis impedimento, nempe loquacitate; amovet & alterum, nempe iracundiam: qua non raro ii qui ab erroribus ac vitiis revocantur, & ad recta atque honesta monentur, solent laborare.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit atque odio verba monentis habet.

Sed qui prudens est, debet vera ac salutaria monita quamvis nonnihil interdum acetosa, atque animis

ægris molesta, utpote ulcus erroris aut vitii tangentia, sed medendi causa, modeste atque patienter audire, vide Proverb. 14. 29. Eccles. 7. 10. Hinc autem patet non omnem iram esse peccatum, quando S. Jacobus monet ut homo sit tardus ad iram: id est non cito nec levi de causa ad eam commoveatur. Nam ad peccandum non solum non cito sed nunquam adduci debemus, vide & Eph. 4. 26. Legimus & Dominum Jesum adversariis contumacibus iratum fuisse Marc. 3. 5, qui tamen nullum peccatum commisit.

Vers. 20. *Ita enim.*] Rationem affert cur ab ira temeraria effræni & inconveniente quum alias tum in audiendis monitis salutaribus sit abstinendum, ab effectu noxio.

Viri.] Id est hominis cujusvis qui nominatus est vers. 19. vide & vers. 12.

Justitiam Dei.] Id est hoc quod coram Deo justum est, ut ab hominibus fiat, quodque idcirco Deus præcipit jure, ut fiat, atque requirit. Ita justitia Dei sumitur Matth. 6. 33, & eodem sensu ponuntur justificationes Domini in quibus Zacharias justus cum uxore sua Elisabeta ambulavit Luc. 1. 6.

Non operatur.] Ista negatione contrarii plus quam dicitur significatur, per Litoten seu Mejosin, modum dicendi figuratum. Sicut dicitur: *Non est bonum* Proverb. 18. 5. & XXIV. 23. Sirac. 7. 14, & significatur esse valde malum. Sic Eph. 5. 11. *opera infructuosa*, id est noxia, & Hebr. 13. 17. *inutile*, id est damnosum.

Ita hic sensus est hominem dum per iracundiam effervescit, non modo nihil juste & recte operari, sed etiam multa justitiæ à Deo præscriptæ contraria, nempe peccata perpetrare. Nam ira est furor quidam & insania, quanquam brevis: & impedit animum ne is eâ occupatus ac perturbatus possit cernere quid sit verum quid justum atque honestum. Igitur non poterit iracundus vir justificari; nam declinatio iræ ejus casus est ei, ut dicitur Sirac. 1. 28.

Dicitur autem hic ira viri non operari justitiam, id est vir iratus.

Vers. 21. *Ideo.*] Ex præcedentibus dictis maximè ex eo quod dixit homines debere esse ad iram tardos infert istam adhortationem.

Abjectâ omni spurcitiâ.] Id est sordibus, nempe animi, quæ sordes sunt peccata; quoniam ista hominem polluunt & immundum coram Deo reddunt. Vide Matth. 15. 18, 19, 20. & Marc. 7. 21, 22, 23.

Istæ sordes sunt abjiciendæ filiis Dei, utpote quæ impediunt auditionem atque obedientiam sermoni divino Euangelii debitam, & pugnant cum justitia quam Deus præcipit. Dicit autem abjiciendam esse *omnem* talem spurcitiam; non tantum unum aut alterum peccatum, ut loquacitatem, iracundiam, de quibus proxime dixit; sed etiam alia peccata universa, quæ alibi enumerantur. Vide præter cætera, Rom. 13. 12. 2 Cor. 7. 1. Eph. 4. 22 seqq. & 31. Col. 3. 5, 8, 9. 1 Petr. 2. 1.

Et redundantiâ malitiæ.] Id est malitiâ seu vitiositate, qua cor hominis seu animus repletur ita ut ex eo copiose redundet in facta externa.

Aliquando vox malitiæ, quando à cæteris vitiorum speciebus distinguitur, notat certam vitii speciem, nempe malignitatem seu animum perversum, nocendi cupidum, ut Rom. 1. 29. At hic videtur significare omne vitium morale, quod ex dilectione mundi atque carnis promanat.

In seu *cum lenitate, suscipite illum insititium sermonem.*] Nempe post remotam spurcitiam, atque malitiæ redundantiam, quæ obstant isti sermoni. Videtur hic duci similitudo ab iis qui plantas aliquas plantare aut serere volunt, ii primum curant ut terra cui eas sunt inserturi repurgetur à cænosa ac limosa impuritate, quæ plantam suffocare posset: & tunc demum luto amoto in terra apta & bene præparata semen serunt, vel plantas inserunt.

Cum lenitate.] Animo miti atque placido & mansueto, repurgato ab iracundia ac ferocia, & aliis perturbationibus. Hanc virtutem mansuetudinis ut discant à Christo, discipuli ipsius ad ejus disciplinam accedentes, monuit ipse Matth. XI. 29.

Suscipite.] In animos vestros velut in terram bonam & cultam.

Illum insititium sermonem.] Nempe de quo dictum supra ℣. 18, sermonem divinum veritatis in Euangelio Christi prædicatæ. Ita sermo Dei assimilatur semini quod seritur ut ex eo aliquid fructuosum enascatur, ut Luc. 8. 11. Tale semen inserebant animis hominum Apostoli Christi & alii ministri verbi Dei, dum Euangelium prædicabant, vide 1 Cor. 3. 6. seqq. Id autem eo fine ut istud semen in animis aptis receptum, in eis radices ageret, & fructus debitos produceret.

Is sermo jam antea prædicatus fuit istis ad quos Jacobus scribebat Israëlitis, sed & adhuc subinde per præcones Euangelii prædicabatur. Unde quamvis eum jam ex parte recepissent, tamen porro adhuc plenius recipere poterant.

Suscipitur autem iste sermo Euangelii, dum et prædicato & audito, ac intellecto atque retento, ut habetur Matth. 13. 23. & Luc. 8. 15, fides ab auditoribus adhibetur: quæ fides oritur ex auditu verbi Dei Rom. 10. 17, quæ fides nisi adsit, nil prodest sermo auditionis, non commistus seu contemperatus fide, iis qui audiverunt. Ut dicitur Hebr. 4. 2.

Qui potest &c.] Commendat porro istum sermonem Euangelii, ut ejus receptionem persuadeat, à maxima ex eo proveniente utilitate: quod *possit* seu vim in se habeat, eximiam.

Servare.] Id est ab exitio extremo, à morte secunda, æterna, liberare, & vitæ æternæ ac beatitudinis supremæ compotes reddere: nempe ex Dei Optimi Maximi gratiâ, per medium istius sermonis. Unde iste sermo, vocatur sermo salutis, Act. 13. 26. id est salutaris seu salutifer. Causæ mediæ instrumentali tribuitur salutis collatio, quæ fit proprie à causa prima ac principali nempe Deo. Hinc dicitur Euangelium Christi esse potentia Dei ad salutem, omni credenti, Judæo primum & Græco Rom. 1. 16.

Hoc pacto autem iste sermo Euangelicus salutem ac felicitatem summam affert hominibus, si eum non tantum audiant, sed etiam observent. Vide Matth. 7. 24. & Luc. XI. 28, quod hic in sequentibus verbis declaratur.

Animas vestras.] Id est vos. Solet totus homo interdum per synecdochen significari per animam, partem

partem sui potiorem. Ut Act. 7. 14. xxvij. 10, 22, 37. 1 Petr. 3. 20. & alibi.

Quamvis enim & alibi, finis fidei dicatur esse salus animarum 1 Petr. 1. 9, tamen non est opinandum, hominum animas solas, corporibus carentes, salutem æternam ac felicitatem cœlestem percepturas eave fruituras. Nam etiam alibi fit mentio redemtionis corporum Rom. 8. 23, & alioqui non opus esset corporum resuscitatione. Quum tamen Paulus Apostolus recte doceat, nisi mortui resuscitentur, se aliosque sui similes Dei & Christi servos, postquam mortem obierint non fore beatos, imo nullam utilitatem sibi convenientem habituros 1 Cor. 15. 32.

Pars hominis una, quamvis potior, quum non sit homo, neque suppositum, multo minus persona, non potest sola felicitatem obtinere, sed homo totus. Totius compositi, suppositi rationalis est vivere, atque frui felicitate.

Hinc inter alios Ecclesiæ Doctores, qui hoc olim agnoscebant, Johannes Chrysostomus scripsit: Animam absque corpore non frui illis bonis mirabilibus, neque etiam tormenta pati, in 1 Cor. 15. Homiliâ 39.

Interim fit mentio salutis animarum, ut indicetur salutem hîc intelligi non aliquam quæ sit carnalis, ab aliquo tantum malo quod carnem afficiat, liberatio; sicut interdum vox salutis ac salvationis sumitur, ut Judic. 7. 2. Psal. 36. 7. LX. 13. Unde Salvatores seu Servatores dicti homines, qui alios ex talibus periculis liberabant, ut Judic. 3. 9 & 15. 2 Reg. 13. 5. Neh. 9. 27. Hîc autem significatur salus ea quæ ad animas seu spiritus hominum præcipue spectat, quanquam animæ istæ, à damnatione æterna liberatæ, corporibus non jam carnalibus sed spiritualibus induentur.

Vers. 22. *Sitis autem effectores sermonis.*] Adhortationi ad verbum Dei audiendum, addit aliam adhortationem, magis adhuc necessariam, ad id exsequendum & vitam ex ejus verbi præscripto agendam. Ne quis opinetur sufficere ad salutem consequendam si sermo Dei audiatur. Nam sunt subinde non pauci qui præ se ferunt se velle audire verbum Dei, atque etiam audiunt utcunque, interim autem nolunt ei obedire, ut tantum oblectamenti cujusdam gratiâ auditioni isti vacare videantur. Vide Esa. 58. 2. & Ezech. 33. 30, 31, 32. Finis disciplinæ practicæ, qualis est doctrina de religione, non est theoria seu contemplatio, sed praxis seu actio. Pius ideo discit pia, ut faciat: ut verba de officiis pietatis audita, in opera convertat. Scite Epictetus dixit: Oves non fœnum afferunt pastoribus ac ostendunt quantum comederint: sed pastu intra se concocto, extra ferunt lanam, & lac. Et tu igitur ne verba celeriter ostendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequuntur. Enchiridii cap. 69. Oportet ut dum Deus homines docet, ac juvat, ipsi ejus voluntati obedientes cum metu & tremore salutem suam operentur Philip. 2. 12. Nam qui facit voluntatem Patris cœlestis is demum ingredietur in regnum cœlorum Matth. 7. 21. Talis autem operatio intelligitur qualis in hominum imbecillitatem Dei gratiâ adjuvante cadit, ut absit negligentia atque malitiâ.

Et non solum auditores.] Adhortationem superiorem amplificat ab antithesi contrarii. Debemus quidem esse auditores, sed simul etiam factores, non autem auditores tantum sola auditione contenti & in ea acquiescentes, quasi hæc sufficiat.

Falsa ratiocinatione fallentes vosmetipsos.] Addit breviter rationem hujus moniti quia si tantum sint auditores, effectus noxius consequatur.

Fallentes.] Plerique Interpretes ita vertunt participium Græcum hîc positum παραλογιζόμενοι; at hoc plus significat. Nam paralogismus vocatur syllogismus talis qui apparet quasi sit verus, quum tamen sit falsa ratiocinatio, continens aliquam fallaciam. Tales fallaciæ hominibus qui præceptis Dei obedire nolunt, ab eorum carnalibus concupiscentiis quæ pugnant contra animam 1 Petr. 2. 11, solent suggeri, & suadere non esse elaborandum in eo ut quis opera bona à Deo præscripta faciat. Inter cæteras sunt istæ, quod homo non possit præcepta Dei utpote gravia observare; quod careat viribus ad id requisitis: quod opera bona non sint necessaria ad salutem: quod fides sola absque operibus omnibus sufficiat: quod alienâ justitiâ atque satisfactione plenissima loco nostri præstita, justificemur: quod per Dei destinationem, ante omnia secula absolute absque conditione de singulis facta, electis ad salutem filiis Dei peccata nihil obsint, nec ii propter illa puniantur: quod si quid boni per nos fieri debeat, id Deus ipse in nobis absque nostro labore operetur: quod Deus quamvis in verbo suo proponat inobedientibus minas pœnarum, tamen eas non sit ad exsequutionem deducturus, nec severe eos judicaturus, cum sint benignus atque misericors, &c. Sed tales opiniones fallaces refellit verbum Dei, scriptis virorum divinorum consignatum. Videantur inter alia loci isti 1 Joh. 5. ℣. 3, quod præcepta Dei non sint gravia 1 Joh. 3. 2, 3, quod qui habet hanc spem in Deo se eum esse visurum sicut est, is purificet seipsum, 1 Joh. 3. 9. & v. 18, quod natus ex Deo peccatum non faciat, Gal. cap. 5. 6, quod in Christo tantum valeat fides per charitatem efficax, vel sicut 1 Cor. 7. 19 scriptum est, tantum observatio præceptorum Dei, & Hebr. cap. 12. 14, quod sectanda sit sanctimonia, sine qua nemo Dominum sit visurus. Rom. 2. 13, quod non auditores Legis justi sint apud Deum, sed factores Legis justificentur. 1 Joh. 3. 7, quod non debeamus nos sinere decipi à quoquam contrarium dicente, sed illud tenere quod qui facit justitiam is justus sit, sicut ille [Christus] justus est. Eph. 5. 6, quod non sit permittendum nobis ut seducamur vanis sermonibus; quum propter ista [nempe peccata] veniat ira Dei super filios inobedientes. 2 Petr. 1. 10, quod electi debeant studere ut suam vocationem & electionem, firmam faciant. Rom. 2. 4, 5, 6, quod benignitas Dei ad resipiscentiam ducat: qui autem est corde non resipiscente, is ut thesaurum colligat sibiipsi iram in diem iræ & revelationis justi judicii Dei: qui reddet unicuique secundum opera ejus. Matth. 7. 26, 27, quod is qui audit sermones Christi & non facit eos, similis sit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam: quæ domus ab imbre, fluminibus, & ventis irruentibus, ita ruit, ut sit ruina ejus magna. Rom. 8. 13, quod si secundum carnem vixerimus, morituri simus, nempe morte secunda.

secunda. 1 Cor. 6. 9, 10, quod injusti & alia peccata patrantes, regnum Dei non sint hæreditaturi, & Luc. 12. 47, quod servus qui scit voluntatem Domini sui, & non parat se neque facit secundum voluntatem ejus, multis plagis sit vapulaturus, vide & Matth. 13. 41, 42. xxv. 41, 42 seqq. 46. Rom. 2. ℣. 8, 9. Gal. 5. 19, 20, 21. & 2 Thes. 1. 7, 8, 9.

Vosmetipsos.] Turpe ac miserum est falli & decipi ab alio, sed turpius, inconvenientius & miserius à seipso hominem falli. Fallunt autem seipsos isti qui opinantur sufficere sibi ad salutem ut audiant verbum Dei quamvis illud factis non exsequantur, quia sibi persuadent & credunt se absque præceptorum Dei observatione atque bonorum operum effectione placere Deo, & gratiæ ejus fructum consequi posse: Interim spe sua vana lactati, frustrabuntur, & scopum suum non assequentur, ac pro sperata summa felicitate, miseriam summam consequentur.

Vers. 23. *Quia.*] Aliam porro rationem affert, qua doctrinæ cœlestis auditionem solam absque operatione reprehendit, quod hoc sit non tantum damnosum, sed etiam vanum: quod declarat similitudine.

Si quis auditor sermonis est.] Scilicet tantum, auditione solâ verbi Dei contentus: ut dictum versu proxime præcedente.

Et non effector.] Quod proxime dixit, id declarat remotione rei oppositæ; quæ talis est ut auditio ad eam velut scopum tendere debeat, & sine ea sit inanis.

Is similis est viro.] Id est homini generatim, ut supra ℣. 12.

Consideranti faciem generationis seu *nativitatis suæ.*] Id est faciem suam nativam per Hebraismum. Ita alibi vox generationis seu nativitatis ponitur pro eo quod est naturale. Ut Sap. 1. 14. & xiv. 26.

In speculo.] Corpore aliquo denso ac polito in quo radii rerum visibilium & ex eis imagines earum repræsentantur: sive id sit naturale, sive artificiale. Solent homines, speculis admotis, imaginem suam in eis intueri, eo maxime fine, ut si quid in ea sit emendandum quod emendare possint, id emendent.

Speculo simile est verbum Dei in quo hominibus describitur & depingitur quasi forma quædam, qualis debeat esse quisque coram Deo: in hoc speculo spirituali debet quisque statum suum quoad spiritum cum eo collatum speculari, & si turpis sit, eum corrigere.

Vers. 24. *Consideravit enim.*] Describit ulterius quomodo homo iste à quo sumsit similitudinem, in speculo sese frustra contempletur. Ponit autem verba præteriti temporis quum indicare velit quid fieri soleat. Ut supra ℣. 11.

Seipsum.] Id est imaginem sui, in speculo expressam.

Et abiit.] Nempe postquam contemplatus est effigiem suam, otiose, negligenter, nihil deinde agens ad sui ac mendarum suarum emundationem, & emendationem, discedit à speculo, frustratus fine debito. Simili modo sumitur similis vox *profecti*, Luc. 8. 14.

Et statim oblitus est qualis erat.] Ita solet fieri, ut homo post effigiei suæ in speculo repræsentatæ contemplationem, eâ relictâ mox obliviscatur imaginis suæ propriæ: quum aliorum hominum faciei à se spectatæ imaginem facilius in memoria retineat. Id fieri videtur ideo, quod imago sui in speculo non directe sed reflexe, proindeque levius repræsentata, levius etiam oculis & sensui interno imprimatur: adeoque non firmiter hæreat.

Ita homo ejusmodi qui verbum Dei prædicatum tantum leviter & obiter audit, non autem de eo ad effectum deducendo diligenter meditatur, mox eorum quæ audivit obliviscatur, ut vana sit ejus auditio.

Vers. 25. *Qui autem.*] Illi homini negligenti, opponit diligentem, contemplatorem verbi Dei, & exsequutorem, cum effectu utili.

Introspexerit.] Quasi extenso collo & prono capite atque toto corpore inclinato cernuus, diligenter & accurate rem cernere & intueri volens. Ut Joh. 20. ℣. 5. 1 Petr. 1. 12.

In Legem.] Nempe divinitus profectam, in verbo ejus declaratam, quæ docet quid secundum voluntatem Dei agere, quid vitare, & quomodo vivere debeamus.

Perfectam.] Hoc addit ne videatur loqui de Lege antiqua per Mosen populo Israëlitico tradita, quæ respectu habito præceptorum maxime ritualium, ad tempus latorum, erat imperfecta, & nihil ad perfectionem deduxit, ut dicitur Hebr. 7. 19. At Euangelium Christi, quod etiam Legis nomine non incommode nominatur, ut sit & Gal 6. 2, ubi vocatur Lex Christi, quia in Euangelio Christus Novi Fœderis Mediator, præscribit etiam præcepta quædam hoc fœdus suscipientibus observanda; est Lex perfecta, omnibus numeris absoluta, perfectiora Mosaicis præcepta instituens, ut apparet ex Matth. cap. 5. & 6, & ad perfectiorem sanctimoniam homines ducens: nec solum documenta perfectionis sed etiam auxilia suppeditans.

Illam libertatis.] Altero epitheto nomini Legis addito, ostendit à Lege Mosaica differentiam Euangelii Christi, & hujus præ illa præstantiam. Lex Mosis severa, multa onera quasi servilia hominibus imponebat, quorum ratio non apparebat, & serviliter homines tractabat: unde qui illi Legi subjecti erant dicuntur accepisse spiritum servilem, ad timorem, Rom. 8. 15. At Euangelium Jesu Christi quanquam etiam leges præcipiat, & jugum quoddam hominibus imponat, tamen jugum istud Christi est suave, & onus leve, ut ipse dixit Matth. xi. ult. Hinc dicitur Christus nos in libertate jugo servili opposita constituisse Gal. 5. 1. Ad libertatem vocati sumus: sed cavendum est, ne libertatem in occasionem carni convertamus, ibid. vers. 13, quippe sub Euangelio per legem Spiritûs vivifici, in Christo Jesu, liberati sumus à lege peccati & mortis Rom. cap. 6. 18, 22. & viij. 2.

Et permanserit.] Nempe apud eam legem perfectam libertatis; si non tantum ut ad speculum accedens spectandi causâ, mox recedat, sed perseveret in ea meditanda atque observanda, & in vitæ suæ actionibus ad ejus præscriptum dirigendis.

Hic.] Nempe talis, qualis modo descriptus est.

Non auditor oblivionis.] Id est obliviosus, per Hebraismum, sicut œconomus seu dispensator injustitiæ,

stitiæ, id est injustus, & mammonas injustitiæ, id est injustus Luc. 16. 8 & 9. Auditor obliviosus dicitur qui non curat ea quæ dici audivit.

Factus.] Seu existens, id est quia est, vel quum sit. Affertur enim hic causa consequentis.

Sed factor operis.] Qui ea quæ in Lege Christi perfecta præcipiuntur facienda, opere ipso exsequitur, ut ex verbis fiant opera. *Operis* autem singulari numero dicit, quum non unum opus intelligatur, sed plura opera bona, quorum tamen exercitium continuatum velut unum opus censetur. Ut & Rom. 2. 7. 1 Cor. 15. ult. & xvj. 10. vide & Marc. 13. 34, ubi opus pro muneris functione ponitur: sicut & Joh. 4. 34.

Hic.] Rursus idem antecedens resumitur.

In facto suo.] Id est per seu propter factum suum, seu actiones suas, ex fide manantes, Legi Christi perfectæ convenientes. *In* sæpe sumitur pro *per*: ac non raro etiam significat *propter*. Vide Matth. 6. 7. Luc. 10. 20. Joh. 8. 21. Act. 7. 29. 1 Cor. 4. 4. Gal. 1. 24. Eph. 3. 13. Philip. 2. 10. Hebr. xi. 2. & Jac. 1. 9. & 1 Petr. 4. 4, 14, 16.

Beatus erit.] Id est consequetur beatitatem eximiam, cœlestem æternam, ex gratia Dei; quem ad istius gratiæ finem reipsa conferendum permovent præter ejus misericordiam etiam bona opera hominum fidelium, præceptis ejus obedientium, vide Matth. 24. 46, 47. & xxv. 34, 35. seqq. & Joh. 13. ℣. 17. Quamvis enim opera bona secundum Legem facta, non sunt proprie causa efficiens beatitatis si in se spectentur, ut sub Lege Mosis propositum videtur, de operibus exquisite & plene observatis, absque omni peccato, Levit. 18. 5. Rom. 10. 5, tamen in iis qui fidem veram habent, quando ex fide proficiscuntur opera Euangelica sunt medium consequendæ ex gratia Dei, eximiæ beatitudinis.

Vers. 26. *Si quis videtur religiosus esse.*] Quia tales quales superius descripti sunt sermonis divini auditores negligentes, solent tum à seipsis tum ab aliis censeri religiosi, quando religionem Christianam confitentur, ad congregationes Sanctorum frequenter accedunt, à sceleribus manifestis sunt immunes, & aliquid operis boni in speciem faciunt; etiamsi alia præcipua negligant; Ideo S. Jacobus addit monitum utilissimum, quo istam opinionem inanem excutit.

Religiosus.] Id est Dei veri cultor verus.

In vobis.] Id est inter vos, qui pro Christianis censemini. Sæpe *in* ponitur pro *inter*, ut Luc. 1. 25. loco poster. cap. 22. 26. Joh. xi. 54. Act. 2. 29. vij. 44. xxiv. 21. 2 Petr. 2. 1. & alibi.

Non frænans linguam suam.] Monuerat supra ℣. 19, ut unusquisque sit ad loquendum tardus; hic notat vitium oppositum, eorum qui linguam suam non cohibent à sermonibus vanis atque malis; qui eam velut equum effrænem sinunt currere quo liber. Tales sunt qui vel aliis quibuscunque, vel inprimis bona & utilia monentibus, maledicunt, convitiantur, cum iis rixantur, eos traducunt & calumniantur &c. & opinantur aliqui se non immerito quædam talia dicere, ex zelo quasi religioso. De quo latius loquitur S. Jacobus infra cap. 3.

Oportet linguam, membrum proclive ad dicendum etiam ea quæ non sunt dicenda, cohibere, eique moderari: per rectam rationem atque prudentiam, præcipue secundum verbum Dei, vide 1 Petr. 3. 10. Linguæ effectus sermo, qualis plerumque esse solet, est index animi, qualis ipse sit.

Sed seducens cor suum.] Quia opinatur se esse religiosum atque pium, & Deo placentem, quum non sit revera quando tali vitio cum vera religione pugnante, laborat. Ita fallit seipsum, ut dictum supra ℣. 22. Vocula *sed* non retinet hic vim suam propriam, sicut & Rom. 5. 15. Gal. 2. 14.

Sensus est quasi dicatur, is seducit cor suum, seu decipit animum suum, atque semetipsum. Vide simile dictum Gal. 6. 3.

Hujus vana [est] religio.] Frustra putat, per quædam quibus se religioni deditum esse ostendit, officia, se Deo placere, ejusque gratiam ad salutem obtinere posse. Nam etiam ex sermonibus bonis homines justificabuntur, & ex malis condemnabuntur. Ut Matth. 12. 37.

Quod autem hic de lingua dicitur, id similiter ad alia membra, ut oculos, manus, gulam &c. potest applicari.

Vers. 27. Postquam religionem vanam hypocriticam, vitiis veræ pietati adversis inquinatam, reprehendit, nunc docet quibus ex rebus potissimum velut ex effectis non vanis vera pietas agnosci debeat.

Religio.] Id est cultus Dei, atque pietas. Intelligitur autem religionis praxis atque effectus, unde ea appareat.

Pura.] Id est sincera ac munda, qualis esse debet.

Et impolluta.] Non inquinata & conspurcata maculis, & labe turpi, sicut vestis honesta incontaminata.

Apud Deum.] Id est coram oculis & conspectu Dei Optimi Maximi, qui est supremus Dominus, ad quem debet spectare religio, eique sese commendare, ita ut ipsi placeat, & apud eum aliquid valeat: atque ipsius existimatione non humanâ, approbetur.

Et Patrem.] Vocula *&* hoc loco est expositiva: exponit enim quem intelligat per Deum, nempe eum qui est Pater: præcipue quidem Pater Jesu Christi filii sui unigeniti, sed etiam Pater omnium suorum fideium, qui filii ipsius vocantur: atque author veræ religionis. Simili sensu vocula *&* ponitur & alibi sæpe. Ut 1 Cor. 15. 24. 2 Cor. xi. 31. Gal. 1. 5. Eph. 1. 3. 1 Thess. 1. 3. iij. 11. 1 Petr. 1. 3.

Sic de Christo ponuntur voces *Domini & Servatoris* 2 Petr. 3. 2, ubi sensus est, Domini qui est Servator.

Hæc est.] Id est in eo inter cætera potissimum consistit, ex his maxime effectis agnoscitur.

Visitare.] Id est invisendo, & cognoscendo quid eis desit & quo opus habeant, procurare ea quæ ipsis sunt necessaria. Is enim est visitationis effectus fructuosus. Syrus Interpres hoc loco posuit *curare*.

Pupillos.] Homines imbecillæ ætatis parentibus privatos: præsertim egenos, & ope indigentes, ut patet ex sequentibus.

Et viduas.] Fœminas maritis privatas; quæ solent indigere consilio & auxilio, & sunt plerumque obnoxiæ injuriis. Tales pupillos & viduas defendi Deus præcepit, Esa. 1. 17. Tales personas curavit Jobus vide cap. 31. 16, 17.

In afflictione eorum.] Maxime tunc cura talium est habenda quum afflguntur, & aliquid incommodi patiuntur, & maxime quum religionis causâ vexantur ab adversariis, ut à miseria liberentur.

Per speciem istam & particularem effectum, significat totum genus virtutis eximiæ nempe charitatis, sine qua nihil valent cætera omnia. Vide 1 Cor. 13, quam qui præstat, is Legem Dei implet, Rom. 13. ℣. 9. vide & 1 Tim. 1. 5.

Immaculatum.] Desideratur conjunctio & quam aliqui addunt. Exposito officio veræ religionis ac pietatis erga alios homines: addit officium hominis erga seipsum.

Immaculatum seipsum servare à mundo.] Quia mundus iste immundus, id est tum homines huic seculo ac rebus terrenis addicti, tum res quæ in hoc mundo vigent & pro bonis habentur, sunt velut maculæ & labes quibus homines coram Deo contaminantur atque polluuntur per peccata, ideo hæc cavere debet quisque veræ pietatis amator. Vigent autem in hoc mundo & apud homines hujus mundi obtinent locum, cupiditas carnis, cupiditas oculorum & fastus vitæ; de quibus 1 Joh. 2. 16: ab horum effectis turpibus cum peccato conjunctis, sicut & ab aliis vitiis quibus dediti sunt homines hujus mundi, debet homo vere pius ac verus Christianus abstinere & studiose vitare ne eis commaculetur.

Servare seipsum.] Id est custodire diligenter. Innuit hominem pietatis veræ studiosum, ipsum operam impendere & in eo elaborare, ut ab istis maculis liber sit. Vide & 1 Joh. 5. 18.

Indicat S. Jacobus non consistere veram religionem Deo placentem vel in ritibus atque ceremoniis, vel in sermonibus speciosis pietatem quandam præ se ferentibus &c.

CAPUT II.

Vers. 1. POst admonitionem ad verbi divini auditionem seriam ac fructuosam, cum operibus religionis ac pietatis veræ indicibus conjunctam, nunc dehortatur à vitio cum vera pietate pugnante, nempe à prosopolepsia, & pauperum præ divitibus contemtu.

Fratres mei.] Compellat eos ad quos scribit & quibus monita ista proponit, appellatione blanda, charitatis erga eos indice. Ut supra cap. 1. vers. 2. & 16. & 19.

Ne in prosopolepsia.] Vocula *in* ponitur pro *cum*, ut sæpe. Vide inter alia Matth. 16. 27. Marc. 1. 23. Luc. 1. 17, 44. IV. 32, 36. XIV. 31. Act. 1. 3. V. 23. vij. 14. & alibi, vide supra cap. 1. 6.

Prosopolepsia Græca voce significat personæ seu potius faciei acceptionem, per quam notatur respectus vitiosus qualitatum quarundam in hominibus ad rem & causam non facientium. Vide annot. ad Act. 10. 34.

Hanc Deus jam olim prohibuit, in judicando, ne quis propter talia quæ sunt extra causam quia ea præ altero habet, magni æstimetur & absolvatur, alter autem qui eis caret, spernatur & damnetur immerito: ut respectu habito divitiarum, vel paupertatis. Vide Levit. 19. 15. Deut. 1. 17. Eadem reprehenditur Proverb. 24. 23. xxviij. 21. Sir. 42. 1. & Joh. 7. 24. Judæ 16. Non est quidem inconveniens ut debitus honor major præ aliis tribuatur aliquibus, ut in magistratu constitutis, & genitoribus, modo ne alii præsertim pii atque probi contemnantur & indigne tractentur.

Dicitur autem hic numero plurali *in prosopolepsiis*, quia sunt plures ejusmodi respectus, non tantum quod aliquis sit dives vel pauper, sed etiam quod bene vestitus vel non, genere nobilis, vel ignobilis, civis vel peregrinus, formosus vel deformis, eruditus vel ineruditus, cognatus aut amicus, vel ignotus & alienus &c. Aut etiam ideo pluraliter hoc enunciatur, quia sunt ejusdem peccati plures actus, ut Matth. 15. 19. Marc. 7. 21, 22. Rom. 13. 13. 1 Petr. cap. 2. 1.

Habete fidem.] Id est fidei professionem, vel religionem. Nomen fidei ponitur interdum pro doctrina de fide seu religione Christiana, ut Act. 6. 7. Rom. 16. 26. Gal. 1. 23. iij. 2, 5. Judæ 3. & 20.

Si fides plena viva salvifica intelligeretur, ea nullo modo consisteret cum prosopolepsia & contemtu pauperum, sicut nec cum aliis peccatis. Sed fidei professio potest aliquomodo haberi cum prosopolepsia: at nequaquam convenit ut ita habeatur: quia sic religio non erit pura neque immaculata, qualis debet esse in iis qui Deo placere volunt, & qualis descripta est supra cap. 1. 27, sed erit polluta & contaminata per istam maculam vitiosæ prosopolepsiæ.

Domini nostri Jesu Christi.] Indicat quam fidem intelligat, nempe quam Jesus Christus docuit, vel quæ doctrinæ Christi assentitur, aut quæ in Jesu Christo collocatur. Ita fides Christi ponitur etiam Rom. 3. 22. Gal. 2. 16. Eph. 3. 12. De nomine Jesu Christi videatur annotatio supra ad cap. 1. 1.

Addit ei epithetum *Domini nostri*, quia Jesum Deus fecit Dominum, Act. 2. 36. nempe cœlestem: qui est Dominus omnium Act. 10. 36, qui in hoc & mortuus est, & resurrexit atque revixit, ut & mortuis & vivis dominetur Rom. 14. 9. At peculiariter est Dominus eorum qui eum pro Domino suo agnoscunt, quales sunt Christiani. Hinc ab Apostolis Christianos alloquentibus ita describitur, quod sit Dominus noster. Ut Act. 20. 21. Rom. 5. 1. 1 Cor. cap. 1. 2, 7, 8, 9, 10. 2 Cor. 1. 3. Gal. 1. 3. Eph. 1. 3. vj. 24 &c. 1 Petr. 1. 3. 2 Petr. 1. 14. iij. 18. & alibi. Huic igitur Domino nostro servire, ejus præceptis obedire, eumque imitari debemus.

Gloriæ.] Hoc nomen potest referri ad *fidem*, ut intelligatur fides de gloria Jesu Christi, quam post passiones suas est consequutus, vide Luc. 24. 26. Nam gloriæ Christi quam ei post resuscitationem à mortuis Deus dedit, 1 Petr. 1. 21. Act. 3. 13, innititur tota religio Christiana.

Sed potius videtur ita exponendum, ut sit epithetum Christi, qui dicitur Dominus gloriæ, per Hebraismum, id est gloriosus; sicut & 1 Cor. 2. 8. & Act. 7. 2, Deus Altissimus vocatur Deus gloriæ: & alibi Rex gloriæ Psal. 24. 7. seqq.

Jesus olim dum ad homines venit in carne pauper apparens & humilis, fuit à plerisque contemtus, & ignominiose tractatus, sed postea est gloria & honore coronatus Heb. 2. 9. Itaque etiam ejus servi quamvis pauperes

pauperes sint in hoc mundo, quamvis viles appareant, tamen non sunt contemnendi. Qui enim Jesu Christi servus fidelis est, is erit ejus gloriæ particeps.

Vers. 2. *Si enim.*] Moniti hujus rationem affert, indicans se cognovisse quod in Ecclesiis istorum obtineret iste personarum delectus vitiosus: & describens per hypotyposin in quo is consistat.

Ingrediatur in Synagogam vestram.] Nomen Synagogæ Græcum significat congregationem; quo nomine usitate notantur conventus sacri Judæorum, ut Matth. 4. 23. IX. 35, & alibi passim. Sed S. Jacobus scribit ad eos qui ex Judaismo ad Christianismum accesserant; ergo hic Christianorum Ecclesia seu cœtus vocatur Synagoga, ubi religionis exercendæ causâ congregabantur.

Vir aureum gestans annulum vel *aureos annulos.*] Nam vox Græca composita, tam hoc quam illud notare potest, cum digiti vel digitorum connotatione. Apud Græcos & Romanos olim moris erat ut primum à Legatis deinde à Senatoribus & equitibus gestarentur annuli, honoris & ornatus gratiâ, atque etiam sigillandi causâ. Et quidem successu temporis non tantum unus sed plures in pluribus digitis circumferebantur: ut ex Seneca & Plinio patet.

In veste splendida.] Sive candida, quæ signum lætitiæ, sive alias materiæ & coloris fulgentis, ut purpurea.

Describit hominem divitem, & divitias etiam cultu externo ostentantem. Videtur autem loqui de homine non Christiano: tum quod Christi servo modesto non conveniat talis ornatus externus splendidus, superbus atque luxuriosus, qui etiam fœminis, alioqui tali ornatui magis addictis, est interdictus 1 Tim. 2. 9. & 1 Petr. 3. 3, tum quod infra ℣. 6 & 7, in afferendis rationibus cur divites isti non sint præ aliis hominibus magnopere honorandi, describantur ii à talibus moribus qui Christianis adscribi non possunt. De tali ergo homine hîc loquitur qui ex curiositate cœtum Christianum viseret, ut quid ibi ageretur ac diceretur cognosceret.

Ingrediatur autem & pauper.] Sive eodem tempore, sive alio. Per pauperem istum intelligitur hic talis qui sit ex numero Christianorum; nam hunc contemnere multo gravius est peccatum; quod idcirco postea acriter reprehenditur & inter peccata capitalia recensetur.

In sordida veste.] Vel ex materia vili confectâ, quamvis alias mundâ, vel jam lacerâ, aut etiam maculis aliquibus conspurcatâ.

Vers. 3. *Et inspiciatis in eum qui fert vestem splendidam.*] Ejus splendorem oculis objectum admirantes.

Et dicatis ei: Tu sede hîc pulchrè.] Indicatur exhibitio honoris per collocationem in loco honorato.

Et pauperi dicatis.] Vocula & ponitur hoc loco pro *sed* vel *autem*, ut sæpe.

Tu sta illic.] Indicium contemtûs est jubere aliquem in consessum venientem stare: præsertim in angulo aliquo à locis honoratis remoto.

Aut sede hic sub scabello meo.] Et is contemtus est non levis, si quis aliquem in loco infimo, ut sub loco quem pedibus suis calcat, atque in terra vel pavimento non in sedili jubeat assidere.

Vers. 4. *Et.*] Vocula ista conjunctionis copulativæ videtur hoc loco redundare, more Hebræo, ut Gen. 22. 20. XXIX. 9, 13. Exod. 1. 16. XXXIJ. 34. Lev. 7. 20. Deut. 19. 17. XXX. 3. Matth. 15. 5. XXVIIJ. ℣. 9. & alibi, vel poni pro *tunc*, sicut Levit. 12. 8. Matth. 8. 4. Luc. 2. 28. Act. 8. 36. & alibi, vel ita ut cum antecedente connectat consequens enunciati connexivi.

Non dijudicastis.] Id est annon dijudicastis? per negationem concepta interrogatio, valide affirmat, sicut & infra ℣. 5 & 6 & 7. Verbum istud quod alias significat dijudicare, hoc loco notat cum delectu & prosopolepsia de qua initio hujus capitis dictum est, discernere, unum alteri præferendo. Hoc sensu verbum istud ponitur Act. 15. 9, & nomen ab eo deductum Rom. 14. 1. Negatur autem hoc facere sapientia desuper veniens, infra cap. 3. 17.

Intelligitur hic talis dijudicatio seu discriminis observatio, quæ fit immerito, ex affectu carnali; qualis non convenit piis Christianis.

In vobisipsis.] Id est apud vos ipsos. Ita *in* sumitur pro *apud*, Luc. 16. 15. Act. 2. 29. XVIIJ. 11. & alibi.

Et facti estis Judices cogitationum malarum.] Id est judices non recte sed maligne judicantes, malas cogitationes habentes: seu mala cogitantes: per Hebraismum, ut Luc. 16. 8, œconomus injustitiæ, & ibidem vers. 9, mammonas injustitiæ, & cap. 18. 6, judex injustitiæ, id est injustus.

Per cogitationes malas intelliguntur hoc loco censuræ vel sententiæ decernentes, quæ fiunt contra æquum & bonum, ex judicio perverso; nempe, ille qui divitiis abundat, quæ ex vestitu splendido apparent, est honorandus, quia si gratiam exhibere velit, juvare potest, sin autem offendatur, potest ulcisci atque nocere: iste autem contra: potest secure contemni quia est inops atque egenus.

Tales pravas cogitationes inconvenientes, quibus homo non ex seipso & dotibus internis, sed ex rebus externis, ut vestibus, & aliis similibus æstimatur, velut equus ex phaleris, merito viri sapientes etiam inter Ethnicos reprehenderunt: multo magis Christiani pii debent eas aversari: quia nec divitiæ faciunt aliquem honestum, ideoque honore dignum, nec paupertas facit quempiam inhonestum, ideoque honore indignum.

Vers. 5. *Audite.*] Attentionem conciliare studet sermoni suo: & indicat se dicturum aliquid bene notandum.

Fratres mei dilecti.] Benevolentiam eorum captat ista blanda compellatione, ut supra cap. 1. 16. & 19.

Nonne.] Proprie in textu Græco *non*, sed quum sit interrogatio, significat *annon*, & per negationem valide affirmat, ut vers. proxime præcedente.

Deus.] Ille rerum omnium Dominus supremus, cui nos ut servi ejus, accommodare nosmet debemus, eumque quantum possumus imitari.

Elegit.] Ex aliorum hominum numero, ut sibi placentes, ad salutem æternam possidendam destinavit, ac nomina eorum in libro vitæ inscripsit.

Pauperes mundi hujus.] Qui respectu bonorum mundanorum ac terrenorum, ut pecuniarum aliarumque divitiarum sunt egeni, atque inopes. Tales fuerunt plerique primi Christiani, ut indicatur 1 Cor. 1. 26, 27, 28, viles & contemti apud homines hujus mundi: & ideo minus impedimenti habentes ad suscipiendam religionem Christi, qui & ipse in mundo pauper fuit, qui etiam missus est ad Euangelium pauperibus annunciandum. Vide Luc. 4. 18, utpote aptioribus ad viam arctam ineundam. Quum divites valde difficulter ingrediantur in regnum Dei, præsertim qui volunt ditescere 1 Tim. 6. 9, & qui confidunt in divitiis Marc. 10. 24.

Divites in fide.] Egregie opponit paupertati istorum carnali, divitias spirituales, multo præstantiores divitiis carnalibus.

Quoniam autem verbum eligendi hic sumitur de ea electione qua ex numero vocatorum majore pauci eliguntur electione posteriore atque firmiore, qui non tantum Euangelio sibi prædicato assentiuntur, idque profitentur, sed etiam ex ejus præscripto sese gerunt, ideo sensus erit *qui sunt divites in fide.* Nam ut Joh. 1. 12 dicitur, de iis qui susceperunt sermonem illum, id est Christum, quod eis credentibus in nomen ipsius dederit potestatem seu jus ut fiant filii Dei; nempe immortales & hæredes Dei in cœlo: Ita electio firmior ad vitam æternam in talibus locum habet qui jam sunt divites in fide.

Hîc divitiæ spirituales collocantur *in fide:* per quam fidem hoc loco non intelligitur solus religioni Christianæ adhibitus assensus, vel professio fidei ac religionis; nam talem habens Angelus Ecclesiæ Laodicenæ, qui sibi videbatur dives, dicitur esse pauper, Apoc. 3. 17. Sed per fidem intelligenda est hîc fides viva, *efficax per charitatem*, quæ sola valet in Christo Jesu, ut dicit S. Paulus, Gal. 5. 6. Hæc fides quando ut bona arbor producit ex se fructus bonorum operum, tunc homines fiunt spiritualiter *divites, in operibus bonis*, ut dicitur 1 Tim. 6. 18. Est autem ipsa quoque ista fides donum Dei, vide Eph. 2. 8. & Philip. 1. 29, quatenus Deus & occasionem ac materiam ejus offert, & auxilium ad eam affert hominibus; non tamen otiantibus, sed id quod ex sua parte agere debent, agentibus.

Et hæredes regni.] Magnæ divitiæ spirituales ad quas Deus pauperes mundi probos admittit, consistunt in fide vera; sed majores adhuc sunt eæ ad quas ista fides accessum parat, nempe possessio atque hæreditas regni eximii. Ad quod regnum etiam ut ad fidem Deus eligit pauperes hujus mundi, eo modo atque ordine, ut si sint vera fide divites, postea fiant ditiores possidendo istud regnum: & quidem possessione firma, hæreditaria.

Per nomen *regni* intelligitur hic regnum illud excellens, nempe regnum Dei, seu regnum cœleste per quod denotatur felicitas illa eximia summa, fidelibus Dei destinata: quæ ita vocatur ob similitudinem cum statu regio, quo qui fruuntur abundare præ cæteris solent iis quæ bona censentur, ut divitiis, honore, & voluptatibus.

Hæc autem perfectissimo modo locum habent in cœlo, in vita æterna beatissima. Hoc regnum Dei assignatum est pro sorte pauperibus, vide Luc. 6. 20. Quamvis autem omnes qui à Deo ex hoc mundo eliguntur ad gratiam fidei, eligantur etiam primo gradu simul ad gloriam regni cœlestis consequendam: tamen ita demum actu ipso ad hujus regni hæreditatem admittentur, si in fide viva atque efficaci perseverent.

Quod promisit.] Nempe Deus per Jesum Christum, promissum regni istius ex gratia sua conferendi dedit hominibus: quo promisso istius Regis cœlestis, certitudo spei istius regni firmatur.

Diligentibus ipsum.] Non quibusvis pauperibus, atque etiam fidem utcunque habentibus, regnum istud cœleste à Deo promittitur, sed tantum iis qui ipsum diligunt, sub hac conditione. Quia Deus his qui ipsum diligunt misericordiam exhibet Exod. 20. vers. 6. Quid autem ista dilectio Dei in se contineat, dictum est supra cap. 1. 12, ubi similia verba habentur.

Quum ergo Deus pauperes potius sibi elegerit, quam divites, hinc patet Deum non spectare divitias, neque ob eas homines æstimare, neque ob paupertatem aliquos despicere; hinc vult inferre S. Jacobus, oportere ut Christiani qui sunt Dei filii, Deumque imitari debent, non honorent homines propter divitias, neque spernant propter paupertatem.

Vers. 6. *Vos autem contumeliâ affecistis.*] In textu Græco proprie est *inhonorastis*, si ita Latine loqui liceret. Hujus contumeliæ & contemtus specimen expressum est supra ℣. 3.

Pauperem.] Intelligit non unicum individuum, sed genus pauperum. Indicat eos hac in re Deo esse adversatos, dum quos is honorat, ipsi honore spoliant, & contemtim tractant: quod facere eos qui se pro filiis Dei gerunt, est valde inconveniens.

Hæc verba debuissent addi versui quinto: ut demum à sequentibus versus sextus inchoaretur.

Nonne divites.] Aliam rationem cur divites impii non debeant à Christianis honorari præ pauperibus, affert à divitum infidelium factis improbis atque nefariis.

Potentiâ opprimunt vos.] Quia isti de quibus loquitur divites, fidem in Christum non tenent, ideo Christianos solent vexare & tyrannice tractare, eos variis modis affligentes, ac persequentes: nempe ut eos vel facultatibus spolient, vel in exsilium pellant, vel etiam verberibus ac cædibus in eos sæviant: potentiâ suâ non in id à Deo ipsis concessâ abutentes, ita factum est Christi discipulis Act. 13. 50 & alibi. Talem divitum improbitatem in pauperes, descripsit etiam Siracides cap. 13. præsertim vers. 3, 5, 6. & 21, 22.

Et ipsi trahunt vos in judicia.] Non tantum ipsi vos vi opprimere conantur, quantum possunt, sed etiam ad consessus judicum vel Judæorum vel Ethnicorum vos in jus rapiunt, litem intentantes, quamvis immeritis. Sicut Act. 16. 19, 20, ut juris prætextu vos affligant.

Vers. 7. *Nonne ipsi blasphemant.*] Id est probrosis & contumeliosis verbis afficere solent. Non est necesse ut à verborum proprietate discedendo exponatur, occasionem blasphemandi aliis præbent. Nam hic loquitur de divitibus non Christianis: ut indicatum

catum supra ad vers. 2. *Bonum.*] Præclarum atque eximium, non probris & contumeliis, sed laudibus dignum.

Nomen invocatum super vos.] Nempe nomen Jesu Christi, à quo vos vocamini seu denominamini, Christiani. Ita Jacobus seu Israël, dum filiis Josephi filii sui benediceret, dixit: *Vocetur in eis nomen meum* Gen. 48. 16, quod significat vocentur à nomine meo: scilicet ut dicantur Israëlitæ. Sic Esa. 4. vers. 1, mulieres dicunt viro: *Invocetur nomen tuum super nos*, id est vocemur à nomine tuo, uxores tuæ. Et Jer. 25. 29, de Jerosolyma dicitur, quod hæc sit *civitas super quam est invocatum nomen Dei*, id est quod à Deo Jehova sit denominata civitas Dei Jehovæ.

Ergo nomen Christi illius uncti à Deo in Regem populi divini, à quo ejus confessores & sectatores Christiani vocantur, isti divites, Christianismum spernentes, blasphemabant, Christum velut seductorem & impostorem traducentes atque exsecrantes. Indicat igitur Jacobus Apostolus, istos divites quamvis in hoc mundo insignes, non esse dignos qui à Christianis magnopere honorentur præ aliis hominibus, quum sint tum Christianorum oppressores, tum Christi ipsius Domini eorum, hostes.

Vers. 8. *Si quidem legem perficitis.*] Id est præstatis atque impletis seu observatis prout potestis: nempe si respectu ad legem de diligendo proximo latam, habito, id facitis, quod hominem divitem quamvis extraneum, imo vobis quantum ad religionem attinet inimicum, honoratis: Vel si hominem pauperem quamvis loco honorato non collocetis, tamen alioqui diligitis.

Legem regiam seu *regalem.*] Ita vocat mandatum Dei de charitate erga proximum, vel quia præter cæteras Dei leges, Christus Rex noster cœlestis à Deo constitutus, istam de charitate legem præcipue commendavit Matth. 22. 39, 40. Marc. 12. 31, eamque ad perfectionem deductam, mandatum suum novum vocavit Joh. 13. 34. & xv. 12, unde etiam lex Christi vocatur Gal. 6. 2, vel potius quia lex ista charitatis ipsa per se est excellens, ita ut super alias leges regnum obtineat, & eas regat, præscribens eis modum secundum quem debeant observari. Vide 1 Tim. 1. 5.

Secundum Scripturam.] Nempe sacram, à Deo inspiratam 2 Tim. 3. 16, quam primum Moses velut Dei amanuensis conscripsit, & post eum alii viri Dei sancti. Ita simpliciter & absolute Scripturæ nomine posito intelligi solent Sacræ Literæ, quia inter omnia scripta excellunt.

Diliges proximum tuum, sicut teipsum.] Verba ista jussu Dei scripta sunt à Mose, Levit. 19. 18.

Diligere est amore benevolentiæ aliquem prosequi, ita ut quæ ei grata sunt facere velis.

Proximus.] Apud Mosen intelligebatur frater, seu filius ejusdem populi, ut in loco proxime citato vocatur. At sub Christi Euangelio sublato discrimine & delectu populorum atque nationum, quivis homo homini proximus esse censetur Luc. 10. 30, 33, 36, 37, ut proximus & alter pro eodem sumatur Rom. 13. 8, 9, & ob idipsum quia est proximus, diligendus est.

Sicut teipsum.] Quilibet seipsum naturæ instinctu amat, & quæ bona videntur sibi procurat: jubet autem Deus, ut ea quæ quisque sibiipsi fieri vult, etiam aliis hominibus, quamvis non omnino æqualiter; nam norma & mensura dilectionis erga alios, est dilectio erga seipsum, ut maxime sibi proximum; tamen similiter, simili modo & affectu faciat. Vide Tob. 4. 16. Matth. 7. 12. Luc. 6. 31.

Vocula *sicut* non semper æqualitatem omninodam, sed sæpe similitudinem tantum significat, ut Matth. 5. 48. Joh. 17. 18, 22, 23. xx. 21. Eph. 5. 22. 1 Joh. 3. 3, 7.

Bene facitis.] Commendat id & approbat S. Jacobus, si isti ad quos scribit, legem divinam de charitate erga proximum impleant, & si eam respiciant in eo quod faciunt, eos *benè*, id est recte atque ut decet & oportet, facere dicit: indicat si ita fiat, id esse non reprehendendum, sed laudandum.

Vers. 9. *Si autem.*] Non categorice asseverat eos hoc quod hîc notat vitium committere, sed loquitur hypotheticè, sub conditione.

Personam vel *personas accipitis.*] Id est habetis delectum personarum propter qualitates ad rem non pertinentes, ut eos quibus adsunt aliqua externa, sicut divitiæ, honoretis ob illa, alios autem quia eis talia desunt, ut pauperes, contemnatis: de quo vitio dictum est supra ad vers. 1.

Peccatum operamini.] Facitis transgressionem legis divinæ, valde inhonestam atque inconvenientem, contra debitam proximi charitatem.

Redarguti à lege.] Ipsa lex Dei Mosaica contra quam hoc committitis, quam observare deberetis, vos peccati reos esse ostendit. Hæc enim expresse vetat prosopolepsiam Lev. 19. 15. Deut. 1. 17. Hîc legi tribuitur actio talis qualis proprie non convenit nisi personæ. Multò magis autem lex Christi id quod pugnat cum charitate, damnat, 1 Joh. 3. 10, 14, 15. At talis prosopolepsia valde repugnat charitati.

Ut transgressores.] Qui velut lineas & terminos ac fines certos actionum, in lege designatos, transitis, & sic legem Dei violatis, ideoque merito damnationi atque pœnæ obnoxii estis.

Vers. 10. *Quisquis enim* &c.] Occurrit objectioni: ne quis dicat, etsi unum peccatum contra legem committamus, tamen non ideo damnabimur, quando alioqui cætera legis mandata plura observamus. Dicit hoc non juvare tales, nec excusare, vel à reatu liberare.

Totam legem.] Id est alia omnia legis præcepta, præter hoc quod mox excipitur.

Servaverit.] Servare legem, est id quod lex jubet facto ipso præstare.

Impingat autem.] Est metaphora, sumta ab eo quando quis ambulans, ad aliquid pedem offendit, & labitur. Ita fit in via pietatis, quando quis officium non facit, sed delinquit ac peccat; nempe voluntariè; non per ignorantiam aut imbecillitatem humanam, sed deditâ operâ, per malitiam atque contumaciam.

In uno.] Id est in una re ad legem pertinente, uno præcepto non observato, nempe ex capitalibus, qualium exempla versu sequente afferuntur.

Factus est omnium reus.] Id est æque erit obnoxius

maledictioni Dei, & damnationi, atque pœnæ, ac si omnia præcepta violasset. Nam ob unamquamque legis partem violatam, decernebatur maledictio, vide Deut. 27. 15, 16. & seqq. & universaliter pronunciatum est, maledictum seu exsecrabilem esse eum qui non manserit in verbis legis ut faciat ea, ibid. vers. 26, & quidem, ut additur Gal. 3. 10, *in omnibus* secundum sensum in Græca Veteris Fœderis interpretatione expressum. Omnis transgressio & inobedientia accipiebat justam retributionem Heb. 2. 2. Id est pœnam: & quidem in gravioribus capitalem, ut morte dira transgressor talis afficeretur.

Vers. 11. *Qui enim dixit.*] Id est jussit atque præcepit: ita enim verbum dicendi interdum sumitur, ut Psal. 33. 9. Job. 9. 7. Loquitur autem hic de Deo, legis per Mosen latæ authore. Ratio additur ejus quod proxime dictum.

Ne mœcheris.] Affert ex Decalogo præceptum septimum de adulterio interdicto, Exod. 20. 14. & Deut. 5. 18.

Dixit &.] Vel etiam. Idem ille mandavit pariter.

Ne occidas.] Præceptum Decalogi sextum, vetans cædem hominis Exod. 20. 13. & Deut. 5. 17. Tam hoc quam illud ab eodem authore Deo est interdictum atque vetitum, & tam hoc quam illud si quis violet, pœna ei est constituta.

Si autem non mœcheris.] Non committas adulterium, & cum aliena conjuge concubitum.

Occidas autem.] Et interim hominem interficias, vitâ ei violenter ademtâ.

Factus es transgressor legis.] Peccasti contra legem Dei, dum hoc præceptum ejus violasti, perinde ac si illud alterum violasses. Utrumque istorum pœna mortis puniebatur.

Indicat S. Jacobus ut ℣. 10 innuerat pariter puniendum esse eum qui vel contra unum præceptum Dei peccet ultro, ac in isto peccato maneat, quam si contra omnia peccasset. Cujus rei ratio est quod is qui quum sciat aut scire debeat Deum ista præcepta mandavisse & sanxisse, cum comminatione pœnæ in transgressorem, tamen aliquod eorum sciens volens transgreditur, is spernit istum Legislatorem Deum atque ejus authoritatem vilipendit. Sicut igitur in uno præcepto eum contemnit, ita etiam si libeat, & si occasio offeratur, in altero quoque ejusdem præcepto violando eundem pariter contemnere est paratus. Omnia quippe præcepta unius à Legislatore profectæ authoritatis vinculo colligantur: hoc semel per unius præcepti violationem dissoluto, etiam omnia quæ eodem continentur, dissolvuntur.

Vers. 12. *Ita loquimini.*] Tractationem de prosopolepsiæ vitio concludens, addit monitum quomodo se gerere debeant erga proximos, (quanquam id monitum etiam latius patet) ne ob legum divinarum transgressionem severe judicentur. Et ita quæ de lege Mosis proxime dixit, ad Euangelium, & ad id quod sub eo est judicium, accommodat.

Loquimini.] Quia supra ℣. 3, indicavit loquelas seu sermones istorum non rectos, diviti adulantes, pauperem autem contemnentes, ideo tales & his similes sermones vetat, & ut aliter prout decet honeste loquantur, monet.

Et ita facite.] Tum dicta tum etiam facta & opera Christianorum sunt caute moderanda, secundum præcepta Dei & Christi.

Ut per legem libertatis judicandi.] Indicat Christianos de dictis & factis suis esse judicandos nempe à Deo per Christum num bene vel male egerint, vide Act. 17. 31. Rom. 14. 10. 2 Cor. 5. 10. Idque judicium futurum esse *per legem* seu secundum legem. Omne enim judicium justum debet ad legem aliquam ut normam ac regulam accommodari.

Sed memorat hîc *legem libertatis* quo indicat judicium istud de Christianis & eorum factis ferendum esse non secundum legem Mosis, quæ erat lex servilis, ita cum hominibus agens sicut cum servis & mancipiis, præscribens eis mandata gravia maxima ex parte ad servitium externum & carnale pertinentia, sub qua lege homines erant quoque servi peccati; sed secundum aliam legem quæ est lex libertatis, nempe sub Euangelio Christi, de quo vide supra cap. 1. 25. & Rom. 2. 16. Sub hac lege Euangelii Christi non tantum non habetur ullum discrimen personarum, ut respectu ejus quod alter sit dives alter pauper, sed æqualiter omnes judicantur: verum etiam Christiani sunt per istam legem spiritualem ac vitalem in Christo Jesu liberati à lege peccati & mortis Rom. 8. 2, cujus legis liberæ spiritu qui reguntur ut filii Dei Rom. 8. 14, 15, non secundum carnem ambulare, sed ut filios Dei liberos decet ultro ut homines ingenui voluntatem Dei facere debent. Et quamvis sint ad libertatem vocati, tamen libertatem istam debent non convertere in occasionem carni ad peccandum, sed debent per charitatem servire alii aliis Gal. 5. 13: ne libertas degeneret in licentiam inconvenientem. Etsi non sub lege servili sunt Christiani sed sub libertate gratiosa, tamen non oportet eos opinari se esse exleges seu omnibus omnino legibus solutos: nam & ista sub qua sunt gratia Euangelica, est lex quædam, quamvis lex libertatis. Imo qui legem istam non servilem sed liberalem, observatu non ita gravem, non observaverit, violaverit, tanto magis judicium severum meretur.

Vers. 13. *Nam judicium.*] Quia proxime mentionem fecit de judicio quo Christiani sunt judicandi, & monuit ut hoc judicium respicientes convenienter suæ vocationi sese gererent, ideo nunc porro id confirmat & explicat, ostendens istius judicii erga diversos homines diversa imo contraria effecta.

Judicium autem sumitur simul pro eo quod judicii consequens esse solet, nempe pro decreto à judice ferendo, & quidem pro decreto condemnatorio seu pro ipsa condemnatione eorum qui contra legem atque contra jus peccant.

Immisericorditer seu *absque misericordia*, scilicet erit.] Id est severæ condemnationis pronunciatio & ejusdem exsequutio horrenda peragetur, à Deo per Christum judicem, & per angelos ejus ministros.

Ei qui non fecerit misericordiam.] Misericordia, alias est affectus quo quis ægritudine animi afficitur ex opinione miseriæ quam aliquis immerito patitur: sed non raro ponitur pro effectu suo, id est pro beneficentia erga egentes exercita. Ut Genes. 19. 19. xxiv. 12. Matth. 5. 7. ix. 13. xxiij. 23 & alibi. Etiam hic intelligitur de præstatione operum charitatis: quæ

quæ neglexerunt isti qui per prosopolepsiam pauperes contemnebant. Tales qui opera charitatis ac misericordiæ neglexerint, olim in judicio damnandos & graviter puniendos, docuit ipse Christus, Matth. 25.41,42,43. ut & Matth.18.35. Id enim tales merentur, ut sicut ipsi cum aliis proximis suis agunt, charitatem eis debitam non exhibentes, ita etiam cum ipsis agatur.

Et.] Vocula ista copulativa, hoc loco sumitur pro adversativa, *sed:* sic ut inter alia Mat.23.37. *& noluistis* Marc.7.24. *Et non potuit latere* Act.10.28. 2 Cor.4.7. xij.9. Hebr.10.38. Nam ei quod proxime dixit de immisericordiæ effectu noxio, hic affert contrarium, de misericordiæ effectu utili, per antithesin.

Contra gloriatur misericordia.] Et loquutio impropria, quando misericordiæ quæ non est persona tribuitur actio talis qualis personæ convenit, nempe gloriari. Sed misericordia hoc loco per metonymiam adjuncti ponitur pro homine misericorde. Is ergo quando opera charitatis exercuit erga proximos, qualia memorantur, Mat.25.35,36.

Gloriatur contra judicium.] Per judicium hic etiam intelligitur decretum condemnatorium à Deo per Christum pronunciandum adversus impios, cum pœna consequente, ut paulo ante dictum. Contra id judicium velut contra adversarium gloriatur misericordia, id est homo qui misericordiæ opera præstitit, eatenus quatenus pœnas quas Deus immisericordibus se inflicturum minatur, ipse non metuit, solante eum conscientia; imo tunc quando ii qui misericordiæ opera neglexerunt, condemnati punientur, ille à damnatione & à pœna liber, evadet, atque gaudebit: propter promissum Christi Matth. 25.34. in se impletum. Vide etiam 1 Joh.4.17.

Vers.14. Quia superius versu hujus capitis primo, loquutus est S. Jacobus de istis qui fidem in Dominum Jesum Christum ita habebant, ut simul cum ea haberent vitium prosopolepsiæ, atque hominibus pauperibus non exhiberent debitam charitatem, & quia proxime de misericordiæ operibus sermonem instituit; ideo hic porro de fide & operibus agit, ac docet fidem absque operibus nihil prodesse. Occurrit objectioni; nam poterant isti dicere, sufficere sibi quod fidem veram in Christum susceperint, per hanc fidem se gratiam Dei & salutem esse consequuturos. Id hic refellit.

Quæ utilitas? scilicet est.] Interrogatio ista habet vim negationis, ut supra ℣.6 & 7. Indicat nullam esse ex eo utilitatem nullum commodum: propter quæ tamen homines prudentes omnia agere convenit. Intelligitur autem utilitas spiritualis, ad salutem, de qua mox hoc ipso versu, id declarans, loquitur.

Fratres mei.] De hac compellatione amica, vide supra cap.1.16.19. & 2.5. subinde eam addit monitis præsertim cum reprehensione conjunctis, ac proinde aliquomodo amaris sed salutaribus, ut indicet se quæ dicit ex fraterna erga ipsos charitate, eorum boni causa dicere.

Si fidem dicat quis [se] habere.] Per *fidem* hic intelligitur persuasio de eo quod quæ in Dei verbo continentur sint vera: & quia ad Christianos sermo est, notatur assensus doctrinæ Christi omnibusque ejus Articulis adhibitus, cum ejus professione.

Dicat quis se habere.] Id de se prædicet & jactet, atque inde glorietur, ut de re bona, ac Deo placente. Et sane res bona & Deo placens est habere istam fidem, sed non sufficiens, nisi quis habeat simul etiam ea quæ hanc fidem comitari debent, de quibus statim. Non est ea vis in verbo *dicat*, ut intelligatur aliquis tantum ore fidem jactare, atque profiteri sed falso, ita ut eam reipsa non habeat. Nam etiamsi habeat talem fidem quæ consistit in assensu doctrinæ Christi ut veræ adhibito, si non progrediatur ad opera bona, de quibus statim additur, hoc ei nihil proderit.

Opera autem non habeat.] Nempe opera non quælibet sed bona, seu actiones honestas, Deo & Christo placentes, ab eo in verbo ipsius præscriptas: quæ ex fide vera ut ex arbore bona fructus boni produci debent.

Num potest illa fides salvare eum?] Etiam hæc interrogatio habet vim negationis: sicut hujus versus initio. Sensus est, non potest &c.

Illa, fides.] Articulus Græcus præfixus indicat intelligi eam fidem de qua antea dictum, quæ non habet annexa sibi opera bona.

Salvare seu *servare.*] Id est conciliare liberationem ab exitio extremo, & consequutionem summi boni, nempe vitæ æternæ. Vide supra cap. 1. vers. 21. Nam alias solus Deus servat per Jesum Christum filium suum Servatorem nostrum. Sed dicuntur interdum servare ista quæ sunt media ad servandum. Christus sæpe iis qui quum ægri essent liberationem ex ægritudine ab eo petebant, dixit *fides tua te servavit.* Sed per fidem intelligebat persuasionem firmam de ejus potentia atque bonitate: & servationem accipiebat de illa quam isti poscebant à morbis liberatione. Vide Matt.9.22. Marc.10.52. Luc.17.19. Quanquam Luc.7.50. similia verba usurpavit de fide remissionis peccatorum præteritorum, atque à pœnis eorum, liberationis, sed de fide tali quæ fiduciam firmam denotat, quæque fuit comitata bonis operibus charitatis, ut ibidem patet. Ibi ergo etiam servatio seu salus intelligitur de ea quæ est à pœna peccatis assignata id est à morte æterna, liberatio.

„ Ad istud verbum *servare* annotavit recte Piscator, in Scholiis, & per consequens justificare, coram Deo, loquitur ergo deinceps Jacobus de justificatione hominis coram Deo. Hæc ille.

Quamvis autem Paulus Apostolus gentium, doceat homines sub Euangelio ac Novo Fœdere per Christum justicari ex fide absque operibus, in Epistolis ad Romanos, & ad Galatas; tamen observandum est, primo Paulum ibi adversus Judæos & judaizantes Legem Mosis ejusque observationem ut necessariam inter Christianos ex gentibus conversos, urgentes, disputare.

Deinde Paulum non de omnibus omnino operibus à justificatione excludendis loqui, sed de *operibus legis*, nempe illius per Mosen traditæ. Vide Rom. 3.28. Gal.2.16. Et opera legis eum intelligere talia qualia sub lege Mosaica requirebantur si quis ex iis justificari vellet, nempe opera perfecta plena & perpetua, absque ullo delicto, & meritoria;

gratiam Dei excludentia, non autem opera Euangelica ex fide in Christum manantia. Præterea loqui Paulum de justificationis initio, quando quis fidem in Christum suscipit: incluso proposito obedientiæ: non autem de eo quo justificatio ista post fidem susceptam consummatur, & salutis effectu ipso dandæ certitudo completur. Recte etiam Augustinus, in Quæstionib. 83. quæstione 76. agnovit: Non esse sibi contrarias istorum duorum Apostolorum Pauli & Jacobi sententias, de fide & operibus; quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur, sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit. Denique notandum est, Paulum fidem intelligere non eam quæ tantum verbis Dei ut veris assensum præbeat, & ultra non progrediatur: sed talem fidem cujus ope homines in novitate vitæ ambulent, ac peccato mortui, Deo vivant, & membra sua exhibeant arma justitiæ Deo, ut non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum, ut spiritu actiones carnis mortificent, si vivere velint. Vide Rom. 6. 4, 6, 11, 13. viij. 1, 4, 13. Et talem fidem in Christo solummodo valere, (nempe ad salutem) quæ sit efficax per charitatem Gal. 5. 6, quod ipsum alibi declarat per observationem mandatorum Dei 1 Cor. 7. 19. Et docet pietatem (quæ certe absque operibus bonis non est) esse ad omnia utilem, ac habere promissionem vitæ non tantum præsentis sed & futuræ 1 Tim. 4. 8. Et bonis operibus esse studendum, quia sunt bona & hominibus utilia, id est salutaria Tim. 3. 8. His bene expensis, facile est intelligere Paulum & Jacobum non discordare. Observandum tamen est Jacobi dictum intelligendum esse de eo homine qui post susceptam fidem habet tempus ad opera bona actu exsequenda. Nam alioqui si talis temporis defectu impeditus ad opera non progrederetur, absque sua culpa, ut si mox moreretur, is per fidem operari paratam seu bonis operibus fœtam quamvis ea nondum parientem, à Deo cor & animum ejus spectante servaretur.

Vers. 15. Fidei operibus destitutæ inutilitatem porro declaraturus, affert similitudinem de charitate erga proximum non efficaci, ideoque inutili.

Si autem, vel quodsi, *frater.*] Id est vir ejusdem religionis Christianæ consors, ejusdem Dei Patris cœlestis filius, ejusdem societatis in corpore Christi, membrum.

Aut soror.] Fœmina, similiter Christiana, ejusdem Dei Patris filia: quibus proinde ob tam arctam amicitiam spiritualem, debet charitas non vulgaris exhiberi.

Nudi existant.] Carentes vestitu commodo, quo corpus suum tegant. Interdum nudi sumuntur pro male vestitis, nec satis contra aëris injurias tectis. Ut 1 Sam. 19. 24. Esa. 20. 2. 2 Cor. xi. 27.

Et.] Quædam exemplaria habent *aut*. Potest fieri ut quis non utroque hic memorato defectu afficiatur, sed tantum alterutro: quanquam etiam utrumque egenos mendicos afficere solet.

Destituti fuerint quotidiano victu.] Prius memoravit eos qui indigent amictu, nunc eos memorat qui egent & carent victu necessario, quo homines opus habent quotidie ad vitam hanc mortalem sustentandam. Tales autem qui præsertim non sua culpa in egestatem miseram atque defectum victûs & amictûs incidunt, præcipue si sint fideles servi Christi, justum est & charitatis debitæ officium, ut ab iis Christianis qui eos juvare possunt, juventur, atque è miseria liberentur. Vide Luc. 3. 11. & 1 Joh. 3. ℣. 17. Qui talibus benefacit velut membris Christi, is ipsi Christo benefacere censetur. Matth. 25. 35, 36, 40. & contra 42, 43, 45.

Vers. 16. *Dicat autem aliquis eis ex vobis.*] Introducit quempiam ex istis qui charitatem verbis non rebus testantur egentibus.

Abite in pace.] Formula Hebræorum usitata dimittendi cum valedictione. Ut 1 Sam. 1. 17. xxv. 35. Marc. 5. 34. Luc. 7. 50. Velut si quis dicat, Deus vobis sit propitius, vel adjuvet vos.

Calescite.] Seu calefiatis nudi sitis, ut dictum est vers. proxime præcedente, id est male vestiti, nec muniti contra frigoris injurias, opto vobis ut alicubi per tegumenta ac vestimenta, data à quopiam, calorem acquiratis, quo refocillemini.

Et saturamini.] Quum destituti sitis victu, ut supra dictum, opto ut vobis ab aliquo alio detur cibus, quo famem pellatis, ac vires corporis reficiatis. Hæc verba non dici eo sensu quasi is qui hæc dicere introducitur optet eos à se ac suo beneficio ut calefieri, ita & saturari, apparet ex mox sequentibus.

Non detis autem eis quæ necessaria [sunt] corpori.] Ut victum, & amictum, quibus opus est ad corpus istud mortale sustentandum, Matth. 6. 26. 1 Tim. cap. 6. 8.

Quæ [erit] utilitas?] Ista cujusdam charitatis ac favoris contestatio, verbalis non realis, non solum istis egenis nihil proderit, sed etiam isti qui eam verbis tantum declarat non factis: quod magis ad scopum Jacobi hîc propositum facit, vide supra ℣. 14. Significat talem charitatis declarationem, nec laudem humanitatis ac beneficentiæ, nec remunerationem charitati promissam à Deo afferre: quoniam ista non est solida ac sincera charitas, utpote quæ fit tantum sermone & linguâ, non etiam opere sicut deberet, vide 1 Joh. 3. 17, 18. Et tamen etiam hodie non pauci quamvis divites, dum homines egeni eleemosynam seu stipem ab eis precario rogant, similiter eos amicis dictis non autem factis prosequi atque opis vacuos dimittere non erubescunt.

Vers. 17. *Ita &* vel *etiam.*] Hæc verba indicant, ea quæ duobus versibus proxime præcedentibus dicta sunt, allata esse tantum eo fine ut propositus sermo de fide absque operibus, per comparationem ac similitudinem, charitatis cujusdam verbalis absque effectu reali, declaretur atque illustretur: quod nempe tam illa quam ista sit inanis.

Fides si non opera habeat.] De quali fide dictum supra ℣. 14.

Mortua est per se.] Id est si tantum in veritati assentiendo, eamque profitendo consistat, interim autem non sit operosa seu bona opera sibi adjuncta non habeat, est instar trunci aut cadaveris: id est nihil omnino valet ad id ut conferat quidpiam ad vitam æternam ac salutem ex Dei gratia obtinendam. Vide dicta supra ad ℣. 14.

Vers. 18. *Sed dicet quis.*] Hæc verba quamvis per

per modum objectionis proponi videantur, tamen non continent revera contra ea quæ antea dicta sunt objectionem: nam id ex verbis subsequentibus elici non potest. Affertur hic nova confutatio istius hominis qui de fide destituta operibus frustra gaudet aut gloriatur. Quasi dicat; Imo potest quis Christianus pius, jure merito tali homini ut eum confutet ita dicere.

Tu, fidem habes.] Id est profiteris te habere, ita ut etiam tibi persuadeas te ob istam fidem Deo placere, ejusque gratiam esse consequuturum.

Et ego, id est ego autem, *opera habeo.*] Nempe bona, qualia fidelibus Christi sunt præscripta, ut efficiantur.

Ostende mihi fidem tuam.] Id est proba & confirma evidenter te fidem salvificam qualis in Christiano fideli requiritur, habere.

Ex operibus tuis.] Id est profer & exhibe opera qualia facis, ut ex eis cognoscatur fides tua qualis sit; utrum plene bona & salutaris, annon? sicut ex fructibus arbor cognosci solet: quum arbor bona bonos fructus proferat, malos autem mala, Matth. 7. 17, 18. Quum igitur tu non facias opera bona, hinc apparet te fidem vere & plene bonam non habere.

Aliqua exemplaria Græca hoc loco pro istis vocibus *ex operibus tuis*, habent *sine operibus tuis.* Hæc lectio videtur huic loco esse convenientior: quia superius dictum est de fide tali quæ est absque operibus, seu quæ non habet adjuncta sibi opera bona vers. 14 & 17, & quia id requirit antithesis sequentium. Quanquam utriusque lectionis sensus eodem redit. Nam & prior innuit illum hominem non posse fidem suam ostendere ex operibus suis, proinde idem valet ac si dicatur, illum opera bona non habere.

Et ego.] Id est ego autem, contra, (nam vox & hic sumitur pro *sed* ut supra vers. 13.

Ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.] Quum reipsa possim monstrare me opera bona pia qualia Deus requirit, Euangelio Christi conformia, exercere, inde tibi probabo me fidem veram in Deum & in Christum habere; ex effectis causam à qua ea manant demonstrabo. Quum enim fidei verę summa sit, *credere quod Deus sit, & quod sit remunerator eorum qui ipsum quærunt* Hebr. xi. 6, id est obediendo ei & quæ ipsi placent faciendo, favorem ejus ambiunt, ex tali fide cum fiducia juncta, bonorum operum fructus necessario producuntur. Itaque qui bona opera respectu Dei habito facit, eum fidem bonam habere necesse est.

Et quum Christianæ fidei vis in eo consistat ut quis firmiter persuasus sit *Jesum esse Christum* Joh. cap. 20. 31. & 1 Joh. 5. 1, id est à Deo missum Messiam, Prophetam supremum, & Regem cœlestem populi Dei à Deo constitutum, *qui omnibus sibi obedientibus factus sit causa salutis æternæ* Hebr. 5. 9, quomodo fieri potest ut qui ista vere credit, non obediat Christo præcipienti ut *ita luceat lux Christianorum coram hominibus, ut videant ipsorum bona opera* &c. Matth. 5. 16, & *ut abundet justitia eorum plusquam Scribarum & Pharisæorum*, quia *nisi hoc ab iis fiat, non sint ingressuri in regnum cœlorum*, ibid. vers. 20. & Matth. 7. 21. Qui autem ita Christo morem gerit ut ista faciat, nonne manifestum est eum fidem qualem debet in Christo collocare?

Vers. 19. Alio argumento rursus probat fidem operibus bonis carentem esse vanam: quia talis fides historica non parat accessum ad Deum, nec favorem ejus conciliat, nec quempiam de ejus gratia paterna certum facit: quod probat exemplo cacodæmonum.

Tu credis quod Deus unus sit.] Fidei istius quæ in solo assensu iis quæ verbum Dei testatur præbito, consistit, specimen profert in uno insigni articulo fidei, ex quo de aliis similiter potest judicari. Credendum est certo quod Deus Altissimus Creator mundi, unus tantum sit. Id Sacræ Literæ crebro aperte testantur, & inculcant, ut Deut. 6. 4. iv. 35, 39. xxxij. 39. 2 Sam. 7. 22. 2 Reg. 19. 19. Psal. 18. 32. lxxxvj. 10. Jesa. 37. 16. xliv. 6. xlv. 5, 21, 22. xlvj. 9. Ose. 13. 4. Marc. 12. 29, 32. 1 Cor. 8. 4, 6. Eph. 4. 6. 1 Tim. 2. 5. & alibi. Sed & ratio docet, Ens illud quod est supremum, perfectissimum, sufficientissimum, & prima causa omnium causarum, nonnisi Unicum esse. Hoc nisi quis firmiter teneat, sed plures quorum unusquisque Deus summus sit, existere opinetur, distrahetur animo ad plures pari cultu colendos, & non poterit unum ex toto corde & tota anima amare, sicut oportet.

Benefacis.] Non modo non reprehendit S. Jacobus talem fidem, sed eam collaudat atque approbat. Et merito; Nam ista fides bona est eatenus quatenus rem bonam ac veram credit, sicut est conveniens. Interim hoc concesso, mox indicat talem fidem [historicam,] non esse sufficientem, ad salutem consequendam.

Et dæmonia credunt.] Nempe idipsum spiritus maligni, cum principe suo Diabolo, ob id quia peccarunt, & in peccato manent pertinaciter, à Deo prorsus rejecti atque damnati, etiam credunt, id est certo persuasi sunt de veritate ejus rei quod Deus supremus unicus sit, ut Marc. 1. 24. v. 7. Luc. 4. 41. viij. 28, ita hoc certæ veritatis est, ut etiam à cacodæmonibus in dubium non vocetur, sed firma fide teneatur.

Similiter & alios fidei articulos veros, credunt etiam dæmones, ut, quod Jesus Christus sit Filius Dei, quod Spiritus Sanctus à Deo procedat, quod Jesus vere Euangelium prædicaverit, quod miracula insignia ediderit, quod è mortuis sit resuscitatus ac resurrexerit, quod in cœlum ascenderit ibique regnet, quod venturus sit ad judicium vivorum & mortuorum resuscitandorum, quod fidelibus & piis daturus sit vitam æternam, &c. omnia ista à dæmonibus pro veris agnoscuntur ac proinde fide firma creduntur. Ergò qui talem tantum fidem habent communem hactenus habent cum cacodæmonibus. Sed quid istis talis fides prodest?

Et horrescunt seu *tremunt.*] Vocula & videtur hic poni pro *sed*, ut supra vers. 13. Non tantum illa fides de Deo quod sit & unus sit, nihil boni affert cacodæmonibus id credentibus, sed etiam affert eis magnum malum: nempe timorem ingentem quali servi mali dominos potentes ac justos timere solent, ob idipsum quia mali sunt, ideoque se magno malo afficiendos esse metuunt. Similis effectus fidei de Deo est in hominibus iis qui sola fide contenti bona

opera à Deo imperata eique placentia non fecerunt, atque ita officium neglexerunt, nempe ut male sibi conscii, Deum non ut Patrem benignum ament, ac propitium sibi fore sperent, sed ut judicem severum exhorrescant, & pœnas graves ab eo sibi inferendas subinde reformident. Quanquam ipsi cacodæmones aliquando seipsos pro diis venditabant, tamen vel inviti Deum verum altissimum unum esse agnoscunt. Ita habent fidei gradum primum, infimum: sed cui bono? quando non habent illum fidei gradum superiorem ut in Deo sicut quærentium ipsum, hoc est recte factis gratiam ejus ambientium remuneratore, fiduciam collocent, ideoque ei obediant.

Vers. 20. *Vis autem nosse* &c.] Quod superius proposuit & jam aliquibus argumentis probavit, id adhuc probaturus proponit per interrogationem patheticam, qua indicat se talem hominem cum quo hic disputat, idipsum docere velle.

O homo vane!] Compellat istiusmodi hominem fide non efficaci contentum, acri compellatione cum reprehensione. Vocat eum hominem vanum, significans ipsum esse ratione destitutum, vecordem atque amentem. Christus quidem prohibuit fratrem appellari tali appellatione probrosa, expressa voce Syra Raka, idem significante Matth. 5. 22. Sed ibi Christus eatenus id vetat quatenus talis appellatio ex ira injusta manat & convitium atque insultationem inhonestam continet.

Hic autem S. Jacobus non maligno animo hac voce usus est, neque studio maledicendi, sed ut hominem graviter & periculose errantem, ita reprehensum & quasi punctum aut vellicatum, è somno spirituali excitaret, atque corrigeret.

Vanum eum nominat ideo quod spe salutis inani atque falsa seipsum atque animum suum seduceret.

Quod fides absque operibus.] Id est bona opera non pariens inefficax, de quali dictum supra vers. 14, & 17.

Mortua est?] Id est nihil valet ad gratiam Dei & justificationem atque salutem homini conciliandam: ut dictum supra vers. 17.

Vers. 21. Non fidem solam otiosam destitutam operibus, sed fidem actuosam seu opera ex ea manantia eique adjuncta, prodesse homini coram Deo atque operari justificationem probat exemplo insigni, quod contigit adhuc ante legem Mosis, opera legalia plena requirentem ad justificandum.

Abraham pater noster.] Ille excellens patriarcha à quo Israëlitæ ad quos hæc epistola Jacobi scripta est genus suum duxerunt, & ipse Jacobus: qui Abrahamus vocatur pater credentium Rom. 4. 11.

Nonne.] Quamvis in textu Græco tantum exprimitur *non* tamen significat *nonne*, quia est hic interrogatio concepta per negationem, quæ notat affirmationem, ut supra ℣. 5 & 6 & 7.

Ex operibus justificatus est?] Intelliguntur opera bona, non ea quidem quæ essent omnibus numeris absoluta, qualia in lege sunt requisita ad justificandum; sed quæ ex fide seu fiducia erga Deum eximia proficiscebantur, atque Dei voluntati erant consentanea: quæ Abrahamus actu exsequebatur.

Paulus quidem Apostolus videtur contrarium dicere, nempe Abrahamum non ex operibus esse justificatum, sed ex fide Rom. 4. 2. seqq. At Paulus ibi contra Judæos, legis Mosaicæ atque ab ea mandatorum & exactorum operum observationem urgentes, disputans, intelligit opera legalia seu qualia lex Mosaica exigit, de quibus Rom. 3. 20. & Gal. 2. 16, perfecte & plene semper observata, meritoria, cum quibus non consistat gratia Dei. Jacobus autem, intelligit opera non exacta nec meritoria, sed opera fidei seu ex fide manantia, ut indicant verba sequentia vers. 22 & 23.

Justificatus est.] Id est pro justo habitus, nempe à Deo, atque ut justus tractatus, ex Dei benignitate. Intelligitur hic justificatio Abrahami, non prima, inchoativa, qualis jam antea Abrahamo ob fidem solam seu fiduciam promisso Dei adhibitam obtigerat Gen. 15. 6, sed justificatio secunda, perfectiva quoad jus jam plenum obtenta: quando propterea quia fecit hoc quod à Deo jussus erat facere, (de quo mox) & quia obedivit voci Dei, Deus juramento per se ipsum facto confirmavit quod antea indicaverat, se ei benedicturum seu benefacturum. Videantur verba Gen. 22. 16, 17, 18. Jacobum hic loqui de justificatione Abrahæ coram Deo, planum est ex quæstione proposita quam exemplo Abrahæ confirmat, ut non sit opus hic *justificatum esse* accipi pro justificatum esse apud homines declarari; sicut bene agnovit Piscator in hujus loci Analysi. Videatur & infra vers. 24.

Offerens vel potius *quum obtulisset.*] Nempe velut victimam atque hostiam ad mortem cruentam, ex mandato Dei, Deo in sacrificium immolare & offerre voluit, voluntate plena quantum in ipso erat, ita ut per Abrahamum non staret quominus oblatio cruenta fieret, ac perficeretur. Talis voluntas pro facto habetur.

Isaacum filium suum.] Illum unicum hæredem, ex Sara conjuge propria, in sera ætate obtentum, unice dilectum, in quo illi facta erat promissio Fœderis, & seminis benedicendi Gen. 17. 19. xxj. 12. xxij. 2. Magnum & excellens atque heroicum fuit istud opus obedientiæ Deo præstitæ ab Abrahamo.

Super altare.] In monte Moria, ex lignis ab ipso Isaaco portatis, ab Abrahamo compositis, exstructum. Cui altari & lignis, Isaacum velut victimam vinctum & constrictum, Abrahamus imposuit Gen. cap. 22. 6 & 9, ubi extensa manu, stricto gladio, jamjam interfecturus erat filium, nisi fuisset ab Angelo Dei prohibitus atque impeditus. Vide ibid. 10, 11, 12.

Vers. 22. In exempli de Abrahamo propositi consideratione commoratur.

Vides.] Alloquitur illum hominem vanum, fide sola operibus destitutâ gloriatum. Potest verbum istud sumi vel per interrogationem, vim affirmandi habentem, vel absque interrogatione per assertionem simplicem: quæ asserit id quod proposuit de fide non sola sed cum operibus operante, in Abrahami exemplo videri atque patere evidenter, & manifeste.

Quod fides cooperatur operibus ejus.] Nempe fides Abrahami Deum diligens, atque ex dilectione ei obediens, actuosa fuit & efficax, produxit opera bona, inter quæ eximium opus fuit filii Isaaci oblatio;

latio; quam ex fide ab Abrahamo factam esse dicitur Hebr. xi. 17, fides ejus id efficiebat sociata operibus, & simul cum eis agens, non sejuncta ab iis.

Et ex operibus fides consummata est seu *perfecta fuit.*] Vel perficiebatur. Tum demum fides Abrahami ut viva atque efficax apparuit & comperta est, atque perfectionem suam acquisivit, quando ex ea opera bona prodierunt: quæ fidei stricte ita dictæ, addiderunt complementum: absque quibus fides non plena fuisset, neque aliquid ei apud Deum profuisset.

Vers. 23. *Et impleta est Scriptura.*] Nempe effectum suum plenum consequuta est perfecte, perfectius quam antea: quo sensu sæpe dicitur Scriptura impleri.

Dicens.] Seu quæ dixit. Scriptura dicitur aliquid dicere seu loqui, improprie, quia hoc proprie personis tantum convenit; sed intelligitur illa persona à qua Scriptura profecta est per Scripturam id dixisse seu significasse; ut hic Moses.

Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei in justitiam.] Hæc verba quidem de Abrahamo prius sunt pronunciata à Mose, jam tum quum ille Deo sibi prolem numerosam promitrente, quum id difficile creditu esset, credidit, Gen. 15. 6. Sed tunc fides illa strictè sumta, absque operibus considerata, non obtinuerat justificationem plenarie, sed tantum inchoative, sub conditione, qualis conditio expressa est Gen. 17. 1. Postea autem jam conditione impletâ fidem Abrahami majorem quæ indicatur, Hebr. xi. 19. & efficacem, ita grate suscepit Deus ut eum velut justum tractare firmius statueret, ac justitiæ præmium ei dare decerneret; cum juramento, ut dictum supra ad vers. 21. Quo plenior est fides & efficacior, eo quoque justificatio fit plenior atque firmior.

Et amicus Dei vocatus est.] Ibi quidem ubi illa verba à Mose in Genesi scripta sunt, ista non leguntur expresse addita: sed ipsa pro insigni erga Deum obsequio data ei à Deo insignis benedictionis promissio, cum juramento, indicat inter Deum & Abrahamum coaluisse amicitiam. At alibi per Spiritum Dei diserte Abrahamus dictus est amicus Dei, 2 Chron. 20. 7, & in ipsis Dei verbis per Prophetam pronunciatis, Esa. 41. 8.

Certe & hoc amici aliquem impense diligentis est filio suo unigenito propter eum non parcere, quod Abrahamus propter Deum facere sustinuit: & hoc vicissim amici erga amicum valde dilectum amicitiæ indicium est, promittere alicui cum juramento se ei ejusque posteris insigniter benefacturum, idque deinde reipsa efficere, quod Deus fecit Abrahamo.

Vocari sæpe per Hebraismum sumitur pro *esse:* ita ut aliquem vocari aliquo nomine, significet rem ipsam hoc nomine designatam ei vere convenire. Sicut Esa. 1. 26. ix. 6. lxij. 4. & alibi.

Vers. 24. *Videtis igitur quod ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum.*] Quod in exemplo Abrahami patris credentium ostendit, eum non ex fide tantum justificatum esse, sed etiam ex operibus bonis, è fide manantibus, id nunc concludit de quovis homine credente seu fideli. Quoniam similis est modus justificationis coram Deo Abrahami & aliorum Abrahamo similium, atque ejus spiritualium liberorum. Certe sicut *sine fide impossibile est placere Deo*, ita etiam *sine sanctimonia* (in qua opera bona comprehenduntur) *nemo videbit Dominum:* quod utrumque scriptum est ab uno authore, (qui à plerisque censetur esse Paulus Apostolus,) ad Hebræos. Illud cap. xi. 6, hoc autem cap. 12. 14. Si fides intelligatur plena & perfecta, includens obedientiam mandatorum Dei, fœta operibus bonis è fide efficaci nascentibus, tum quidem recte cum Paulo Apostolo ad Romanos & Galatas id contra Judæos docente, dicitur fide homines à Deo justificari absque operibus legis. Sed si fides strictius sumatur, atque ab obedientia sejungatur, tum recte cum Jacobo Apostolo contra homines sola fide tali non actuosa sed otiosa, atque inefficaci, justificari & salvari volentes, docetur, non ex fide tantum sed etiam ex operibus fidei, eidem adjunctis, hominem quemvis cui post fidem susceptam superest tempus efficaciam fidei per opera exhibendi, justificari atque salvari. Videantur ea quæ sunt annotata supra ad vers. 14.

Vers. 25. *Similiter autem.*] Non contentus uno exemplo viri Abrahami, quod ante legem Mosaicam evenit, id probasse, quod proxime præcedente versu conclusit; rursus idem probat alio exemplo simili, jam sub lege Mosaica, fœminæ cujusdam.

Rachab.] Illa fœmina Ethnica Jerichuntia, ex gente Chananæa, à Deo spreta.

Meretrix.] Non tantum fuit natione Ethnica, sed etiam moribus non satis proba, impudica, scortatrix. Non tantum hospita publica cauponaria seu copa aut pandochea, ut aliqui volunt, sed etiam scortum seu prostibulum corpore quæstum faciens. Nam meretrix vocatur tum Hebr. xi. 31, tum hoc loco à S. Jacobo: quod tamen ei conversæ ad Deum, nihil ad gratiam Dei obfuit.

Non id est *nonne.*] Interrogatio negans, æquipollens affirmationi, sicut supra cap. 1. ℣. 5. & 6. & 7. tum hoc cap. 2. 21.

Ex operibus justificata est.] Non anteactis, ante fidem susceptam, sed iis quæ ex fide vera seu fiducia quam in Deum ejusque promissa concepit, orta sunt, quæ mox subjunguntur. Rachabæ ab interitu liberationem, Author ad Hebr. cap. xi. 31, adscribit fidei, quia fides qua crediderat Deum daturum Israëlitis illam terram Chananæam, ideoque Jehovam Deum Israëlitarum esse Deum in cœlo & in terra Jos. 2. 9 & 11, fuit fundamentum hujus rei, & fons atque origo operis ejus boni, quod ibidem ad Hebræos loco dicto indicatur. Hic autem S. Jacobus non exclusa sed præsupposita fide, sicut in simili exemplo Abrahami fecit, operibus ex fide manantibus & fidem complectentibus, attribuit id quod Rachaba sit *justificata* id est quamvis antea fuerit vitæ impiæ & improbæ atque peccatrix, tamen ut justa est tractata, ab exitio horrendo conservata, & populo Dei electo adjuncta, promissorum ei à Deo factorum consors & particeps facta est.

Suscipiens nuncios.] Nempe illos exploratores duos, à Josua duce Israëlitarum, ad Jericho urbem in qua ipsa Rachaba habitabat explorandam missos, hospitio excepit, quum sciret quinam essent & cur illuc

venissent: nempe ad moliendum urbis illius ejusque incolarum ut hostium excidium, imo etiam eosdem ab iis qui ipsos ad supplicium quærebant, in domo sua occultavit. Hoc erat ejus opus bonum, opus charitatis erga Dei veri servos.

Et alia via ejiciens.] Id est è domo sua per fenestram muri demissos, emittens, cum monitis & consiliis ne ea qua venerant via ad suos redirent, sed alio diverterent, atque in monte per triduum delitescerent: ne inimici qui eos insequebantur in ipsos inciderent. Hoc erat aliud opus bonum, opus charitatis, à Rachaba exhibitum. De his vide Jos. 2. ℣. 1, 4, 6, 15, 16, 21. Ista Rachabæ opera bona, fuerunt satis ardua atque periculosa, cum ejus vitæ discrimine conjuncta, quæ tamen illa servis Dei præstitit. Si Rachaba tantum credidisset Jehovam esse Deum, eumque daturum Israëlitis illam terram, interea vero ista opera charitatis non fecisset, ita ut ejus fides non esset efficax per charitatem, non fuisset servata, sed periisset.

Vers. 26. *Sicut enim.*] Antea indicaverat fidem operibus bonis carentem esse inanem & inutilem, imo mortuam, præcipue ℣. 14. & 17. & 20: nunc idipsum porro similitudine insigni declarat.

Corpus.] Sive hominis sive cujusque animalis, pars crassa visibilis ac palpabilis.

Sine spiritu.] Si spiritus vitalis seu anima quæ vigorem & vitam corpori largitur, ab eo separetur.

Mortuum est.] Non est corpus vigens, & nihil ad actiones animalis vel hominis confert, sed est cadaver inane atque inutile.

Ita & fides sine operibus.] Id est persuasio de veritate circa Deum, & res divinas, si ab ea absint & separata sint opera bona, quibus fidei vigor additur. Ut omne simile est etiam dissimile, ita hic est quædam dissimilitudo, quod corpus quidem sit quiddam externum, & crassum atque palpabile, visui & tactui subjectum: at fides quæ corpori assimilatur sit interna, subtilis, & sensibus per seipsa non subjecta: contra autem spiritus sit internus subtilis, invisibilis impalpabilis, cui hîc assimilantur opera, quæ sunt externa, visibilia, vel saltem sensibus subjecta. Sed ista hîc non spectantur, quia ad propositum non faciunt.

Mortua est.] Non habet vim ac vigorem, ideoque non potest vitam nempe æternam ac salutem largiri: quæ alias ex Dei gratia per fidem sed vivam & obedientia atque operum bonorum secundum Dei præcepta studio, animatam, acquiritur. Sed hæc fides non viva potius fidei cadaver, inane, nihil prodest: proinde abjici ac sepeliri debet: nisi animetur studio bonorum operum atque fiat actuosa & efficax.

CAPUT III.

Vers. 1. NE *multi doctores* vel *magistri fiatis.*] Aut sitis. Hic Jacobus post aliqua vitia eorum ad quos scribit, tum in dictis tum in factis, reprehensa, rursus aliud vitium in eis reprehendit.

Per *doctores* vel magistros, hoc loco intelligi videntur tales qui sumunt sibi hoc ut in alios fratres censuram exerceant, & quidem rigidam, eorumque severi reprehensores atque castigatores sint, dum ipsi tales adhuc sunt quales superius descripsit, magnis & multis vitiis contaminati. Quod vetat Christus Matth. 7. 1. & seqq. & Luc. 6. 37. Vide etiam de talibus doctoribus & magistris non idoneis Rom. 2. ℣. 19, 20, 21. Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Non dicit autem ne omnino sint doctores, aut magistri, sed ne *multi*; Nam opus est ut Christiani qui doctrinam Christi didicerunt eo adspirent ut etiam alios eam doceant, vide Hebr. 5. vers. 12. & 1 Thess. 5. 14. Sed id cavendum ne ii qui adhuc ipsi sunt multa docendi usurpent sibi facile partes alios severe monendi ac redarguendi, quasi essent multi id est magni atque eximii Doctores & Magistri. Nam vox ea quæ significat *multum* solet etiam accipi pro magno. Ut Matth. 5. 12. XXIV. 30. Marc. 13. 26. Luc. 16. 10. Act. 21. 40. XXIIJ. 10. XXVIJ. 21. Et apud LXX Interpretes Bibliorum Græcos est id usitatum: ut Gen. 15. 1. Psal. 36. 6.

Quanquam & hoc recte moneri hic potest, non multos & quosvis passim debere ad alios docendos atque monendos provolare; ob id ipsum quia non multi sed tantum pauci & rari ad id sint apti atque idonei.

Fratres mei.] Blandam compellationem istorum quos monet usurpat, indicem charitatis, ut supra cap. 1. 2, 16. ij. 1. & alibi.

Scientes quod majus judicium accipiemus.] Rationem indicat ob quam non multos oporteat ad alios docendos temere, atque reprehendendos severe, progredi: quia sciendum est tales qui hoc inconvenienter & non debito modo faciunt, à Deo esse severius præ cæteris damnandos atque puniendos: quia dum alios docent & monent, si ipsi etiam peccent, non possunt peccatis suis prætexere excusationem ignorantiæ.

Judicium.] Solet significare condemnationem atque punitionem, quæ ex judicio prævio sæpe consequitur. Ut Matth. 23. 14. Luc. 23. 40. XXIV. 20. Rom. 13. 2. 1 Cor. XI. 29, 31, 32.

Accipiemus.] Seu feremus. In secunda persona plurali de doctoribus ineptis loquutus Jacobus Apostolus, transit ad primam personam pluralem, quasi & seipsum istis ineptis & malis Magistris accenseret. Id facit ad reprehensionis acerbitatem leniendam: per figuram quæ vocatur Communicatio. Ita solent viri pii de culpis loquentes, sese aliis per modestiam adjungere. Ut Esa. 42. 24. ubi mox transit ad personam tertiam, vide & cap. 53. 3. Sic Paulus Apostolus 1 Cor. 10. 22. & Tit. 3. 3. & Petrus 1 Petr. 4. 3.

Vers. 2. *Multa enim* vel *in multis.*] Nempe rebus, non in una: non semel, sed sæpe, & quidem magnopere ac valde: perstringit, nempe eos ad quos scribit quod adhuc, in multis & quidem magnis atque gravibus vitiis hærerent.

Offendimus.] Vel impingimus seu labimur, metaphora, id est peccamus, contra officium facimus, vide supra cap. 2. 10. Continuatur hîc eadem de qua modo dictum figura seu schema Communicationis; & est modus loquendi proverbialis.

Verbum istud quod labi vel impingere significat, accipitur etiam alibi non de levi delicto, sed de valde gravi

gravi peccato. Ut Rom. XI. 11. Jac. 2. 10. 2 Petr. cap. 1. 10.

Omnes.] Id est fere omnes, plerique. Est loquutio hyperbolica, qualis Psal. 14. 1, 2, 3. Matth. 10. vers. 22. Marc. 1. 5. Joh. 3. 26. xij. 32. Rom. 3. 12. Philip. 2. 21.

Quanquam fatendum est eam esse humanam imbecillitatem, ut nullus homo mortalis fuerit præter Jesum Christum, vel etiam sit, qui non interdum peccet, quamvis non gravibus peccatis sed levioribus. Vide Psal. 130. 3. CXLiij. 2. Job. 9. 2. XIV. 4. Proverb. 20. 9. Eccles. 7. 20. 1 Reg. 8. 46. 1 Joh. 1. vers. 8, 10. Quod tamen non fit ex necessitate, sed ex arbitrii libertate, ac sæpe ex inconsiderantia, &c.

Si quis in sermone non offendit.] Inter alia delicta quæ vitanda sunt iis inprimis qui alios docere ac severe monere volunt, in quibus tamen facile homines offendunt seu delinquunt, reprehendit S. Jacobus vitia illa quæ in sermone per linguam ore committi solent, perstricta breviter supra cap. 1. 19. & 26: quæ qui caveat, rarum esse indicat, & qui hoc possit eum multa alia posse præstare.

Hic perfectus vir scilicet *est.*] Id est eximius & excellens, egregiâ sapientiâ ac prudentiâ præditus. Talem beatum prædicat Sirac. 14. 1. & XXV. 11.

Potens.] Seu qui potest, nempe divinâ gratiâ adjutus & corroboratus.

Freno circumducere.] Metaphora sumta ab animalibus ferocibus regendis, significat dirigere ac moderari, ratione.

Et totum corpus] Non tantum unum corporis membrum, sed & omnia membra, ut actiones quas debent peragant, atque officium faciant, neque à recto deerrent. Quia quum lingua sit membrum rectu difficillimum, ut in sequentibus docetur, qui linguam regere novit, is facile etiam alia membra reget.

Vers. 3. *Ecce equis* (in Græco *equorum*) *frena in ora mittimus* seu *injicimus.*] Quod modo dixit de lingua moderanda, si quis id possit, eum posse etiam totum corpus regere, id nunc declarat similitudine egregia.

Equi sunt bestiæ grandes, & robustæ, quæ alioqui videntur homini minori atque debiliori non facile obedituræ: & tamen est modus quo ab hominibus ad obedientiam redigantur, nempe si ori eorum frenum quamvis parvum imponatur.

Ad obediendum ipsos nobis.] Id est ut ipsi equi quamvis alias feroces, nobis hominibus obediant, atque obsequantur, dum freno in ore detento coërcentur. Vide Psal. 32. 9.

Et, id est atque hoc facto, *totum corpus eorum circumagimus.*] Ore equi per instrumentum freni exigui in potestate habito, etiam totum equi corpus quamvis magnum ita ab homine equite, dum equo insidet, habetur in potestate, ut id quo ipsi libet flectere atque convertere & agitare possit. Similiter, si hominis ipsius os veluti frenetur, & ratione regatur, etiam alia hominis membra in suis actionibus regentur.

Vers. 4. *Ecce & naves.*] Idem illustrat altera similitudine, sumta à navibus, & earum directione.

Tanta existentes.] Quamvis sint magnæ machinæ, quæ non facile ab homine moveri ac regi posse videntur.

Et à validis ventis impulsæ.] Addit aliam causam quæ navium directioni obstat, eamque difficilem reddit, quod à ventis flantibus vehementibus, huc illuc pelli & jactari soleant, quibus homines ægre obnituntur.

Circumagantur à minimo gubernaculo.] Per id quod respectu navis magnæ est parvum, diriguntur atque in diversas partes convertuntur.

Quocunque impetus dirigentis voluerit.] Id est huc vel illuc vel isthuc, quò gubernatori placet navem impulsu suo dirigere. Hic obiter notandum rei quæ non est persona actionem quæ personæ proprie convenit attribui, nempe quod impetus velit. Unde patet ex simili loquendi modo non firmiter concludi Spiritum Dei Sanctum esse personam. Sicut autem si gubernaculum parvum à gubernatore rite teneatur ac regatur, navis quantumvis magna dirigitur & huc illuc circumagitur: ita si lingua quamvis parvum membrum ab homine prudente recte regatur, etiam totum corpus regetur.

Vers. 5. *Sic & lingua parvum membrum est.*] Nempe sicut frenum respectu equi, & gubernaculum respectu navis est quiddam pusillum, ita lingua respectu totius corporis humani est pars pusilla.

Et magna jactat.] Vocula *&* hic ponitur pro *sed:* sicut Matth. 12. 39. xxiij. 37. Marc. 7. 24. viij. 36. xij. 12. Act. 10. 28, quia hic contraria opponuntur, parvum & magna.

Istud quod vertitur *magna jactat* in Græco textu tali verbo composito exprimitur, quo videtur indicari magnopere cervicem jactare, & significatur, linguam quamvis parvam, tamen si effrenis sit, & non coërceatur, ingentia atque immania facinora minari & designare. Unde mors & vita in potestate linguæ esse dicitur à Solomone Proverb. 18. 21. Quidam exponunt, interdum magna bona interdum magna mala effici per linguam. De lingua loquente magna, & prævalere volente, videatur & Psal. 12. 4, 5. & LXXiij. 8, 9.

Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit.] Aliam rursus similitudinem affert, qua linguæ parvæ effecta magna declarat.

Exiguus ignis.] Ut scintilla parva, aut candela sive lychnus.

Quantam materiam.] Græcè *hylen*, quod plerumque notat materiam quamvis, ex qua aliquid effici potest: sed sæpe notat sylvam, vel etiam lignorum struem, accumulatam ad ædificandum.

Incendit.] Ita ut materiam uri aptam, præsertim arefactam, inflammet ac igne gliscente flammaque progrediente comburat, atque in cineres redigat, etiam sylvas magnas & ingentes acervos, atque domos excelsas, multas.

Vers. 6. *Et lingua ignis* scilicet *est.*] Id est similis igni. Ut ignis, sicut modo dictum est, quamvis parvus initio sit, si non custodiatur nec coërceatur, magnas res incendit & exurit atque corrumpit. Ita lingua nisi compescatur & cohibeatur, per prudentiam mansuetam, potest verbis vanis & malis prolatis magnas perturbationes excitare, & multa mala inter homines patrare.

Mundus

Mundus iniquitatis.] Id est ita magnam congeriem atque molem rerum malarum in se continet lingua, sicut mundus est congeries ac moles rerum variarum multarum. Simili proverbio de magno rerum malarum cumulo dici solet mare malorum.

Ita.] Ista vocula deest in quibusdam exemplaribus.

Lingua constituta est.] Id est consistit, seu collocata aut sita est.

In membris nostris.] Id est inter membra corporis nostri alia. *In* sæpe ponitur pro *inter*.

Maculans totum corpus.] Id est nequitiam diffundens in omnia corporis humani membra, omnesque hominis actiones contaminans, vide Matth. 15. 11, 18, 19. Maculare ponitur pro inficere quadam malitia, ut & Hebr. 12. 15.

Ad omnia fere peccata concurrit lingua: partim ipsa ea perficiens, ut mendacia, falsas doctrinas, falsa testimonia, calumnias, blasphemias, perjuria, obtrectationes, convitia, jurgia, rixas, exsecrationes diras, scurrilitates, morologias, turpiloquia, atque obscœnos & libidinosos sermones, adulationes, vanas gloriationes, importunas garrulitates, &c. partim talia aliis suadens & ad ea incitans, partim ea excusans atque defendens.

Et inflammans rotam nativitatis.] Id est sicut ignis, cui paulo ante linguam assimilavit, incendit & flammis corripit materiam exuri aptam cui admovetur, ita lingua totum curriculum vitæ humanæ; nam in quibusdam exemplaribus non male additur *nostræ*, omnes quippe humanas actiones earumque orbem fere à nativitate ad mortem flammis suis corripit & corrumpit. Velut ignis incendens ad discordias, odia, bella, luxuriam, scortationes, adulteria, &c. Vide Sirac. 28. 16. seqq.

Et inflammata à Gehenna.] Vox ista Gehennæ sumta est ex Hebræa qua Vallis Hennon vel Hinnom, aut filii Hinnomi prope Jerusalem Jos. 15. 8. xviij. 16, ita vocata, à possessore antiquo. In ista valle Judæi vicinorum gentilium impiam superstitionem idololatricam imitati, in honorem & cultum Molochi Ammonitarum idoli (quod putatur fuisse Saturnus) filios suos per ignem traducebant, aut etiam vivos comburebant 2 Paral. 28. 3. xxxiij. 6, alias vocabatur Tophet, vide 2 Reg. 23. 10. & Jerem. 7. 31. Hinc à Judæis per metaphoram Gehenna appellatus est locus in quem malos atque impios post mortem conjiciendos & igne torquendos atque urendos esse credebant. Hic per locutionem impropriam significatur linguam ad mala verba proferenda incitari & velut accendi ab igne tætro & quasi infernali, pravorum affectuum. Is ignis vocatur Gehenna, quia est magnus atque vehemens qualis est in Gehenna.

Vers. 7. *Omnis enim natura.*] Ulterius progrediens docet difficile esse hominibus, linguam malam coërcere, eique moderari. Quod declarat per comparationem à dissimili animalium diversorum.

Natura.] Videtur poni pro ipsis animalibus natura diversa præditis, ut mox natura humana.

Bestiarumque.] Nempe ferarum quadrupedum; quum mox aliæ bestiarum species ab istis distinctæ addantur. Ita & feros leones, & sævos lupos atque ursos, & veloces cervos, & grandes elephantos capi atque cicurari videmus. Ut de equis & tauris taceamus.

Et volucrium.] Quæ ob idipsum quia remotiora sunt, & supra nos per aerem in sublimi volitare possunt, difficilius capi posse videntur. Ut sunt inter alias, aquilæ, corvi, falcones, nisi, accipitres.

Serpentumque.] Ut sunt angues, aspides, viperæ, &c. quæ omnia per terram serpunt aut repunt, & in terra cavernas suas atque latibula habent, ad quæ facile confugiunt, & sunt valde astuta atque versuta.

Et marinorum.] E quibus sunt grandia cete, seu balænæ, phocæ; delphini, aliique pisces in & sub aquis natantes.

Domatur.] Id est domari seu à ferocia ad mansuetudinem deduci atque cicurari potest, vel saltem coërceri.

Et domita est.] Hoc addit ut significet non tantum id posse fieri, sed etiam factum esse: quod docet experientia.

Naturâ humanâ.] Id est ab hominibus: qui non tantum vi sed & arte, per varia media, atque modos, istas bestias capiunt, vel ad se alliciunt atque in suos usus adhibent: quamvis à multis istarum belluarum, vel magnitudine, vel robore, vel velocitate, superentur.

Vers. 8. *At linguam.*] Etsi membrum parvum; quod est multo minus iis bestiis quæ domantur. Videtur hic loqui de lingua non unicujusque propria, quæ ab homine Christiano domari potest; sed de aliena, aliorum hominum, quorum lingua effrenis non audit habenas.

Nullus hominum potest domare.] Id est nullo modo, nisi is homo qui lingua abuti consuevit ad Christianismum verum convertatur.

Si autem id omnino fieri ab homine non posset ut suam linguam coërceret, sicut aliqui putant, nulla in eo ipsius culpa esset, neque id pro peccato haberi deberet: & frustra atque in vanum adhiberentur adhortationes ut id ab homine fieret. Nam ut non male proverbio jactatur, ad impossibilia nemo obligatur. Habemus linguæ coërcitæ exemplum in Davide, cum ei subditus ejus Semei malediceret, 2 Sam. 16. 10, 11. Videatur & Psal. 39. 3, 10. Et in Jobo 31. 34. & in Mose Num. 12. 3. Et nisi quis linguam suam frenet, ejus religio est vana, ut dixit Jacobus supra cap. 1. 26.

Incoërcibile malum.] Nempe lingua est res ita mala ut coërceri & cohiberi nequeat. Inde apparet eam esse pejorem bestiis quæ coërceri & domari possunt ac solent, ut dictum est versu proxime præcedente. Aliqui codices habent vocem Græcam paulum diversam, quæ significat inquietum, vel tumultuosum: quo indicaretur linguam non facile posse quiescere, quin excitet turbas atque tumultus.

Plena veneni mortiferi.] Instar bestiarum venenatarum, ut sunt aspides & viperæ, salamandræ, ptyades, scorpii: quorum virus nocet hominum valetudini, atque vitæ, quam etiam exstinguit. Ita homines maligni respectu linguæ virulentæ assimilantur aspidibus Psal. 140. 4. Lingua maligna non tantum singulis hominibus nocet, eorum vel bonam famam lædens, vel possessiones, vel etiam vitam in pericu-

periculum adducens; sed totas civitates, regiones, ac regna, eorumque incolas ad dissidia & bella concitans: ac præter alia peccata, etiam ad innocentes persequendos irritans atque exstimulans.

Vers. 9. Postquam generaliter linguæ abusum vituperavit, jam notat speciale ejus vitium, nempe maledicentiam contra proximos. Quæ quantopere sit indecens & inconveniens, iis qui alioqui se religiosos esse declarant, ostendit.

In ea.] Id est per eam, nempe linguam. *In* pro *per* sæpe ponitur, usitato Hebraismo.

Benedicimus Deum.] Seu Deo, id est laudes Dei enarramus atque celebramus, seu celebrare solemus: ut dum ejus attributa excellentia, & opera admiranda, deprædicamus, eique pro beneficiis gratias agimus. Est is linguæ usus eximius, quem exercere quam sæpissime homo Deum agnoscens debet.

Et Patrem.] Hic & ponitur pro *id est* seu *qui est*, sicut alibi non raro: ac præsertim in hisce Dei ac Patris vocibus jungendis. Ut inter alia 1 Cor. 15 ℣. 24. Eph. 1. 3. 1 Thess. 3. 11. 1 Petr. 1. 3. Significat Deum illum Altissimum esse simul & Patrem tum Jesu Christi filii excellentissimi, tum aliorum hominum quos pro filiis suis agnoscit.

Et in ea.] Id est per eandem linguam.

Exsecramur homines.] Seu maledicimus hominibus. Indicat morem malum multorum hominum, qui quum religiosi cultores Dei videri velint, ut indicavit supra cap. 1. 26, interim non frenent linguam suam, quod valde pugnat cum vera atque sincera religione, & nominatim maledictis atque convitiis proscindant homines, ac diris incessant exsecrationibus. Loquitur autem S. Jacobus per communicationem, quasi & ipse id faceret, quod in istis vituperat. De quo loquendi modo figurato atque improprio dictum est supra, ad similem sermonem, hujus capitis vers. 1 & 2.

Secundum vel *ad similitudinem Dei factos.*] Ita describit homines ab eorum dignitate, ut significet indignum facinus fieri, quando quis Dei notitiam præ se ferens hominibus maledicit eosve exsecratur. Dicitur apud Mosen Gen. 1. 26, Deum constituisse facere hominem ad imaginem & similitudinem suam. Cujus imaginis ac similitudinis divinæ vis mox ibidem exprimitur, dum indicatur ea sita esse in eo ut homo instar Dei dominium habeat super animalia diversa. Et ejusdem constitutionis exsequutio subjungitur ℣. 27, ubi dicitur Deus creasse hominem ad imaginem suam. Ut & Gen. 5. 1, creasse & fecisse eum ad similitudinem suam. Quam Dei imaginem in homine, ratione atque intellectu & inde sequente imperio, prædita creatura, non desiisse imo permansisse etiam post Adami peccatum, apparet ex Gen. 9. 6, ubi post diluvium Noacho ejusque filiis Deus, ab homine occidendo eos deterrens, dixit: Qui effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur, addit rationem, *quia ad imaginem Dei factus est homo.* Et ex eo quod Paulus Apostolus 1 Cor. XI. 7 scripsit, virum orantem aut prophetantem non teneri operire caput, addita ratione quod sit imago Dei. Cum ergo homines imaginem Dei etiam nunc gerant, valde inconveniens est, ut quispiam eos maledictis atque exsecrationibus dehonestet; nam ista contumelia qua Dei imago viva ab ipso Deo constituta afficitur, in Dei ipsius contumeliam redundat. Si in hominibus nunc existentibus imago Dei non exstaret, ut aliqui dicunt, posset quispiam istud S. Jacobi monitum eludens, dicere, non esse nefas istos qui nunc vivunt homines maledictis incessere, quandoquidem isti jam imaginem Dei non gerant.

Vers. 10. Quam inconveniens sit Dei cultoribus, homines maledictis afficere, ulterius ostendit.

Ex eodem ore exit benedictio & exsecratio.] Deo benedicere est usus linguæ humanæ atque oris, ad quem usum hæc membra præcipue sunt destinata, non decet igitur ut quis eadem membra adhibeat ad hunc contrarium abusum maledictionis seu exsecrationis. Præsertim cum hæ unius ejusdemque membri contrariæ actiones, circa unum idemque objectum exerceri videantur, nempe circa Deum, cui idem homo modo benedicit in propria ipsius persona, modo maledicit in persona imaginis ejus.

Non oportet.] Id est indecorum ac turpe est, ideoque nefas est.

Fratres mei.] Appellatione ista blanda, charitatis indice, monitum quod subamarum videtur edulcat, ut supra cap. 1. 16. ij. 1, 5. iij. 1.

Hæc ita fieri.] Nempe ut Deo benedicentes ore vestro, hominibus Dei imaginem gerentibus eodem ore maledicatis.

Vers. 11. Eandem inconvenientiam, & monstrosam atque absurdam ex eodem ore contrariorum sermonum emanationem, porro declarat exemplis, sumtis è rebus naturalibus.

Numquid fons ex eodem foramine emanat seu *fundit dulce & amarum?*] Nempe aquam & dulcem gustui suavem, & rursus amaram insuavem. Id nusquam fit. Talem fontem monstrosum homines aversarentur. Ita os hominis idem quod dulcia promit benedicendo, non est conveniens ut rursus amara ex se fundat, maledicendo. Istiusmodi homo est abominandus.

Vers. 12. *Numquid potest fratres mei, ficus oleas facere?*] Seu progignere & edere ac proferre. Hoc fieri secundum naturam non potest: quia ficus arbor & oleæ fructus sunt res qualitatibus sibi oppositæ, ficus dulces, oleæ autem amaræ.

Aut vitis ficus.] Scilicet num potest proferre? nequaquam. Quamvis enim non æque ac superiora ista sint contraria seu adversa respectu qualitatum, quoniam & vitis cum suo fructu nempe uvis, & fructus fici, utraque sunt dulcia; tamen sunt opposita, quia disparata. Itaque non conveniunt eidem.

Ita nullus fons salsam & dulcem aquam [*potest*] *facere* seu *edere.*] Dixit antea de dulci & amara aqua, quæ sunt qualitatibus contrariæ. Hic dicit de dulci & salsa, quæ etsi non tam contrariæ sint, sunt tamen disparatæ: ideo ex eodem fonte prodire nequeunt. Istis exemplis omnibus declaratur, inconveniens esse ut ex eodem ejusdem hominis Christiani ore, ex quo manat Dei benedictio, emanet etiam ei contraria maledictio. Nam sic posset merito existimari hunc non eundem qui prius erat hominem esse, quando ita à virtute sua defecit ad vitium ei adversum.

Vers. 13. Postquam reprehendit eos qui aliorum Doctores esse volentes, ipsi adhuc erant docendi, ut malos mores dediscerent, ac præsertim linguæ qua alios docent, vitia, præcipue maledicentiam; nunc, quia isti Doctores ac Magistri videbantur sibi esse sapientes, & ob hanc de se opinionem, munus docendi usurpabant, docet S. Jacobus & probat, eos dum tales sunt quales esse indicat, non esse vere sapientes: ac monet ut si sapientes haberi velint, colant mansuetudinem, rixas autem abjiciant, quas videntur agitasse cum dissentientibus.

Quis sapiens & scientia præditus in vobis?] Id est inter vos. *In* pro *inter* non raro ponitur, ut præter alia loca 1 Cor. 1. 10, 11. ij. 2, 6. xj. 18, 19. xv. 12. 2 Cor. 1. 19. 1 Petr. 5. 1, 2. Interrogando provocat eos qui sese sapientia & facultate alios docendi pollere arbitrabantur. Aliqua exemplaria habent hypothetice; *Si quis sapiens* &c.

Sapiens proprie est qui habet notitiam perfectam rerum præstantissimarum: & quamvis stricte loquendo theoriam spectet, tamen etiam ad ea quæ ad praxin pertinent, extenditur: præsertim ex sensu Sacrarum Literarum. *Sciens* autem notat eum qui habet certam cognitionem veritatis rerum necessario se habentium, per causas. Tales esse oportet eos qui sibi jus docendi usurpant. Est autem præ aliis ea sapientia atque scientia eximia & utilissima quæ circa res divinas ac præcipue ad salutem hominum æternam spectantes versatur, quæ est sita in cognitione Dei & Christi, Joh. 17. 3, id est voluntatis ejus, Col. 1. 9, 10, spectans ad praxin, nempe ad observationem mandatorum Dei 1 Joh. 2. 3, 4. Pulchrum & egregium est acquirere veram scientiam atque sapientiam, sed non cuivis contingit, nisi ei cui studium diligens atque industriam adhibenti, & à Deo ejus collationem cum fide petenti, ut dictum est supra cap. 1. 5 & 6; Deus qui solus est sapientissimus, & fons omnis sapientiæ, eam largitus fuerit.

Ostendat ex bona conversatione opera sua.] Quod in se esse jactat, id revera esse probet, demonstrans idipsum ex effectis, quæ ubi sunt ibi causa eorum esse cognoscitur. Sicut superius eos qui fidem se habere jactant, ex operibus bonis eam ostendere debere docuit, cap. 2. 18; ita similiter hic de sapientia gloriantes, monet, ut eam per opera bona ostendant. Vana est sapientia, non vera, quæ non dirigit animum & vitam hominis ad bonas & honestas actiones. Sicut non est bona arbor quæ non profert fructus bonos.

Conversatio notat vivendi modum usitatum præsertim inter homines. Ut Hebr. 13. 18. 1 Petr. 2. 12. iij. 16.

In mansuetudine sapientiæ.] Id est cum mansueta sapientia, vel potius mansuetudine sapiente. *In* pro *cum* poni frequens est. Videantur inter alia ista loca; Luc. 4. 32. Act. 5. 23. vij. 14. xvij. 31. xxvj. 7. Rom. 15. 32. 1 Cor. 1. 17. iv. 21. Eph. 6. 2. Col. cap. 3. 16. iv. 2. loco posteriore & 5 & 6. 2 Thess. cap. 2. 9, 10. Hebr. 9. 25. & Jac. 1. 6, 21.

Mansuetudo est virtus iræ moderatrix. Ea magnopere decet sapientem: & præsertim si quis ignorantes aut errantes docere velit, & instituere sapienter, utendum est ei lenitate, & ira est refrænanda.

Vers. 14. *Si autem zelum amarum habetis.*] Indicat istos qui aliorum Doctores & Magistri esse volebant, contrariis mansuetudini vitiis laborare, ideoque de sapientia temere falso ac frustra gloriari. *Si* loquitur hypothetice, non categorice id de iis asserit, ut minuat ac molliat objurgationis acerbitatem. Quanquam non raro *si* ponitur de re non dubia, & significare solet *quoniam*, vel quandoquidem.

Zelus non omnis est malus. Est quædam æmulatio bona, non pugnans cum mansuetudine. Cum quispiam bono aliquo carens & alterum id habere videns, certat honeste cum isto, non ut iste non habeat, quod est invidiæ, sed ut ipse quoque similiter habeat. Alias zelus solet notare affectum ex amore & ira mistum, quo adversus eum qui id quod à nobis amatur lædit commovemur. Ut circa religionem Joh 2. 17, modo zelus Dei sit secundum cognitionem Rom. 10. 2. Sed hic nominatur zelus *amarus*, æmulatio vitiosa, de honore contentio cum invidia conjuncta, acerbe cum aliis contendens.

Quidam interdum zelum bonum præ se ferunt; & interim zelus eorum malus est, non dulcis & suavis, cum virtute conjunctus, sed infectus felle amaro invidentiæ, & iracundiæ dum sub zeli religiosi prætextu sui maligni affectus explent acerbitatem.

Et contentionem.] Id est ex ira effervescentem verborum pugnam, non rationibus sed dictis aculeatis & contumeliosis concertantem. Tales contentiones rixosæ, quæ valde dedecent homines prudentes, præsertim Christianos, inter opera carnis positæ, & alibi cum zelo malo & fervore animi inordinato conjunguntur. Ut Rom. 13. 13. & Gal. 5. vers. 20.

In corde vestro.] Id est in animo, cujus sedes est cor. Ubi inter alia vitia residet etiam studium contendendi seu litigandi: quamvis inde extra erumpat per verba rixosa, & ipsa litigia, atque jurgia.

Ne gloriamini.] Id est si zelo amaro & contentione rixosa laboratis, ne vobis id arrogetis vosque eo nomine jactetis, quasi essetis sapientes.

Græcum verbum quod in pluribus exemplaribus habetur, est compositum, & notat *contra gloriamini*, nempe ut cohæreat cum eo quod postea sequitur, *contra veritatem.*

Omnis gloriatio & suiipsius laudatio redolet arrogantiam atque superbiam, & proinde quandam insipientiam, nisi fiat necessariis causis cogentibus, quod indicavit & Paulus Apostolus, 2 Cor. xi. 1. xij. 1, 6, 11, sed maxime si sit falsa. Ideo additur;

Et mentiamini.] Id est ut ex superiore sermone in quo dictum est *ne gloriamini* intelligitur, & ne mentiamini: nempe in ipsa gloriatione. Mentiri, id est falsum quod aliter se habere scias comminisci atque proferre, turpe vitium est, & abominandum.

Adversus veritatem.] Nempe, dum jactatis vos esse sapientes, & posse merito alios docere, cum tamen veritas ipsa ostendat, vos quamdiu supra nominatis vitiis, zelo amaro, & contentione laboratis, non posse haberi pro vere sapientibus & aptis ad alios docendos.

Vers. 15. *Non est hæc sapientia desursum* seu *superne descendens.*] Istos sapientiæ nomine falso tumentes Doctores ac Magistros, ulterius arguit, & ostendit istam quam jactabant sapientiam, non esse

veram

veram sapientiam, qualis esse debet in veris Christianis. Quæ vera sapientia est *desursum* seu è supernis descendens, nempe ex cœlo, à Deo, ut dictum est supra cap. 1. 5 & 17. Quamvis enim homines ingenio bono præditi, per studium & exercitationem acquirant sapientiam; tamen & ipsum ingenium à Deo hominibus datur, & nisi studiis hominum Deus benedicat ac opem suam adhibeat, vana sunt hominum studia, vanæ exercitationes. Sed præcipue sapientia, quæ circa res divinas atque cœlestes versatur, præsertim qualis in Euangelio Christi manifestatur, à Deo ipso ex cœlo proficiscitur. Jam vero talis sapientia apparens, cum vitiis jam indicatis conjuncta, non est divina, neque cœlestis.

Sed terrena.] Loco superno seu cœlo opponitur locus humilis ac infimus, terra, cui istius sapientiæ falsæ vitiosæ origo adscribitur: cum & ii qui hanc sapientiam habent spiritum hujus mundi inferioris accepisse dici possint, de quo 1 Cor. 2. 12. & terrena sapiant, ac quærant, non ea quæ sursum sunt. Vide Col. 3. 2.

Animalis.] Ita denominatur ab inferiore animi parte quæ dicitur anima distincta à spiritu seu intellectu superiore, quæ hujus mundi voluptates, opes, & honores ad hanc vitam pertinentes spectat & cogitat, in iisque solis felicitatem suam quærit atque collocat. Ab hac anima sola qui reguntur, appetitum sequentes, ii, vocantur homines animales, 1 Cor. cap. 2. 14. & Judæ ℣. 19, ubi etiam dicuntur iidem non habere spiritum, nempe Dei.

Dæmoniaca.] Tum respectu originis quod à cacodæmone ut authore proficiscatur, tum respectu qualitatis, quod sit talis qualis in diabolo est, vitiosa & maligna, diaboli moribus conveniens.

Vers. 16. *Ubi enim zelus.*] Nempe talis de quali dictum est superius ℣. 14 amarus, *& contentio*, quæ vitia in istis magisterium affectantibus inesse, supra indicatum est: qualia in quibus insunt ii sunt carnales, ut dicitur 1 Cor. 3. 3.

Ibi tumultuatio.] Ex zelo amaro, & contentione rixosa, oriuntur talia effecta ut inter homines discordiæ turbæ atque seditiones excitentur. Vide 2 Cor. cap. 12. 20.

Et omnis parva actio.] Quippe ex zelo invido & ex contentione, id erumpit ut homines istis flagrantes, eo prorumpant, ut aliis cum quibus rixantur etiam malefaciant, & injuriis eos variis afficiant. Unde magna multorum maleficiorum congeries exoritur. Ex his malis affectibus probat sapientiam istorum magisterium temere affectantium, esse dæmoniacam seu diabolicam. Quia talibus inter homines discordiis & maleficiis diabolus delectatur.

Vers. 17. *Illa autem superne*, seu quæ de sursum est, *sapientia.*] Postquam ostendit superius istos qui volebant videri sapientes non habere veram sapientiam, jam exponit qualis sit ista vera sapientia ex cœlo à Deo profecta, describens eam à proprietatibus diversis: quales debent inveniri in iis qui pro vere sapientibus ac cœlesti sapientia præditis haberi volunt.

Primum quidem pura est.] Quidam vertunt *casta.* Sed videtur hoc loco non intelligi virtus illa quæ proprie castitas vocatur, & libidinibus opponitur. Verum generalius aliquid indicatur, nempe quod non sit contaminata turpibus ejusmodi affectibus terrenis quales superius sunt indicati, ut zelo amaro atque invido, & contentionis studio, & similibus, quibus infecta ac polluta est illa sapientia terrena, dæmoniaca. A talibus maculis & ipsa munda est, & homines in quibus inest mundos efficit. Nam hic per metonymiam effecti pro causa, significatur ab ista sapientia tales quales hic recensentur qualitates, in hominibus effici.

Deinde pacifica.] Id est pacis seu concordiæ cum aliis hominibus tenendæ studiosa, vide Marc. 9. ult. Hoc pacis studium & alibi commendatur Christianis Rom. 12. 18. XIV. 13. Hebr. 12. 14.

Æqua.] Seu modesta. Nempe de jure suo quantum fieri potest cedens, pacis causâ. Est igitur hoc medium egregium ad pacem tuendam. Talis æquitas commendatur etiam à Paulo Apostolo, Phil. 4. 5. [Ejusdem æquitatis cum mansuetudine conjunctæ exemplar est in Christo 2 Cor. 10. 1,] & nominatim requiritur in Episcopo 1 Tim. 3. 3.

Bene suadibilis.] Seu obsequens, quæ paret & obsequitur recte monenti: non pertinaciter atque mordicus suam tuetur sententiam, sed sinit se rationibus justis flecti in aliam partem meliorem. Etiam hoc est pacis atque concordiæ tuendæ medium eximium. Hoc ignorant ii qui falsa sapientiæ opinione tument, qui solent esse pervicaces, & cedere nescii.

Plena misericordiæ.] Ita ut non tantum miserorum utcunque misereatur, sed ad eorum miseriam levandam, opemque eis ferendam sit valde propensa, vel homines in quibus ipsa inest propensos faciat. Quæ misericordia & alibi commendatur Christiano Matt. cap. 5. 7. Luc. 6. 36. Col. 3. 12. Debet autem exhiberi etiam erga errantes, ne acerbe sed benigne tractentur. Insigne misericordiæ specimen præter alia habemus in Christo Matth. 9. 36.

Et fructuum bonorum.] Per istos fructus bonos, misericordiæ subjunctos, videntur intelligi præcipue opera beneficentiæ, erga proximos indigentes, quæ ex misericordia velut ex fonte rivi promanant. Qualia facta benefica etiam alibi bona opera nominantur 1 Tim. 6. 18. & Act. 9. 36.

Absque dijudicatione.] Non quod nihil omnino dijudicet, inter verum & falsum, bonum & malum, nam sapientia cœlesti præditis convenit talis dijudicatio; 1 Cor. 12. 10. XIV. 29. 1 Joh. 4. 1. Heb. 5. 14, sed quod non temere judicet de hominibus: vel potius quod non ex affectu carnali, per prosopolepsiam, respectu rerum carnalium inter proximos faciat discrimen, & quosdam aliis immerito præferat, alios contemnat. Qualis dijudicatio reprehenditur supra cap. 2. 4.

Et absque hypocrisi.] Seu simulatione. Sine fuco & fallaciis, sincere agens, ne aliud exterius ostentetur quam interius habeatur. Vere sapientes cœlesti sapientia præditi, tum in aliis rebus ad pietatem spectantibus vitant hypocrisin Pharisaicam, quam Christus sæpe reprehendit; Matth. 6. 2, 5, 16. & XXIII. 13, 14, 15, 23, 25, 27, 29. Luc. 12. 1, tum etiam in charitate proximis exhibenda. Vide Rom. 12. 9. 1 Tim. cap. 1. 5. 1 Petr. 1. 22.

Vers. 18. Commendat sapientiam pacificam atque

mansuetam & modestam, ab utilitate insigni ex ea proveniente talibus qui ea sunt præditi.

Fructus autem justitiæ.] Memoravit versu proxime præcedente *fructus bonos*, per quos intellexit bona opera, hic autem alio sensu per fructum intelligit præmium virtutum ac bonorum operum, quod is ex istis veluti enascatur ac proveniat. Ita fructus pro utilitate ponitur Rom. 6. 21, 22. & Hebr. 12. 11. *Justitiæ* nomine videtur hic significari omne id quod secundum jura divina & præcepta ex officio recte fit ab hominibus. Sicut hoc nomen *justitiæ* etiam alibi ita universaliter hoc sensu ponitur. Ut Matth. 3. 15. v. 20. Act. 10. 35. Eph. 5. 9. vj. 14. Hebr. 1. 9.

In pace.] Per pacem hic videtur non intelligi pacis & concordiæ studium, sed felicitas eximia, quæ etiam alibi in Sacris Literis pacis nomine notatur: quia in ea est egregia tranquillitas, ut in Epistolis Apostolicis plerisque sub initia earum pax denotat felicitatem. *In* autem videtur hic sumendum pro *cum*, ut sæpe fit, sicut annotatum est supra ad ℣. 13, vel intelligitur iste fructus esse situs in pace, id est felicitate. Ita per *fructum pacificum* Hebr. 12. 11, utilitas felix ac salutaris notatur.

Seritur.] Est metaphora sumta ab eo quando homines semina spargunt, ut ex eorum proventu excrescente postea fructum colligant, sationi convenientem. Indicatur ex hac semente justitiæ pacificæ hominibus parari & provenire messem uberrimam felicitatis, quamvis non statim sed postea percipiendæ. Videatur de tali seminatione spirituali locus Gal. cap. 6. 7, 8, 9.

Facientibus pacem.] Significat quibusnam iste fructus eximius paretur, nempe hominibus pacificis seu pacis & concordiæ studiosis, sectatoribus istius sapientiæ cœlestis, quæ versu superiore dicta est esse pacifica seu pacis studiosa. Quales *pacifici* ab ipso Christo pronunciantur *beati*, Matth. 5. 9, *quia ipsi* ut ibidem additur, *filii Dei vocabuntur*, id est erunt. Quoniam Deus est non tantum author sed & amator pacis 1 Cor. 14. 33. Etiam Psal. 133. ibi ubi concordia fraterna viget, Deus dicitur præcipere seu largiri benedictionem, & vitas, usque in seculum.

CAPUT IV.

Vers. 1. *Unde* &c.] Postquam superius istorum docendi alios munus sibi temere vendicantium, malos mores, ut zelum amarum seu invidentiam, & contentionum seu rixarum studium, reprehendit, & indicavit ex istis oriri seditiones & varias malas actiones cap. 3. 16, nunc istorum malorum fontem & originem indicat, pravas ipsorum cupiditates *Unde* scilicet existunt, seu oriuntur.

Bella & pugnæ.] Non videntur hoc loco intelligenda proprie certamina armatorum cum verberibus conjuncta, sed rixæ atque contentiones verborum, oppositæ paci, de qua superius actum. Ita eas vocat per exaggerationem & amplificationem. Etiam alibi per vocem pugnas proprie significantem, notantur contentiones intra verba consistentes. Ut Joh. 6. 52. 2 Tim. 2. 24. Tit. 3. 9. Quanquam inter homines valde iracundos & efferos, à certamine linguarum & verborum, etiam ad certamen manuum ac verberum interdum deveniri solet.

In vobis?] Id est inter vos. Nempe ut alii cum aliis mutuo contendatis. *In* pro *inter* ponitur, ut & alibi. Vide supra annotationem ad cap. 3. 13.

Nonne inde.] Interrogationi propositæ subjicit ipse responsionem: quam rursus proponit per interrogationem negative conceptam, quæ est intelligenda affirmative ut supra cap. 2. 4, 5, 6, 7. Ita de rebus certis quarum ii ipsi qui interrogantur conscii sunt, solet interrogari per communicationem.

Ex voluptatibus vestris.] Id est ex cupiditatibus quæ tendunt ad voluptates seu delectationes mundanas. Syrus Interpres habet *ex concupiscentiis.* Quas hic intelligi apparet & ex versu sequente, ubi sermo est de concupiscendo. Inter has præcipuæ sunt eæ quibus homines cupiunt ea quæ pro bonis in hoc mundo habentur, ut est cupiditas divitiarum, seu avaritia, & cupiditas voluptatum carnis, ut sunt libidines & luxuriæ, & cupiditas honorum seu ambitio atque superbia. Quas S. Johannes comprehendit sub concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastu hujus vitæ 1 Joh. 2. 16, quæ concupiscentiæ per illecebras objectorum excitatæ ducunt ad peccata, ut dictum supra cap. 1. 14 & 15. Ex occasione talium cupiditatum, solent oriri contentiones adversus eos qui in iis explendis obstare vel impedire videntur.

Quæ militant in membris vestris.] Antequam ad externas pugnas & certamina cum hominibus aliis deveniatur, prius in ipso homine est interna pugna & certamen, quando ex affectibus ortæ cupiditates variæ, in corde atque in aliis membris residentes, turbas excitant & tumultuantur, ac pugnant contra spiritum seu mentem partem hominis interni superiorem, quæ cupiditatibus istis resistit, recta & honesta suadens, turpia dissuadens. De quali pugna interna, in homine per Spiritum Christi non regenito vigente, videantur quæ dicuntur à Paulo Apostolo Rom. 7. 23. Gal. 5. 17. & 1 Petr. 2. 11. Hinc vero non sequitur spiritum hominis rationalem, in hac pugna cum carnalibus cupiditatibus, non posse, si Spiritu Dei Sancto adjuvetur eaque ope utatur, victoriam obtinere. Nam qui sunt veri Christiani, ii non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum Rom. 8. 1, 4, 9, & carnem crucifixerunt, cum passionibus & concupiscentiis Gal. 5. 24.

Vers. 2. *Concupiscitis.*] Nempe non contenti iis quæ habetis, plura & majora cupide appetitis. Loquitur de bonis corporalibus, quod patet ex versu mox sequente.

Et.] Id est *sed.* Quia hic opponuntur adversa. Vide supra annotationem ad cap. 2. 13.

Non habetis.] Id est hæc quæ habere cupitis non obtinetis, ita ut vestræ cupiditates effectu suo frustrentur. Similiter Salomon dixit Prov. 13. 4. Animam pigri concupiscere, & tamen quod concupiscit atque optat non habere. Hic autem intelligendum est, etiamsi isti cupiditate flagrantes impigre conentur ea quæ cupiunt assequi eisque potiri, tamen id eis non evenire, & irritum esse istum conatum, quia ei Deus non benedicit, nec cupita tribuit.

Occiditis.] Notandum est primum, verba ista usque

usque ad voculam *propterea* in quibusdam exemplaribus non inveniri. Deinde loco istius verbi quod significat *occiditis* φονεύετε, ab aliis legi verbum Græcum ab isto una tantum litera inserta diversum φθονεῖτε quod significat *invidetis*. Et sane non satis apte videtur verbo isti atroci *occiditis* subjici posse lenius *& æmulamini:* cum quo aptius cohæret verbum invidendi.

Sed tamen sciendum est, & à Christo ad præceptum legis de non occidendo adjungi præceptum de eo ne fratri irascamur Matth. 5. 21, 22, & eum qui odit fratrem suum pro homicida haberi, attestante Apostolo Christi dilecto 1 Joh. 3. 15. Sicut de eo qui fœminam ad concupiscendum eam aspicit, jam adulterium cum ea commisisse in corde suo censetur à Christo Matth. 5. 28. Ut istud est internum quoddam cordis seu animi adulterium, ita ira ultionem spirans & odio flagrans est internum quoddam in corde seu animo homicidium.

Et æmulamini.] Nempe æmulatione prava atque inhonesta, cum invidia conjuncta, ægre ferentes quod alii quædam Dei dona præ vobis habeant. Inde zelo amaro laboratis, de quo dictum est cap. 3. vers. 14.

Et.] Id est, & tamen, vel sed, ut paulo superius.

Non potestis assequi.] Quod supra dictum est *non habetis*, id hic diversis verbis sed idem significantibus indicatur: nempe istam cupidinem pravam cum peccato conjunctam esse vanam & optato eventu carere.

Pugnatis & belligeratis.] Nempe ita ut indicatum est vers. 1, alii cum aliis concertantes & contendentes.

Non habetis autem.] Nempe ista propter quæ tantopere certatis non consequimini. Molestum est laborare in vanum, & conatu suo in irritum cadente frustrari: quæ solet esse à Deo pœna eorum qui malis modis & mediis aliquid assequi conantur.

Propterea quod vos non petatis.] Cur non assequantur bona cupita, causa affertur, quod ea non petant, nempe à Deo. Cum omne donum bonum descendat ab isto Patre luminum, ut dixit ipse Jacobus sup. cap. 1. 17. Deus autem nonnisi bonis & bene petentibus bona sua largitur Matth. 7. 7, 8, 11. xxj. 22. Confer 1 Cor. 4. 7.

Vers. 3. *Petitis.*] Occurrit objectioni. Potuissent enim istorum aliqui dicere, se quoque ista à Deo petere. Concedit Jacobus eos aliquos aliquando etiam petere.

Et.] Id est, & tamen, vel sed, ut versu proxime præcedente.

Non accipitis.] Nempe à Deo, non impetratis, non dantur vobis talia. Etiam petitiones & preces vestræ sunt irritæ.

Ideo quod male petatis.] Malos & male petentes atque non debito modo precantes, Deus non exaudit, nec quæ petunt eis largitur. Vide Psal. 66. 18. Esa. 1. 15. Mich. 3. 4. Zach. 7. 13. Joh. 9. 31. Sed si fideles petant aliquid secundum voluntatem Dei, exaudiuntur ab eo 1 Joh. 5. 14. Male petunt non tantum ii qui absque fide seu fiducia, & absque demissione animi coram Deo, & absque enixa animi intentione precantur, sed etiam qui non bono fine precantur, qui iis quę impetraverint male uti cogitant.

Ut in voluptatibus vestris vel *in voluptates vestras, insumatis.*] Declarat quid intelligat per male petere: nempe malo fine atque scopo proposito. Bonis quæ à Deo homines petunt, possunt quidem licite uti ad sua quoque commoda honesta, sed præcipue usum eorum debent convertere ad ipsius Dei gloriam, & ad proximos suos juvandos, non vero eis abuti, impendentes ea ad voluptates inhonestas, ut ad luxuriam, atque fastum. Non omnes omnino voluptates in usu donorum Dei improbantur ac reprehenduntur, sed quæ sunt inhonestæ cum peccato conjunctæ. Nam alioqui & pii sumebant cibum cum exsultatione seu gaudio Act. 2. 46, & Deus ipse largitur fructus atque cibos, implens lætitia corda nostra Act. 14. 17. Sed hoc est inconveniens, si quis in usu bonorum à Deo datorum, suas tantum voluptates & quidem carnales, instar scopi ad quem collimet, sibi proponat atque præfigat. Sicut sibi proposuisse dicitur, ille dives, magnam frugum ubertatem nactus, in parabola à Christo repræsentatus Luc. 12. 19.

Vers. 4. *Adulteri & adulteræ.*] Reprehendit ulterius acriter istos homines voluptatibus inhonestis carnalibus mundanis addictos. Vocat eos adulteros, & adulteras, utrumque sexum & masculos & fœminas arguens turpis criminis, quod non videtur proprie intelligendum de thori conjugalis violatione, quam non ita obiter perstrinxisset, sed prolixius ex professo reprehendisset: verum de alio adulterio subtiliore, spirituali, per metaphoram ita dicto, quod verbis mox sequentibus declaratur. Nempe quod sicut conjuges adulterium committentes, amorem suum conjugibus debitum, ut mariti uxoribus, & uxores maritis, convertunt ad alienos; ita isti cum amorem ex toto corde & tota anima deberent deferre Deo Deut. 6. 5. & x. 12, cum Deus sit maritus populi sui Jer. 3. 1, 8, 14, & Christus Filius Dei sit sponsus Ecclesiæ suæ 2 Cor. xi. 2; tamen interim se, ad amandum hunc mundum converterent.

Usitatum est in scriptis Propheticis, ut hominibus à Deo aversis, & ad peccata, præsertim ad idololatriam versis, crimen adulterii seu scortationis attribuatur. Ut Esa. 57. 5, 8. &c. Jerem. 2. 20, 25. iij. 1, 2, 3, 8, 9. xiij. 27. Ezech. 16. 15, 16, 24, 25. seq. xxiij. 3. seqq. Ose 2. 2, 5. iv. 12, 13. seqq. ix. 1.

Nonne scitis.] Per istam interrogationem indicat eos, utpote cognitionem Dei & Christi jactantes, id quod mox dicet scire debere.

Quod amicitia mundi, inimicitia Dei sit?] Indicat quantum in amore voluptatum carnalium & aliarum rerum mundanarum, sit inconveniens, atque damnum: quippe cum id homines à Deo abstrahat, ejusque inimicos efficiat. Quos antea adulteros vocavit, eos nunc amicos hujus mundi esse innuit; unde apparet, per adulteros intelligi mundi amatores, qui mundo huic, Dei rivali, amorem suum Deo debitum addicunt.

Amicitia mundi.] Id est amicitia erga hunc mundum. Ea est, quando quis mundum istum immundum, id est tum homines huic mundo & isti seculo malo corrupto addictos, qui sæpe *mundus* vocantur, valde amat, & arctam cum eis societatem colit, tum res hujus mundi, quales sunt divitiæ, honores,

& voluptates carnales, vehementer diligit & consectatur.

Inimicitia Dei.] Id est inimicitia erga Deum, seu adversus Deum: quia mundus iste est Dei rivalis, qui hominem à Dei amore ad sui amorem pellicit, ideoque Dei adversarius; hinc fit ut qui mundum amat, Deum non amet. Nam si nullus servus duobus dominis diversis ac multo magis adversis servire simul potest, sed necesse est ut dum alterutrum diligit, alterum contemnat, ac odio habeat, ut Christus ipse dixit Matth. 6. 14; multo magis qui mundum hunc qui in maligno jacet 1 Joh. 5. 19 diligit, is Deum Optimum Maximum simul diligere non potest. Etenim dilectio hominum erga Deum sita est in eo ut quis voluntatem ejus faciat, & præcepta ipsius pro virili exsequatur, at hoc ipsum facere non potest is qui mundum hunc his contraria suadentem atque ad ea ducentem diligit. Hinc & S. Johannes, à mundi & earum quæ sunt in mundo rerum amore homines Christianos abducere volens, scripsit, *Si quis diligit mundum, non est dilectio Patris* (nempe cœlestis, id est Dei) *in eo* 1 Joh. 2. 15. Et ut Paulus Apostolus, dicit: *Carnis studium*, (quod cum amore mundi eodem recidit) *est inimicitia in Deum: quoniam legi Dei non subjicitur. Qui autem in carne sunt* (seu carnales atque mundani) *Deo placere non possunt* Rom. cap. 8. 7, 8.

Qui igitur voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur.] Ex dictis infert hoc consectarium, concludens quicunque mundi hujus amicus fieri studet, eum eo ipso facto fieri Dei (quippe mundo huic id est hominibus mundanis & eorum studiis adversi) inimicum.

At & nefas est ut homo ultro evadat Deo inimicus, & nihil magis noxium atque damnosum esse potest: quandoquidem Deus vicissim huic homini inimicus factus eum odio habebit, atque ut inimicum iram suam commeritum pro potentia & justitia sua gravissime puniet atque perdet.

Vers. 5. Sequentium verborum, tum quæ sit cohærentia cum antecedentibus & consequentibus, tum quis sit sensus genuinus, valde obscurum est, & explicatu difficile. Quærenda est explicatio non perplexa neque contorta.

An putatis quod inaniter Scriptura dicit: Ad invidiam concupiscit spiritus &c.] In verbis præcedentibus reprehendit amorem erga hunc mundum, in iis qui Dei amici haberi volunt, & declaravit non posse cum amicitia mundi consistere simul amicitiam Dei. Id amplificat à testimoniis Sacræ Scripturæ.

Putatis quod inaniter Scriptura.] Usitatum est nomine Scripturæ designari Scripturam Sacram divinitus inspiratam, ut dicitur 2 Tim. 3. 16, quia huic excellenter nomen istud convenit. Et quidem à Scriptoribus Novi Testamenti solet nomen hoc tribui Scriptis Veteris Testamenti. In quibus quicquid scriptum est, ad nostram doctrinam scriptum est Rom. 15. 4. Non est igitur putandum quidquam eorum quæ in Sacra Scriptura continentur inaniter & frustra scriptum esse.

Scriptura dicit.] Scripturæ ut personæ tribuitur quod dicat seu loquatur aliquid, ut & alibi Joh. 7. ℣. 38. XIX. 37. Rom. 4. 3. & Jac. 2. 23. Quod vel Deus loquutus est, vel viri divini Spiritu Dei afflati sunt proloquuti, idque scripto est consignatum, hoc Scriptura loqui dicitur.

Ad invidiam concupiscit spiritus &c.] Difficile dictu est ubinam in Sacra Scriptura hæc verba exstent. Certe iisdem literis consignata nusquam reperiuntur. Ideo aliqui putant S. Jacobum in eo cum scripsit, Scripturam quiddam huc pertinens dicere, non spectasse ista verba mox subjuncta, sed velut per parenthesin ista inseruisse, ad dehortandos Christianos ab invidia, & demum ℣. 6 afferre dictum S. Scripturæ, cum inquit, *ideo dicit, Deus* &c. sed hoc durum & perplexum esse apparet. Potius videtur hic indicari obscurius id, quod mox clarius exprimitur. Et potest hic esse ellipsis particulæ subaudiendæ *quod*, sicut Psal. 9. fine, & Zach. 2. 8. Cæterum similes citationes S. Scripturæ, verbis non ad literam expressis, habentur & alibi, ut Joh. 7. 38. Eph. 5. 14. Quod ad sensum attinet, videtur horum verborum sententia contineri ibi ubi Deus dicitur esse zelotes vel zelotypus; ut Exod. 20. 5. & XXXIV. 14. & Deut. 6. 15. Zelotypia est ægritudo ex eo quod alter eo quod quis amat potiri videatur. Ut fit in marito, dum conjugem adulterii suspectam habet. Qui affectus est affinis invidiæ. Cum invidentia sit ægritudo concepta ex eo quod alter fruatur quopiam bono quo eum aliquis non vult frui. Unde apud Hebræos eodem verbo notatur zelotypum esse, & invidere. Deus amore insigni prosequitur homines, à quibus etiam amari vult, & debet, ut notatum est ad versum proxime præcedentem. Non vult igitur Deus hoc perferre ac pati, ut homines qui ei velut marito suo desponsati, addicti esse debent, ad hujus mundi immundi velut ejus rivalis & æmuli amorem declinent.

Ille spiritus qui habitat in nobis.] Per spiritum istum non est intelligendus spiritus humanus naturalis seu animus, de hoc enim non solet ita dici in S. Scriptura quod in nobis habitet: quia est pars nostri: sed significatur Spiritus Dei Sanctus, de quo ita alibi dicitur quod habitet in hominibus Christianis, seu habitare debeat, ut Rom. 8. 9, 11. 1 Cor. 3. ℣. 16. Per quem Spiritum divinum, Deus in ipsis ut in templo suo habitat, sicut dicitur ibidem, vide & 1 Cor. 6. 19. Et S. Johannes dicit, nos inde cognoscere quod Deus maneat in nobis, quia ex spiritu suo dedit nobis 1 Joh. 3. 24. & IV. 12, 13. Quod igitur Deo ipsi esset attribuendum, id hic isti spiritui Dei attribuitur, quod quasi invide seu cum zelotypia concupiscat, ut homines Deo sint amici; non autem mundo.

Interrogationis nota ad finem hujus versiculi apponi solet. Sed non est necesse ista ultima verba legi cum interrogatione, quæ vim negandi habeat, cum recte videatur posse accipi assertive, ut est expositum.

Cui ista loci hujus obscuri declaratio non placet, is sequatur, si libet, expositionem Brenii: qui primum verba illa: *An putatis quod inaniter Scriptura dicit*, vult referri ad præcedentia, non ad sequentia. Deinde voce *invidiæ* pro vitio hominum accepta, verba ista *ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in nobis*, ita exponit, ut ab initio eorum subintelligatur particula interrogandi *an*, & post finem eorundem

rundem subauditur negatio: Haudquaquam ita est. Ut hic nova ratio contra concupiscentias & ex eis certas contentiones afferatur: quod spiritus Dei in Christianis habitans non doceat eos invidiam; sed contra potius iis qui ejus ductum sequuntur majorem subinde largiatur gratiam, quod invidiæ maxime adversatur.

Vers. 6. *Majorem autem dat gratiam.*] Nempe idem spiritus habitans in nobis, id est spiritus Dei, seu ipse Deus, ut causa principalis, per spiritum istum ut causam mediam, iis in quibus habitat, quique ejus ductui obsequuntur, & ab amore hujus mundi sunt alieni, subinde dat majorem gratiam, id est ex gratia promantia dona præcipue spiritualia. Ita per *gratiam* solent intelligi gratiæ effecta, seu dona Dei in homines collata. Ut Joh. 1. 16. Rom. 1. ỳ. 5. v. 17, 20. 1 Cor. 3. 10. Eph. 4. 7. 2 Tim. 1. 9. Hebr. 4. ult.

Videtur propterea in verbis proxime præcedentibus loco Dei positus esse spiritus ejus habitans in nobis, quia iste spiritus est causa proxima per quam dona Dei hominibus conferuntur. Ista verba *majorem autem dat gratiam*, superiori versiculo proxime præcedenti videntur adjungenda.

Ideo dicit.] Hæc verba cum sequentibus ad finem hujus versiculi absunt à quibusdam exemplaribus. Sed possunt recte connecti cum superioribus quorum videntur declarationem continere: ut ex una specie amicorum hujus mundi & Dei inimicorum nempe ex hominibus superbis, ostendatur quid de aliis quoque ejusdem generis hominibus sit statuendum, quomodo Dei spiritus erga tales sit affectus.

Dicit non exprimitur hic quis dicat, sed facile subintelligitur, nempe Scriptura, quum versu proxime præcedente dictum sit, *Scriptura dicit.* Similis loquutio est Eph. 4. 8. Verba autem quæ hic citantur sunt Solomonis Proverb. 3. 34, quanquam paulum diversi.

Deus superbis resistit.] In loco Proverbiorum Hebræus textus habet, *illusores ipse* [Jehova] *illudet.* At Græci LXX Interpretes ita verterunt ut hic citatur. Nam inter illusores recte censentur superbi, qui aliis sese præferentes eos contemnunt atque derident. Deus autem dum tales vicissim deridet ac iis illudit, eo ipso eis resistit. Nempe eos qui sese exaltant humiliat atque deprimit. Quod & Christus inculcavit Matth. 23. 12. Luc. 14. 11. xviij. 14. Isti honorem præ aliis inhoneste affectant, Deus autem honorem eis adimit, & consilia eorum turbat, & ignominia eos afficit. Ad Deum & supremum Dominum, debet referri omnis honor & omnis gloria. Cum ergo homines superbi ista quæ Deo debentur sibi vendicent, Deus id ægre fert, ideoque eis adversatur. Et in eo quoque cernitur spiritus divini zelus atque æmulatio.

Humilibus autem.] Nempe talibus qui sunt superbis contrarii, id est hominibus modestis ac demisso animo præditis. Jesus Christus ipse dixit se esse humilem corde, quod suos discipulos à se discere voluit Matth. xi. 29. Hæc sui humiliatio seu modestia est fundamentum aliarum virtutum.

Dat gratiam.] Id est ex gratia sua confert illis dona varia, tum corporalia tum spiritualia, tum in hac vita, tum in futura: demissum oculis servat, ut dicitur Job. 22. 29. Quia isti ipsi se humiliant, Deus eam humiliationem compensat, exaltans eos, ut dictum est à Christo, locis paulo ante ex Luca citatis. Quod antea obscurius indicaverat, spiritum Dei, dare majorem gratiam, id hic declarat, exprimens qualibus det gratiam, nempe humilibus seu modestis.

Vers. 7. *Subjiciamini igitur.*] Ex superius dictis, præsertim de superborum damno, & humilium seu demissorum præmio, quod utrumque à Deo proficiscitur, infert monitum quo hortatur istos ad demissionem coram Deo: quia, ut ex superioribus apparet, isti mundum hunc amantes, Dei fiebant inimici, ei rebellantes.

Subjiciamini.] Id est subjicite vos ipsos: monet enim istos ut id ipsi faciant. Verbum passivum positum est pro reciproco. Ut & alibi; Rom. 10. 3. xiij. 1, 5. Ephes. 5. 21, 22, 24. Tit. 2. 5, 9. iij. 1. Hebr. 12. 9. 1 Petr. 2. 13, 18. iij. 1. v. 5.

Deo.] Qui est Dominus vester supremus, Optimus Maximus, cujus vos subditi esse eique obedire ex officio debetis: cui si obediatis, gratiam is suam ad vos convertet, vosque donis & bonis variis cumulabit.

Resistite Diabolo.] Deo maxime contrarius, ejusque hostis, & simul hostis atque adversarius eorum qui Deo serviunt, est Diabolus. Ille qui aliquando inter Angelos cœlestes fuit, sed ob peccatum in quo pertinaciter mansit, è cœlo deturbatus à Deo, cum exercitu malorum angelorum, quorum ipse princeps est, variis technis ac modis fideles Dei oppugnat, volens eos à gratia Dei quam ipse culpa sua amisit, & à cœlesti beatitate avertere, vide 1 Petr. 5. ỳ. 8 & Apoc. 12. 9, 10. Is est princeps hujus mundi Joh. 12. 31. xiv. 30, qui operatur in filiis inobedientibus Eph. 2. 2, cui locum apud se dant ii qui vitium aliquod in corde fovent Eph. 4. 27. Is ad varia peccata, Deo exosa, & saluti humanæ noxia, homines incitat atque impellit. Ut sunt & ista quæ S. Jacobus in iis ad quos hanc epistolam scripsit, reprehendit: inter alia, zelus amarus, contentiones & rixæ cum fratribus, & amor mundi hujus atque mundanarum voluptatum. Huic hosti & adversario maxime noxio, debent ii qui fideles Dei censeri volunt, resistere atque repugnare, ejusque dolos atque machinationes & assultus reprimere & avertere. Quod fit maxime per fidem seu fiduciam firmam in Deo ejusque gratia & promissis collocatam: ut monet S. Petrus 1 Petr. 5. 8, 9, ac per illa arma panopliæ cœlestis quæ militibus Christianis adversus istos hostes spirituales militantibus commendat, ille insignis in hac militia ductor & antesignanus, Paulus Apostolus Eph. 6. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18.

Et.] Id est tunc, quando hoc facietis, quando ei resistetis, hic eventus consequetur. Ita vocula *&* non raro sumitur. Ut Matth. 6. 33. loco posteriore. vij. 7. xj. 29. Luc. 6. 37, 38. xiv. 14. Philip. 4. 9. loco ultimo. Jac. 1. 5. loco posteriore.

Fugiet à vobis.] Quantumvis potens adversarius iste, Diabolus, tamen si ei vos oppugnanti resistatis, non tantum vos non expugnabit nec superabit

sed etiam à vobis superabitur, & terga vertens, victoriam vobis cedet. Sicut narratur de crocodilo, qui cum fugientes insectetur, tamen insectantes fugit. Non vincit iste hostis eos qui ipsi fortiter repugnant. Habemus exemplum in Duce nostro, Domino Jesu, quem quum iste adversarius diversis modis oppugnasset, Jesus autem ei restitisset, reliquit eum Diabolus Matth. 4 11.

Vers. 8. *Appropinquate Deo.*] Quoniam & superius ℣. 4, indicavit istos homines per amicitiam cum hoc mundo initam, factos esse inimicos Dei, ab eo aversos, & proxime monuit ut Deo sese subjicerent, ac ejus adversario Diabolo resisterent; ideo hic monet ut ad Deum appropinquent. Hæc appropinquatio ad Deum alioqui à nobis remotum, qui habitat lucem inaccessibilem 1 Tim. 6. 16, qui est invisibilis Spiritus Joh. 4. 24, debet fieri spiritu & animo. Is Deo appropinquat ad eumque accedit, ut dicitur Hebr. 7. 25. & xj. 6, qui Deo placere studet, quique eum colit, vide & Soph. 3. 2. Ad quod requiritur fides vera, ut indicatur à Divino Authore ad Hebræos isto proxime allegato loco, & Hebr. 10. 22. Et resipiscentia seria, quæ etiam conversio ad Deum passim nominatur. De qua, inter alia videnda loca Esa. 31. 6. Jer. 18. 11. Ezech. 18. ℣. 30, 31. Joël 2. 12, 13. Zach. 1. 3, 4. Malach. 3. 7. 1 Thess. 1. 9. Et denique maxime charitate atque dilectione, qua quis Deum diligit ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus suis. Nam charitas seu amor qui est affectus unionis, atque mutua amicitia, unit amantem cum amato. Quamobrem respectu fidei, & charitatis, quam Christiani erga Deum & Dominum Jesum profitentur, dicitur: *Qui agglutinatur Domino, unus* [nempe cum eo] *spiritus est* 1 Cor. 6. 17. Charitas autem erga Deum, sita est in mandatorum ejus observatione 1 Joh. 5. 3. Oportet ad Deum appropinquare, non ore, ut labiis eum colamus, sed corde, ne id procul absit ab eo, quod olim est exprobratum Judæis Esa. 29. 13. & Matth. 15. 8.

Et.] Id est tunc, si hoc feceritis, id sequetur. Vide de hac particula notata supra vers. 7.

Appropinquabit vobis.] Si hoc agatis ut Deo vos homines appropinquetis, inde habebitis istud eximium operæ pretium, & insigne præmium, quod Deus vobis sit quoque appropinquaturus, seu ad vos accessurus. Deus Optimus Maximus, ille Altissimus qui inhabitat cœlestem æternitatem, accedit proxime ad homines spiritu humiles ac modestos, atque cum eis libenter habitat Esa. 57. 15. Specimen hujus rei quod iis qui ad Deum appropinquant per conversionem, Deus ipse appropinquet, proposuit Christus in illa parabola Luc. 15. 20 seqq. quum filio olim prodigo, qui à Patre procul discesserat, & bona ab eo data luxuriose profuderat ac dilapidaverat, resipiscenti & ad Patrem redeunti, Pater ejus misertus occurrit, eumque benigne in gratiam recepit. Per hunc enim Patrem Deus significatur. *Propinquus est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & clamorem eorum audiet, & servabit. Custodit Dominus omnes diligentes ipsum* Psal. 145. 18, 19, 20. Hæc est Dei ad homines appropinquatio, quando is hominibus gratiam suam & favorem reipsa ostendit. Quamvis autem Deus gratiam suam priorem antecedentem offerat etiam iis qui ab eo adhuc sunt aversi; tamen gratiam consequentem & ejus plenam largitionem non conferet nisi iis qui ad ipsum ita ut dictum est appropinquant.

Emundate manus, peccatores.] Hortatur ulterius ad seriam de peccatis pœnitentiam. Quia manibus multas actiones externas homines peragere solent, & quidem sæpe malas, ut cædes, furta, rapinas, ideo per manuum emundationem significatur actionum externarum in melius mutatio, vide Esa. 1. 15, 16. LIX. 3, 6. Jonæ 3. 8. Qui vult appropinquare ad Deum purissimum oportet ut se purget ab immunditiis. Cujus rei typus fuit Exod. 19. 10, 14, 15. & Num. 8. 7.

Et purificate corda.] Quasi castificate. Per cor intelligitur animus, cujus sedes ac fons in corde esse putatur. Indicat non tantum respectu externarum actionum mundos à peccato esse debere Christianos, sed etiam animos eorum purgandos esse à vitiis. Fons iste si purus erit, etiam rivi ex eo manantes fient puri. Ita Paulus Apostolus monet 2 Cor. 7. 1, ut nosipsos mundemus, ab omni pollutione carnis, & spiritus, id est à peccatis tum externis, tum internis. Ex corde procedere peccata quæ polluunt hominem dixit ipse Christus Matth. 15. 19, 20. Marc. 7. 21, 22, 23. Quamvis Deus homines peccatorum pœnitentiam agentes mundet & ab iis expiet Psal. 51. vers. 4, 9, tamen & homines ipsi in id operam impendere debent ut sese mundent & purificent, sicut hic dicitur, & alibi, tum in locis paulo ante allegatis, tum 1 Tim. 4. 8. 1 Joh. 3. 3.

Duplices animo.] Antea cap. 1. 8, virum duplici animo, vocavit eum qui non est de religione Christiana ut vera firmiter persuasus, sed partim credit partim dubitat. Hic videtur potissimum respicere id quod supra vers. 4 notavit, nempe quod isti velut adulteri & adulteræ, vellent simul & Dei & hujus mundi esse amici: atque ita cor & animum atque amorem suum inter Deum & hunc mundum partirentur: cum Deus ex toto corde & ex tota anima sit amandus. At hoc ipsum cum quis ita Dei amorem præ se fert ut tamen huic mundo sit amicus, eodem recidit, ut talis homo non sit de religione à Deo proposita ut vera firmiter persuasus.

Vers. 9. *Affligimini.*] Id est per peccata accersitum vobis miserabilem statum, à pœnis divinis imminentem agnoscite, & proinde pœnitentiam cum cordis atque animi compunctione & contritione agite.

Et lugete.] Id est ob peccata commissa, dolore animi & tristitia afficiamini.

Et plorate.] Tristitiam vestram inde conceptam, & pœnitentiam, etiam fletu atque lachrymis testamini. Vide Joël 2. 12.

Risus vester in luctum convertatur.] Quia superius notavit istos voluptatibus mundanis indulgere solitos esse vers. 3, 4, quas voluptates solet comitari risus, quo homines lætitiam testari solent; ideo eos ad pœnitentiam commonefaciens, jubet ut risum suum qui est voluptatis indicium, convertant ipsi in luctum, signum doloris atque tristitiæ. Risum ex rebus

rebus secundum carnem lætis ortum, sequi solet luctus & fletus, vide Luc. 6. 25. Sed si quis mature pœnitentiam agens luctum voluntarium suscipiat, felix erit, quia ejus luctus & fletus, secundum Deum 2 Cor. 7. 10, 11, consolatione & gaudio compensabitur Matth. 5. 4. Luc. 6. 21.

Et gaudium in mœrorem.] Quamvis gaudium purum sincerum è virtutis conscientia & spe gratiæ Dei ortum, commendetur & præcipiatur veris Dei cultoribus Psal. 32. fine, Philip. 4. 4. 1 Thess. 5. 16; tamen si quis ex rebus carnalibus terrenis mala mentis gaudia perceperit, cum peccato conjuncta, oportet ut animo in melius mutato, per pœnitentiam, pro gaudio mœrorem suum ex peccato, & Dei offensa, atque pœnarum ejus metu suscipiat. Ut faciebat David Psal. 25. 18. xxxij. 3, 4. xxxviij. 4, 5. seqq. 9, 19. & Petrus Matth. 26. 75, & illa fœmina peccatrix, pœnitentiam agens Luc. 7. 38. Vox Græca quæ hic vertitur per *mœrorem*, proprie significat demissionem oculorum, seu vultûs. quæ oritur ex pudore vel mœrore. Monitum istud videtur oppositum illi istorum peccato, quod voluptatibus carnalibus inhoneste luxuriose indulgerent, de quo supra ℣. 3.

Vers. 10. *Humiliemini.*] Id est demittite vosipsos & animos vestros elatos. Est verbum passive positum pro reciproco, ut supra ℣. 7. Quia ex animi elatione atque superbia oriebantur ista vitia quæ in istis hominibus superius sunt reprehensa, ut quod pauperes contemnerent & ignominia afficerent, quod sapientiam sibi falso arrogarent, quod zelo amaro atque æmulatione erga alios laborarent; ideo eos hortatur ad virtutem, superbiæ adversam, nempe ad humiliationem sui voluntariam, & demissionem animi. Hujus virtutis exemplum exstat in Davide 2 Reg. 7. 18. & Psal. 131. & in Paulo Apostolo 1 Cor. 15. 9. 1 Tim. 1. 13, 15. Hos imitari debent alii homines, qui tametsi sint aliquibus Dei donis exornati præ aliis hominibus, tamen sunt homines, multis obnoxii defectibus, non tantum à natura ortis, sed etiam culpa propria, per peccata acquisitis.

In conspectu Domini.] Nempe coram illo supremo Domino dominorum, Deo Altissimo. Is omnia è cœlo desuper intuetur & cernit omnia, non tantum facta hominum externa, sed etiam in animo latentes cogitationes Psal. 33. 13, 14, 15. Is vero Dominus, superbis resistit, humilibus autem ac modestis dat gratiam, ut dictum est supra ℣. 6, qui etiam ita potentem manum habet, ut ea possit deprimere eos qui se coram ipso nolunt humiliare, quo argumento etiam indicato Petrus Apostolus suadet hominibus animi demissionem 1 Petr. 5. 6.

Et.] Id est tunc, si vos coram Deo humiliaveritis, hoc consequetur. Vide de hac particula supra vers. 7.

Exaltabit vos.] Humiliationis voluntariæ seu demissionis (cum virtutibus aliis eam consequentibus) præmium insigne à Deo proponit, quod is eos qui seipsos coram eo humiliant sit exaltaturus, seu ex humili statu in sublimem & valde honoratum evecturus. Id Deus facit & in hoc seculo, adhuc in terris, & maxime in futuro seculo, in cœlis. Maxima hominum mortalium exaltatio in eo consistit, ut ad dignitatem filiorum Dei attollantur, & ad gloriam divinam cœlestem participandam admittantur. Qui adipiscentur salutem cum gloria æterna, & simul cum Christo regnabunt 2 Tim. 2. 10, 12, & digni habebuntur regno Dei 2 Thess. 1. 5, & videbunt faciem Dei, & Dominus ille Deus illuminabit eos, & regnabunt in secula seculorum Apoc. 22. 4, 5.

Vers. 11. *Ne obtrectate alii alios, fratres.*] Dehortatur eos à vitio, humiliationi sui, de qua proxime loquutus est, seu modestiæ, adversante, ac ex superbia ei contraria prodeunte, nempe ab obtrectatione. Quod vitium etiam alibi reprehenditur Lev. cap. 19. 16. Rom. 1. 30. 2 Petr. 2. 1. Consistit autem in eo quando quis de quopiam male loquitur, eum temere criminando, ut famæ ejus aliquid detrahat: quod faciunt aliqui vel absenti clam, qui vocantur susurrones, vel etiam præsenti, palam, qui nominantur obtrectatores. Græcum verbum hic positum significat adversus alios loqui. Sed hoc si accipiatur simpliciter, potest fieri absque peccato, nempe si quis erronea docentem vel peccantem reprehendat, tum ipsius qui delinquit corrigendi, tum aliorum à similibus delictis avertendorum causa, ad gloriam Dei: sed cavendum est ne id fiat studio famæ alicujus lædendæ, & cum verborum acerbitate.

Qui obtrectat fratri, & judicat fratrem suum.] Affert rationem ob quam vitanda sit ista obtrectatio. Pro eodem autem hic sumitur obtrectare fratri, & judicare fratrem. Non semper vitiosum est judicare aliquem, si id fiat absque superbia, & absque temeritate atque absque defectu charitatis. Ut si quispiam de manifestis, atque cum Dei verbo expresso pugnantibus, erroribus aut peccatis, judicium proferat justum. Sed temeraria & iniqua judicia atque damnationes vetantur etiam alibi: ut Matth. 7. 1. Luc. 6. 37. 1 Cor. 4. 5. Videntur autem hic reprehendi præcipue ista judicia condemnatoria, quæ fiunt ob talia qualia lege Euangelica non damnantur, ut circa observationem dierum, & ciborum, & circumcisionis &c. quam ex Lege Mosaica adhuc retinebant & retinendam censebant Judaizantes, alii vero se his jam non obstringi recte existimabant. Multo magis autem est reprehendendum si quis ob ea quæ Dei lege nunquam præscripta sunt, sed tantum sunt placita & mandata hominum, alios homines Christianos, proinde fratres suos, ut peccantes ac impios judicet & condemnet, ut meritos mortis æternæ supplicium.

Obtrectat legi, & judicat legem.] Quando nempe ob talia quæ lex non præcipit, ipse alium criminatur & condemnat, perinde facit ac si legem istam ut imperfectam argueret atque damnaret. Per legem hic intelligi videtur lex Christi Euangelica, quæ etiam superius vocata est lex perfecta libertatis, cap. 2. vers. 25.

Si autem legem judicas, non es factor legis, sed judex.] Ostendit quam inconveniens sit ut quispiam legem divinam ita judicet ut eam imperfectionis arguat. Per Apostrophen converso sermone ad unum ex talibus, in cujus persona omnes tales alloquitur. Factores legis istius esse debent omnes qui pro subditis Dei & Christi censeri volunt, vide Rom. 2. 13. &

Jac. 1. 25. Non est autem fas neque conveniens ut is cui lex lata est quique eam servare tenetur, id sibi usurpet ut sit ipsius istius legis judex, ut eam vitii arguat & damnet, atque ita supra legislatorem sapere, seque supra eum extollere velit.

Vers. 12. *Unus est legislator.*] Quædam exemplaria addunt *& judex.* Ulterius probat inconveniens esse ut aliquis hominum sese legis judicem constituat: quia nonnisi unus est legislator, nempe à Deo Altissimo constitutus, qui Dei nomine legem istam novam, legem perfectam libertatis tulit, nempe Jesus Christus, qui sicut legem istam constituit & sancivit, ita etiam secundum eandem est omnes judicaturus.

Qui potest servare & perdere.] Qui habet jus & potestatem judicium ultimum exercendi, & vel salute æterna vel perditione atque exitio extremo aliquem dignum decernendi, cum effectu consequente. Is est Jesus Christus, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra Matth. 28. 18, cui Deus dedit omne judicium Joh. 5. 22, 27, quum constituit eum judicem vivorum ac mortuorum Act. 10. 42. Huic ergo soli judicium de servandis & perdendis in æternum, est relinquendum.

Hinc recte concludi potest Episcopum Romanum non habere jus ferendi leges quæ hominum conscientias obligent, & si quis eas non observet, æternæ perditioni eum adjudicandi. Quoniam is non est ille unicus Legislator.

Tu quis es qui judicas alium?] Aliqui codices habent: *Tu autem quis es, judicans proximum?* Tu qui non es legislator, cui non convenit judicium decretorium de salute aut perditione.

Quis es?] Homo mortalis, ipse olim à Domino judicandus.

Judicas alium.] Decretum damnatorium ferre audes de altero, qui est proximus & frater tuus, non servus aut subditus tuus: cur tibi hanc usurpas authoritatem? Similia sunt & huc spectantia illa Pauli Apostoli in ejusmodi negotio verba Rom. 14. 4. *Tu quis es, judicans alienum famulum? Proprio Domino stat aut cadit.* Et deinde ibid. ℣. 10. *Tu autem quid judicas fratrem tuum?* &c. *omnes enim sistemur coram tribunali Christi.*

Vers. 13. *Age nunc.*] Seu agedum, vel eja. Est adverbium excitandi. Convertit sermonem ad quosdam, qui etiam ex quadam superbia, Dei negligente, sibiipsis negotiationum suarum felicem ac prosperum eventum pollicentur, quasi eventus rerum sit in eorum arbitrio positus.

Qui dicitis.] Id est dicere soletis, talia vel his similia. Per prosopopœiam seu mimesin repræsentat eorum sermones.

Hodie aut cras.] Vel ista die præsente, vel etiam consequente, futura.

Vademus, aut proficiscemur, domo egressi, *in illam urbem.*] Aliquam, mercatura insignem, emporium celebre, quia de mercando agitur, ut patet ex sequentibus. Tales urbes celebres in quibus mercimonia illo tempore maxime vigebant, erant, in Asia quidem majore, Damascus & Antiochia Syriæ; Sidon & Tyrus Phœniciæ, in Asia minore Ephesus, in Africa, Alexandria Ægypti, in Europa, Corinthus Græciæ emporium, & Roma Italiæ imo totius orbis urbs præcipua.

Et agemus illic.] Id est degemus aut commorabimur. Ita verbum istud eodem significatu pro commoratione ponitur etiam alibi. Act. 15. 33. xviij. 21. & 23. xx. 3. & 2 Cor. xj. 25.

Annum unum.] Non exiguum tempus commorandi, sed satis longum sibi præfigunt, multos dies.

Et mercabimur.] Seu negotiabimur, vendendo merces nostras, ac alias emendo.

Et lucrabimur.] Hoc suis negotiationibus pro scopo præfigunt Mercatores, ut faciant lucrum & quæstum ex mercibus, viliore pretio emtis, cariore autem venditis, & cupiditate lucrandi ac semper majores opes absque termino accumulandi perpetuo flagrant: ac promittunt sibiipsis ex mercimoniis suis lucri acquisitionem: quamvis sæpe pro lucro damnum referant. Non est quidem culpandum lucri studium simpliciter, dummodo sit absque avaritia solicitudine atque injustitia: ut homo victum & amictum honestum acquirat, eoque fruatur absque luxuria, atque ut habeat quod etiam largiatur indigentibus Eph. 4. 28. Sed hoc merito culpatur, quod homines ejusmodi nec Deum nec suæ vitæ incertitudinem spectantes, talia se effecturos audaciter & secure sibi polliceantur, ut patet ex mox sequentibus.

Vers. 14. *Qui non scitis quid erit in crastino.*] In Græco textu est sermo incompletus, *illud crastini*, id est crastinæ diei eventum. Reprehendit istorum hominum talia sibi secure proponentium de tempore longinquo, ut anno, cum ignorent quid die crastino, vel postquam istud dixerunt postridie sit futurum, ut num sani ac valentes, imo num vivi sint mansuri, vide Luc. 12. 18, 19, 20. Quis scit an adjiciat hodiernæ crastina vitæ Tempora numen? Imo Nescis quid serus vesper vehat. Proinde ut & Poëta monet: Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Huc pertinet dictum Solomonis Prov. 27. 1. Ne glorieris de die crastino, quia nescis quid pariturus sit dies.

Qualis enim vita vestra?] Nempe quam infirma, evanida, & cito transiens? non stabilis aut durabilis.

Vapor enim est.] Incertitudinem & fugacitatem vitæ humanæ declarat, dum eam vocat vaporem, per metaphoram, quia est similis vapori. Quippe sicut vapor aliquis vel exhalatio, sive è terra sive ex aqua egrediens, aliquantum apparet, & videtur interdum esse aliquid magnum, mox autem vel per ventos dissipatur, vel ultro in aërem dilabitur & evanescit; similiter vita nostra terrena per aliquod tempus manens, brevi deinde perit. Videtur etiam respici eo quod homo dum vivit ac spirat halitum vitalem instar vaporis subinde exhalet.

Ad exiguum scilicet tempus *apparens, deinceps autem evanescens.*] Exprimit quatenus vita hæc terrena sit vapori similis: nempe quod parvo ac brevi tempore duret, deinde autem dispereat. Ob eandem causam alibi comparatur vento, & umbræ Job. cap. 7. 7. viij. 9, ac flatus in naribus nostris fumo assimilatur Sap. 2. 2. Hæc vitæ nostræ fugacitas cujus specimina quotidiana oculis nostris obversantur, dum etiam juvenes & vegetos, inopinato mori videmus, monere nos debet præter alia ne nobis longævitatem polliceamur, sed ita caute coram Deo vitam

vitam agamus, tanquam mox vel cras vel adhuc hodie morituri. Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam. Quid brevi fortes jaculamur ævo, Multa?

Vers. 15. *Pro eo quod dicere deberetis.*] Postquam reprehendit temerarias istorum cogitationes & loquutiones, nunc docet quomodo in talibus negotiis cogitare & loqui debeant.

Si Dominus voluerit.] A Dei voluntate & ipsi homines dependere, & suorum factorum dispositionem suspendere debent: nec nisi cum conditione permissionis ab eo, se aliquid facturos polliceri. Nam in ejus manu, & valetudo & vita nostra, & facultates, & facta nostra versantur. Ille quandocunque vult inhibere ista potest. Hominis quidem sunt dispositiones cordis Prov. 16. 1, sed à Domino gressus viri diriguntur Prov. 20. 24, seu ut adagio dicitur: Homo proponit, Deus disponit, vide Prov. 16. 9, cor hominis cogitat viam suam, at Dominus disponit gressum ejus. Ideo viri sancti de iis quæ facere volebant, hac conditione de voluntate Dei præmissa loquebantur. Ut Act. 18. 21. Rom. 1. 10. xv. 32. 1 Cor. 4. 19. xvj. 7. Hebr. 6. 3. Et nos in proponendis actionibus nostris tali aut simili hypothesi uti debemus, non per modum loquendi quasi proverbialem, sed per pietatem.

Et vivemus.] Id est, &, si ejusdem Domini, id est Dei, voluntate atque permissione vita nobis suppetet.

Et faciemus hoc aut illud.] Particula *&* videtur hoc loco redundare, ut Gen. 22. 20. xxix. 9, 13. Exod. 1. 16. xxj. 8. xxxij. 34. Lev. 25. 2. Deut. 19. ℣. 16. xxiv. 1. Jud. 14. 12, 13. 2 Sam. 15. 2. *& vocabat* Job. 8. 4. Psal. 55. 20. loco poster. Matth. 28. ℣. 9. Luc. 2. 21. loco posteriore. Vel accipitur pro *tunc.*

Vers. 16. *Nunc autem gloriamini in arrogantiis vestris.*] Opponit isti monito recto, ipsorum mores pravos, cum superbia conjunctos, quod plura quam par est sibi assumerent, seque quod liberet facere posse jactarent.

Omnis gloriatio talis mala est.] Ex animo malo irreligioso proficiscitur: quando homo de se gloriatur. Qui gloriatur, in Domino glorietur Jer. 9. 23, 24. 1 Cor. 1. 31. 2 Cor. 10. 17.

Vers. 17. Videtur occupare istorum objectionem. Possent enim dicere, se hæc & talia quæ ipse monet, jam scire: præsertim cum & aliorum doctores esse vellent, ut indicatum est supra cap. 3. 1, & se sapientes atque scientes esse existimarent, ut apparet ibid. ex ℣. 13. Dicit ergo;

Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum ei est.] Significat tanto pejus esse si quis sciat quid sit bonum, quid faciendum, & tamen non faciat, quam si nesciat: tanto majorem & graviorem esse illius culpam & reatum quam istius, quia est sine excusatione, vide Luc. 12. 47. Ita voces habendi peccatum, quæ cum his *peccatum ei est* idem significant, non pro actu, sed pro reatu peccati sumuntur Joh. 9. 41. xv. 22, 24. 1 Joh. 1. 8.

CAPUT V.

Vers. 1. *Age nunc divites.*] Postquam superius amorem hujus mundi reprehendit, c. 4. ℣. 4, & homines amori mundi ac rerum mundanarum addictos, ut lugerent ac pœnitentiam agerent, monuit, ibid. vers. 9, atque etiam perstrinxit eos qui per negotiationes, cum confidentia lucra sibi promitterent vers. 13; nunc insectatur in specie divites injustos; & quidem eos qui ita à religione vera sunt alieni, ut etiam veros Dei & Christi cultores affligant ac persequant: ut patet ex iis quæ dicuntur de iis infra vers. 6. Divitem esse non est per se malum. Nam S. Paulus præscripsit Timotheo quid præcipiendum sit divitibus, non ut abjiciant divitias, sed ut ex eis liberaliter largiantur 2 Tim. 6. 17. Verum tamen tum ditescere volentes incidunt in multas cupiditates noxias, tum divitiæ sunt homini ad cœlum tendenti sarcinæ onerosæ, & cum debeant esse virtutis adjumenta, sæpe sunt periculosa ejus impedimenta. Unde divitiarum deceptio seu divitiæ deceptrices spinis merito comparatur Matth. 13. 22. Plerumque divites hujus seculi sunt injusti, vel in acquirendo, vel in utendo.

Plorate.] Divites solent ob divitias suas gaudere, eisque tanquam bono eximio lætari. At S. Jacobus eos jubet lugere, & luctum fletu testari: significans eos in statu infelici versari, ob ea quæ mox indicat. Etiam supra cap. 4. 9, jussit lugere & plorare eos qui ex amore hujus mundi peccata commiserant.

Ululantes.] Magni mœroris signum est ululatio seu ejulatus, qui etiam alibi adjungitur ploratui, Joël 1. 13.

Super miseriis vestris supervenientibus.] Exprimit quam ob rem isti divites qui se putant esse felices, & gaudendum sibi esse opinantur, debeant plorare atque ejulare: Nempe ob miserias quæ propter peccata ipsis justo Dei judicio imminent. Eæ autem tum Judæis improbis, superventuræ erant, per Romanos, tum Romanis & aliis gentibus, per varia à Deo illata supplicia: & tandem maxime superveniente tempore ultimi judicii.

Vers. 2. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt.*] Miseriarum imminentium istis divitibus improbis causas affert. Prima est hæc, quod cum multas divitias congestas ac repositas haberent, tamen in earum usu essent parci, atque illiberales: ita ut eas asservando, potius sinerent corrumpi & male perire, quam ut ex eis hominibus egentibus benefacerent. Et hæc ipsa absque usu corruptio opum inanis, est talium avarorum ac parcorum pœna. Inter divitias maxime cito putrescere possunt fructus terræ, frumenta &c.

Et vestimenta vestra à tineis comesta sunt.] Inter alia quæ divites copiose sibi comparare solent, sunt etiam vestes: quæ ubi multæ superfluæ congeruntur, etiam absque usu corrumpuntur, à vermibus quales sunt tineæ, blattæ, corrosæ. Nonne satius esset pauperes, seminudos, vestibus istis amicire?

Vers. 3. *Aurum vestrum & argentum ærugine vitiatum est.*] Inter divitias, & quidem bona quæ vocantur mobilia, videntur esse durabiliora cæteris metalla pretiosa, ut aurum & argentum: ex quibus tum

tum vasa varia ac cimelia, tum pecuniæ, conficiuntur. Sed & hæc corruptioni sunt obnoxia. Quamvis aurum habeatur pro incorruptibili, & non soleat ab ærugine seu rubigine exedi: nisi sit impurum & insincerum, ut cum ære permistum. Facilius argentum corroditur.

Et ærugo eorum in testimonium vobis erit.] Id est adversus vos, testabitur in die judicii vos fuisse parcos, illiberales, qui ista metalla in thesauris vestris reposita, ac frustra sine usu jacentia ut superflua, potius corrumpi siveritis, quam ut ea in usus necessarios proximorum vestrorum indigentium erogaretis. Ærugini rei non vivæ, inanimatæ, tribuitur testimonii perhibitio, per prosopopœiam. Ita alibi loquutio ista *in testimonium illis*, ponitur eo sensu, ut significet homines argumento evidenti convictos, reddi inexcusabiles. Ut Matth. 8. 4. x. 18. xxiv. 14. Marc. 6. 11.

Et manducabit carnes vestras.] Id est erit, vobis causa exitii & perditionis: ut nunc est causa corruptionis metallorum vestrorum, quæ exedit & corrodit. Quanquam non tantum carnes seu corpora, sed etiam animæ & spiritus istorum hominum improborum, exitio afficientur.

Sicut ignis.] Solet ignis corpora sibi objecta ita urere ut ea corrumpat; & devorare dicitur. Sic ab ira divina & ex ea manante pœna, homines à Deo damnati ut ab igne perduntur atque consumuntur. Ut Psal. 21. 10. Esa. 30. 27, 30. Etiam per ignem vere & proprie dictum punientur olim à Deo per Jesum Christum homines impii. Vide Matth. 13. 42. 2 Thess. 1. 8. Hebr. 10. 27.

Thesaurizastis in ultimis diebus.] Notat porro eorum avaritiam valde inconvenientem. Potest hoc & ita intelligi quod homines avari soleant in senio & ultimis vitæ suæ temporibus maxime divitias colligere & asservare, ac tunc quum minus viæ eis emetiendum restat, plus viatici parare. Cum brevi id sint relicturi aliis, ipsi eo parum fruituri.

Sed videntur recte per ultimos dies designari postrema mundi tempora, quando finis omnium rerum appropinquat, & instat judicium ultimum. Quibus temporibus non de thesauris terrenis corruptibilibus congerendis erat cogitandum, sed de thesauris cœlestibus incorruptibilibus, ut monuit ipse Christus Matth. 6. 19, 20. Qui autem injuste agit tum aliis tum in thesauris terrenis coacervandis, is thesaurizat sibiipsi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei Rom. 2. 5. Ultima esse hæc tempora quæ post Euangelii prædicationem decurrunt, alibi significatur. Ut Act. 2. 17. 1 Cor. x. 11. 1 Joh. 2. 18.

Possunt etiam ista verba ita exponi, ut significent istos divites collegisse thesauros *in ultimos dies*, ut nimirum quando ætas senilis adveniet, tunc istis divitiis fruantur. Sic Rom. 2. 5, *in die* ponitur pro *in diem* & 1 Cor. 1. 8. Et alibi ἐν ponitur pro εἰς. Innuitur eos temere istas divitias propter seros annos avare congerere, cum interim justo Dei judicio, etiam antequam seniles anni adveniant, vel divitiæ ab illis vel illi à divitiis auferantur: quia miserias & pœnas eis superius est comminatus.

Vers. 4. Aliud crimen istorum divitum exprimit, injustitiam erga mercenarios.

Ecce.] Velut in re præsenti & oculis subjecta id ostendit.

Merces operariorum qui messuerunt regiones vestras.] Qui circa vestra latifundia laborarunt, ut segetes in eis magna copia provenientes maturas demeterent. Verbum Græcum proprie notat falcaverunt.

Intercepta à vobis.] Vel interversa, ita ut pactam ac promissam & meritam ac debitam eis pro labore mercedem, non persolveritis sicut justitia requirit, sed apud vos detinueritis, illosque ea privaveritis atque defraudaveritis. Quæ est magna & gravis injuria, vetita à lege, qua interdicitur ne merces operarii differatur in crastinum Lev. 19. 13. & Deut. 24. ℣. 14, 15, quia inde pendet victus mercenarii quotidianus, absque quo egestatem & defectum patitur. Eodem pertinet illa iniquitas quando mercenariis exigua merces nec par eorum labori datur; vel non ita sufficiens ut ex ea victum justum habere queant.

Clamat.] Figurato loquendi modo, per prosopopœiam, quasi clamaret, ita peccatum istud gravitate sua Deum movet ad vindictam pro hac injuria de vobis sumendam. Sic sanguis Abelis injuste occisi, clamasse ad Deum dicitur Gen. 4. 10. Si ipsi mercenarii mercede sua fraudati clament ad Deum, ut dicitur Deut. 24. 15, isti fraudatores erunt apud Deum rei peccati, & punientur. Imo etiamsi illi non clament nec conquerantur, Deus hanc injuriam non dimittit inultam.

Et clamores metentium seu *eorum qui messuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt.*] Cum antea dixisset improprie mercedem interceptam clamare, hic proprie dicit ipsos messores edere clamores seu vociferationes, dum scilicet conqueruntur de illa injuria.

Aures tribuuntur Deo per modum loquendi figuratum, ut alibi alia membra humana, qualia tamen Deus proprie non habet, cum sit non caro, sed spiritus. Interim quod homines per membra corporis organica percipiunt ac sentiunt, id Deus absque membris talibus, vi & facultate sua spirituali percipit.

Domini Sabaoth.] Nomen Dei eximium apud Hebræos deductum, à verbo significante esse, exprimitur vulgo Jehova: cum potius videatur pronunciandum Jeheveh vel Jihveh, quod significat *erit.* Cum enim Moses, à Deo, mittente ipsum ad liberandos ex servitute Ægyptiaca Israëlitas, quæreret quodnam nomen ejus sit illis dicturus, respondit Deus Mosi: *Ero qui ero, ita dic filiis Israëlis, ero misit me ad vos* Exod. 3. 14. Apparet autem Mosen ista verba referentem pro prima persona qua Deus loquens dixit, *Ero*, dixisse in tertia persona *erit.* Deus ipse dixit Exod. 6. 3, se Abrahamo, Isaaco, Jacobo, visum esse in Deo Omnipotente, sed in nomine suo Jehova, non cognitum esse eis. Quod nomen non videtur indicare existentiam Dei sempiternam, sed potius quod is certo erit benefactor suorum secundum promissiones, & quia id quod is promisit reipsa erit. Nam ibidem Deus ipse addit: Recordatus sum pacti mei, idcirco dic filiis Israëlis, ego Jehova, & educam vos de oneribus Ægyptiorum, &c. Videantur etiam dicta similia, Levit. 26. 44, 45. & Ezech. 20. 42, 44. Quanquam non tantum in promissis

missis sed & in minis divinis certitudo hoc nomine designatur. Ab hoc nomine velut Dei proprio, pronunciando, Judæi abstinent, per quandam superstitionem, ac loco ejus pronunciant Adonaj, quod notat Dominum. Et Græci Bibliorum Interpretes, quia nomen illud non potuit Græcis characteribus commode exprimi, loco ejus utuntur nomine Κυρίου seu Domini. Quod nomen & à Novi Fœderis Scriptoribus pro illo usurpatur.

Sabaoth.] Jehova Zebaoth Hebraice, id est Deus seu Dominus exercituum, sæpe vocatur Deus apud Prophetas. Ut Psal. 24. fine LXXX. aliquoties & LXXXIV. 2 Reg. 19. 31. Esa. 1. 24. ij. 12. v. 24. ix. 7. xxxvij. 16, 32. XLIV. 6. &c. Jer. 7. 3, 21. viij. 3. &c. Qua appellatione indicatur magna Dei potentia, quæ ex eo apparet quod exercitus numerosi Angelorum potentium sint sub ejus potestate, eique ut Imperatori summo militent. Quanquam exercituum cœli nomine designari soleant & stellæ, ac possint eo nomine etiam aliæ creaturæ per quas Deus quæ vult exsequitur, denotari.

Vers. 5. Aliud talium divitum peccatum reprehendit, nempe luxuriam. Multi divites cum multas & magnas divitias habeant, tamen sunt ita sordide parci ut sibi earum usum largum non permittant, sed inter magnas opes sint inopes. At nonnulli abutuntur iis ad luxum.

Delitiati estis super terram.] Voluptatibus carnalibus terrenis indulgentes in cibo, potu, comessationibus, rebus venereis, musicis, oblectationibus, ludis, &c. De qualibus Job. 21. 12, 13. Esa. 5. 11, 12. Sap. 2. 6, 7, 8, 9. & Luc. 12. 19. xvj. 19. Ita isti agunt quasi super terram essent in æternum victuri: de cœlestibus gaudiis futuris non cogitant.

Et lasciviistis.] Sicut hœdi aut vituli bene pasti petulanter exsultantes. Verbum Græcum hic positum, alibi notat luxuriose vivere, ut 1 Tim. 5. 6.

Enutristis corda vestra.] Id est vos ipsos, lautis ac delicatis cibis atque potibus saginastis, ita ut evaseritis pingues & obesi, & habeatis ventres abdomine tardos. Tales notantur Psal. 17. 10, 14.

Ut in die occisionis.] Horum verborum duplex potest esse sensus. Vel ut significetur, divites istos luxuriosos, ita laute & opipare victitasse, sicut solent homines tempore festo, quo victimæ ad sacrificia eucharistica mactantur, quando ad convivia & epulas, dapsiles atque opiparas, alii alios invitant, ut hilariter vivant, vide Proverb. 7. 14. Vel ut notetur, sicut pecora altilia quando jam satis saginata, & matura mactationi solent occidi, ita istos homines luxuriosos, delicato victu obesos, factos esse aptos, ut pœnis à Deo afficiantur.

Vers. 6. Aliud talium divitum injustorum peccatum notatur, crudelitas in homines innoxios.

Condemnastis, occidistis justum.] Solent homines divites hujus seculi, divitiis suis freti, & ex iis orta potentia abutentes, affligere & opprimere homines innocentes atque pios; quos ob ipsam vivendi diversitatem exosos habent, quasi eis peccata etiam tacite exprobrarent. De quo videatur locus Sap. 2. ỷs. 10, 12, 14, 15, 16. Videatur etiam quod de divitibus improbis tum Ethnicorum tum Judæorum incredulorum, dictum est supra cap. 2. 6.

Justum.] Insontem & pœnas non commeritum: non tantum unum aliquem ut Jesum Christum, sed plures ei similes, præsertim Christianos: quos nullorum scelerum convictos, sæpe adversarii velut sceleratos per calumnias opprimunt. Quanquam & alias divites injusti solent homines justos opprimere fraudulenter, ut eorum bonis nefarie fruantur. Sicut factum est Naboto, à Jezabela uxore Achabi Regis Israëlitarum 1 Reg. 21.

Non resistit vobis.] Videtur hic desiderari vocula quæpiam: vel *&*, vel *qui*. Verbum istud quod vertitur *resistit*, quod ponitur pro præterito *restitit*, in Græco textu est quasi passivum, *non opponitur*, sed significat non opposuit sese. Ita passiva pro reciprocis active significantibus ponuntur. Ut supra cap. 4. 7. & 10.

Gravius crimen est eum qui non resistit, quod vel nolit, vel non possit, ut ovis, opprimere & affligere, quam eum qui resistit, & vim vi repellere conatur.

Homines pios & inprimis Christianos, magistri sui Christi exemplum imitantes, decet non resistere violento modo malis, quod præcepit ipse Christus Matth. 5. 39, sed patienter injurias tolerare.

Vers. 7. *Longanimes estote igitur fratres.*] Postquam in divitibus impiis reprehendit inter alia crimina istud quod justos injuste affligant & opprimant, nunc Christianos monet, ut tales afflictiones, patienter perferant.

Longanimis vocatur is qui iram, quæ eodem nomine quo animus Grece notatur, prolongat, id est longe submovet vel differt, ut non facile irascatur, sed adversa diu toleret. Hæc virtus & alibi commendatur Gal. 5. 22. Col. 3. 12. Etiamsi, Deo ita permittente diuturno tempore pii vexentur & affligantur, tamen ista mala constanter tolerare debent, & in iis durare.

Igitur.] Particula ista illativa seu conclusiva, eò respicit, quod istis divitibus impiis, fidelium Christianorum adversariis, immineant justo Dei judicio pœnæ atque miseriæ, quæ sunt superius indicatæ: ut non in perpetuum sint justos afflicturi.

Usque ad adventum Christi.] His vocibus non tantum indicat terminum istius longanimitatis, seu diuturnæ patientiæ, sed etiam rationem insinuat cur sit patiendum: quia non perpetuo erunt ista mala perpetienda, sed aderit finis patiendi, & initium rerum in meliorem statum mutandarum, ac pro perpessionibus toleratis referendi præmii.

Per *adventum Christi*, id est Domini nostri Jesu Christi, videtur hic intelligi tempus illud quo iste Dominus judicia sua & pœnas erat exercituros in Judæos incredulos atque contumaces, per Romanos: postea vero etiam in Gentes, ipsosque Romanos. Quanquam etiam cum finis vitæ cujusque nostrum adest, perinde nobis est atque si jam Dominus Jesus ad judicium ultimum adveniat: quoniam in quo statu quemque sive salutis sive damnationis mors invenerit, in eodem is ad illud judicium universale sistetur. Et mortui cum non vivant, tempus inter mortem suam & adventum Domini Jesu intercedens non computant: sicut bene dormientes. Eodem quo hic nomine adventus Domini notatur 1 Thess. cap. 5. 23. & 2 Thess. 2. 1.

Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, longanimis existens super eum.] Occupat objectionem, ne quis diceret, molestum esse tamdiu exspectare finem laborum: ac exemplo agricolæ cujusque hortatur Christianos ad patientem exspectationem. Agricolæ non continuo postquam in terram aratam semen conjecerunt, fructum ex eo semine provenientem percipiunt: sed à semente ad messem satis longo tempore debent eum præstolari; & tamen hoc tædium perferunt, propter spem.

Donec accipiat pluviam matutinam & serotinam.] Duo pluviarum segetibus maxime proficuarum tempora observari solent. Prius quando brevi post sationem cadit, mense Octobri, posterius quando ante messem, mense Majo, illa pluvia humore suo semina ad germinationem, hæc ad maturitatem promovet. Talis loquutio de utraque ista pluvia occurrit aliquoties apud Scriptores Veteris Testamenti. Ubi voces Hebraicæ videntur notare pluviam jacientis & collectionis. Sic Deut. xj. 14. Jer. 5. 24 Ose. 6. 3. videatur & Joël 2. 23. Zach. 10. 1.

Vers. 8. *Longanimes estote & vos.*] Post allatam rationem ab exemplo, monitum quod jam superius proposuerat repetens, inde infert, ut Christiani agricolarum instar post labores aliquamdiu patienter exspectent laborum præmia: ut in molestiis cum mora conjunctis, perdurent. Similiter longanimitas ista seu patiens exspectatio commendatur Hebr. 6. 12.

Firmate seu *stabilite corda vestra.*] Id est animos vestros, ne labascant, ac deficiant à bono proposito propter intervenientia incommoda, atque adversa. Stabiliuntur autem ac firmantur animi Christianorum, fide firma, ac spe, nixa promissis Dei per Christum patefactis atque confirmatis, præsertim de vita æterna, beatissima, eis si perseverarint conferenda.

Quia adventus Domini appropinquavit.] Ratio cur patienter inter molestias sit agendum, affertur, vel potius jam versu proxime præcedente indicata repetitur & declaratur. De isto adventu Domini, jam dictum est ad ℣. præcedentem.

Dicitur iste adventus, vel dies Domini, appropinquare, etiam alibi Hebr. 10. 25. 1 Petr. 4. 7, quamvis ab eo tempore quo hoc scriptum est, jam plusquam sesqui mille anni effluxerunt, & nondum adsit. Videntur Apostoli quibus Dominus tempus adventus istius non revelavit, existimasse id non tam longe abesse. Quanquam S. Paulus monuit id non tam cito adfuturum 2 Thess. 2. 2, 3. Sed primum apud Deum mille anni sunt sicut unus dies 2 Pet. 3. 8, nempe respectu æternitatis. Deinde & respectu nostri non procul abest nobis dies adventus Domini Jesu ad ultimum universale judicium, quia ætas nostra brevis est, & propediem finienda morte, quæ mors piis qui in Domino obdormiscunt, est instar somni profundi, post quem adventus succedet.

Exspectatio istius adventus Domini Jesu ad judicium ideo debet animos piorum in molestiis hujus vitæ erigere atque solari, quia in isto adventu Dominus iste cui ipsi serviunt, daturus est eis ex gratia sua, post molestias eorum, mercedem illam, cœlestis æternæ beatitatis, qua omnes eorum labores abunde pensabuntur. Vide 2 Cor. 4. 17, 18.

Vers. 9. *Ne ingemiscite alius adversus alium, fratres.*] Ad longanimitatem de qua proxime dictum, spectat etiam hoc monitum, ne ob aliquas molestias, à proximis illatas, alii de aliis per impatientiam ita conquerantur, ut eos criminentur & accusent, saltem coram Deo, ultionem de iis postulantes.

Non est quidem nefas in molestiis & gravibus vexationibus ingemiscere ac suspirare, sed à talibus suspiriis cavendum est quæ vindictam spirant. Injuriæ & offensiones sunt proximis condonandæ. Vide Col. 3. 13.

Ut non judicemini vel *condemnemini.*] Ut habent quædam exemplaria Græca, verbo simili posito. Rationem istius moniti affert, à noxa seu eventu damnoso nisi ei pareatur, consequente: Nempe quod si ita suspirent ut vindictam spirent, sint in judicio divino per Christum exercendo judicandi. Vox judicii solet significare judicandi effectum tristem, nempe condemnationem atque consequentem pœnam. Ut Matth. 23. 14. Luc. 23. 40. Rom. 13. 2. 1 Cor. cap. xj. 29. Jac. 3. 1.

Ecce judex ante fores stetit.] Eandem rationem à judicii metu sumtam, amplificat ab istius judicii propinquitate: quia judex prope sit, quæ propinquitas exprimitur proverbiali modo, quod velut præ foribus jam adstet. Similis loquutio de adventus Christi appropinquatione habetur Matth. 24. 33. Huic dicto hyperbolico æquipollet illud quod paulo ante dixit, *adventus Domini appropinquavit.* In simili materia monito ad æquanimitatem similem rationem addit Paulus Apostolus Phil. 4. 5. *Dominus prope est.* Nempe Dominus Jesus, qui est iste Judex, qui hic indicatur. Is nocentes condemnabit atque puniet, innocentes autem liberabit.

Vers. 10. *Exemplum accipite malorum perpessionis fratres mei, & longanimitatis.*] Non contentus S. Jacobus præcepto, & ejus ratione, idem confirmat exemplis eorum in quibus ista ad quam hortatur virtus patientiæ diuturnæ in afflictionibus, reipsa apparuit. Majorem monendi vim quam præcepta habent exempla: quæ non tantum docent debere aliquid fieri, sed etiam ostendunt evidenter posse fieri, quando jam ab aliis nobis similibus talia sunt facta: & præsertim quando apparet quomodo istis nos antecedentibus talia cesserint. Unde recte dicitur, præceptis monemur, exemplis movemur.

Longanimitas hic idem significat quod malorum seu rerum adversarum perpessio constans, invicta. Stoici negabant incommoda quæ in hac vita eveniunt, ut vexationes, injurias, dolores, dicenda esse mala. Sed divinus Spiritus per homines sanctos loquutus, cum hominibus humano modo agens, talia malorum nomine appellat. Quamvis hæc non sint tam mala & noxia, quam sunt peccata: imo, diligentibus Deum omnia (etiam ista quæ mala censentur) cooperantur in bonum Rom. 8. 28.

Prophetas.] Viros sanctos, qui occulta præsertim futura divinitus prædicebant. Eos merito in virtutibus imitari ac ipsorum antecedentium vestigia sequi debemus. Ii autem multa adversa sunt perpessi, ut præter alios, David à Saule, Elias à Jezabela, Michæas filius Jemlæ à Sedechia pseudopropheta, Hanani ab Asa Rege, Zacharias Jojadæ filius à Judæis jussu

jussu Regis Joæ, Jeremias à Phassure Sacerdote, & ab aliis principibus Judæorum, Daniel à Satrapis ac principibus Babyloniorum, &c. vide & Act. 7. 52. Similiter Prophetarum exemplum in persequutionibus perferendis Christus proposuit suis discipulis Matth. 5. 12.

Qui loquuti sunt nomine Domini.] Eosdem Prophetas commendat, ab eorum functione insigni: nempe quod velut legati Dei, ejus *nomine* seu authoritate, ea quæ Deus ipse eis commisit atque mandavit, hominibus annunciaverint. Per Dominum hoc loco significatur Deus altissimus, qui supremum super omnia ex seipso habet dominium. Id enim nomen loco nominis divini Hebræi JEHOVAH, à Græcis Interpretibus est usurpatum. De quo dictum est supra ad ℣. 4. Ita nomen istud Domini, præcipue in rebus ad Vetus Testamentum spectantibus, ac etiam Christi muneris functionem antecedentibus, usurpatur & alibi in Novo Testamento, ut Matth. 1. 20, 22, 24. ij. 15, 19. iij. 3. iv. 7, 10. Luc. 1. 6, 9, 11, 15, 16, 17, 25, 28, 32, 38, 46, 58, 66, &c. Act. 2. 25, 39. iij. 22 &c. Alioqui nomen Domini, præsertim cum à Deo distinguitur, solet in Novo Testamento attribui peculiari significatu ei quem Deus altissimus fecit Dominum cœli ac terræ, & omnia pedibus ejus subjecit, nempe Jesu Christo. Vide Act. 2. 36. ix. 10, 17. x. 36. xx. 21. 1 Cor. 8. ℣. 6. xij. 5. Eph. 4. 5. & alibi passim.

Vers. 11. *Ecce beatificamus tolerantes.*] Eandem virtutem patientiæ commendat à laude quæ talibus passim à servis Dei tribuitur. *Beatificamus*, id est beatos esse censemus ac prædicamus. Simile verbum est in illo Beatæ Virginis Mariæ Cantico Luc. 1. 48. Pro beatis merito reputantur ac celebrantur, ii qui illata sibi Dei permissu adversa & calamitates, patienti animo perferunt: quia censentur Deo ob hanc virtutem esse chari, & apud eundem mercedem suam repositam habentes, postea actu ipso ea fruituri. Etiamsi tales ab hominibus hujus mundi, voluntatis divinæ ignaris, habeantur pro miseris atque infelicibus.

Tolerantes, in Græcis codicibus est diversa lectio, alia qua notantur ii qui jam sustinuerunt adversa, alia, qua voce paulum diversa significantur ii qui adhuc talia sustinent. Potior videtur ea quæ indicat tempus præteritum: quia hic respectus habetur illorum de quibus & eorum beatitudine sententia jam passim in populo Dei obtinuerat: quales fuerunt Prophetæ antiqui antea memorati, & Jobus mox nominandus. Quanquam Christus ipse quoque suos discipulos si persequutionem patiantur beatos pronunciavit Matth. 5. 10. seqq.

Tolerantiam Jobi audivistis.] Post alia exempla eorum qui res adversas patienter pertulerunt, indicata versu proxime præcedente, affert eximium exemplum viri insignis qui multa mala toleravit patienter. Is est Jobus, de cujus historia liber conscriptus exstat inter hagiographa. Hunc aliqui existimant fuisse ortum ex Abrahami fratre Nachore, cujus filius fuit Huz Gen. 22. 20, 21, hujus autem Huzi filius putatur fuisse Jobus: quia dicitur fuisse seu vixisse in terra Huz Job. 1. 1. Sed alii putant eum prodisse ex ipsius Abrahami posteris, per filium Isaaci Esavum seu Edomum, ex cujus per filium Rehuelem nepote Zeracho natus sit Jobabus, ut dicitur Gen. 36. 33, qui Jobabus idem cum Jobo esse censetur. Nam habitatores terræ Huz fuisse Edomæos, colligitur ex Jeremiæ Thren. 4. 21. Is Jobus testimonium habet in Sacra Historia quod fuerit vir rectus, perfectus, timens Deum, & recedens à malo Job. 1. 1, qui etiam alibi inter viros justos recensetur Ezech. 14. 14. In hunc tamen, Deo explorandi causa id permittente, Satanas calamitates diversas magnas immisit. Nam primum boves ejus quorum quingenta juga habuit, & asinas quingentas, Sabæi incurrentes rapuerunt, & servos multos occiderunt. Mox ignis cœlitus descendens oves ejusdem, quarum erant septem millia, exussit, cum famulis earum custodibus. Tum Chaldæi tria millia camelorum abegerunt, servis qui aderant interfectis. Deinde filios ejus septem, & filias tres, domus ventis vehementibus agitatæ ruina oppressit. Denique ipse jam tantis calamitatibus afflictus, percussus est in proprio corpore suo ulceribus malis, à planta pedis ad verticem capitis sui. Relicta quidem ei fuit uxor, verum ab ea non consolationem sed vexationem habuit: ut etiam ab amicis visitantibus. Et tamen vir iste tot tantasque miserias perpessus, patienter ista à Deo immissa adversa pertulit, Domino qui ista quæ dederat, abstulit, benedicens Job. 1. 21. & non tantum bona sed etiam mala à Deo suscipienda esse dicens, cap. 2. 10. Ita ut his miseriis afflictus non peccaverit, neque Deo quidquam inconveniens adscripserit, ibid cap. 1. 22. & cap. 2. 10, secus quam solent alii homines non probi, impatientes, etiam in minoribus calamitatibus, Deum ipsum blasphemare.

Hanc tolerantiam Jobi, tam insignem, dicuntur isti ad quos S. Jacobus scripsit audivisse, quia quum eam ipsi non vidissent, tamen ex historia sacra recitatam percepissent.

Et finem Domini vidistis.] Non satis habuit Jobi in calamitatibus ac miseriis tolerantiam indicare, sed addidit ejus tolerantiæ eventum post tristia lætum, ex Dei benignitate.

Per *finem Domini* intelligitur non aliquis finis qui ipsi Domino id est Deo evenerit; sed qui à Domino est effectus. Ut judicium Dei Rom. 2. 2, 3 &c. id est quod à Deo fit. Per Dominum hic intelligitur Deus altissimus de quo dictum ad versum proxime præcedentem. Indicat post illas afflictiones à Jobo patienter toleratas, exitum eis felicem atque lætum à Deo esse datum. Id descriptum est Jobi cap. 42, ubi narratur Deum Jobo non solum ablata restituisse, sed auxisse in duplo: & liberos totidem quot antea habuit, nempe septem filios & tres filias ei rursus dedisse, atque posterioribus ejus temporibus magis quam prioribus benedixisse, ac post hæc eum vixisse annos centum quadraginta, ita ut viderit natos natorum suorum, ad quartam generationem.

Vidistis.] Quamvis isti ad quos hæc Jacobus scripsit, ipsi oculis corporis non viderint istum Jobi exitum, quippe à quo jam anni bis mille circiter elapsi erant, tamen dicit eos hoc vidisse. Quippe quæ in Sacris Literis à Spiritu Dei inspirata consignata leguntur, ita firma fide sunt pro veris habenda

quasi oculis viderentur. Solet verbum videndi, ad aliorum etiam præter visum proprie dictum, sensuum perceptionem extendi: ita ut videre dicatur aliquid is quoque qui id oculis non cernit, sed mente atque animo considerat & percipit, sic supra cap. 2. ℣. 22. Et ipse Jobus, Dei benignitatem reipsa expertus, ita loquens introducitur: *Auditu auris audivi te, & nunc oculus meus vidit te* Job. 42. 5.

Quia multum misericors est Dominus.] Affertur ratio illius læti exitus, qui Jobo post passiones evenit, à Deo, & indicatur causa istius rei in Deo, nempe ejus misericordia magna, qua super miseria hominum præsertim proborum, commovetur.

Græca vox quæ vertitur multum misericors, proprie significat *multorum viscerum*; quia inter viscera nobilissimum est cor, in quo & alii affectus resident, & misericordia, quæ velut commoto corde ex intimis visceribus exseritur. Inde à visceribus deducto verbo solet exprimi affectus intimus misericordiæ. Ut Matth. 9. 36. xiv. 14. Luc. 10. 33. & Col. 3. 12, dicuntur viscera misericordiarum. Hinc ab hominibus ad Deum talis loquendi modus transfertur.

Et commiserans seu miserator.] Alia voce idem designat, quod Deus sit propensus ad homines miseros è miseriis liberandos. Quæ Dei misericordia etiam alibi in Sacris Literis memoratur, ut Exod. 34. 6. Num. 14. 18. Psal. 86. 15. ciij. 8. seqq.

Ex hac Dei misericordia hominibus probis, in hoc mundo varias miserias patientibus, oritur solatium, ac spes ipsos quoque post adversa tolerata, à Deo misericorde eripiendos esse ex isto misero statu, & ad beatum statum transferendos. Cujus rei consideratione in tolerandis afflictionibus debent animari, atque firmari.

Vers. 12. *Ante omnia autem, fratres mei.*] Aliis præceptis atque monitis, addit præceptum de non jurando. Id vult observari *ante omnia* id est inprimis, eximie, ac fere præcipue. Sicut 1 Tim. 2. 1, dicitur de precibus. Ideo hoc magnopere inculcat, quia videtur id officium passim neglectum, quum sit valde necessarium.

Ne jurate.] Juramentum seu asseveratio religiosa, quando Deus invocatur testis veritatis, per se non est res mala aut vitiosa. Imo facit ad Dei honorem, vide Deut. 6. 13. Jesa. 45. 23. Jer. 4. 2. Sub Veteri Fœdere vetitum erat tantum ne nomen Dei sumeretur in vanum, id est in falso juramento, ad perjurium Exod. 20. 7. Levit. 19. 12. vide & Matth. 5. 33. Sed sub Novo Fœdere Christus non tantum vetuit juramenta falsa, verum etiam temeraria, de rebus incertis, vel levibus, absque necessitate: quum homines in negotiis vulgaribus quotidiani usus soleant temere jurare. Si inconveniens est hominem aliquem dignitate & authoritate excellentem subinde in rebus parvi momenti ad testimonium accersere; quanto magis Deum altissimum?

Neque cœlum.] Id est per cœlum. Videntur Judæi eam habuisse opinionem, esse quidem illicitum in rebus levibus jurare per ipsum Dei nomen, sed interim usurpabant formulas jurandi per res quaspiam aliquo modo venerandas: ut per cœlum. Sed Christus docuit neque hoc licere, quia hoc modo quamvis indirecte tamen Deus respicitur, quia cœlum est thronus Dei, in quo ipse residet. Vide Matt. cap. 5. 34. & xxiij. 22.

Neque terram.] Quia & terra ad Deum spectat, quum sit pedum Dei scabellum. Vide Matth. 5. 35.

Neque aliud aliquod juramentum.] Id est nec ulla alia jurandi formula in negotiis vulgaribus usurpetur: quales erant, per Jerosolymam, per templum, per altare, per donum consecratum, per caput. Quales formulæ indicantur Matth. 5. 35, 36. & xxiij. 16, 18. Omnes isti modi juramentorum temerariorum, etsi in eis Deus non nominetur expresse, interdicuntur: quia talia pugnant cum religiosa erga Deum reverentia, & conjuncta sunt cum ejus contemtu profano.

Interim non esse nefas aliquando jurare, in rebus præsertim præteritis certis non levis momenti, præcipue ad gloriam Dei & hominum salutem pertinentibus, Deum invocando testem, & nisi hoc verum sit vindicem, apparet ex exemplis Sanctorum in Sacra Scriptura consignatis. Paulus Apostolus aliquoties Deum testem invocavit in suis epistolis Rom. 1. ℣. 9. 2 Cor. 1. 23. Philip. 1. 8. 1 Thess. 2. 5. qualis invocatio est juramentum. Et Angelus juravit, Apoc. 10. 6.

Sit autem vestrum næ, næ, & non non.] Id est pro juramento circa actiones vulgares, sufficiat vobis quod affirmandum est simpliciter affirmare, & quod negandum, simpliciter negare, vel si quid affirmare vultis, dicite simpliciter *næ* seu ita est, & si negare, dicite *non*. Idque non tantum in promissis de futuro, sed etiam in dictis de præterito, vel præsenti. Voculæ istæ sensu nonnihil diverso hic ponuntur, ut priore loco notent rem, posteriore autem dictionem. Vide Matth. 5. 37.

Næ vocula Græca significat *ita*, vel utique. Vir bonus curat ut quod simpliciter dicit ita verum sit ac si id juramento confirmet.

Ne sub condemnationem cadatis.] Rationem affert qua à juramentis temerariis dehortatur, à damno consequente, seu ab eventu tristi: Id est ne si temere juretis, condemnemini atque puniamini, à Deo, propter talem ejus contemtum.

Respicit S. Jacobus ad verba in Decalogo, tertio præcepto addita, *quia non mundificabit* id est innocentem habebit aut absolvet, *Dominus eum qui tulerit nomen ejus in vanum* Exod. 20. 7. Aliquorum exemplarium varians lectio pro *sub condemnationem* habet, *in hypocrisin* seu simulationem. Facile fit ut homines crebro ac temere jurare assueti, etiam in rebus falsis jurent, simulantes se vera jurare. Sed prior lectio potius probanda videtur.

Vers. 13. Addit porro præcepta seu monita de precibus.

Malum patitur aliquis.] Id est si quis rebus adversis vexetur, ut afflictionibus propter religionem, ab inimicis, vel aliis calamitatibus atque molestiis. Ita verbum hoc compositum Græcum quod significat mala patior, usurpat Paulus Apostolus de se 2 Tim. 1. 8. & ij. 9. & de Timotheo, 2 Tim. 2. 3. & cap. 4. 5.

In vobis?] Id est inter vos, vide iij. 13. Christiani plerumque in hoc seculo subjacent afflictionibus. Vide Act. 14. 22. 2 Tim. 3. 12.

Oret.

Oret.] Seu precetur, nempe Deum. Docet quid homini afflicto potissimum sit faciendum. Homines hujus mundi quando affliguntur, solent desperare, & Deum ipsum aliquando blasphemare. At homines pii, qui se Deo curæ esse credunt, etiam in rebus adversis ad Deum animos suos convertunt, ejus opem implorant, ut is eos, si ita ferat ejus voluntas, à miseriis liberet, & interim soletur, atque ad mala bene perpetienda, largiatur fiduciam, patientiam, & sapientiam, vide supra cap. 1. 5. Molestiæ & curæ ad preces impellunt, preces autem molestias atque curas depellunt, vide Philip. 4. 6. 1 Petr. 5. 7. Non semper quidem ea quæ homines precibus impetrare vellent, Deus largitur, si ea ad ipsius gloriam & hominum salutem non faciant. Sed is optime novit quid conveniat nobis rebusque sit utile nostris. Hinc pro jucundis aptissima quæque dabuntur, ut cecinit Juvenalis quamvis Ethnicus Satyrâ x. Videatur exemplum Pauli 2 Cor. 12. 8. 9.

Bono animo est quis?] Si prosperis rebus fruens, animo tranquillo gaudeat, & sit lætus. Christiani interdum Dei & Christi benignitate etiam secundum corpus gaudent pace Act. 9. 31, atque habent sua halcyonia, & etiamsi afflictionum nubeculæ interveniant, tamen debent gaudere in Domino Rom. cap. 12. 12. 2 Cor. 6. 10. Philip. 4. 4.

Psallat.] Id est cantica Deo canat, quibus ei ut omnium bonorum datori pro beneficiis gratias agat, & laudes ejus deprædicet. Ita David multos psalmos lætus decantavit: quamvis in ejus lyra aut nablio plures lamentationes cum precibus resonent, quam exsultationes. Paulus Apostolus quoque ad psallendum & hymnos Deo decantandos hortatur Eph. 5. 19. Homines mundani, carnales in rebus lætis non reddunt Deo grates, sed inhonesta lætitia exsultantes, Deum peccatis offendunt. At pii in utraque fortuna tam adversa quam secunda, pietatis exercitiis incumbunt.

Vers. 14. *Infirmatur quis.*] Id est si ægrotat. Ita verbum istud sumitur Matth. 10. 8. xxv. 36. Marc. 6. ℣. 56. Luc. 4. 40. Act. 5. 15. xix. 12. 1 Cor. xi. ℣. 30. Philip. 2. 26, 27.

In vobis.] Id est inter vos, ut versu proxime præcedente. Christiani non sunt exemti ut ab aliis secundum corpus malis atque afflictionibus, ita & à morbis. Ut patet etiam in exemplo Epaphroditi Philip. 2. 25, 26, 27. & Timothei 1 Tim. 5. 23.

Advocet Seniores Ecclesiæ.] Isti Seniores Græce vocantur Presbyteri. Ita dicti qui in Ecclesia cæteris præibant, & authoritate pollebant; quamvis non semper ætate alios superabant, ut liquet in Timotheo. Sicut & Senatores à senio dicti non semper sunt senes. De talibus Presbyteris, vide Act. 14. 23. xv. 2, 4, 6, 22, 23. xx. 17. 1 Tim. 4. 14. v. 17. Tit. 1. 5.

Hos tales si constet eos esse viros justos ac pios (de quo infra ℣. 16.) ut ægrotus advocet ad se, sive accersat, per aliquem, præcipit hic Jacobus Apostolus, ut isti adsint ægrotanti, eumque curent. Indicat non in medicorum curatione esse ægris spem sanationis ponendam. Quanquam nec remedia quibus Deus vim sanandi indidit sunt spernenda. Videatur exemplum Esa. 38. 21. 2 Reg. 27. & Sirac. 38.

Et orent super eum.] Particula & sumitur hic pro *qui*, ut & alibi. Et alii homines pii debent invisere ægros Matth. 25. 36, ut eos consolentur, & quantum possunt juvent. Sed inprimis iis qui in Ecclesia eminent, præsertim vocatis, convenit ut ad tales accedant, & officium eis præstent quale hic describitur. Non tantum ipsi afflicti, debent precibus gratiam divinam orare, ut dictum versu proxime antecedente, & sic etiam ægroti, sed alii quoque, & præcipue qui Ecclesiæ præsident, debent pro talibus preces ad cœlum dirigere, atque divinum eis favorem implorare.

Ungentes eum oleo.] Nempe proprie dicto olivo, ex olearum baccis expresso. Hoc quidem & alias ad remedia adhibebatur, ut Luc. 10. 34: sed hic non tam ut medium corporale juvans ad sanandum modo naturali ponitur, quam potius ut symbolum quoddam sanationis miraculosæ. Id etiam Apostoli à Christo ad Euangelium prædicandum primo missi, in sanationibus mirificis adhibebant Marc. 6. 13, quos tunc non usurpasse talem unctionem quæ vocatur extrema, & pro Sacramento à Pontificiis habetur, agnoverunt aliqui inter ipsos, ut Cornelius Jansenius, Dominicus à Soto, Bellarminus, Tirinus. Sed & hic à S. Jacobo non agi de Sacramento extremæ unctionis, agnovit non tantum Erasmus Roterodamus, sed etiam Cajetanus Cardinalis.

Nam isti non solent ungere nisi mox morituros, vel jam moribundos, ac per istam unctionem non sanant ægros. At S. Jacobus loquitur hic de infirmis quibuscunque, de quibus spes est eos sanandos esse & victuros. Deinde, isti docent ad hoc fieri istam unctionem ut sub finem vitæ removeat omnia impedimenta quæ animam mox è corpore migraturam ab ingressu cœli possint remorari, atque ut ajunt, directe tendit ad remissionem peccatorum. Cum tamen ipsi dicant, multos ex iis qui ita proxime ante mortem unguntur, opus habere post mortem purgatorio igne ad expurganda peccata venialia. At S. Jacobus hic spectat morbi corporalis sanationem, per unctionem, etiamsi is qui morbo laborat non hæreat in peccato, de quo postea addit loquutionem conditionalem.

In nomine Domini.] Hæc verba videntur hoc loco significare istam ægroti unctionem faciendam esse invocato Domino, ut is vim suam salutiferam ad sanandum ægrotum adhibeat: quod indicant verba versus sequentis. Quanquam enim hoc videtur jam contineri in verbis præcedentibus *orent super eum*, tamen possunt hæc verba aliquid peculiare notare, ut talia opera miranda agerentur nominato Domino Jesu Christo: qualis formula usurpata est in sanationibus. Petrus dicebat, *Æneæ, sanat te Jesus ille Christus* Act. 9. 34. vel *in nomine Jesu Christi Nazareni surge* Act. 3. 6.

Per istum *Dominum* intelligitur ille quem Deus fecit Dominum, (nempe cœlestem) Act. 2. 36. id est Jesus Christus unicus ille Christianorum Dominus, Deo secundus 1 Cor. 8. 6. Qui Domini nomine simpliciter in peculiari significatu denotari solet. Videantur notata ad cap. 1. 1.

Vers. 15. *Et precatio fidei servabit laborantem.*] Indicat effectum precationis pro ægroto factæ optatum, lætum.

Precatio fidei.] Id est profecta ex fide, aut suscepta cum fide, id est fiducia firma de potentia Domini, & de subsequuturo opis ejus effectu, si ipse Dominus id expedire videat. Talis fides hic intelligitur de quali cum precibus jungenda dictum est supra cap. 1. 6.

Servabit.] Id est à morbo liberabit, sanabit. Ita verbum *servandi* sumitur & alibi, ut Matth. 9. ℣. 21, 22. & XIV. 36. Marc. 6. 56. X. 52.

Non unctioni ipsi tribuitur effectus sanandi, sed precationi cum fiducia junctæ. Quanquam nec precatio ipsa proprie sanat, ut causa efficiens per se sanationis, sed ut instrumentum seu medium impetrans sanationem à Domino, de quo mox.

Laborantem.] Id est ægrotantem, morbo veluti fatigatum.

Et eriget eum Dominus.] Cum eum morbus Domino permittente afflixerit, & cubili affixerit, ipse Dominus, nempe Jesus Christus restituet ei vires, ita ut è cubili allevetur & possit surgere. Non Presbyteri orantes eum sanabunt sed is ad quem illi preces dirigunt, Dominus.

Sed non simpliciter & absolute hoc est intelligendum, quasi semper in omni morbo per preces quilibet ægrotus sit omnino sanandus. Sed cum conditione, si Domino ita placeat, si sanitatem corporis istius hominis videat profuturam ad ipsius ægri animæ salutem, & ad nominis sui gloriam. Nam cæteroqui, quando sanitas corporis officit sanitati mentis, ut fit aliquando, & ægritudo corporis prodest ad animi sanitatem, vel quando Dominus habet justas causas tum respectu ipsius ægri, tum respectu aliorum, ob quas istum morbo laborare velit, non est ægre ferendum id fieri, imo annuendum ut fiat voluntas Domini.

Et si peccata fecerit.] Loquitur S. Jacobus conditionaliter, indicans, aliquos quidem morbos immitti hominibus propter peccata, loco castigationum à Deo, ut indicavit etiam Christus Joh. 5. 14. Sed non omnibus morbis causam esse peccata. Quippe interdum Deus ut Dominus absolutus, absque respectu peccatorum, permittit homines, ut aliis afflictionibus, ita etiam morbis affici. Ut patet in exemplo Jobi, vide Job. 2. 3, 7, & illius qui cœcus erat natus, Joh. 9. 2, 3. Interim tutius est, ut homines quando vel aliis afflictionibus vel morbis afficiuntur, vitam factaque sua coram Deo recognoscentes & conscientiam suam examinantes, existiment se peccatis suis, quod plerumque fit, tales afflictiones, ut pœnas, meruisse.

Remittentur ei.] Nempe si precibus aliorum hoc adjungatur, ut etiam ægrotus ipse Deum deprecans, agat peccatorum suorum seriam pœnitentiam atque resipiscentiam, qua mendas suas emendet. Hoc enim requiritur ad peccatorum remissionem, ut homines à peccatis avertantur, eaque relinquant, & ad Deum atque ad justitiam convertantur. Vide Proverb. 28. ℣. 13. Esa. 1. 16. seqq. Ezech. 18. 21, 22, 27, 28. XXXIIJ. 15, 16. & Act. 3. 19.

Remissio peccatorum significat pœnarum quas homo peccatis meritus est ablationem. Quod fit & tunc quando corporales pœnæ, quales sunt morbi, auferuntur, ut Matth. 9. 2, 6, & perfectius quando homines à condemnatione atque à morte æterna, quæ maxime propria peccatorum pœna est, per gratiam Dei liberantur. Sed etiamsi ægrotus aliquis ex ægritudine sua ob peccata ipsi inflicta non convalesceret, imo obdormisceret, seu moreretur, tamen si per istam divinam castigationem emendetur, peccata ejus remitti atque expiari, eumque cum mundo non condemnari, docet Paulus Apostolus 1 Cor. XJ. vers. 30, 31, 32.

Vers. 16. *Confitemini alii aliis delicta* seu *lapsus.*] Adhortationi ad precationem, adjungit adhortationem ad peccatorum confessionem. Si quis peccatum commiserit, sive contra Deum ipsum tantum, sive etiam contra proximum, debet non dissimulare peccata sua neque silentio velare, sicut olim facere cœperat David, vide Psal. 32. 3, sed confiteri palam transgressiones suas cum pœnitentia, ut remittantur, sicut postea fecit idem David, vide ibid. vers. 5. & Proverb. 28. 13. & 1 Joh. 1. 9. Non sufficit autem ut quis simpliciter dicat generatim se esse hominem peccatorem coram Deo; sed ut specialiter fateatur & significet etiam peccata occulta, conscientiam urgentia. Nam & sub Lege Mosaica, ii quorum delicta occulta sive contra Deum ipsum sive etiam contra proximum commissa, per sacrificia expiari debebant, ad ea confitenda erant obligati Lev. 5. 5. Num. 5. 7. Non tamen necesse est ita late extendi istam peccatorum confessionem, ut semper singula malefacta, eorumque omnes omnino circumstantiæ enarrentur, sicut requirunt ii qui confessionem auricularem statuunt esse necessariam: qualem nec apud Johannem Baptistam, nec in primitiva Ecclesia Christiana viguisse ostendi potest.

Primum quidem, postquam quis peccavit, oportet ut Deo contra quem atque ejus præcepta inprimis peccavit, confiteatur peccatum. Quod & David indicavit Psal. 32. & 51. & S. Johannes epist. 1. cap. 1. 9, ut ipse Deus nobis peccata nostra remittat, & purget nos ab omni iniquitate. Sed deinde, etiam coram hominibus fatenda sunt peccata. Ut fecit David coram Nathane Propheta 2 Sam. 12. 13, & illi qui accedebant ad baptismum, coram Johanne Baptista Matth. 3. 6. & illi Ephesii Act. 19. 18. Verum non est statuendum coram certis tantum personis ut Ecclesiæ Presbyteris, peccata esse confitenda. Nam S. Jacobus jubet ut confiteantur *alii aliis.* Quod non ad solos Presbyteros pertinere, patet ex iis quæ mox sequuntur, ut *orent alii pro aliis*, neque enim soli Presbyteri, sed quilibet Christiani pii pro aliis Christianis orare debent, & preces ad Deum fundere. Paulus Apostolus à Christianis ad quos scripsit, postulavit ut non tantum pro aliis sanctis, sed etiam pro ipso preces funderent, Eph. 6. 18, 19. Col. 4. 3, 4. 2 Thess. 3. 1, 2. Peccant homines non tantum in Deum, sed etiam in proximos Matth. 18. ℣. 15, 21. Luc. 17. 3, 4. Igitur etiam proximis, præsertim istis in quos peccaverunt, quosque vel dicto vel facto læserunt, debent confiteri quod adversus eos peccaverint, profitentes se ejus peccati pœnitentiam agere, ut id eis à proximis remittatur, sicut est à Christo in verbis apud Lucam proxime citatis indicatum. Quanquam non ista sola peccata quibus proximi sunt læsi & offensi, verum etiam alia

delicta

delicta sua seu *lapsus* in quos contra officium & contra Dei præcepta sunt prolapsi quorum conscientia premuntur, & pœnam eorum sibi à Deo inferri sentiunt, dum liberari cupiunt, aliis fratribus aperire atque revelare, & ut se apud Deum precibus ad remissionem ac liberationem impetrandam juvent, eosdem rogare debent. Maxime hic ista peccata ægrotis confitenda esse significatur, ob quæ commissa ipsam ægrotationem seu morbum, ut pœnam à Deo sibi immitti sentiunt & in conscientia sua agnoscunt. Indicatur hic si quis peccata sua non confiteatur, sed dissimulet ac neget ac proinde eorum pœnitentiam non agat, preces nullas ei ad remissionem istorum peccatorum profuturas. Vide 1 Joh. 5. ℣. 16, de peccato ad mortem.

Ut sanemini.] Indicatur precum quas Christiani alii pro aliis, præsertim ægrotis, à peccatorum reatu ac pœnis liberari volentibus, ideoque peccata sua confitentibus, ad Deum fundere debent, finis & scopus, atque etiam consequens effectus. Verbum *sanari* proprie significat à morbo liberari. Sed potest eo significari non tantum corporis sanatio, verum etiam animi à peccatis & eorum reatu liberatio. Hoc sensu verbum sanandi habetur Esa. 6. 10. Unde etiam quum Matth. 13. 15, dicatur, *& convertantur & sanem eos*, apud Marc. cap. 4. 12, dicitur, *ne forte convertantur, & remittantur eis peccata.*

Multum valet deprecatio justi efficax.] Antea commendavit precationem ab effectu speciali, nunc eandem commendat ab effectu generali.

Multum valet.] Nempe ad aliquid à Deo sive sibi sive aliis impetrandum: ita ut etiam admiranda producat, vel obtineat, ultra solitum naturæ cursum. Vide Matth. 18. 19. & xxj. 22. Marc. xj. 24.

Deprecatio.] Vox Græca quæ exponitur deprecatio, quando distinguitur ab aliis vocibus preces significantibus, notat speciatim talem precationem, qua ut Deus mala avertat, oratur. Sic Eph. 6. 18. Philip. 4. 6. 1 Tim. 2. 1. Sed hic quando sola ponitur potest accipi generatim pro quavis precatione.

Justi.] Scilicet hominis. Indicat qualium hominum preces multum valeant & efficiant apud Deum. Non qualiscunque hominis, etiam in peccatis ultro hærentis; nam tales Deo justissimo exosi, ab eo non exaudiuntur: sed hominum justorum, id est pietatem sectantium. Vide Psal. 34. 16, 17. CXLV. 18, 19. Prov. 1. 28, 29. xv. 29. xxviij. 9. Esa. 1. 15. Mich. 3. ℣. 4. Joh. 9. 31. 1 Joh. 3. 22.

Non est autem negandum dari aliquos in terris homines justos, præcepta Dei observantes ut plurimum. Sic Abel dictus justus Matth. 23. 35. & Noachus, Gen. 6. 9. Jobus, Job. 1. 1. Zacharias cum Elisabetha, Luc. 1. 6. Simeon, Luc. 2. 25. Josephus, Matth. 1. 19.

Efficax.] Non sufficit ut is qui à Deo quidpiam precibus suis est impetraturus sit vir justus, sed oportet ut etiam precatio apud Deum valitura, sit non qualiscunque, non languida, sed vehemens, enixe & impense atque operose facta, animo in id unice intento, & omnibus ejus viribus isthuc conversis.

Vers. 17. Ad ostendendum quod multum valeant preces justorum operosæ, affertur exemplum ejus rei insigne, notissimum.

Elias.] Ille Tesbites, servus Dei & propheta eximius, vir justus ac pius. Ne autem quis objiceret aliam esse rationem Eliæ, aliam vero cæterorum hominum, quia Elias fuit homo divinus, miraculis patratis insignis, qui etiam ob sanctitatem miraculose ignito curru in cœlum est evectus 2 Reg. 2. 11. Huic tacitæ objectioni occurrens S. Jacobus ita describit Eliam ut ejus cum aliis hominibus convenientiam & similitudinem ostendat.

Homo erat.] Non spiritus aliquis cœlestis, ut angelus, sed homo ex hominibus natus, ex anima humana & corpore humano constans.

Similiter passibilis nobis.] Id est talibus qualibus nos passionibus atque affectionibus obnoxius. Non videtur hic significari id quod aliqui volunt, quod etiam Elias fuerit peccator vel peccatis obnoxius: quamvis enim non sit negandum, Eliam quoque potuisse peccare & in re aliqua labi; tamen hic non actiones quales sunt peccata, sed passiones notantur. Nempe quod non minus quam alii homines & Dei fideles Elias quoque fuerit subjectus naturæ infirmitatibus, ut cibo ac potu indigeret, ut afflictiones corporis, ac mortem & quidem atrocem à Jezabele metueret. Ita vox ista sumitur etiam Sap. 7. 3. & Act. 14. 15, de Paulo & Barnaba, quos Lycaonii Deos esse existimabant.

Et.] Id est, & tamen, non obstante ejus humana fragilitate, mira patravit per preces.

Precatione precatus est.] In ista geminatione seu repetitione vocis similis, est Hebraismus, qui indicat eum valde & vehementer precatum esse. Tales Hebraismi sunt 1 Sam. 26. 25. Psal. 118. 18. Thren. cap. 1. 2. Luc. 22. 15. & alibi.

Quam intensa & enixa fuerit Eliæ precatio apparet ex 1 Reg. 18. 42, ubi dicitur quod Elias prostraverit se in terram, & posuerit faciem suam inter genua sua.

Ne plueret.] Achabi Regis & subditorum ejus Israëlitarum impietas idololatrica circa cultum Baalis, meruerat pœnam divinam: hæc immissa est à Deo, tempore Eliæ Prophetæ, per magnam & diuturnam siccitatem. Non est quidem in sacra historia expresse scriptum, hoc factum esse ad preces Eliæ, quod tamen hic indicatur. Sed apparet Jacobum de hoc facto accepisse traditionem quæ apud Judæos pro comperta & certa habebatur.

Et non pluit super terram.] Nempe Israëliticam, quam tunc Deus ita punire voluit, non demissa è cœlo inferiore seu è nubibus in terram pluvia. Sicut minatus erat per Mosen, Deut. 28. 23, 24.

Annos tres & menses sex.] Tempus hoc pœnæ istius divinæ satis longum, indicatur 1 Reg. 18. 1, ubi dicitur post dies multos, nempe ex quo non pluebat, anno tertio factum esse verbum Domini ad Eliam, de pluvia. Sed apparet hujus temporis præcisi rationem, habitam esse ex traditione, quæ Judæis erat nota: quam sequutus est etiam Jesus Christus eadem de re loquens Luc. 4. 25. Per tam longum pluviæ defectum, ita exaruerat terra ut non produceret gramina nec fruges, unde exstitit fames magna in Samaria: sicut dicitur 1 Reg. 18. & Luc. 4.

Vers. 18. *Et rursus oravit.*] Nempe is ipse vir Dei Elias, qui oratione sua ita clauserat cœlum, ut ex eo

pluvia non caderet, deinde postquam populus Israëliticus, conspecto ad preces Eliæ igne cœlitus descendente, & holocaustum cum ara quamvis aqua abunde perfusum, consumente, agnovit Jehovam cui Elias serviebat esse verum Deum, idem ille Elias precibus enixis adhibitis impetravit a Deo pluviam: ut narratur 1 Reg. 18 sub finem.

Et cœlum pluviam dedit.] Nempe Deo id efficiente, ut prius nubecula parva è mari ascendente, deinde cœlo per nubes obtenebrato, fieret pluvia magna, sicut refertur loco dicto 1 Reg. 18.

Ita potest dici Eliam habuisse potestatem concessam claudendi cœlum, ut dicitur de illis duobus testibus Christi, Eliæ similibus Apoc. XI. 7. & rursus aperiendi. Clavis aperientis & claudentis loco, est precatio.

Et terra germinavit fructum suum.] Effectus exoptatus atque utilis, preces Eliæ & per eas impetratam pluviam consequutus exprimitur, ex terra antea arefacta nec fruges producente, post ejusdem per imbres irrigationem, productos fructus, ad alendos homines, & alia animalia. Id solet pluviam consequi, Levit. 26. 4. Deut. 11. 14.

Vers. 19. Monito de ægrotis per preces juvandis, additur monitum de aliis quamvis corpore non ægris sed animo magnopere ægrotantibus, sublevandis.

Fratres.] In quibusdam exemplaribus additur *mei*. Ut antea aliquoties in hac Epistola S. Jacobus istos ad quos scripsit è Judæis Christianos, tali blanda charitatis indice appellatione compellavit, ita eadem nunc eosdem compellat.

Si quis in vobis.] Id est inter vos, ut supra 3. 13. & v. 13. vel ex numero vestro.

Erret à veritate.] Veritas, per excellentiam solet notare apud Sacros Scriptores Novi Testamenti, eam perfectam Dei notitiam seu credendi ac vivendi rationem salutarem, quam Christus sub Euangelio suo manifestavit. Ut Joh. 1. 17. VIII. 32, 40. XVI. 13. XVII. 17. Rom. 2. 8. 2 Cor. 4. 2. Gal. 2. 5. iij. 1. v. 7. Eph. 1. 13. Col. 1. 5. 2 Thess. 2. 10, 12, 13. 1 Tim. 2. 4. iij. 15. 2 Tim. 2. 25. Hebr. x. 26. Jac. 1. 18. 1 Pet. 1. 22. 1 Joh. 2. 21. IV. 6.

Ab hac veritate doctrinæ Euangelicæ aberrat, tum is qui a vera religione Christiana plane deficit, per apostasiam; ut si quis tunc vel ad Judaicam religionem, vel ad Ethnicorum idololatriam desciviset: tum is, qui professione Christianismi non deserta, a vitæ pietate quam ista doctrina quæ est secundum pietatem 1 Tim. VI. 3. Tit. 1. 1. præscribit, discedit; ut si peccati alicujus habitum contrahat, atque in eo hæreat. Intelligendus est autem hoc loco is, qui errat ex quadam animi debilitate, non proterva malignitate, ita ut non prorsus religionis respectum è corde suo exterminet. Nam malignis obduratis non superesse locum conversionis indicatur Heb. 6. 4, 5, 6. & x. 26. & seq.

Et convertat quis eum.] Nempe si ei ex verbo Dei per convenientes rationes ostendat, eum valde a recta via discedere atque male agere, contra Dei voluntatem, idcoque pœnas divinas ei esse metuendas, & præsertim condemnationem æternam, nisi resipiscat: atque ita ei persuadeat, ut a falsitate ad veritatem, ab impietate ad pietatem redeat. Talibus modis ac mediis placidis homines sunt prudenter atque comiter a mala via ad bonum deducendi, non violentis, ac turbulentis. Vide 2 Tim. 2. 24, 25 & Gal. 6. 1.

Vers. 20. Jam ejus conversionis effectus egregius valde utilis indicatur, quo debet aliquis merito permoveri ut id sedulo curet.

Sciat.] Pro vero & certo hoc habeat.

Quod qui convertit peccatorem ab errore viæ ejus.] Seu ab erronea via ipsius, id est ab apostasia, vel ab alia impietate: quibus dediti homines insistunt viam latam ducentem ad interitum.

Servabit animam ex morte.] Homo propter peccatum obnoxius est morti, a Deo peccatoribus constitutæ: & quidem morti tali qua non tantum animâ a corpore solutâ, ad tempus vita intermittatur, sed & anima & corpus in æternum perdatur. Vide Rom. 5. 12. VI. 23. VIII. 13.

Per *animam* hic intelligitur anima humana, seu spiritus rationalis. Hujus conservatio a morte seu interitu est magni facienda atque magnopere curanda: non tamen ita ut excludatur corpus. Non enim sola anima salutem consequi debet absque corpore, sed cum corpore, quamvis non isto carnali corruptibili, sed spirituali incorruptibili, quo est induenda.

Sed per animam, ut partem potiorem, potest recte intelligi totus homo. Sicut etiam fit alibi, ut Ezech. 18. 4. 20. Act. 7. 14. XXVII. 22. Rom. 13. 1. 1 Petr. 3. 20.

Servare dicitur is qui non proprie servat ipse, sed servandi occasionem & media præbet, atque ad servandum adjuvat, ut causa media, non ut principalis. Ita hoc verbum hoc sensu & alibi usurpatur, ut Marc. 8. 35. Luc. 9. 24. Rom. xi. 14. 1 Tim. 4. 16. Judæ ỷ. 23. Similis loquutio de danda vita habetur 1 Joh. 5. 16. Hoc modo talis homo fratrem suum alias perdendum lucrifacit, ut dictum est à Christo Matth. 18. 15.

Et operiet multitudinem peccatorum.] Adhuc loquitur de utili effectu conversionis qui à convertente affertur converso: & servationem à morte æterna declarat per causam ejus, nempe peccatorum obtectionem. Intelligitur ergo hoc isto loco de contectione peccatorum non convertentis sed conversi. Ut etiam in verbis Solomonis Prov. x. 12, ad quæ hic alluditur, dicitur dilectio tegere omnia peccata, non diligentis sed dilecti. Eadem vero verba alio sensu sumuntur 1 Petr. 4. 8. Homo ille qui post acceptam Euangelii Christi notitiam, vel ab ea ipsa, vel saltem a pietate discedit, in peccata multa prolabitur, quibus pœnas divinas & maxime condemnationem æternam meretur. Is autem qui eum ab erronea via revocat, & ad resipiscentiam adducit, id efficit ut ejus peccata præterita sint coram Deo veluti operta seu tecta, nempe ut Deus ea per peccatoris resipiscentiam deleta non velit ita spectare ut in ea animadvertat, neque illorum causa istum punire. Ita Deus ipse peccata tegere indicatur, quando eorum pœnas non vult exigere, ut Psal. 32. 1.

Quanquam autem hic non dicatur proprie de contectione peccatorum convertentis sed conversi, tamen etiam id verum est, ei qui alium convertit, hanc ejus charitatem eximiam operosam, & salutis proximi curam, prodesse apud Deum, ad id ut ipsius quoque convertentis peccata, quibus alias in Deum deliquit, ejusque pœnas est meritus, tegantur atque remissionem obtineant: quo verba S. Petri istis similia possunt accommodari. Danda igitur sedulo est opera cuivis Christiano ut fratrem in negotio salutis periculose errantem quantum potest ab errore convertere, & sic eum Domino adjuvante lucrifacere, atque ab æterna condemnatione liberare studeat.

In Epistolam

S. JUDÆ.

Sicut de Jacobi epistolæ, ita etiam de hujus authoritate, quidam dubitarunt, eamque à Canonicis scriptis segregare voluerunt. Sed non est justa causa cur inter Apocrypha rejiciatur: & merito eadem quæ de Epistola Jacobi in prolegomenis diximus, ad hujus quoque Epistolæ authoritatem firmandam possunt accommodari. Est Epistola hæc Paræenetica, in qua fideles Christiani monentur, ut sibi caveant a seductoribus, & in officio Christiano permaneant. Magna ex parte est similis Epistolæ Petri secundæ de simili argumento scriptæ.

Vers. 1. *Judas.*] Nomen istud Hebræum contractum ex Jehuda, quod a confitendo seu laudando [nempe Deum] derivatur, datum est primum Jacobi patriarchæ filio quarto Gen. 29. 35, à quo gens Judæorum denominatur. Ejusdem nominis fuit inter discipulos Christi alius, cognominatus Iscariotes. Sed is quia improbus erat, factus Domini sui proditor nefarius, ex Apostolorum numero excidit. Iste autem qui hanc Epistolam scripsit, censetur esse ille qui inter Apostolos recensitus, vocatur Judas Jacobi, Luc. 6. 16. & Act. 1. 13, alias dictus nomine Syriaco Thaddæus Matth. 10. 3. Marc. 3. 18.

Jesu Christi servus.] Nempe non qualicunque modo, sed eximio, serviens isti Domino excellenti, in Euangelio annunciando. Sic etiam Paulus Apostolus tribuit sibi similem titulum servi Jesu Christi, Rom. 1. 1. Philip. 1. 1. Tit. 1. 1. & Petrus 2 Pet. 2. ℣. 1. Videantur notata ad Jac. 1. 1.

Frater autem Jacobi.] Nempe illius qui inter Apostolos fuit dictus Jacobus Alphæi, seu Jacobus minor, & frater Domini Jesu, vide Matth. 13. 55. Marc. 6. 3. Unde etiam à Luca vocatur Judas Jacobi, ut est paulo ante indicatum.

Conciliat sibi ac suæ Epistolæ debitam apud istos ad quos scribit authoritatem, primum à Domino cui serviebat, deinde a fratre, qui inter Apostolos celebris fuit: ut apparet Act. 15. 13. xxj. 18. Gal. 1. vers. 19. ij. 9.

Illis in Deo Patre sanctificatis.] Indicat quibus Epistolam istam scribat, nempe omnibus in universum Christianis, sicut & Petrus 2 Petr. 1, unde etiam hæc Epistola cum aliis quibusdam Catholica seu universalis nominatur. Describit autem Christianos, primum ita ut eos vocet in Deo Patre sanctificatos. *In Deo*, id est per Deum: ut sæpe *in* sumitur pro *per*, usitato Hebraismo, ut præter alia 1 Cor. 1. 2. vj. 11. Cor. 1. 16. 1 Petr. 1. 5. Significatur a Deo ut causa efficiente, per ejus voluntatem factum esse cum istis id quod mox exprimitur.

Addit autem voci Deo, vocem *Patre*, qua notatur eum esse Patrem ac Genitorem spiritualem, Jesu Christi filii unigeniti, & per consequens etiam Christianorum. Is titulus etiam alibi est adscriptus Deo, tum simpliciter, ut Gal. 1. 3. 2 Tim. 1. 2. Tit. 1. 4. 2 Joh. vers. 3, tum adjuncta voce *nostro*, ut in aliis plerisque Epistolis Apostolicis.

Sanctificatis.] Id est a vulgo hominum mundanorum profanorum segregatis, & ad sanctas functiones divinas consecratis, ut sint populus divinus peculiaris. Quod factum est per sermonem divinum, veritatis Euangelicæ, ut indicavit Christus Joh. 17. 17. Et Paulus Apostolus Eph. 5. 26. Nempe quando iste sermo Euangelicus annunciatus, est ab istis hominibus fide in cordibus susceptus, ut docet Petrus Act. cap. 15. 9. & 1 Petr. 1. 22, addito Spiritu Dei sanctificante, Rom. 15. 16. 1 Cor. 6. 11. 2 Thess. 2. 13. Hinc & alibi Christiani omnes ob Christianæ religionis susceptionem ac professionem dicuntur *sancti*. Ut Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 2. (ubi etiam vocantur sanctificati) vide & 2 Cor. 1. 1. Eph. 1. 1. Philip. 1. 1. Col. 1. 2 & alibi.

Et Jesu Christo servatis.] Potest sensus horum verborum esse quod ii homines ab eodem Deo Patre fuerint reservati Jesu Christo, seu propter Jesum Christum, nempe ut ii filio Dei darentur, ut ipsius oves essent, Joh. 10. 29. xvij. 2, 6, 9, 11, 24.

Sed possunt etiam hæc verba ita intelligi, subintellectâ eâ quæ ante expressa est particulâ *in*, ut significetur istos homines, in Jesu Christo id est per Jesum Christum Servatorem, esse conservatos ex mundo, ut custodiantur ne pereant cum mundo. Quo sensu verba similia ponuntur Joh. 17. 11, 12, 15. vide & 1 Petr. 1. 5.

Istas duas personas solas Deum Patrem & Jesum Christum, ut religionis veræ atque salutis humanæ authores memorat. Si Spiritus Sanctus est tertia Dei persona, ut vulgo creditur, & quidem ea cui maxime proprie sanctificandi actio attribuitur; quid causæ est cur is hic omittatur, & ista actio Deo Patri adscribatur?

Vocatis.] Ita appellantur Christiani etiam alibi, ut Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 2, & vocationis cœlestis participes Hebr. 3. 1, quia sunt magnâ Dei gratiâ evocati è numero aliorum hominum, per vocem Euangelii Christi, ad regnum Dei & gloriam ejus: vide 1 Thess. 2. 12. & 2 Thess. 2. 14. 1 Petr. 5. 10. & quidem ita vocati, atque invitati cum effectu, ut vocationi obsequentes, ad veram religionem & ad Ecclesiam Christi accesserint.

Vers. 2. *Misericordia vobis.*] Addit salutationem religiosam, iis ad quos scribit, bona eximia vovens atque exoptans. Non est quidem hic expressum, à quo-

à quonam ista bona eis evenire debeant, sed id ex antecedentibus facile intelligitur, ubi memoratur Deus Pater & Jesus Christus: ab his nimirum quorum cultui addicti erant isti, bona ista in eos manare cupit. A quibus duabus personis etiam alibi in epistolis Apostolicis usitate fit bonorum spiritualium comprecatio.

Misericordia, nempe Dei Patris & Domini Jesu Christi, id est effectus misericordiæ ejus, nempe erga homines miseros beneficia. Quæ misericordia gratiæ alibi adjungitur, ut 1 Tim. 1. 2. 2 Tim. 1. 2. Tit. 1. 4. 2 Joh. ℣. 3. Hic autem loco gratiæ ponitur.

Et pax.] Per pacem significat felicitatem seu omnia fausta, usitato Hebræis sermone; qui dum aliquem salutant, bona ei optantes, dicere solent: Pax tibi, Pax vobis. Sic & in aliis salutationibus Epistolarum Apostolicarum, Rom. 1. 7. 1 Cor. 1. 3. 2 Cor. 1. 2. Gal. 1. 3. & alibi.

Et charitas.] Ut superius posita duo ita & hoc tertium, a Deo & Christo manans intelligitur. Optat igitur hic ut Deus & Christus istis Christianis charitatem exhibeat, is est charitatis effectus. Ita alibi charitas Dei & Christi pro charitatis effectu salutari ponitur: ut Rom. 5. 8. viij. 35. & 39. 1 Joh. 3. 1. iv. 9, 10, 16.

Multiplicetur.] Non tantum optat ut ipsis simpliciter adsint ista bona, sed ut subinde magis copiose augeantur. Sic 1 Petr. 1. 2. & 2 Petr. 1. 2.

Vers. 3. *Dilecti.*] Compellat istos ad quos scribit, blanda appellatione, indice charitatis suæ erga ipsos: ut ita benevolentiam eorum captet, quo libentius ea quæ ipsis scribit suscipiant.

Omne studium faciens seu adhibens, *scribere vobis.*] Indicat se adhibuisse magnam diligentiam circa id ut epistolam hanc ad eos conscriberet & mitteret.

De communi salute.] Id est iis rebus quæ ad salutem animarum, seu felicitatem æternam, à Deo per Christum hominibus sibi fidentibus promissam, quæ tum ad ipsum Judam, tum ad istos quibus epistolam scribit, tum ad cæteros omnes Christianos communiter spectat.

Necessarium habui scribere vobis.] Nempe quia istis ad quos scribit imminebat periculum spirituale, quod mox versu sequente indicatur, quod salutem eorum impedire poterat, ideo Judas officii sui hoc duxit, scripta & missa ad ipsos ista epistola huic periculo occurrere, & in negotio salutis, istorum Christianorum utilitati quoad opus erat consulere. Hoc studium monendi alios præsertim in periculo constitutos, debent & alii Christiani spirituales imitari.

Deprecans.] Seu obsecrans, vel adhortans; nam Græca vox utrumque significat.

Decertare pro semel tradita sanctis fide.] Hic exprimitur propositio & scopus hujus Epistolæ. Vulgata versio habet *supercertari fidei*, nimis anxie hoc loco verba Græca volens exprimere. Sensus est, ut decertetis ex totis viribus vestris pro fide, ipsi eam constanter retinentes atque tuentes, & iis qui ipsam oppugnant fortiter vosmet opponentes, ut fides hæc maneat integra atque incorrupta. Similis phrasis de certando pro fide habetur Philip. 1. 27, 30.

Per *fidem* intelligitur hoc loco doctrina de fide seu religione, nempe ea cui nomen istud maxime convenit, id est Christiana atque Euangelica. Ita hæc vox fidei accipitur, Act. 6. 7. xiij. 8. Rom. 1. 5. xvj. 26. Gal. 1. 23. iij. 2, 5, 23, 25. 1 Tim. 3. 9, sub qua fide & pietas vera comprehenditur.

Hæc fides dicitur esse *tradita* nempe a Christo Domino, tum ipso tum per Apostolos ipsius. Quamvis autem ista doctrina de fide seu religione Christiana primum viva voce est tradita, tamen deinde quæ in illa visa sunt necessaria atque etiam utilia, ad instructionem posterorum, qui illam vocem non erant audituri, scriptis sunt consignata. Vide Luc. 1. vers. 2, 3, 4. 1 Cor. xj. 2, 23. seqq. xv. 1, 2, 3. seqq. 1 Thess. 4. 1, 2, 6. 2 Thess. 2. 3, 5. seqq. 15. iij. 6, 10.

Hæc igitur fides seu doctrina quæ est ab istis sanctissimis viris tradita, veluti depositum, quo uti bene licet, est retinenda diligenter atque conservanda.

Dicitur autem hæc fides esse tradita *semel*, quo indicatur eam in principio Christianismi publicati traditam atque propositam esse, plene ac sufficienter & firmiter, quod hæc vox *semel* etiam alibi significare videtur, ut Psal. 62. 12. & LXXXIX. 36, ita ut non sint admittendæ aliquæ ejus mutationes, aut innovationes: quasi per Christum ejusque Apostolos non esset plene atque perfecte proposita, sed adhuc esset aliquibus additamentis supplenda. Quod facit contra eos, qui docent, non omnia dogmata ad religionem Christianam necessaria, esse per Apostolos promulgata; sed aliqua etiam postea per Doctores Ecclesiæ fuisse proponenda, & subinde adhuc proponi posse, ab eo quem Christi vicarium & caput Ecclesiæ esse asseverant.

Quamvis enim Christus dixit discipulis suis Joh. cap. 16. 12. *Adhuc multa habeo dicenda vobis, sed non potestis portare nunc*; tamen post Christi exaltationem, Spiritus Sanctus in Apostolos cœlitus demissus introduxit eos in omnem veritatem, etiam circa ea quorum antea non erant capaces, ut ibidem additur vers. 13. Apostoli autem talia per Spiritum Sanctum certo edocti, eadem alios Christianos docere non neglexerunt. Quocirca tenendum est illud quod Paulus Apostolus scripsit Gal. 1. 8. *Sed etiamsi nos aut Angelus è cœlo euangelizaverit vobis præter hoc quod euangelizavimus vobis, anathema esto.*

Ait autem traditam esse hanc fidem *sanctis.* Per hos sanctos intelliguntur homines Christiani, per hanc ipsam fidem sanctificati, atque ab hominum mundanorum vulgo segregati, ut dictum est vers. 1.

Vers. 4. *Subrepserunt enim quidam homines.*] Ratio affertur cur eos hortetur ad certandum pro fide, quia exstiterunt homines quidam fidem istam turbantes; quos hic describit.

Subrepserunt, id est dolose, latenter inter alios Ecclesiæ Christianæ homines sese immiscuerunt, quasi essent veritatis Doctores, quum sint seductores.

Olim præscripti in hoc judicium.] De qualibus seductoribus, jam pridem in sacris oraculis quædam prius sunt significata atque prædicta, quod tales essent futuri. Ut omittantur alia antiquiora prophetarum de talibus vaticinia, videantur dicta Pauli Apostoli, Act. 20. 29, 30. 1 Tim. 4. 1. 2 Tim. 3. 1. iv. 3, 4. & Petri 2 Petr. 2. 1. seqq. & Johannis 1 Joh. 2. 18. &

iv. 3.

iv. 3. *Præscripti*, id est antea descripti. Ita simile verbum sumitur etiam Rom. 15. 4. Sed & illud his verbis indicari videtur, tales homines perversos, improbos, jam pridem à Deo destinatos esse ad pœnam, nempe ob ipsorum perversitatem atque improbitatem, justo decreto de talibus facto. Vide 1 Petr. 2. 8.

Hinc tamen non sequitur istos homines ab omni æternitate, nominatim, absque conditione & respectu impietatis in eis exstituræ, esse a Deo absolute ad damnationem prædestinatos, ut aliqui docent.

In hoc judicium.] Sæpe *judicium* in Sacris Literis notat id quod solet judicii de malis facti esse consequens, id est justam ob scelera pœnam. Ut inter alia Rom. 13. 2. 1 Cor. xj. 29, 34. Gal. 5. 10.

Id ipsum, quod isti homines improbi, ob suam culpam, traditi fuerunt in reprobum sensum, ut dicitur de similibus Rom. 1. 28, immissa eis tali efficacia erroris, ut 2 Thess. 2. 11, jam censetur pro pœna divina. Sed præterea, parata est talibus perditio quam sibi accersunt, ut docet S. Petrus 2 Petr. cap. 2. 1.

Impii.] Describit porro homines istos, a moribus malis. Impii dicuntur qui pietatem seu verum Dei cultum spernunt atque abjiciunt, & contra eum vel in dictis vel in factis aliquid proterve committunt. Quod autem isti tales fuerint, declaratur in sequentibus.

Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.] Dei gratia intelligitur illa excellens, ut articulo Græco præposito indicatur, salutaris, in Euangelio Christi revelata. Ita & alibi nomine gratiæ denotatur Euangelium, ut Joh. 1. 17. Rom. 6. 14, 15. Tit. 2. 11. Hebr. 13. 9. 1 Petr. 5. 12. vide & Act. 20. 24. Quia in Euangelio Christi, severitas Legis Mosaicæ est sublata, & peccatorum remissio annunciata: Hinc homines carnales impii, occasione arrepta, abusi sunt hoc bono, opinantes atque docentes, jam sub Christiana libertate permissam esse effrenem licentiam, ut Christianis liceat luxuriæ atque lasciviæ, & aliis peccatis quibuslibet indulgere. Contra hanc pravam opinionem disputat S. Paulus Rom. 6. toto.

Et illum solum herum Deum, & Dominum Jesum Christum, negantes.] Ulterius describit istorum impietatem, quod ii negent Deum, & Christum.

Illum solum herum Deum.] Ita describit Deum altissimum, illum qui est a seipso & omnia ab eo sunt, qui est Pater ille ex quo omnia.

Vocat illum Græco nomine *Despoten*, id est herum seu Dominatorem absoluto imperio dominantem, instar patrissfamilias in domo sua. Is titulus nonnisi Deo Patri qui in toto mundo ut domo sua absolute dominatur in Sacris Literis solet attribui. Ut Luc. 2. 29, & insigniter Act. 4. 24, collato cum sequentibus, sic & 2 Petr. 2. 1, ubi dicitur iste Despotes seu herus istos ut servos mercatus esse, sive hoc egisse ut eos emeret sibi, nempe per filium. Et alibi idem Deus Pater nomine ex domo & despote composito vocatur, ut Matth. 21. 33.

Is hic dicitur esse solus herus, sicut alibi vocatur ille solus verus Deus, a Jesu Christo distinctus, Joh. cap. 17. 3, & similiter distincte solus Dynasta nempe supremus, per excellentiam, 1 Tim. 6. 15.

Et Dominum nostrum Jesum Christum.] Illi priori personæ quam modo descripsit, addit alteram circa quam etiam isti impietatem suam exercebant. Aliqui has duas personas hoc loco confundunt in unam: adeo ut vulgata versio Latina omisso nomine *Deum*, ita habeat, *& solum Dominatorem & Dominum nostrum Jesum Christum, negantes.* Rationem ejus rei hanc afferre solent, quod unus articulus Græcus his omnibus sit præpositus. Sed non est insolens ut articulus unus præponatur vocibus diversis per quas diversæ personæ quamvis aliquatenus conjunctæ intelliguntur. Ut Matth. 3. 7. xvj. 1, 6, 11, 12. xxj. 12. xxvij. 56. Marc. xj. 15. Luc. 19. 45. Eph. 2. 20. iij. 5, & quod huc maxime quadrat Eph. 5. 5. & 1 Tim. 5. ℣. 21. & vj. 3. & 2 Petr. 1. 2. vide etiam Hebr. 9. 19. Et quid opus esset, si per solum Dominatorem Jesus Christus significaretur, addere eidem hanc appellationem *& Dominum nostrum?* quæ appellatio solet Jesu Christo distincto à Deo Patre tribui sub Novo Fœdere, ut 1 Cor. 8. 6. & Gal. 1. 3. 1 Tim. 1. 2. 2 Tim. 1. 2. 2 Petr. 1. 2, quem Deus fecit Dominum Act. 2. 36, & dedit eum caput super omnia Ecclesiæ Eph. 1. 22.

Recte hoc vertit Erasmus, & ex eo Flaccius, *ac Deum, qui solus est herus, ac Dominum nostrum Jesum Christum, negant.* Etiam alii agnoverunt in his verbis non de solo Christo agi, ut Vatablus, Estius, Lorinus. Certe alibi ab illo supremo mundi hero seu patrefamilias distinguitur iste ejus filius, ut Matth. 21. 33, 37.

Dicuntur autem isti homines impii, *negare* Deum & Christum, quamvis Dei & Christi servorum titulum præ se ferrent, quia etiamsi non ore & verbis, tamen opere & factis, quod majus est, id ostenderent, dum ita agebant ac vivebant dissolute, tanquam si non essent servi Dei atque Christi, neque istorum in se dominium agnoscerent, quum eis non obedirent. Sic Paulus Tit. 1. 16, dicit de quibusdam quod confiteantur se nosse Deum, operibus autem negent: & alibi 2 Tim. 3. 5, quod habeant speciem pietatis, sed vim ejus negent.

Videntur autem hic indicari illi hæretici qui jam temporibus Apostolicis in Ecclesiam dogmata pietati adversa inferebant atque spargebant: quales memorantur Nicolaitæ, de quibus Apoc. 2. 6. & 14, 15, & Simoniani, atque Gnostici, &c. Multo magis autem post Apostolorum decessum plures tales emerserunt, quorum perversæ doctrinæ veram de Deo & Christo notitiam, atque pietatem exstinguere moliebantur.

Vers. 5. *Commonere autem vos volo.*] Adhortationem suam de fide vera firmiter retinenda, atque contra seductores tuenda confirmaturus, probat istos impios fidei desertores à Deo esse puniendos: quo fine affert exempla pœnarum Dei erga inobedientes. Dicit autem se hoc *commonere* seu commemorare, vel in memoriam reducere, quia alioqui hæc istis non erant ignota, ideo mox addit;

Scientes semel hoc.] Quia nimirum id in Sacris Literis est certo consignatum: unde isti fideles id didicerant.

Quod Dominus populum è terra Ægypti salvans.] Istud

Istud nomen Dominus ita absolute positum, in rebus iis in quibus ad tempora quæ Novum Fœdus antecesserunt respicitur usurpatum, significat Deum illum altissimum, qui non ab alio sed à seipso est, ideoque dominium supremum non ab alio acceptum habet. Id nomen solet poni loco illius Hebraici quod vulgo effertur Jehova, de quo videatur annotatio ad Jac. cap. 5. 4. Syrus Interpres, & Clemens Alexandrinus hoc loco habent *Dominus Deus.*

In vulgata versione Latina ponitur *Jesus*, unde etiam aliqui probare conantur Jesum Christum antequam ex Maria nasceretur olim exstitisse. Sed immerito: nam exemplaria Græca (qua lingua hæc epistola scripta est,) passim habent non Jesus, sed Dominus. Quamvis autem etiam Jesus Christus vocetur Dominus, ut & hic versu præcedente, tamen id fit in rebus ad Novum Fœdus spectantibus, non autem in iis quæ tempora Novi Fœderis antecesserunt. [Deinde dum hoc de quo mox sermo subjungitur, fieret, tunc non extabat Jesus, quod est hominis nomen, nisi ille Josua filius Nunis qui etiam vocatur Jesus, qui tunc temporis fuit famulus Mosis.]

Populum.] Nempe illum Deo dilectum, Israëliticum, posteros Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Patriarcharum, a cæteris gentibus distinctum. Unde simpliciter quasi per excellentiam vocatur populus, & hoc nomine aliis nationibus opponitur, ut Act. cap. 26. 17. xxviij. 17. & alibi.

Ex terra Ægypti salvans.] Id est ex illa terra Ægyptiaca (quæ ita dicta etiam Act. 7. 11.) in qua quum Jacobi qui illuc cum familia descenderat, posteri, seu Israëlitæ, essent valde multiplicati, & premerentur ab Ægyptiis dura servitute, Deus eorum misertus eos inde liberavit.

Salvans.] Id est quum eos è servili misera conditione liberasset, atque ab exitio servasset. Ita salvare seu salvum facere solet sumi etiam de corporali conservatione. Ut Jud. 7. 2. 2 Sam. 10. 11. Psal. 36. 7.

Hoc beneficium Dei insigne solet illi populo in memoriam revocari. Ut Exod. 20. 2. Deut. 5. 15. Psal. 81. 11. cvj. 8, 10.

Secundo non credentes perdidit.] Vox *secundo* non proprie hic sumitur, quasi jam antea semel istis Deus perdidisset: sed significat *postea.*

Non credentes.] Id est illos Israëlitas, qui Deo promittenti se eos in terram Chananæam introducturum, eamque illis possidendam traditurum, fidem non adhibebant. Vide Num. 14. nominatim ℣. 11. & Hebr. 3. 18.

Perdidit.] Ita ut in terram promissam non sint ingressi, sed Deo contumaciam eorum puniente, in deserto prostrati occubuerunt. Sicut eis minatus erat Deus, vide Num. 14. 23, 29, 30. & xxvj. 64, 65. Psal. 106. 26.

Ita etiamsi ab initio fuerunt gratiæ Dei participes, tamen postea, ob suam improbitatem, gratiâ exciderunt, & pœnam improbitatis pertulerunt. Quod notavit Paulus Apostolus 1 Cor. 10. ab initio, vide nominatim vers. 5. Ita Christiani à servitute spirituali liberati, si à fide vera deficiant ac Deo sint inobedientes, punientur atque perdentur.

Vers. 6. *Angelosque* &c.] Affert aliud exemplum, quo probatur eos qui gratia Dei abutuntur, puniri. Angeli vocantur usitate substantiæ illæ spirituales cœlestes quæ sunt creatæ eo fine ut Deo ministrarent. Nomen istud Græcum significat nuncios. Sed præter Angelos bonos sanctos, sunt etiam angeli mali, seu cacodæmones, de qualibus hic est sermo, ut patet ex sequentibus.

Qui non servaverunt suum principium seu *principatum.*] Nam vox Græca utrumque potest significare. S. Petrus epist. 2. cap. 2. 4, simpliciter ac generatim indicat angelos istos peccavisse. S. Judas id aliquomodo declarat, quanquam non satis clare. Si vox Græca ἀρχὴ sumatur ita ut significet principium, tum intelligetur istos angelos quum essent in principio à Deo creati boni, non perstitisse in ista bonitate. Sed si hæc vox sumatur pro principatu, sicut Eph. 1. 21. Col. 1. 16. Tit. 3. 1, ut etiam vulgata versio Latina hoc loco vertit, & mox sequentia verba id declarant, tum intelligendum erit, istos angelos in quodam principatu seu statu excellenti à Deo constitutos, eo non fuisse contentos, sed alium superiorem affectasse.

Sed reliquerunt proprium domicilium.] Quod prius dictum est per negationem, de non servato principatu, id hic declaratur per affirmationem, quod nempe è domicilio seu loco habitationis sibi à Deo assignato, excesserint, ad altiorem ut videtur locum tendentes, per superbiam, per quam vel etiam simul per invidiam, qua aliquibus sese superioribus sublimiorem gradum præstantiæ atque honoris invidebant, peccasse vulgo censentur. Multa circa hæc homines curiose inquirere & temere statuere sibi permiserunt. Primum angelos omnes in cœlo supremo quod vocant empyreum fuisse ab initio statim collocatos: quanquam aliqui dissentiunt ut Hieronym. & alii [Lorin. Svarez.] Deinde Ducem istius exercitus angelorum peccantium, quem nominant Luciferum, qui nunc vocatur Satan Hebraicè, Græcè autem Diabolus, fuisse supremum inter omnes omnino angelos. Eumque post primum momentum seu punctum suæ creationis, absque intermedio, mox pecasse: & quidem ita ut Deo ipsi altissimo voluerit fieri æqualis. Quæ omnia sunt incerta, imo pleraque istorum non verisimilia.

In eo quod isti angeli dereliquerunt domicilium proprium seu suum, est ipsorum culpa, non autem pœna, ut quidam sunt opinati, qui hoc ita exposuerunt, quod isti angeli coacti sint locum in quo creati & collocati erant relinquere. Sed pœna eorum demum in verbis sequentibus exprimitur.

In judicium magnæ diei, vinculis æternis sub caliginem reservavit.] Hic jam angelorum qui peccaverunt, pœnam iis ab illo de quo superius ℣. 5. dixit Domino, inflictam exprimit: nempe à Deo ut expressum est 2 Petr. 2. 4.

In judicium seu *ad judicium.*] Quamvis isti spiritus maligni, post peccatum commissum, in quo pertinaciter permanserunt, sunt à Deo judicati atque decreto ejus ad pœnam damnati, imo etiam jam aliquatenus exsequutioni istius decreti atque pœnæ cuidam sunt subjecti; tamen adhuc restat judicii de illis manifesta omnibus facienda promulgatio, & ultima pœnæ extremæ exsequutio, quæ fiet in ultimo judicio.

Magnæ diei.] Ita designat tempus judicii ultimi; quod Deus summus in fine seculi hujus per Jesum Christum exercebit. Quia in illa die seu illo tempore (quamvis forsan non actu unius diei, sicut non una die mundus est creatus,) fient res magnæ & valde insignes, ut judicium universale de omnibus hominibus, malorum omnium extremum supplicium, bonorum summum præmium, & mundi hujus inferioris destructio. Vide similem appellationem Joël cap. 2. 31. & Act. 2. 20.

Reservavit.] Dicitur Deus reservasse istos malos angelos ad judicium, ut interim alicubi detineantur, donec ad extremum puniantur. Ita homines impii atque injusti dicuntur in diem judicii servari, puniendi 2 Petr. 2. 9. At demum in illa die Christus jubebit maledictos abire in ignem æternum, paratum Diabolo & angelis ejus Matth. 25. 41. Unde apparet ut homines malos, sic & cacodæmones, nondum nunc extremo supplicio puniri, sed demum extremo tempore esse ita puniendos, ut in lacum igneum conjiciantur. Sicut dicitur Apocal. 20. 10. Quod etiam hinc, ut & ex 2 Petr. 2. 4. Justinus, Irenæus, Lactantius & Hilarius collegerunt: secus quam vulgo plerique opinantur.

Vinculis æternis.] Est similitudo ducta ab eo quando malefici in vincula conjiciuntur, ut per illa ligati in carcere detineantur. Ita dicuntur isti angeli mali quibusdam quasi vinculis adstricti detineri: Quæ etiam 2 Petr. 2. 4, vocantur catenæ, non quidem ferreæ vel aliæ corporales, quibus spiritus tales quales sunt isti angeli, non possent constringi atque cohiberi. Sed intelliguntur spirituum istorum vincula spiritualia.

Æterna autem dum dicuntur ista vincula, non est necesse hoc ita intelligere, quod in istis ipsis vinculis de quibus mox dicetur, isti angeli mali sint omnino in perpetuum detinendi, absque ullo istius detentionis fine. Nam sæpe in Sacris Literis æterna vocantur, quibus tamen non convenit infinita duratio. Ut Genes. 17. 8, 13. XLviij. 4. Exod. 21. 6. Lev. 25. 34, 46. Psal. 61. 5. CX. 4. CXIX. 93, 111, 112. Eccles. 1. 4. Esa. 16. 13. Philem. ℣. 15. Hebr. cap. 5. 6. vj. 20. vij. 17, 21.

Sed sufficit ut tamdiu quamdiu mundus iste durabit, isti angeli in his vinculis seu carcere detineatur, donec tandem supplicio extremo tradantur.

Sub caliginem seu *sub caligine.*] Significatur vincula hæc in quibus isti spiritus mali detinentur esse caliginem quandam. Unde etiam 2 Petr. 2. 4, vocantur catenæ caliginis. Per caliginem istam videtur intelligi regio sublunaris aërea, in qua cacodæmones plerumque diversari, indicatur Eph. 2. 2. & vj. 12, quæ regio inferior subcœlestis, respectu cœli superioris est caliginosa. Quamvis enim 2 Petr. 2. 4, dicatur, Deus istos angelos malos in tartarum præcipitasse, tamen ista ipsa regio aërea infera, pro tartaro potest haberi. Nam alioqui Diabolum nunc non esse in abysso, sed aliquando demum eò conjiciendum esse, indicatur Luc. 8. 31. & Apoc. 20. 3.

Vers. 7. *Sicut Sodoma.*] Aliud exemplum malorum à Deo punitorum adducit.

Sodoma & Gomorrha.] Urbes in Chananæa olim insignes, in regione super Jordanem amœna, quæ erat sicut hortus Dei seu paradisus, ut dicitur Gen. cap. 13. 10. Quarum incolæ, panis satietate, & pacis abundantia, de qua Ezech. 16. 49, abusi, magni peccatores fuerunt Gen. 13. 13. & xviij. 20.

Et illæ [quæ] circa eas [erant] urbes.] Præter istas præcipuas memorantur aliæ urbes eis vicinæ seu finitimæ, ut Adama, & Seboim, Gen. 14. 2. Deut. 29. ℣. 23. Hos. xj. 8, quæ cum suis incolis, sicut peccati, ita pœnæ, ejusdem cum Sodoma atque Gomorrha, participes fuerunt.

Similem his modum exfornicatæ seu *scortatæ.*] Urbibus adscribitur quod convenit istarum urbium incolis, qui libidine turpi peccaverunt. Præpositione *ex* videtur notari vel hoc quod in libidine & scortatione insigniter modum excesserint, vel etiam quod extra sexum convenientem eorum libido evagata fuerit.

Et abeuntes post carnem alteram.] Id est non contenti conjugio honesto libidinem extra conjugium in fœminas exercuerunt, imo etiam sectati sunt concubitus nefandos cum masculis, contra naturam: de qualibus vide Rom. 1. 27. Id in more fuisse Sodomitis, colligi potest ex Gen. 19. 5. Unde etiam talis præpostera libido, vocatur vulgo Sodomia, seu Sodomiticum peccatum.

Propositæ sunt exemplum.] Nempe dum ob peccata sua punitæ sunt à Deo, eo ipso in illis statutum est exemplum iis qui impie acturi essent, ut scriptum est 2 Petr. 2. 6, scilicet eos quoque similiter esse puniendos.

Ignis æterni pœnam sustinentes.] Sacra historia testatur Gen. 19. 24, 25, Dominum in Sodomam & Gomorrham depluisse à cœlo sulphur & ignem, atque ita evertisse urbes illas, & omnes earum incolas, cum fructibus illius terræ.

Dicitur autem iste ignis *æternus*, quia effectus ejus per secula durans etiam nunc manet, ita ut & lacus bituminosus dictus Asphaltites qui illo loco emersit, perpetuo fumare, & vicina loca cinerulenta esse narrentur, vide Sap. 10. 7. Sic de Idumæa ita punienda, ut pulvis ejus convertatur in sulphur, & terra ejus in picem ardentem, idque ita ut neque nocte neque die exstinguatur, atque in seculum ascendat fumus ejus, dicitur Esa. 34. 9, 10.

Vers. 8. *Similiter sane & isti.*] Exempla quæ modo de antiquis peccatoribus eorumque pœnis attulit, applicat ad istos de quibus loqui cœperat seductores, utpote his in peccando similes.

Sopiti.] Quasi somno quodam spirituali soporati, & lethargo oppressi, sopita ratione absque ullo respectu honesti peccatis suis indormientes cum securitate. Ita alibi in peccatis hærentes assimilantur dormientibus, ut Rom. 13. 11. 1 Cor. 15. 34. Eph. 5. ℣. 14. 1 Thess. 5. 6.

Carnem quidem maculant.] Id est corpus tum suum agentium, tum alienum, patientium, fœda libidine, vetita extra conjugium polluunt, vide Rom. 1. 24. & 1 Cor. 6. 18. Petrus de talibus loquens, dicit: *Post carnem in cupiditate inquinamenti ambulantes* 2 Petr. 2. 10.

Dominationem autem rejiciunt vel *spernunt.*] 2 Pet. cap. 2. 10, dicuntur, *dominationis contemtores.* Significat quod isti homines improbi, eos qui domi-

nandi jure utebantur, seu in magistratu erant constituti, ita contemnerent ut se iis subjicere eisque obedire recusarent: nempe ideo ne ipsorum scelera, atque crimina, à magistratu coërcerentur. Quum tamen Deus velit esse in mundo magistratus, ut civilis honestas custodiatur, & innocentes ab injuriis defendantur. Ideo omnis anima debet talibus potestatibus subjici, quia non est potestas, nisi à Deo, & qui se opponit potestati, is Dei ordinationi resistit: ut scripsit S. Paulus Rom. 13. 1, 2. Parum autem refert etiamsi quis agnoscat debere esse in mundo magistratus, si tamen interim ipse cum sui similibus subditus eis esse nolit, imo ab eorum potestate ac jurisdictione exemtus esse velit.

Glorias autem blasphemant.] Sicut modo *dominationem* posuit pro dominantibus, abstractum pro concreto, ita hic *glorias* ponit pro hominibus qui sunt præditi gloriâ seu sublimi potestate atque imperio & majestate: sicut etiam 2 Petr. 2. 10. Ita alibi vocantur *potestates* ii qui potestatem habent, ut Rom. 13. 1. Tit. 3. 1.

Blasphemant.] Verbum Græcum blasphemare, significat proprie lædere famam alicujus. Id solet præcipue usurpari de iis qui contra Dei honorem aliquid inconveniens dicunt. Sed etiam de eo usurpatur si quis homines convitiis atque maledictis incessat, aut etiam calumnietur, ut Rom. 3. 8. 1 Cor. cap. 4. 13. Eph. 4. 31. Col. 3. 8. Magistratui non licet maledicere. Vide Exod. 22. 28. Act. 23. 5.

Vers. 9. Exemplo angelico opposito arguuntur ii qui in magistratus sunt contumeliosi.

At Michael archangelus.] Michael est nomen Hebraicum, significans: Quis sicut Deus. Id nomen datum uni ex angelis præcipuo, qui vocatur, unus ex principibus primis id est præcipuis, Dan. 10. 13, & indicatur fuisse præses ac singularis defensor populi divini. Ibid. ℣. 21. & xij. 1. vide & Apoc. 12. 7.

Archangelus.] Id est princeps angelorum. Possunt quidem esse plures Archangeli, seu angelorum ac spirituum cœlestium principes, ut indicari videtur l. d. Dan. 10. 13. vide etiam Tob. 12. 14. Et nominantur cœlestes Archæ seu principatus Eph. 3. 10. Col. 1. 16. Sed tamen in Sacris Literis non nominantur usquam expresse Archangeli, in numero plurali, tantum Archangelus in singulari. Is est iste Michael, angelicorum principum princeps præcipuus: typum Christi gerens.

Sub isto Archangelo ut Duce exercitus, sunt alii angeli, ut milites, sicut indicatur Apoc. 12. 7. Ita non omnes Angeli sunt æquales, sed sunt in ista Hierarchia gradus dignitatis.

Quando cum Diabolo contendens.] Cum illo spiritu maligno angelorum illorum Deo rebellium, de quibus supra vers. 6, Duce præcipuo: qui etiam ideo ejus angeli dicuntur Matth. 25. 41. Apoc. 12. 7. Cui nomen istud Diaboli Græcè datum est à calumnia, quia jam olim & Deum calumniatus est, & ejus servos fideles. Qui Hebraicè vocatur Satan seu Adversarius, per excellentiam, vide Annot. ad Jacob. 4. 7. Cum hoc malo Archangelo, contendebat bonus Archangelus, quasi in judicio decertans.

Disceptabat de Mosis corpore.] Moses qui erat servus Dei eximius, mortuus in terra Moabitica, ibidem à Deo per angelos sepultus fuit, ita ut nulli hominum notum esset ubinam corpus Mosis esset situm, vide Deut. 34. 6. Credibile est, quod omnes fere Interpretes in hunc locum Judæ, annotarunt, Diabolum spiritum malignum, voluisse aliquando Israëlitis, quorum Ductor & Legislator fuerat Moses, sepulchrum & corpus ejus mortui ostendere, eo fine ut ipsos ad istius viri sancti mortui religiosum cultum idololatricum, ac proinde ad peccatum insigne adduceret. Id vero Michael Archangelus ne Diabolus faceret prohibebat, eique obsistebat: Inde orta est inter eos altercatio. Sed ex Michaelis parte, satis modesta, ut mox indicatur.

Non ausus est judicium inferre blasphemiæ.] Id est noluit in ista concertatione, & contentione contra Diabolum quamvis pessimum, pronunciare aliquod maledictum aut convitium: quod per vocem *blasphemiæ* notatur, ut dictum est versu proxime præcedente. 2 Petr. 2. 11, dicitur Angelos quamvis robore & potentia magnos contra dignitates, seu personas eas quæ insignem habent potestatem, seu contra seipsos mutuo, non ferre apud Dominum, judicium blasphemum. Nempe Michael id spectabat quod Diabolus etsi malignus spiritus, tamen sit Deo permittente insigni potestate præditus, qui etiam dicitur princeps hujus mundi Joh. 12. 31. xiv. 30, ideoque eum convitiis incessere noluit. Quanto minus hominibus licet Magistratus etiam non recte sese gerentes maledictis proscindere probrosis.

Sed dixit: Increpet te Dominus.] Domino isti supremo communi, id est Deo altissimo cui ambo subsunt, Michael Diabolum reliquit objurgandum atque compescendum, & pro meritis tractandum, illi enim convenit ultio, ut dicitur Deuter. 32. 35. Similia verba Angelus quidam insignis dixit Satanæ, Jesuam Sacerdotem vexanti, Zach. 3. 2.

Historiam istam de Michaelis Archangeli cum Diabolo disceptatione, quæ in nulla Veteris Testamenti Scriptura in iis qui nunc exstant libris habetur, S. Judas vel ex aliquo quod ad nos non pervenit sacro volumine, vel ex traditione Judæorum accepit, vel ex aliquo libro Apocrypho. Nam & ex talibus quatenus Sacræ Scripturæ non adversantur, citari quidpiam, non ad dogmata fidei adstruenda ex talium authoritate, sed ad rem aliquam apud eos quibus ista nota sunt declarandam, non est absurdum. Sic Paulus Apostolus etiam ex poëtis Ethnicorum aliqua citat, quamvis non omnia illorum approbet, vide Act. 17. 28. Tit. 1. 12. Sic illos qui Mosi resistebant Magos, Jannem & Jambrem fuisse narrat, 2 Tim. 3. 8. Quamvis enim tales de rebus olim gestis & in Scriptura Canonica non consignatis, traditiones, non omnes sint veræ, tamen possunt aliquæ esse veræ, quæ à viris Spiritu divino plenis quales erant Apostoli, discernebantur & approbabantur.

Vers. 10. *Isti autem.*] Nempe fidei veræ corruptores, impii Doctores, de quibus loqui cœpit ℣. 4, & deinde ℣. 8, ab angelicis moribus multum diversi.

Quæ quidem non noverunt blasphemant.] Quidam hoc accipiunt de mysteriis religionis. Et solet sane hoc evenire etiam in istis quod proverbio jactatur, quæ non capimus carpimus: Sed hoc loco videtur respici non tam ad illud quod remotius ℣. 4 est indicatum,

catum, quam potius ad istud quod dictum est propius ℣. 8, quod nempe isti homines improbi blasphemarent seu maledictis insectarentur Magistratus; idque ideo quia non sciunt neque intelligunt, seu potius non agnoscunt ultro, hos esse à Deo ordinatos atque constitutos: quoniam ipsorum improbis studiis atque flagitiis adversantur.

Quæ autem naturaliter tanquam irrationalia animalia norunt, in his corrumpuntur.] Ad quæ naturali instinctu ducuntur, vel quorum sensum naturalem habent, eaque ut carni suæ grata approbant, pariter cum bestiis ratione carentibus: qualia sunt quæ ad cupiditates carnales explendas, ut ad cibos & ad Veneris usum pertinent: Talibus isti homines improbi ita absque ratione & modo debito indulgent, iisque immoderate abutuntur, superantes in horum usu porcos, tauros, canes, & alias bestias; ut per hunc abusum corrupti evadant animo, & moribus profligatis: atque etiam corpus suum ejusque sanitatem corrumpant, & vitam hanc temporariam sibiipsis per intemperantiam & luxuriam, voracitatem, ebrietatem, libidinem, abbrevient, atque mortem accersant: ac denique propter ista ad exitium æternum à Deo damnentur: ut bestiæ quæ per suum appetitum imprudentem in retia & laqueos incidunt atque perduntur. Vide 2 Petr. 2. 12.

Vers. 11. *Væillis.*] Istis hominibus improbis, flagitiosis, prædicit atque minatur ob illorum scelera meritam pœnam, atque exitium.

Quia via Caini ingressi sunt.] Superius indicatis eorum improbis facinoribus addit adhuc alia, in iisdem reperta.

Cainus Adami filius, fratrem suum Abelem justum, Deo placentem, invidiâ & odio prosequutus, eo devenit ut ipsum violenter aggressus occiderit; quamobrem à Deo retulit maledictionem atque expulsionem. Ut narratur Gen. 4. 5, 8, 11. Caini via, significat mores & actiones tales quales Caini erant. Ita alibi *via* ponitur pro modo agendi. Psal. 1. 6. x. 5. XLIX. 14. &c. Dicuntur autem Caini via ingredi ii, qui fratres, Deum sincere colentes, odio prosequuntur, & persequuntur. Nam omnis odio habens fratrem suum, censetur esse homicida, similis Caino, 1 Joh. 3. 12, 15. Proinde etiam talibus exspectanda est ei quam Cainus tulit similis maledictio, atque pœna à Deo.

Et deceptione Balaami mercedis effusi sunt.] Balaamus propheta improbus, ad maledicendum populo Israëlitico, accitus, à Balaco Rege Moabitarum, quamvis Deus ei interdixerat ne illuc iret, tamen promissæ à Balaco mercedis magnæ cupiditate allectus, etsi eam recusare videbatur, iter illuc suscepit, quod Deo displicuit. Id descriptum est Num. cap. 22. Apparet eum avaritia stimulatum, mercedem iniquitatis dilexisse, ut dicitur 2 Petr. 2. 15. Etiamsi vero non maledixit tunc populo illi, Deo prohibente, imo potius ipsi benedixit, eodem impellente; tamen apparet ejus consilio perverso, eundem populum, à fœminis Moabiticis seu Madianiticis ad scortationem & cultum idololatricum pellectum, magna plaga à Deo esse affectum. Vide Num. 31. 16. Postea vero cum Regibus Madianitarum cæsis, etiam Balaamus gladio est interfectus Num. 31. 8. Ita eum cupiditas mercedis decepit atque fefellit: quia tum induxit eum in magnum errorem, tum deinde in exitium. Hunc Balaamum imitantur, ejusque viam, ut Petrus loco dicto ait, sequuntur, ii, qui avaritia & opum acquirendarum cupiditate inescati, aliquid iniquum atque improbum faciunt, & qui alios pravis consiliis ad peccata atque ad perniciem, adducunt. Apoc. 2. 14, 15 & 20. Indicatur quod Balaamum imitati fuerint Nicolaitæ.

Effusi sunt.] Hoc quidam ita interpretantur, quod isti homines impii quasi effusis habenis in improbitatem dissolute ruerent, vel in omne facinus prolapsi essent. Sed potius videtur indicari eorum exitium: sicut mox ubi dicitur quod sicut Core perierint. Psal. 22. 15. dicitur, *sicut aqua effusus sum*, qua metaphora virium vitalium dissolutio & defectio indicatur: quemadmodum aqua humi profusa, disperit. Balaamus veluti effusus est, quum gladio necaretur, ita ut sanguis ejus effunderetur, & ipse interiret. Dicitur autem de istis *effusi sunt*, posito præterito pro futuro.

Et contradictione Core perierunt.] In populo illo Israëlitico ex Ægyptiaca servitute educto, seditionem contra Mosen & Aharonem excitavit Corachus seu Core ex tribu Levitica, cum Dathane, & Abiramo, ex posteris Rubenis, per invidiam atque superbiam: quippe quum Moses & Aharon palam à Deo constituti fuerint rectores populi divini, & in regendo nihil iniqui committerent, tamen Core cum aliis sibi adhærentibus conspiratione inita, cum illis improbe contendebat, & illis ereptum honorem ipse sibi vendicare affectabat. Sed non impune id tulit cum seditionis sociis, nam terræ hiatu vivi absorpti interierunt: ut narratur Num. 16.

Dicit vero S. Judas de istis suo tempore existentibus seductoribus impiis, *perierunt*, quamvis adhuc vitam hanc agerent, ut patet ex sequentibus; quia propter sua nefaria facinora certo erant perituri, à Deo damnandi atque perdendi. Ita sæpe apud Prophetas præterita ponuntur, ubi certo futura designantur, quasi jam existerent.

Vers. 12. *Isti sunt in agapis vestris maculæ.*] Ulterius describit & exaggerat istorum hominum improborum mores turpes. *Agapæ* Græco vocabulo, à charitate dictæ, erant cœnæ Christianorum & convivia pia, testandæ atque exercendæ charitatis fraternæ causâ instituta, sumtu Ecclesiæ, vel symbolis collatis; quibus tunc Cœna Dominica Eucharistica in memoriam passionis Christi celebrari solita adjungebatur. De talibus agapis videatur Tertullianus in Apologetico. Tales agapas, frequentantes isti homines improbi, etiam ibi luxuriose epulabantur, atque cibo & potu seipsos affatim saturabant, ac erant *maculæ* cœtus Christiani, quem sua luxuria, & inhonestis turpibusque dictis atque factis & aspectibus lascivis inquinabant ac commaculabant, & dedecore atque probro afficiebant. Vide 2 Petr. 2. 13, 14.

Convivantes.] Addunt aliqui *vobis* seu vobiscum: ut habetur etiam 2 Petr. 2. 13, declarat istas agapas, quod essent convivia in quibus convictu & conversatione amica sese oblectabant Christiani, ac cum iis simul isti improbi inhoneste sese gerentes convivabantur.

Sine timore seipsos pascentes.] Id est absque ullo respectu, impudenter, corpora sua saginantes, intrepide & secure nihil verentes utrum inde scandalum aliquod & offensio vel ipsorum Christianorum vel externorum exoriretur, nec pœnam ullam vel divinam vel humanam reformidantes. Respicere videtur S. Judas eo quod isti homines improbi, essent ex Episcopis, qui vocabantur Ecclesiæ Christi Pastores Eph. 4. 11, qui debebant pascere gregem sibi commissum, seu Ecclesiam Dei atque Christi, per doctrinas pias atque admonitiones, vide Act. 20. ℣. 28. 1 Petr. 5. 2. At isti curam animarum ovium Christi spiritualium negligentes, interea semetipsos atque corpora sua pascebant luxuriose. In quales pastores improbos, seipsos pascentes, & sua commoda carnalia potissimum spectantes atque sectantes invehitur Deus apud Prophetam Ezechielem cap. 34. ℣. 2, 3, 8, 18.

Nubes sine aqua.] Eorundem hominum impiorum mores declarat per metaphoras. Nubes ex vaporibus humidis è terris & aquis in aërem ascendentibus collectæ, videntur in se continere aquam, & demissuræ esse in terram, pluviam. Sed sæpe fit ut secus quam apparet eveniat: nempe ut nubes aquâ careant: & pluviam speratam non demittant. Inde recte homines aliquid boni promittentes sed non præstantes talibus nubibus vanis assimilantur, ut Prov. 25. 14. Ita isti homines impii promittebant doctrinam veritatis, sed non docebant veritatem, præ se ferebant studium pietatis, at reipsa non præstabant factis atque operibus suis, pietatem. Habentes speciem pietatis, sed vim ejus negantes, ut dixit S. Paulus 2 Tim. 3. 5.

A ventis circumlatæ.] Seu turbine agitatæ, ut scriptum est 2 Petr. 2. 17, solent nubes leves à ventorum flatu per aërem in partes diversas deferri. Notatur istorum hominum improborum levitas & inconstantia, quod diversis affectibus huc illuc agitati, ad diversas doctrinas & errores varios, atque etiam actiones instabiles deferantur. Similiter S. Paulus notat eos qui fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ Eph. 4. 14. Sed ibi de discipulis hic autem de Doctoribus est sermo.

Arbores autumno marcescentes.] Quidam vertunt *autumnales*. Sed Græca vox composita significat corruptæ autumno. Solent autumni frigora arbores parum succi boni habentes arefacere atque corrumpere. Hinc fit ut tales arbores, fiant,

Infructuosæ.] Id est fructus debitos nullos proferant, aut nonnisi malos, inutiles. Ita isti homines improbi, pietatis succo destituti, corrupti, non ferunt fructus bonorum operum, illos fructus spiritûs, qui recensentur Gal. 5. 22.

Bis emortuæ.] Vivunt quodammodo arbores dum vigent ac vegetantur, at emoriuntur quum vigorem suum amittunt & corrumpuntur: ut quum fiunt primum aridæ, deinde vero ut mox hic additur,

Eradicatæ.] Ita fit merito arboribus infrugiferis, præsertim arefactis, ut exscindantur atque etiam radicitus exstirpentur, ne locum frustra occupent, & ut in ignem, urendæ conjiciantur. Sic hominibus impiis eventurum indicatur Matth. 3. 10. vij. 19. Luc. 13. 7, 9. Homines impii non semel moriuntur. Prima mors eorum est quando non vivunt Deo, sed peccatis immersi spiritum habent emortuum, qui dicuntur adhuc viventes mori 1 Tim. 5. 6. Deinde quum animâ à corpore separatâ privantur ista vita temporaria; sed ista ipsa mors communis cum piis, non nocet. Denique manet impios mors secunda, perditio æterna Apoc. 20. 14. xxj. 8.

Videtur hic *eradicatæ* præteritum poni pro futuro *eradicandæ*, nempe per pœnas eis à Deo immittendas, tum in hoc seculo tum in futuro.

Vers. 13. *Undæ efferæ maris.*] Eosdem impios respectu morum assimilat fluctibus marinis immanibus, tum quia similiter sunt inquieti & turbulenti, tum quia similiter ejectant sordes: ob quam utramque causam impii undis pelagi sunt assimilati Esa. 57. vers. 20. Hic autem maxime respicitur ista posterior, dum mox additur,

Despumantes sua ipsorum dedecora.] Ut fluctus maris æstuantis, cum spumis ejectant ad littora res aliquas impuras; ita isti homines impii affectuum inordinatorum ac vitiorum æstu agitati, suorum peccatorum sordes probrosas quarum eos pudere deberet, ultro in apertum proferunt, atque interdum de iis tanquam egregiis impudenter coram aliis gloriantur. Vide Psal. 52. 3. xcvij. 7. Philip. 3. 19.

Stellæ erraticæ.] Alia metaphora eosdem homines impios describit. Inter stellas sunt quædam quæ vocantur Græca voce Planetæ seu Errones, non quod absque ullo ordine oberrent, atque huc illuc vagentur, sed quod peculiares suos motus habeant, quales non habent aliæ stellæ quæ dicuntur fixæ. Verum hic non ad istos planetas respici videtur. Sunt præterea inter meteora, quædam ignita quæ vocantur stellæ cadentes, quæ ab aëre in terram devolant & mox exstinguuntur. Sunt etiam inter hæc eadem ignes qui fatui vocantur, seu erratici, qui in palustribus terris oberrare, & viatores tempore noctis tenebrosæ in avia deducere solent. Doctores Ecclesiæ assimilantur stellis, ob lucem doctrinæ, ut Apoc. 1. vers. 20. Etiam falsi Doctores stellis è cœlo in terram cadentibus comparari videntur Apoc. 8. 10. & ix. 1.

Syrus Interpres hoc loco vertit *stellæ seductrices*; tales sunt Doctores erronei seductores, qui doctrinæ quasi luce quadam fallaci micantes, velut ignes fatui seducunt suos sectatores à via veritatis recta in tramites errorum avios, ad eorum perniciem.

Quibus caligo tenebrarum in æternum servata est.] Indicat pœnam quæ istos Doctores falsos atque impios manet. Illi instar stellarum erraticarum luce quadam maligna & fallaci micantes, in errorum tenebras deducunt homines, ideo ipsis parata est,

Caligo tenebrarum.] Id est caligo tenebrosa. Ita substantivum alteri substantivo per genitivum casum additum solet apud Hebræos poni pro adjectivo. Ut inter alia Psal. 3. 5. xij. 3, 4. Philip. 3. 21. &c.

Is erit istorum falsorum Doctorum, à luce veritatis divinæ ad tenebras errorum homines abducentium, finis, ut ipsi sint detrudendi veluti in carcerem valde tenebrosum. De talibus tenebris exterioribus, respectu lucis regni cœlestis, in quas tenebras impii sunt ad miseriam magnam perpetiendam ejiciendi, loquitur etiam Christus, Matth. 8. 12. xxij. 13. xxv. 30. Etiam alibi tenebræ ponuntur pro miseriis.

Ut

Ut Job. cap. 15. 22. Esa. 8. 22. Joël 2. 2.

Dicit autem istis impiis hanc miseriam *servatam esse*, seu servari; nempe Dei destinatione, manere eos hanc pœnam, ita ut eis certo sit reddenda; & quidem *in sæculum:* non ad breve tempus, sed semper duratura, ita ut isti ex ea nunquam sint evasuri. De iisdem vel similibus hominibus impiis, similia verba habentur 2 Petr. 2. 17.

Vers. 14. *Prophetavit autem & his.*] Minas pœnæ & exitii impiis hominibus destinati, confirmat Judas dicto prophetico. Deus jam olim per os prophetarum, virorum sanctorum, spiritu suo afflatorum, prædixit ut piorum præmia, ita & pœnas impiorum.

His.] In universum quidem hominibus impiis omnibus ut versu sequente dicitur, ista prophetia pœnas comminatur: sed quia isti quoque quos Judas indicat ad horum censum pertinent, ideo etiam ad hos istæ minæ spectant.

Septimus ab Adamo Enochus.] Prophetiam istam commendat ab antiquitate, & à personæ prophetantis eximia dignitate.

Antiquitas est indicata eo quod is qui hoc prædixit fuerit ab Adamo primo omnium hominum patre septimus: adeoque mundi creati exordio vicinus. Numeratur autem septimus ab Adamo, non exclusive, sed inclusive. Nam ita recensetur numerus istorum primorum Patriarcharum, sibi succedentium, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoch, Gen. 5. & 1 Paral. 1.

Enoch.] Is fuit non filius Caini filii Adami, atque ita tertius ab Adamo, de quo Gen. 4. 17: sed filius Jaredi: Is quoniam ambulavit cum Deo, id est pie vixit, ideo placuit Deo, & ab eo è terra translatus est ne videret mortem Genes. 5. 24. Sirac. 44. 16. XLIX. 16. Hebr. xj. 5. Talis igitur viri pii ac Deo placentis prophetia, à spiritu divino inspirata, magni est æstimanda.

Dicens.] Jam profert Judas ipsum Enochi dictum: quod videtur à Patriarchis per manus traditum posteris, vel etiam scripto aliquo quod tunc exstabat, consignatum: quamvis in Libris Veteris Fœderis Canonicis non contineatur: sed huic Apostolo per spiritum Dei pro vero est declaratum. Sicut & illa historia de Michaele Archangelo cum Diabolo contendente, de qua dictum supra ad ℣. 9.

Ecce.] Rem insignem & inexspectatam dicturus, hac voce auditores ad attentionem excitavit. Ut Matth. 1. 20. & 23. & cap. 2. 1. & 13. & 19.

Venit Dominus.] Verbum istud *venit* in Græco textu est temporis præteriti: sed ponitur pro futuro, & significat, veniet. Sic præteritum pro futuro accipitur etiam Gen. 48. 22. & Psal. 18. 17, 18. Esa. cap. 3. 8. v. 14. IX. 6. LIIJ. 4, 7. Matth. 8. 17. Joh. 5. ℣. 24. & Act. 8. 32. Eph. 2. 5, 6. Quia ea quæ apud Deum sunt certo constituta, ut fiant, ita habentur quasi jam fuerint.

Dominus.] Hoc nomine ante Novum Fœdus designari solet ille supremus omnium dominator Deus altissimus. De quo videatur annotatio ad Jac. 5. 10. Sed Deus summus, qui perpetuo habitat in cœlo, in luce inaccessa, non proprie ipse venit ad homines. Interim tamen dicitur venire Deus quando vel beneficia vel supplicia insignia hominibus ostendit, quamvis non immediate, sed mediate, ut Psal. 50. 3. Esa. 66. 15. Sub Novo Fœdere nobis est revelatum quod Deus per Jesum Christum sit homines judicaturus Act. 17. 31. Rom. 2. 16, qui Jesus est Deo altissimo subordinatus, ejus Vicarius.

In millibus sanctis suis.] Describit adventum Domini ad judicium à comitatu insigni, & glorioso. *In* ponitur pro *cum*, ut Luc. 14. 31. 1 Cor. 4. 21. Eph. 6. 2. Hebr. 9. 25.

Millibus.] Græce est *myriadibus.* Myrias autem una continet proprie decem millia. Significatur multitudo magna exercituum cœlestium angelicorum. Vide Deut. 33. 2. Psal. 68. 18 Dan. 7. 10. Apoc. 5. vers. 11.

Sanctis.] Nempe Angelorum sanctorum bonorum, ab aliis segregatorum.

Suis.] Isti exercitus Angelici sunt exercitus Dei, quippe ab illo creati, ejus ministri atque stipatores, vide Psal. 103. 20, 21. Angelos in judicio adsfuturos etiam alibi indicatur Matth. 16. 27. XXV. 31.

Vers. 15. *Facere judicium.*] Exprimit quis sit istius adventus Domini finis atque scopus: ut faciat seu exerceat judicium. Voce judicii, indicatur divina decreta de hominibus fore cum examinatione factorum justa, ut unicuique secundum opera fiat retributio, sicut piis præmiorum, ita impiis condemnatis, suppliciorum.

De omnibus.] Nempe hominibus. Indicatur hoc judicium fore non particulare, sed universale, de omnium hominum factis: ita ut nullus sit subterfugiturus.

Et redarguere omnes impios eorum.] Ita sunt judicandi ut argumentis certis convincantur & rei peragantur.

Omnes impios.] Quicunque Deum non coluerunt, & improbe vixerunt. Ut illi tempore diluvii, Gen. 6. 5, & postea alii diversis temporibus, usque ad finem hujus seculi, ut Psal. 14. Rom. 1. 23, 24, 29, 30, 31. 2 Tim. 3. 2.

Eorum.] Nempe ex hominum omnium numero. Sæpe tale pronomen relativum ponitur absque expresso nomine antecedente ad quod referatur. Ut Matth. 4. 23. xj. 1. Luc. 5. 17. x. 9.

De omnibus operibus impietatis eorum quæ impie egerunt.] Opera impietatis sunt opera impia. Ut substantivum posterius in genitivo ponatur pro adjectivo, per Hebraismum, de quo dictum supra ad ℣. 13. Nulla talia opera contra Dei voluntatem atque ejus reverentiam commissa, etiam occulta, ita transibunt, ut non redarguantur nec ut par est puniantur: nempe in iis qui ab impietate non resipuerunt, sed in ea ad finem perseverarunt.

Et de omnibus duris quæ locuti sunt contra eum.] Indicat non tantum facta scelesta esse judicanda atque punienda, sed etiam dicta impia, nefaria, blasphema, adversus Deum & ejus honorem prolata. Videatur de his dictum Christi Matth. 12. 36, 37.

Peccatores impii.] Hoc additur ad istorum hominum malitiam exaggerandam. Per peccatores intelliguntur non quicunque qui aliqua in re peccant, sed qui insignia peccata committunt, & nefariis sceleribus sunt contaminati. Ut Matth. 9. 11. Joh. 9. 24, 31.

Vers. 16. *Hi sunt murmuratores.*] Recitatâ Enochi de impiis prophetiâ, ipse Judas addit porro ac recenset alia ipsorum vitia. Murmuratores dicuntur qui facta quamvis bona arguunt iniquitatis, eisque vocibus asperis obloquuntur. Sicut Israelitæ in deserto murmurarunt contra Mosen Exod. 16. 2. xvij. 2. Num. 14. 1, 2. Psal. 106. 25. Sic in Ecclesia Christiana primæva Hellenistæ murmurarunt contra Hebræos Act. 6. 1. Forsan isti de quibus hic agit Judas, etiam obloquebantur iis quæ in Ecclesia tunc agi solebant, vel munerum distributionem, vel disciplinam Ecclesiasticam carpentes, atque viris Apostolicis vitilitigando obtrectantes.

Tales murmurationes reprehenduntur ac vetantur 1 Cor. 10. 10. Philip. 2. 14. 1 Petr. 4. 9.

Queruli.] Qui de sorte & conditione sua conqueruntur, ea non contenti nec ei acquiescentes: quum adspirent ad majores quam eis adsunt divitias, aut honores.

Secundum cupiditates suas vadentes seu *ambulantes.*] Nempe non Dei voluntatem atque præcepta in suæ vitæ actionibus sequentes, sed propriis suis carnalibus cupiditatibus obsequentes, divitiis per fas nefas avare accumulandis, & fastui hujus vitæ seu superbiæ, & luxuriæ atque voluptati carnis indulgentes: similes equis effrænatis qui licentiose qua libet vagantur.

Et os eorum loquitur prætumida.] Nempe tales falsi doctores de seipsis atque de sua doctrina ac suis dogmatibus superbè gloriantes, magnifica quædam verba jactant, eaque vana & ventosa atque falsa: ut indicatur 2 Petr. 2. 18. Ita Gnostici gloriabantur se solos nosse quid sit esse vere Christianum, se habere mysteria quædam in Sacra Scriptura non revelata &c. Similiter hodie aliqui seductores faciunt, & per talia dicta homines imperitos decipiunt.

Mirantes personas, utilitatis gratiâ.] Hominibus qui inter alios præpollent opibus, honorem deferunt, eos velut aliis præstantiores, non propter virtutes veras, sed propter divitias, suspiciunt, ac laudant, eisque assentantur; ea de causa & eo fine, ut ab iis ita delinitis munera aliqua & beneficia eliciant atque commoda carnalia obtineant. Ita notatur talium sycophantarum avaritia, propter quam parati sunt multa agere ac pati, indecore atque inhoneste.

Vers. 17. *Vos autem dilecti.*] Convertit S. Judas sermonem ad eos ad quos istam scripsit epistolam veros Christianos, quos amice compellat, suam erga eos dilectionem contestans, sicut supra vers. 3, qua dilectione impellente eos de talibus admonet, ut caveant.

Mementote verborum prædictorum.] Videtur occurrere cogitationibus & tacitis objectionibus istorum fidelium, qui poterant mirari, quî fiat quod in Christi Ecclesiam tales seductores introierint, eam hoc modo perturbantes. Revocat eis in memoriam prædictiones à divino spiritu inspiratas, de talibus pronunciatas.

Ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.] Memorat prædictiones insignium virorum sub Novo Fœdere præcipuorum, quales erant Apostoli seu Legati Jesu Christi Servatoris mundi ac veri Messiæ à Deo in Regem spiritualem populi divini uncti & consecrati, qui est nostri omnium Christianorum Dominus cœlestis, caput Ecclesiæ. Isti Apostoli à Jesu Christo ad genus humanum convertendum atque doctrina Euangelii imbuendum, spiritu prophetico afflati, quorum prædictiones hic respiciuntur, sunt præcipue Petrus, atque Paulus. Illius vaticinium de ejusmodi seductoribus in Ecclesiam Christi ingressuris, habemus 2 Petr. 1, 2, 3. & cap. 3. ℣. 2, 3. Istius autem alterius, Act. 20. 29, 30. & 1 Tim. 4. 1, 2. & 2 Tim. 3. 1, 2. Hinc apparet Judam post istos Apostolos epistolam suam scripsisse: sed inde quod istos nominet Apostolos non sequitur, ipsum non esse Apostolum.

Vers. 18. *Quod dixerint vobis, quod in extremo tempore erunt irrisores.*] Per tempus extremum seu ultimum, respectu temporum ante Legem & sub Lege Mosis præterlapsorum, intelligitur tempus quod post Euangelium Jesu Christi prædicatum supervenit. Quale tempus jam tunc quum S. Judas ista scriberet aliquatenus adfuit, quia jam aderant tales homines impii de quibus egit superius: & Johannes Apostolus scripsit jam suo tempore ultimam horam adfuisse, quum jam tunc Antichristi multi, præcursores illius magni & excellentis Antichristi, exstiterint, 1 Joh. 2. 18. Sed multo magis, jam multis postea elapsis seculis, circa hæc nostra tempora, tale tempus ultimum, fini mundi vicinum advenit. Hinc multo magis nunc tales homines impii secundum ista vaticinia prædicta emergunt.

Irrisores.] Tales quidem sunt omnes homines impii, qui res divinas vere sacras ac religiosas derident ac petulanter ludibrio habent, quales perstringuntur Psalmo 1. ℣. 1: sed hic potissimum notantur ii qui religionem Christianam ejusque mysteria, verbo Dei consignata, tanquam vana & fabulosa sannis excipiunt. Quales sunt ii qui adventum Christi ad universale judicium, quia aliquamdiu differtur etiam auferri, & nunquam adfuturum esse opinantur atque dictitant: de qualibus agitur, 2 Pet. cap. 3. 3, 4.

Secundum suas cupiditates impietatum ambulantes.] Simile dictum de istis jam exstat superius ℣. 16, ut & 2 Petr. 3. 3, sed hîc cupiditatibus additur vox *impietatum*, & significatur cupiditates istas esse impias: tali loquendi modo ut dicitur, *dispensator iniquitatis*, & *Mammon iniquitatis*, id est iniquus, Luc. 16. 8 & 9: & ut hic superius vers. 13. *caligo tenebrarum*, id est tenebrosa, & vers. 15. *opera impietatis*, hoc est impia. Non omnes omnino cupiditates sunt impiæ, nam potest quis etiam res bonas & honestas cupere. Sed istæ hominum impiorum cupiditates sunt impiæ, Dei voluntati & ejus legi repugnantes.

Vers. 19. *Hi sunt segregantes.*] Aliqua exemplaria addunt *seipsos*. Id potest ita intelligi, tum quod isti seductores ac falsi doctores, segregent aliquos ab Ecclesia Christi vera, ut faciant sectam peculiarem, adscitis sibi aliquibus discipulis, quos sevocant à veris doctoribus; ut Paulus prædixit quosdam ex ipsis Ecclesiæ pastoribus surrecturos loquentes perversa, ut abstrahant discipulos post se, Act. 20. 30: tum

tum quod isti hæretici seipsos sint à cœtu vero Christianorum separaturi, & subducturi: idque sine causa justa. Sicut olim decem tribus Israelitarum sese à populo Dei segregaverant, duce Jeroboamo.

Animales.] Ita vocantur homines qui animæ partis inferioris cum brutis communis seu appetitus ductum sequuntur, instar animalium irrationalium. De qualibus loquitur Paulus 1 Cor. 2. 14. Videantur dicta ad Jac. 3. 15. Sunt isti animales remotiores à Christo quam carnales, quales illi de quibus 1 Cor. cap. 3. 1.

Spiritum non habentes.] Nempe Spiritu Dei Sancto carentes, ideoque ea quæ sunt vere spiritualia non approbantes neque amantes: quamvis jactent se esse spirituales: destituuntur illis fructibus spiritus, de quibus Gal. 5. 22. Nam Sanctus Spiritus disciplinæ, effugit dolum, & amovetur à cogitationibus stultis. Sap. 1. 5.

Vers. 20. *Vos autem dilecti.*] Posteaquam istos seductores certis notis descripsit, atque eorum impietatem & improbitatem vivis coloribus depinxit, nunc fideles Christianos admonet de ipsorum officio, quod jam antea indicaverat vers. 3. Nempe ex charitate erga eos, hortatur ut in religione vera Christiana, à qua isti seductores abducebant, & in pietate constanter perseverent.

Sanctissimæ vestræ fidei.] Per fidem hoc loco intelligitur doctrina de fide Christiana, tradita ab ipso Christo & ejus Apostolis, ut supra ℣. 3: quam isti susceperant, & profitebantur. Hanc fidem Christianam exornat & commendat isto epitheto *Sanctissimæ*, tum quod sit ab omnibus erroribus purissima & perfectissima, tum quod sanctimoniam veram doceat, & in hominibus ei addictis efficiat: qua in re præcellit doctrinæ legali Mosaicæ, quæ non erat ita perfecta, nec absque defectu: Istorum autem seductorum doctrinis, peccata foventibus, plane adversatur. Similiter vocatur mandatum sanctum 2 Petr. 2. 21.

Superædificantes vos ipsos.] Metaphora ab ædificiorum, fundamento alicui substrato, superstructione. Fundamentum hic est doctrina vera à Christo & Apostolis ejus annunciata; huic fundamento solido & firmo debent Christiani, ut ædificium spirituale superædificari; ut sint Dei domicilium atque templum. Vide Eph. 2. 21, 22. Col. 1. 23. & cap. 2. 7. 1 Petr. 2. 5. Non sufficit autem Christianos esse super id fundamentum fundatos, & in eo constanter permanentes, sed oportet ut ædificium istud subinde crescat & assurgat, id est ut in fide vera confirmati identidem proficiant. Id autem fit per diligens secundum verbi Dei præscriptum, pietatis ac sanctitatis & omnium virtutum Christianarum exercitium.

Vos ipsos.] Indicat Christianos in hoc opere hujus ædificii struendi non debere esse otiosos, nec exspectare ut tantum ab alio aliquo ædificentur; sed illos ipsos id strenue operari debere. Sunt enim lapides isti non inanimati, sed viventes, ut dicitur 1 Petr. cap. 2. 5.

In Spiritu Sancto precantes.] Quoniam hominum vires solæ & conatus atque labores non sufficiunt ad adipiscendum in sanctimonia profectum; ideo opus est labori addere preces, quibus à Deo auxilium in hac re imploretur. Debet autem precatio fieri in Spiritu Sancto. Non tantum *in Spiritu* ut scripsit Paulus Eph. 6. 18, quod ibi potest exponi, ut oremus ex animo, cum devotione atque fervore, enixe; sed etiam ita ut spiritus noster seu animus, vi spiritus Euangelici afflatus atque animatus sit; & sanctis quibusdam motibus commoveatur; ex diligenti rerum divinarum consideratione: vel etiam ut spiritus divini cœlitus nobis in corda nostra missi velut ignis cœlestis vi ad preces ardentes accendatur, & inflammetur: ac ut spiritus iste divinus in cordibus nostris habitans, infirmitatibus nostris etiam in orando opituletur. Vide Rom. 8. 26, 27. Quod fit præcipue in tentationibus.

Vers. 21. *Vos ipsos in charitate Dei servate.*] Id est date operam ut postquam insignem gratiam Deus vobis obtulit, & eximiam dilectionem suam vobis per Christum exhibuit, non excidatis ea, sed in eadem permaneatis. Id vero fit si homines in fide ac religione vera semel suscepta sint constantes, atque si ex ejus præscripto & voluntate Dei pie & sancte vivant. Nempe charitas Dei erga homines fovetur ac retinetur mutua hominum erga Deum charitate: quippe fomes amoris amor: & ut ameris, ama. Charitas nostra erga Deum in eo consistit, ut præcepta ejus observemus seu exsequamur, ut scriptum est 1 Joh. 5. 3. Diligit Deus eos qui ipsum timent, id est pie secundum ejus præcepta vivunt, ut dicitur Psal. 147. 11. Et ipse Christus filius Dei indicavit se quia mandata Patris sui servavit, ideo mansisse in ejus dilectione, Joh. 15. 10. Hinc apparet in hominibus situm esse ut in Dei charitate atque benignitate permaneant, nec ea priventur. Vide Rom. xj. 22.

Exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi.] Dei charitati adjungit misericordiam Jesu Christi: indicans ab istarum duarum personarum divinarum gratia nostram salutem dependere. De tertia quapiam persona divina nullam facit mentionem, sicut & supra ℣. 1. & 4. Idem fit passim in Epistolarum Apostolicarum salutationibus. Deus Pater est prima & suprema nostræ felicitatis causa: Jesus Christus autem filius Dei est causa secunda, illi primæ proxima. Quippe placuit Deo salutis humanæ negotium per Jesum Christum exaltatum & eximia potentia atque potestate divina donatum, perficere. Vide Joh. 17. 2. Act. 5. 31. 2 Cor. 4. vers. 14.

Nominat vero *misericordiam* Domini Jesu, ut indicet bonum istud quod ab eo est conferendum, nobis hominibus miseris, immeritis, esse tribuendum, ab isto Domino qui est misericors Pontifex noster, Hebr. 2. 17. iv. 15, 16. Per misericordiam autem intelligitur simul effectum misericordæ ex ea proficiscens: quod consistit in peccatorum ob quæ merebamur mortis æternæ pœnam, remissione, & ex ipsa morte liberatione.

Id autem debet à Christianis *exspectari*; quamvis non statim exhibeatur, sed differatur, tamen spe certa est patienter præstolandum.

In vitam æternam.] Hoc est bonum illud summum, quod est charitatis Dei & misericordiæ Christi

erga nos eximium effectum atque fructus, quodque nobis post labores hujus vitæ terrenæ est exspectandum. Vita immortalis, perpetuo absque fine duratura, cum suprema felicitate conjuncta, qua in cœlis fideles Dei & Christi sunt fruituri. Hæc est scopus ultimus ad quem per fidem & pietatem tendimus: quæ vita æterna est donum Dei gratuitum Rom. 6. 23, quamvis non absque labore obtinendum, ideoque alibi mercedis nomine insignitur Matth. 5. 12, quam nobis Deus per Jesum Christum dare constituit Joh. 7. 2. & 1 Joh. 5. 11, quamque ex ejus promisso accipient ii qui ipsum diligunt Jac. 1. ℣. 12. Quod fiet in Christi è cœlis adventu ultimo Philip. 3. 20, 21. 2 Tim. 4. 8.

Vers. 22. Quia superius loquutus est de seductoribus, homines ad perniciosa dogmata & ad peccata seducentibus; ideo nunc monet quomodo cum istis in peccata prolapsis sit agendum, adhibito delectu justo cum charitate & prudentia, ut diversos diversis tractent modis.

Et hos quidem miseremini.] Dicitur in textu proprie *hos*, sed in distributione qualis hic est significat *alios*, ut Matth. 13. 23. & xxij. 5.

Miseremini.] Præcipit ut aliquos ex iis qui in dogmata noxia & peccata sunt prolapsi, cum misericordia & lenitate magna tractemus, atque corrigamus. Tales sunt ii qui ex imprudentia vel imbecillitate delinquunt, decepti, sed alioqui sunt homines animi modesti & candidi. Talium vicem, & miserum lapsum, dolere, eisque compati debemus, ac proinde eos benignis modis ab erroribus revocare. Ut aliqui morbi lenibus remediis sunt curandi: præsertim in iis qui sunt corporis constitutione teneriore atque debiliore. Huc pertinet illud quod monet S. Paulus Gal. 6. 1. Fratres si & præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis corrigite talem, in spiritu lenitatis.

Dijudicantes.] Nempe adhibito judicio prudenti, discernentes eos ab aliis, de quibus mox dicitur.

Vers. 23. *Hos autem.*] Seu alios, nempe diversos à prioribus, non adeo dignos misericordia vel lenitate: quales sunt ii qui in erroribus damnosis vel in peccatis hærent cum pertinacia atque contumacia, & carnali securitate.

In timore servate.] Id est cum timore vel per timorem ita eos à peccatis revocate, ut severius objurgetis, & minas pœnarum divinarum terribilium, quæ eis nisi resipiscant impendeant, eis denuncietis, ut hoc terrore eis ne securi sint incusso, à perseverando in peccatis eos absterreatis. Ita Paulus præcipit ut aliqui etiam intempestive arguantur atque increpentur 2 Tim. 4. 2, & præcise seu severe Tit. 1. ℣. 13, & ipse quosdam severe objurgans terret, ut Rom. 2. 3, 5. Gal. 5. 4. Et Author ad Hebr. cap. 6. ℣. 26, 27. Quod singulis hominibus sigillatim cognitis potest commodius applicari. Sic somno gravi sopiti sunt acrioribus stimulis excitandi. Sic in morbis quibusdam periculosis, præsertim in corporibus durioris constitutionis, adhibentur in sanando medicamenta duriora, & purgationes vehementiores, ut eis humores evacuandi turbentur, & remedia mordicantia atque corrosiva, ut noxia excrementa erodant.

Servate.] Id est è malo atque periculo liberate & eripite, ne pereant respectu animarum suarum.

Ita etiam ii qui sunt tantum causæ adjuvantes & instrumentales ad homines ab exitio liberandos & ad salutem perducendos, dicuntur eos servare, ut 1 Cor. 9. 22. 1 Tim. 4. 16.

Ex igne rapientes.] Est hic ellipsis particulæ similitudinis *sicut* vel *quasi*, quæ subintelligitur: ut alibi sæpe. Inter alia Job. 24. 5. XXIX. 23. XL. 13. Psal. xj. 1. LXIV. 4. CXX. 4. Proverb. 15. 4. xvj. 24. xvij. 8. xxv. 11, 18, 20. &c. 1 Cor. 13. 12. Hebr. 1. vers. 7. Significat non esse mirandum, quod isti homines, non valde leniter & blande, sed quodammodo violenter sint tractandi, quia necesse est ut è periculoso statu eripiantur, velut ex igne ac mediis flammis, ne comburantur. Nam ex incendio in periculo magno atque præsente, non lente atque leniter homo educendus est, sed vi corripiendus atque extrahendus: etiamsi id non sine aliqua compressione ac vellicatione & dolore corporis eveniat. Verbo *rapiendi* indicatur id faciendum esse tum cito absque mora & dilatione, tum non sine quadam vehementia.

Odio habentes & illam à carne maculatam tunicam.] In ista circa homines erroribus damnosis & peccatis infectos liberandos cura, monet S. Judas valde caute esse agendum, ne cum iis emendandi causa versantes ab eis inficiamur. Solent homines prudentes in lue pestilente aut aliis morbis contagiosis, etiam ea quæ talibus infecto adhæserunt vitare & fugere, ne per ea contagione inficiantur. Israelitæ olim ex Legis præscripto, non solorum hominum impurorum, ut lepra infectorum, vel spermatis fluxum patientium, vel fœminarum menstruo sanguinis fluxu laborantium, contactum cavebant, sed etiam vestimenta à talibus contacta ac sordidata vitabant. Vide Levit. xiij. XIV. XV.

Ita studiose vitanda & cavenda sunt ea quæ aliquomodo adhærent hominibus iis qui erroribus perniciosis & peccatis sunt inquinati: ne nos ab iis aliquomodo aliquid talis morbi spiritualis, qui multo nocentior est quam corporalis, hauriamus.

Vers. 24. Concludit S. Judas epistolam istam doxologia seu celebratione Dei: quem & describit à quibusdam eximiis beneficiis, & quid præcipue ei in laudando sit attribuendum docet.

Ei autem qui potest custodire vos.] Quoniam in hac epistola egit de seductoribus cavendis, & de vera fide ac pietate retinenda, in qua re humanum studium quod adhiberi debet, non est sufficiens absque auxilio divino; ideo hic de custodia Dei atque cura circa fideles, ista adjungit.

Quum dicit Deum posse eos custodire seu conservare, non tantum id vult indicare eum vires ad id efficiendum habere, sed etiam id quod potest velle facere, nempe si isti fideles ei obedientes officium suum quantum in ipsis est faciant. Ita eis spem facit divinæ opis atque auxilii. Quamvis aliquid videatur valde difficile factu, tamen Deus qui est Omnipotens, id efficere potest: contra omnia vel à Satana vel ab hominibus hujus mundi objecta impedimenta. Hæc Dei potentia in simili negotio celebratur etiam à Paulo Apostolo Eph. 3. 20. Ita Deus custodit atque conservat fideles suos à malo, si &

si & ipsi caveant, ac seipsos custodiant. Vide Matth. cap. 7. 15. Luc. 21. 34. 1 Cor. 15. 58. Col. 1. 23. 1 Petr. 5. 8, 9. 2 Petr. 1. 10. 1 Joh. 5. 18.

Aliqua exemplaria hic pro *vos* habent *eos* ut hoc referatur ad istos in errores & peccata prolapsos, quos veri Christiani quantum possunt debent studere servare: quod si isti ut debent faciant, Deus illos lapsos custodire potest. Sed videtur præferenda lectio prior, ut hoc referatur ad istos qui alios lapsos servare curant ipsi in vera fide ac pietate persistentes: quod suadent verba mox sequentia.

A lapsu immunes.] Seu inoffensos, vel non offendentes nec impingentes. Nempe ne dum istos seductos ac lapsos restituere conamini, vos ipsi ob ista scandala & offendicula vobis objecta labamini & corruatis, id est ne in errores perniciosos atque in peccata incidatis, ac proinde à salute excidatis: id Deus præstare potest.

Et sistere seu *statuere*, *in conspectu gloriæ suæ*, *irreprehensibiles in exsultatione.*] Idem Deus potest hoc efficere, ut vos officio vestro peracto, per impedimenta eluctati, ejus ope sistamini coram eo, & consistatis, puri à culpa, nempe tali quæ damnationi merito sit obnoxia, vere regenerati, à peccatis repurgati, sanctificati, & justificati: atque ut post illud judicium ultimum, glorificati & gloriæ divinæ ac regni cœlestis participes facti, ad id ex gratia Dei admissi, insigniter lætemini & gaudeatis atque triumphetis. Vide 1 Petr. 1. 7, 8. IV. 13.

Vers. 25. *Soli sapienti Deo.*] Hic jam exprimit eum cujus gratiæ spem illis modo fecit, nempe Deum illum altissimum, omnium rerum causam primam atque authorem supremum: quem celebrare volens addit ei præter jam indicatam potentiam, alia epitheta insignia, ad solatium Christianorum fidelium & spem salutis ab eo obtinendæ spectantia.

Ornat Deum titulo *sapientis*, quia is omnia intelligit, scit, perfectissime, & callet atque novit quibus modis cuncta etiam difficilia sint peritissime peragenda. Hæc sapientia Dei admiranda impervestigabilis quæ omnes hominum cogitationes exsuperat, deprædicatur etiam alibi. Ut Rom. XI. 33. Eph. 3. 10. Quæ Dei sapientia tum in mundi creatione, tum in rerum creatarum omnium gubernatione, tum præcipue in hominum salute procuranda exseritur. Dicitur autem Deus esse *solus* sapiens. Quamvis enim etiam homines aliqui sint sapientes, ipsa Sacra Scriptura testante 1 Reg. 4. 29, 30, 31, tamen primum omnis illorum sapientia est imperfecta, & est exigua, respectu sapientiæ Dei, ut gutta aquæ respectu maris Oceani. Deinde quicquid sapientiæ habent homines id à Deo ex ejus dono habent. At Deus & perfectissimam immensam atque infinitam habet sapientiam, & habet eam à seipso, non ab ullo alio datam aut infusam aut fœneratam. Ob hanc talem excellentiam incomparabilem, dicitur Deus solus esse sapiens. Ut etiam Rom. 16. ultimo, & 1 Tim. 1. 17.

Ob similes rationes alibi idem Deus altissimus dicitur esse solus sanctus, Apoc. 15. 4. & solus bonus Matth. 19. 17. & solus potens, & solus habens immortalitatem 1 Tim. 6. 15 & 16.

Servatori nostro.] Qui nos homines mortales ex magna gratia atque benignitate sua non modo in hac vita terrena temporali aliquamdiu conservat atque tuetur; sed quod est longe majus etiam ex morte nos est erepturus & ad vitam immortalem cœlestem beatissimam perducturus.

Quamvis Jesus Christus Filius Dei sæpe ornetur isto titulo Servatoris nostri, tamen idem titulus Deo ipsi altissimo Patri Jesu Christi attribuitur, etiam alibi, 1 Tim. 1. 1. & ij. 3. & IV. 10. Tit. 1. 3. & cap. 4. 10. Quia ut omnium rerum ita & salutis nostræ æternæ prima causa & primus author, est Deus, quum Jesus Christus sit ejusdem causa secunda ac media, isti primæ causæ proxima.

Quædam exemplaria Græca, ut & Latina versio vulgata, addunt hoc loco *per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et sane in simili dicto de tribuenda soli sapienti Deo gloria Rom. 16. ultimo, in omnibus exemplaribus adduntur hæc verba *per Jesum Christum.* Et alibi indicatur Deum esse glorificandum per Jesum Christum Eph. 5. 20. Col. 3. 17. Hebr. 13. 15. 1 Petr. 2. 5.

Gloria.] Scilicet sit, atque tribuatur: ut ejus attributa & facta laudabilia laudentur ac celebrentur.

Et magnificentia.] Hoc addit ut significet non qualemcunque gloriam deberi Deo, sed magnam eximiam, ex majestatis ejus excellentis & supereminentis consideratione, quæ superat incomparabiliter omnium Regum terrenorum magnificentiam. De qua Psal. 114. 1. & alibi. Hæc Deo est attribuenda.

Potentia.] Seu robur. Oportet ut agnoscatur Deum pollere eo robore ac iis viribus ut omnia etiam difficilia efficere possit.

Et potestas.] Seu authoritas. Hæc distinguitur à potentia, eatenus quod non spectet vires efficiendi, sed jus, in quo continetur imperium, quod Deus supremus habet supremum in omnes & omnia.

Similis doxologia, vovens ut talia Deo attribuantur atque ei adesse agnita celebrentur ac deprædicentur, habetur etiam 1 Petr. 4. 11. v. 11. Apoc. cap. 5. 13.

Et nunc & in omnia secula.] Optat ut hæc Dei & divinorum attributorum celebratio, non solum nunc vigeat in hoc seculo, sed etiam porro maneat in omnia secula seculorum, adeoque in æternum absque ullo fine. Similia vota aliorum Dei servorum fidelium ex amore Dei ejusque gloriæ profecta habentur alibi, ut apud Davidem Psal. 113. 1, apud Danielem, Dan. 2. 20. Similiter & nos talia optare & quantum in nobis est curare debemus.

Amen.] Vox ista Hebræa ab ea quæ veritatem notat deducta, quando in fine ponitur, significat eorum quæ ante dicta sunt approbationem, & idem valet ac si dicatur, Ita est, vel ita sit.

LUDOVICI WOLZOGENII

Præparatio ad utilem

S. S. LITERARUM LECTIONEM.

In qua de natura

&

proprietatibus

REGNI CHRISTI

disseritur.

IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

Instructio ad utilem lectionem librorum NOVI TESTAMENTI.

In quâ

Natura & Qualitas Regni Christi, religionisque Christianæ breviter explicatur, & via ad veram sapientiam monstratur.

SUmmam Scriptorum Novi Testamenti præstantiam ac dignitatem penitius cognoscere, eorumque sensum ac vim cum fructu ac utilitate intelligere, non est res vulgaris ingenii, sed animi excelsi & à sublimiori spiritu agitati, qui ab omnibus impedimentis liber, sui prorsus est compos. Continent enim hi libri revelationem admirabilis sapientiæ divinæ, quæ inde à condito mundo usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, non solum sapientissimos in mundo homines, sed Angelos quoque ipsos in cœlis latuit. Sapientia autem ista non alia est, quam perfectissimus ac sapientissimus modus Deum colendi, eique serviendi, ac simul certissima via, humani animi ex procelloso inquietarum concupiscentiarum mari in portum securum perfectissimæ tranquillitatis deducendi; seu ad supremam illam felicitatem perveniendi, cujus possessio vel certa spes sola tranquillum reddere valet hominis animum. Quemadmodum vero Apostolus Paulus in sua priori ad Corinthios Epistola hanc sapientiam divinam ita à mundi atque carnis sapientia discriminat ac distinguit, ut hanc cum illa comparatam mere stultitiam esse judicet: sic ii quoque omnes ad percipiendam divinam sapientiam, adeoque ad hæc sacra scripta intelligenda ineptissimi sunt, qui à spiritu mundi ac carnis reguntur, & suam ab eo sapientiam didicerunt. Cum enim spiritus iste non impellat homines ad verum illud bonum quærendum, quo animus plene possit acquiescere, sed tantum ad ea bona acquirenda, quæ carni grata sunt, & ad explendas carnis cupiditates faciunt: idcirco etiam non aliam docet & instillat hominibus sapientiam, quam quæ viam monstrat ac media, carnalia illa bona adipiscendi, amplificandi ac conservandi. Quæ sapientia cum prorsus alius generis ac naturæ sit, quam vera sapientia, dum prorsus alium ac diversum scopum sibi habet præfixum, diversissimis quoque ad scopum perveniendi utitur mediis: inde fit, ut qui carnali huic sapientiæ se totum dedit, veram sapientiam ejusque opera intelligere nequeat. Hinc ait Apostolus: *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur* 1 Cor. 2. 14. Ubi Apostolus per *animalem hominem* non intelligit hominem, qualis à Deo creatus est, vel qualis quoad naturam suam esse potest. In Græco enim habetur non φυσικὸς, naturalis, sed ψυχικὸς ἄνθρωπος, animalis homo: quod vocabulum ab *anima*, vel ab *animali* desumptum est. *Anima* autem in Sacris Literis creberrime Hebræa consuetudine sumitur pro temporali seu naturali vita, quæ homini cum aliis animantibus communis est. Vide Gen. 19. 17, 19. Exod. 21. 23. 1 Sam. 19. 11. xxv. 29. 1 Reg. 1. 12. Psal. 6. 5. vij. 6. xvij. 9. xxxv. 4. xlix. 9. Matth. 2. 20. x. 28. xvj. ℣. 26. Luc. 17. 33. Act. 15. 26. Itaque animalis homo hic eum significat, qui nihil nisi temporalem & animalem hanc vitam, ejusque sustentationem ac felicitatem terrenam curat; cujus omnia studia, cogitationes actionesque eo directæ sunt, ut quoad carnem quam felicissime ac jucundissime queat in hoc mundo vitam transigere. Hinc sapientia ista, quæ ad talem carnalem felicitatem ducit, vocatur carnalis sapientia, vel sapientia hujus mundi. De ejusmodi igitur animali homine inquit Apostolus, eum non esse capacem eorum, quæ sunt Spiritûs Dei, seu, quæ per Spiritum Dei sunt in Euangelio revelata. Non dicit, eum prorsus illa non intelligere, vel intellectu suo ullo modo percipere, quid hæc sapientia divina sibi velit ac postulet; nam si eam penitus non intelligeret, non judicaret, eam esse stultitiam: sed dicit, eum non esse capacem, vel non capere, id est, non recipere, non approbare, non delectari ea, sed potius eam deridere ac ludibrio habere; nimirum propter suam animalitatem ac carnalitatem, cui animum suum addixit, ita, ut id quod intelligit quidem & cognoscit, tamen nequeat recipere, ac voluntatem suam ad id amplectendum inflectere, quia carnalium cupiditatum vis superat vim intellectûs ejus, voluntatemque ejus captivam detinet. Spiritualis vero homo, idoneus est ad res divinas acceptandas & amplectendas, cujus scilicet animus carnalium cupiditatum jugum excussit, & intellectus suis plene pollet viribus, quas à Deo in creatione accepit. Hujusmodi enim homini ista tam sublimia neutiquam sunt stultitia, sed potius summa sapientia: siquidem intelligit, ea esse id ipsum bonum, cujus desiderio à natura tenetur homo, & viam ad id perveniendi esse sapientissimam ac rationi apprime consentaneam. Cum autem talium hominum, qui tam excelso ingenio præditi sint, semper gravis annona sit, præsertim inter eos, quos dives fortunæ secundioris rivus inaurat, & quibus ad carnis voluptatem ac commoditatem nihil deest: ideo Euangelium etiam tantas non exerit in hominibus vires, quantas, in tam præstantibus & ad divinam sapientiam factis creaturis, merito exerere deberet. Hinc Apostolus scribit de suis temporibus,

ribus, quod *non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles vocati sint* (id est, divinæ vocationi locum apud se dent, ac pareant) *sed quod Deus stulta mundi, & infirma ac ignobilia mundi elegerit* 1 Cor. 1. ℣. 26, 27, id est, quod Deus tali utatur modo homines ad salutem adducendi, quodque talem rationem cultûs sui ac religionis præscripserit, quæ à sapientibus ac nobilibus hujus mundi (id est, iis quorum magna est in mundo auctoritas, quosque mundus suspicit & adorat) ut plurimum rejiciatur, quia cum ipsorum carnali sapientia, quæ nil nisi carnis jucunditatem spectat, minime convenit: ab illis autem contra facile recipiatur, & approbetur, qui à mundo reputantur pro *stultis*, id est, talibus, qui fortunam sibi in hoc mundo parare atque se tollere humo nesciunt, & *pro infirmis ac ignobilibus*, id est, qui tanquam viles ac nullius auctoritatis homines ab omnibus despiciuntur. Quia enim homines adeo contemti atque abjectæ sortis, bonis hujus mundi & carnali felicitate destituti sunt, adeoque intellectus eorum mundana sapientia, quæ tota circa conservationem ac propagationem bonorum istorum occupata est, non est fascinatus ac præpeditus; propterea apti sunt ad illam divinam sapientiam puris intellectûs oculis contemplandam ac percipiendam, quæ bonum longe excellentius, viamque multo certiorem ac faciliorem ejus consequendi hominibus commonstrat. Ita enim comparata est hæc divina sapientia, ut etiam à simplicissimis ac indoctis, si modo sanam rationem & à carnalibus cupiditatibus liberam gerant, percipi queat: cum hæc sapientia illa ipsa sit, cujus semina Deus in prima creatione animis hominum insevit, per quæ apti sunt atque idonei ad eam, quando ipsis proponitur, intelligendam. Idem, quod Apostolus de suis affirmavit temporibus, hodie quoque liquido cernitur, quod nimirum pauci sint nobiles, ac potentes hujus mundi, qui novam hanc lucem divinæ sapientiæ, quæ nunc per singularem Dei gratiam claro fulgore mundum iterum irradiare cœpit, in animum suum admittant: quia videlicet carnalis sapientia, ipsis à spiritu mundi & carnis instillata, intellectûs eorum judicium obscuravit, impeditque eos, quominus ea videant atque intelligant, quæ etiam obtusissimi ingenii homines intelligere queunt. Inde evenit, ut hæc divinissima scripta, quæ toti mundo, tanquam lucidissima fax, proposita sunt ad commonstrandam hominibus omnibus viam salutis, istis mundi sapientibus tam obscura sint ac tenebrosa, ut etiam apertis oculis non videant, nec clarissima quæque intelligant, sed tanquam cœci in tenebris palpitent, carne id comprehendere volentes, quod nonnisi defæcato intellectui subjectum est: idque non solum in iis rebus, quæ ad cognitionem divinorum mysteriorum pertinent, sed in illis quoque, quæ ad mores & vitam ex Euangelii præscripto traducendam requiruntur, imo in quibus summa laus religionis Christianæ supra omne id, quod unquam priscis temporibus virtus ac felicitas appellatum fuit, consistit. Cumque isti carnales homines non sint tam generosi animi, ut minus bonum propter majus consequendum velint omittere, adeoque se iis exuere & abdicare commodis, quibus Christiana religio carnem prorsus privat, & nihilominus tamen auctoritatem ac veritatem Sacræ Scripturæ in dubium vocare nequeant: omni modo divinam sapientiam Euangelii cum mundi sapientia conciliare nituntur, ita ut via salutis carni non nimis angusta, & porta cœli non nimis arcta sit, sed ut dum aspirant ad vitam æternam, interea etiam simul bonis hujus mundi ex animi sui sententia perfrui possint. Hinc fit, ut etiam liquidissima Sacræ Scripturæ loca, quæ sensu plano ac literali è diametro adversantur carnali sapientiæ, ac cupiditatibus, variis interpretationibus, ingeniosis effugiis, distinctionibus ac limitationibus eludant, atque in suum commodum detorqueant, ita ut ipsis vel pro argumento serviant, vel saltem ipsorum sententiæ nihil incommodent ac noceant. Qua ratione ipsi profecto oculis suis nebulas offundunt, intellectumque obtenebrant, ac tandem id, quod vehementer cupiunt, in Sacra Scriptura inveniunt. Qui enim cum præjudicio legit Sacras Literas, is omnia, quæ vult, in eis reperit; non secus atque res, quæ per coloratum vitrum conspiciuntur, eundem colorem referunt, quo vitrum infectum est. Atque hoc est, quod mox in ipso limine diximus, neminem posse vim ac sensum Scriptorum Novi Testamenti intelligere, nisi qui eodem spiritu ea legit, qui in illis continetur: nimirum spiritu veræ sapientiæ, qui seposito omni carnalium commodorum, tranquillitatisque terrenæ in hac vita respectu, divina mysteria simpliciter secundum lumen rectæ rationis considerat. Talis enim spiritus in scriptis Euangelii latet abditus, qui cum spiritu hominis, id est, cum sana ratione, optime consentit. Bonum enim illud æternæ ac beatæ vitæ, quod in Euangelio promittitur, est id ipsum, ad quod omnium hominum animi, desiderio à natura insito, assidue feruntur: etsi intellectus humanus in hac mortalitatis caligine, qua in re beatitudo illa vera sita est, & quam excellens ac inæstimabilis illa futura sit, capere non possit. Via quoque hoc bonum obtinendi, quam docet Euangelium, virtus nimirum & sanctitas, est illa ipsa, ad quam calcandam à natura ipsa homines obligatos esse, atque à propria conscientia compelli, etiam sapientiores inter Ethnicos solius rationis naturalis beneficio agnoverunt. Ut adeo principalis finis ac scopus cœlestis Euangelii sapientiæ nullus alius sit, quam homines in eum statum redigere, ut vere tales sint, quales ratione creationis suæ esse deberent, vel quales eos ipsa natura formavit, id est, homines, non bruta animantia carni & ventri obedientia, sed rationales & sapientes creaturæ, quæ non terram, sed cœlum spectent, cui etiam spiritus eorum nobilissimus originem suam debet. Revera enim homo est tam insignis & excellens creatura, ut inter omnes conspicuas creaturas, sola tam divina & excellenti religione, qualem Christus præscripsit, digna sit: & hæc divina religio, nec ulla alia, hominem deceat.

Jam, ut Christianus & pius lector instrui atque informari queat, quo spiritu ad legendos hos Sacros Libros accedere debeat, quo exoptatum fructum ad Dei gloriam suamque ædificationem ex lectione sua consequi possit: disserere nobis non nihil de *Regno Christi & religione Christiana* animus est, ejusque *naturam ac qua-*

ac qualitatem brevi quasi compendio complecti, atque ob oculos ponere. Ita tamen, ut non omnia, quæ ullo modo huc faciunt, in medium prolaturi simus, sed ea duntaxat, quæ ad præsens nostrum propositum requiruntur, in quibus scilicet censemus, sapientiam hujus mundi & carnis, multis etiam probis alioquin impedimento esse, quominus Sacros Novi Fœderis Libros non eo spiritu, quo decet, expendant, adeoque sublimes regni Christi ac religionis Christianæ leges (quod hic potissimum attendimus) non tam perfecte intelligant, quam natura earum postulat.

De Natura & Qualitate Regni Christi ac Religionis Christianæ.

CAPUT I.

Regnum Christi esse regnum spirituale ostenditur.

PEr Regnum Christi intelligitur illud regnum eximium, quod Danieli Prophetæ in visione quadam monstratum fuit, in qua *vidit venientem in nubibus cœli quasi Filium hominis, & ad antiquum dierum accedentem, qui residebat in throno, atque is dedit ipsi potestatem, honorem, & regnum; ut omnes populi, tribus, & linguæ ipsi serviant. Quæ potestas ejus est potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus non habet finem* Dan. 7. ℣. 13, 14. Hoc regnum Christi etiam Paulus Apostolus graphicis & plenis majestatis verbis descripsit, dum ait: Deum *collocasse Christum ad dextram suam in cœlis longe supra omne imperium, ac potestatem, ac potentiam, ac dominationem, ac omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro, & omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet* Eph. cap. 1. 21. ad finem. Et in Epistola ad Philippenses scribit, Deum *extulisse Christum in summam sublimitatem, ac donasse ei nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu se flectat, cœlestium & terrestrium & subterraneorum, omnisque lingua profiteatur, Jesum Christum esse Dominum ad gloriam Dei Patris* Philip. 2. 9, 10, 11.

Hoc vero Regnum Christi esse spirituale ac cœleste, quod per carnale Regnum Israëlis tanquam per typum ac figuram fuit adumbratum, id in genere consideratum, apud omnes Christianos in confesso est, & extra controversiam. Christus enim id ipsum apertissime testatur & asserit, cum sic ad Pilatum loquitur: *Regnum meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei certassent, ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc* Joh. 18. 36. Ex quo sequitur, omnia quæ ad naturam & essentiam regni Christi pertinent, non carnalia, sed spiritualia esse: nempe spiritualis est Rex, spirituale imperium ac regimen, spiritualis populus, spiritualis dignitas ac præeminentia populi, spirituales leges & ordinationes, spiritualia jura ac judicia, spirituale servitium ac obedientia, spirituales mores, spiritualia bella & arma, spiritualia præmia ac pœnæ. Neque enim vere dici posset spirituale regnum, si vel una res, quæ ad naturam & essentiam ejus pertinet, carnalis esset. Si quis dicat, non idcirco Regnum Christi spirituale vocari, quod ab eo, quicquid corporale atque carnale est, excludatur, sed quod à potiori fiat denominatio, quia præcipua in hoc regno sunt spiritualia: id ex sequentibus apparebit, an & quatenus veritati sit consonum, & utrum caro, in qua populus regni Christi adhuc vivit, & in qua Christiani Deo serviunt, ullam communionem habeat cum eo, quod ad naturam Regni Christi pertinet. Propter hanc spiritualem ac cœlestem naturam hoc Regnum Christi etiam *Regnum cœlorum* appellatur, quia nimirum non ex terra per violentiam & arma, aut alia carnalia media, sed de cœlo suscitatum est Dan. 2. 44, tum quia non terreno modo, atque in terris, sed in cœlo cœlesti ac divino modo administratur, ac tandem in cœlis perficietur.

Notandum autem hoc loco est, Regnum Christi duplici sensu accipi: primum latissime, ita ut ad omnes creaturas in cœlo & in terra extendatur, & omnia regna ac populos totius mundi ambitu suo complectatur. Qua significatione Christus *Rex Regum & Dominus dominantium* nuncupatur Apoc. 19. ℣. 16. Deinde sumitur strictius & solam Ecclesiam Christi, & electum ejus populum, qui est Christi peculium & hæreditas, comprehendit, qui etiam de bonis istis præstantissimis, quæ Regnum hoc secum adfert, solus participat. Hinc Christus peculiariter *caput Ecclesiæ* suæ, & Ecclesia *corpus Christi* nominatur Eph. 1. 23. Atque in hac posteriori significatione Regnum Christi in præsenti tractatione potissimum à nobis accipitur.

CAPUT II.

De Rege hujus Regni, ejusque majestate ac regimine in genere.

QUod Regem hujus Regni attinet, is est Jesus Christus, Filius ille Dei, qui natus est ex semine Davidis secundum carnem; cui Deus juxta promissionem suam dedit thronum patris ejus Davidis, ut esset Rex super domum Jacobi in æternum, & regni ejus nullus sit finis Luc. 1. 33. Duplici autem ratione hic nobis Christus considerandus venit: Primum, quatenus adhuc in terris inter homines versatus est; & postea, quatenus nunc in cœlis degit ac regnat. Status ejus in terris, cum adhuc mortalitati esset subjectus, non erat Regius, sed servilis, miser, & abjectus: non ea fuit conditione, ut ipsi tanquam Regi ministraretur, sed ut ipse, tanquam

servus, omnibus ministraret, & daret animam suam pretium redemptionis pro multis, Matth. 20. 28. Philip. 2. 8. Tametsi enim fuerit ad Regiam dignitatem electus ac destinatus, quam suo tempore consequi debebat, tamen reipsa in terris Rex non fuit: imo nec decuit quoque, ut sibi Regiam potestatem vendicaret, vel eam usurparet, antequam ei per exaltationem ad dexteram Dei, præmii loco pro obedientia ad mortem usque crucis præstitâ conferretur Phil. 2. 9. Sed hoc fuit munus ejus in terris, ut voluntatem Patris sui cœlestis hominibus annunciaret, ac confirmaret. Nimirum fuit Dei tunc Propheta & Legatus Deo ad mandata certa exequenda obligatus; ideoque etiam Dei servus, ab Esaia appellatur cap. 53. 11. XLj. 1. Requirit præterea majestas & sublimitas hujus Regni, ut Rex, qui populum suum immortalem redditurus est, ipse mortalis sit & casibus ac miseriis obnoxius. Quemadmodum enim Auctor Epistolæ ad Hebræos indicat, Christum, dum in terris fuit, non fuisse Pontificem Hebr. 8. 4, ita multo magis dici potest, eum in terris non fuisse Regem: quandoquidem Regia dignitas longe major est ac sublimior, quam Pontificia ac Sacerdotalis; imo Sacerdotalis Christi honor prorsus & omnino Regia ejus dignitate continetur, dum id quod alioqui ad Pontificium munus pertinet, nempe expiationem peccatorum nostrorum & abolitionem, magis tanquam Rex quam tanquam Sacerdos perficit. Quod autem illam Dei potentiam seu formam, ut eam vocat Apostolus Philip. 2. 6 attinet, quam Christus hic in terris tot inaudita signa ac miracula edendo demonstravit, illa non pertinet ad Regiam ejus dignitatem, sed ad munus ipsius Propheticum; nempe ad confirmandam ejus doctrinam, ut homines tanto magis ad eam recipiendam & pro divinâ agnoscendam adducerentur. Unde etiam ista divina potestate tantummodo ad hominum solatium ac bonum, quo eorum animos lucraretur ac Deo obstringeret, non ad cujusquam damnum aut noxam usus est. Homines incredulos ac inobedientes nullâ affecit pœnâ: neminem vi coactiva ad fidem traxit; nullam contumeliam, qua fuit affectus, vindicavit; nec ulla alia opera edidit, quæ Regiam auctoritatem ac majestatem redolerent. Quod à multis non satis intellectum, ansam dedit variorum errorum, qui cum natura regni Christi neutiquam possunt consistere; ut suo loco intelligetur.

In hoc igitur statu humilitatis suæ Christus, ut dictum est, voluntatem Dei hominibus annunciavit, sed ita, ut simul eis proprio exemplo suo in perfectissima obedientia & sanctitate præluxerit, & viam monstrarit, ut si forte in mandatis ejus aliquid dubii aut obscuri occurrat, istius certissima explicatio ac declaratio ex exemplo ipsius sumi possit. Qua de re infra plura. Quod vero præsentem statum immortalitatis Christi spectat, reipsa jam gerit & administrat cœleste istud ac divinum Regnum, quod olim in terris nonnisi in spe ac destinatione certa habuit. Thronus majestatis ejus non est in terris, sicut quondam terreni Regis Davidis, sed in cœlo ad dexteram Dei. Sicut enim ita est Davidis Filius, ut simul etiam, & quidem magis sit Dei Filius: similiter quoque sedet ita in solio Davidis patris sui, ut multo magis sedeat in Dei throno. Atque hic cœlestis locus convenit etiam regimini tam cœlestis ac spiritualis Regni. Ipsum autem Christum quod attinet, non habet jam amplius carnem ac sanguinem, sed factus est *spiritus vivificus* 1 Cor. cap. 15. 45, cœlestis ac divinæ naturæ, per quam divinam potestatem, robur, ac sapientiam, quantam natura Regni ejus postulat, adeptus est. Imperium ejus ad omnes creaturas porrigitur, quæ sunt in cœlo, & in terra, & subter terram; imprimis autem exercetur super fidelem ejus populum & electum, ad cujus salutem promovendam ille præcipue ad hanc regiam eminentiam evectus est: quæ salus fidelium tandem tendit in Dei gloriam, quæ ultimus est ac principalis regiminis Christi finis Phil. cap. 2. 10. Hunc ergo populum suum fidelem Christus præ aliis hominibus curæ habet, tanquam nobiles amoris sui plantas, imo tanquam pupillam oculi sui. Prospicit ipsi paterne de omnibus necessariis tam ad hanc vitam temporalem, quam ad futuram illam beatam ac sempiternam. Protegit eum adversus omnes hostes ejus tum carnales tum spirituales, quos ita arcte tenet in officio, ut fidelibus ejus ne capillum quidem de capite possint decerpere. Super alios autem populos, qui sunt extra ipsius Ecclesiam, dominatur tanquam super sua mancipia aut super hostes suos. Reges de throno deturbat, & alios in eo collocat, quos vult. Conservat politicum ordinem ac regimen inter eos, sed ita ut eorum leges, statuta, actionesque scopo suo, id est, gloriæ Dei Patris, & saluti fidelium haud repugnent. In impios, præsertim vero in populi sui persecutores effundit horrenda judicia sua; partim dum gladium unius adversus alterum acuit, ut ipsi in sua viscera sæviant, ac se invicem devorent, partim dum alias plagas & calamitates eis immittit: qua in re aër, aqua, ignis, & tota rerum universitas ipsi inservire cogitur. E contrario autem benedicit omnibus populi sui fautoribus, & beneficia illi exhibita munificentissime compensat.

Instrumenta seu media regiminis ejus sunt, partim divina ejus potentia ac spiritus, quo omnia quæcunque vult, & ratio regiminis ejus requirit, tam in cœlo, quam in terra potest efficere; partim ministerium sanctorum Angelorum, qui omnes ad nutum ac imperium ejus prompti paratique sunt; partim homines ipsi: ut taceam alia innumera tam naturalia, quam supernaturalia media, quæ pro divina sua sapientia tam mirabiliter dirigit, ut omnia quæ in mundo vel ipso procurante, vel permittente fiunt, sive bona, sive mala, tandem tamen in ipsius & Patris ejus cœlestis gloriam cedant. Modus regiminis ejus non est carnalis, terrenusque, qualis est mundanorum Principum, etiam potentissimorum, sed spiritualis, cœlestis, & divinus: imo ita est comparatus, ut ab iis quidem, qui illuminatos habent mentis oculos, & in divina sapientia exercitatos sensus, non obscure cognosci atque animadverti possit; carnalibus autem hominibus, qui omnia ad naturales causas referunt, & ad regulas suæ mundanæ sapientiæ exigunt, prorsus sit incomprehensibilis. Atque hac in re consistunt maxima & præstantissi-

stantissima miracula, quæ Christus omnibus temporibus edit, dum pusillum atque abjectum gregem suum in medio luporum ac potentissimorum persecutorum tuetur atque conservat, dum fidelium suorum causâ, sæpe totas regiones ac regna concutit & immutat, hostes eorum tradit in reprobam mentem, ut omnia ipsorum callidissima consilia atque conatus in ipsorummet caput, perniciem ac contumeliam recidant. Id autem impii homines non animadvertunt, neque manum Domini agnoscunt, ideoque non emendantur, sed magis magisque indurantur, & in malitiâ obfirmantur. Regimen enim hujus regis non est visibile, atque carnale, sed spirituale, omnibusque illis absconditum, qui animum non habent ipsum cognoscendi & vias ejus perdiscendi.

Insuper hic commemorandum est, in quo plurimum situm est, ut quam rectissime intelligatur: quod nimirum Christus ea ratione sit Rex populi sui, ut solus ei imperet, neque alios Reges aut Magistratus ex hominibus sub se habeat, qui ipsi sint subordinati, locumque ejus in administratione certarum rerum ad regimen ejus pertinentium, sive carnali sive spirituali cum potestate teneant. Reges Israelitici habebant, ut & nunc omnes mundani Reges ac Principes habent, inferiores sibi subordinatos Magistratus, qui certis in rebus & functionibus vices ipsorum obeunt, & quidem armati publicâ auctoritate ac potestate, ut munus eorum tanto majoris æstimetur, & metum ac reverentiam in subditis excitet. Impossibile enim est, ut Rex, qui unica persona est, in omnibus locis, ubi præsentia ipsius requiritur, ipse semper adesse queat, omniaque per se peragere, quæ totius Regni usus ac necessitas postulat. Verum Christus, qui à Deo divina potestate, robore ac sapientia ornatus est, cujus oculus divinus & manus ubique præsens esse potest, quique tot myriades Angelorum habet sibi ministrantes, non indiget ullius ope, nec opus est, ut partem regiminis sui in alium devolvat: cum ipse solus omnia absque molestia perficere possit, quæ populi ipsius necessitas & perfectissima regni ejus administratio requirit. Imo nemo ex optimis & sapientibus inter homines Principibus, qui populis sibi subjectis bene ac laudabiliter præesse vult, libenter ea committit aliis peragenda, quæ ipse ullâ ratione peragere potest: quia pauci admodum reperiuntur, qui res alienas, etsi jurejurando sese obstringant, tam fideliter curent, quam suas proprias, quique non potestate sibi concessa ad suum commodum & aliorum oppressionem facile abutantur. Quid causæ igitur Christus haberet, ut populo suo electo, cujus felicitas ipsi unice curæ cordique est, tales imponeret Rectores, homines fragiles, labiles, & proprii commodi studiosos, qui potestatem habeant corporis, vitæ, ac bonorum ejus, obsequiumque ac subjectionem ab eo poscere queant? Præterea si Christus aliquos sibi subordinatos Reges ac Principes habet in terris, quos populo suo præfecit, monstrandi sunt, quinam sint. Qui hoc jus sibi vendicant, ii producant tabulas necesse est, & potestatem suam ac commissionem à Christo acceptam ita probent, ut nemo eâ de re habeat dubitandi ansam. Judices ac Magistratus, qui sub Regibus Israëliticis erant, ipsi se non ingerebant, sed à Regibus ipsis eligebantur ac constituebantur, (prout etiam in omnibus aliis regnis mundanis fieri solet) neque etiam istis fas erat secundum alia jura aut leges judicare ac regere, quam secundum ea, quæ Deus ipse Israëlitico populo præscripserat; non erat eis liberum pro suo arbitratu leges figere ac refigere, aut secundum aliarum gentium mores ac ritus jus dicere. Quas vero leges, quæ jura Christus præscripsit illis, qui subordinati ipsius Rectores ac Vicarii esse volunt? Ubi scripta sunt? Quæ est eorum sententia? Invenimus quidem aliquas leges in Novo Testamento, quæ pœnas certorum peccatorum in se continent, sed tales, quæ à nullo mortali homine, verum à solo Christo irrogari possunt Matth. 5. 21, 22. De quo suo loco.

Si quis dicat, secundum Leges Mosaicas, quæ à Deo ipso datæ sunt, judicia exercenda esse: quæri ex eo non immerito potest, cur non etiam hodie secundum Leges Mosaicas Deus colendus sit sacrificiis, suffitu, aliisque ceremoniis? Si enim una pars Legis Mosaicæ adhuc sub Novo Fœdere vim suam retinet, cur non & altera? Notum est, quemvis prudentem Legislatorem id spectare, ut populo suo tales præscribat leges, quæ naturæ ejus, moribus, ac conditioni quam optime conveniant. Non omnes enim leges omnibus populis conveniunt. Alii severiori & adductiori, alii mitiori ac remissiori imperio indigent. Ita Deus quoque utpote sapientissimus Legislator, tales Israëlitico populo tradidit leges, quæ in ipsius contumacem ac servilem naturam, & in illam nondum adultam mundi ætatem aptime quadrabant. Hinc sæpius summo jure actum est, & rigor maximus adhibitus est, ad terrorem aliis incutiendum, ubi alias naturalis æquitas misericordiæ locum dedisset. An vero populus Christi similis est naturæ & qualitatis? Ille populus erat carnalis: hic autem spiritualis. Ille habebat spiritum servitutis: hic habet spiritum adoptionis. Quomodo igitur Mosaicæ Leges naturæ ac conditioni Christiani populi convenire possunt? Si igitur Rector aut Princeps populi Christi secundum Leges Mosaicas judicare ac regere non potest; multo minus poterit id facere secundum alias leges mundanas, quæ non à Deo, sed ab hominibus latæ sunt. Quodsi Rector iste velit ipse leges ferre, quas existimat naturali æquitati & omnium sapientum institutis esse consentaneas; nihilominus ipsi ostendendum est, se accepisse hanc à Christo potestatem ferendi leges ejusmodi, secundum quas regnum Christi administretur, & quidem tales, quæ non sunt consonæ illis legibus, secundum quas Ecclesiam Christi hic in terris regendam esse constat. Vide hac de re plura inferius cap. 4.

Forsitan objiciat aliquis, omnes Reges & Monarchas totius mundi esse Dei, adeoque & Christi Vicarios, ac Rectores ipsi subordinatos, qui Dei loco super populum sibi subjectum regnant. Hinc Paulus Apostolus omnes Magistratus in genere *Dei ministros* vocat Rom. 13. 4, 6, atque, eum qui Magistratui resistit, *divinæ ordinationi resistere*. Cur igitur Christus quoque non possit populum suum per ejusmodi Rectores ac Magistratus, qui locum ejus teneant, regere. Imo si etiam Ethnici Magistratus sunt Dei ordinatio, multo magis Christianus Magistratus,

qui Christi nomen gerit, & Christianam religionem tuetur ac conservat, ordinatio divina erit, munusque suum ad Dei & Christi beneplacitum administrabit. Sed hoc totum nihil ad rem facit. Magna enim differentia est in ordinatione Dei. Alia ordinatio divina est, quæ ab ipso Deo directe habet originem, ita ut ipse libera voluntate sua Regem & Caput supra populum certum constituat, eique certas leges ac jura, nominatim præscribat: qualis erat David, quem Deus ipse creavit Regem sponte suâ, & in sanctissimo monte suo Sione collocavit, Regnumque ejus etiam in posteris ejus confirmavit Psal. 2. 6. Alia vero est ordinatio Dei, quando homines ipsi absque Dei mandato vel per violentiam armorum, vel alia carnali ratione populum aliquem suæ subjiciunt ditioni, vel etiam quando populus aliquis ipse sibi proprio motu, absque Dei jussu ac permissu, Magistratum aliquem præficit, ita ut se invicem obligent certis legibus ac juribus, quæ mutuo consensu ipsi inter se sanciunt. Quæ ordinatio à priori adeo differt ac discrepat, ut Petrus Apostolus eam *ordinationem humanam* vocet, dum inquit: *Subjecti estote omni humanæ creationi* (seu ordinationi) *propter Dominum, sive Regi, ut supereminenti, sive Præsidibus* 1 Petr. 2. 13. Nihilominus tamen etiam merito *Dei ordinatio* vocatur, quia Dei regimen ei simul admixtum est, non tantum dum hominum regimen non impedit, sed permittit, eorumque jura ac leges, quæ nihil in se turpe habent, conservat, iisque ad pœnam malorum & defensionem bonorum utitur, etiam sceptra eorum ac coronas, quamdiu intra cancellos naturalis æquitatis se continent, protegit ac tuetur, sed etiam dum pro sua impervestigabili sapientia, ambitione & avaritia hominum regnandi cupidorum sæpissime pro medio utitur, regna transferendi, & ob injustitiam aliaque enormia peccata unum populum alteri subjiciendi. Sic Daniel dixit de Deo: *Ille reges deponit, & constituit* Dan. 2. 21. Hoc modo Deus etiam Babylonicum regnum per Cyrum transtulit ad Persas, ideoque Cyrum, qui Babylonem evertit, *Christum seu Unctum suum* vocat Esa. 45. 1, quia eum executorem sui judicii super Babylonem constituerat: non quidem per expressum mandatum, sed permissive, dum is proprie ambitionis suæ stimulis actus regnum Babylonis occupare studuit, Deus autem hac occasione usus, iram suam atque vindictam in Babylonem exercuit, ideoque armis Cyri benedixit & victoriam concessit. Hoc pacto igitur omnes Reges & mundi Magnates, etiam qui mediis injustissimis ac crudelissimis ad regnum perveniunt, possunt Dei ordinatio, vel Dei seu Christi Vicarii dici; qui nimirum non in populum Dei peculiarem & electum, sed in servos ac hostes Dei potestatem habent & exercent, ut ad Dei gloriam & piorum conservationem ordo aliquis etiam inter malos ac infideles retineatur. Quod autem spectat Magistratus, qui Christi nomen gerunt, & Christianis populis præsunt, certum est, cum Deus Christum Regem super universum orbem terrarum constituit, intentionem ejus non aliam fuisse, quam ut omnes homines, qui sunt in terris, ipsi se subjicerent, seque ab eo ita, ut regni ipsius natura fert, regi paterentur. Verum non modo minima pars mortalium, ipsum pro Rege ac Domino suo recepit; sed etiam plerique ex iis, qui populum se ejus esse jactant, & nomen ejus præferunt, eodem se gerunt modo, quo se gessit Israëliticus populus temporibus Samuelis, ad quem dixerunt: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes* 1 Sam. 8. 5. Christianus populus jam, proh dolor, ita degeneravit, ut pene plus in eo sit Ethnicismi, quam Christianismi. Itaque nihil mirum est, Deum & Christum permittere, ut ea ratione, quæ consentanea est Ethnicis ac impiis ipsorum moribus, & à talibus Regibus ac Principibus regantur, qui jus illud Regium, quod Samuel Israelitico populo proposuit, usurpant. 1 Sam. cap. 8. 11, 12, 13 & seqq. Volunt loco spiritûs Dei habere carnifices & lictores, rotas & patibula: habent igitur. Et Magistratus, qui talem populum regunt, pertinent quoque ad illam ordinationem Dei, quam Deus inter sua mancipia & hostes conservatam vult, quamque ipse etiam regimine suo temperat, ac dirigit ad solatium ac defensionem electorum suorum, qui in medio pravæ generationis hominum degunt, & se regimini spiritûs ipsius demisse subjiciunt, in reliquo autem Magistratibus illis omnem subjectionem & obedientiam, usque ad aras seu conscientiam, præstant. Quapropter omnes illi Magistratus, qui per violentiam ullam dominatum atque imperium sibi in populum Christi arrogant, idque sive secundum Mosaicarum, sive aliarum mundanarum legum normam, quas ipsi tulerunt, vel ab aliis nationibus mutuati sunt, exercent, illi oppressores sunt domûs Domini, & Christi, à quo se ad hoc munus legitime vocatos esse probare nequeunt, jura invadunt non sine gravi crimine læsæ Majestatis; neque eorum jus, quod illegitime usurparunt, in ipsorum posteris ac hæredibus per generationem legitimatur aut melius efficitur. Neque ipse populus Christi habet eam potestatem ac facultatem, ut sibi Regem aliquem præficiat, suoque summo Regi Christo, alium Rectorem contra aut præter voluntatem ejus adjungat, & juxta alias leges, quam quas ipse præscripsit, se regi patiatur. Christiani enim non sunt sui juris, sed sunt subditi Christi, solisque legibus ejus subjecti. Qui autem nihilominus id faciunt, non absimili modo peccant in Christum, quomodo olim Israeliticus populus peccavit in Deum, cum à Samuele Regem flagitarent; de quibus dixit Deus ad Samuelem: *Non te rejecerunt, sed me, ne Rex sim super eos* 1 Sam. 8. 7. An vero omnis Magistratus Christianus absque discrimine è regno Christi in strictissima significatione accepto, atque adeo ab æterna salute excludatur, de eo infra dicetur. Manet igitur firmum ac immotum, quod Christus solus & ea ratione Rex sit populi sui, ut nullum in regimine suo Vicarium ac sibi subordinatum Rectorem habeat, qui sive carnali sive spirituali potestate armatus, in corpora ac bona fidelium ejus, multo minus in animos ac conscientias eorum legitimum imperium exerceat.

Interea tamen majestas & gloria Regni Christi non tantum in cœlo est ab oculis hominum remota, verum etiam in terris certo modo ac ratione est manifesta, dum sanctæ Ecclesiæ suæ tantam tribuit potesta-

potestatem, ut quicquid in terris ligaverit, vel solverit, etiam in cœlis ligatum vel solutum fore promiserit Matth. 18. 18. Quam potestatem ut illa sapienter ac secundum justitiam exercere queat, non tantum habet præ oculis claras leges regni Christi, quas in judiciis suis sequatur, sed accepit quoque certam promissionem perpetuæ Spiritus Sancti assistentiæ, qui eam, in omnibus ad Dei ac Christi gloriam, fideliumque salutem spectantibus, ducat & regat, quamdiu manet Christi Ecclesia, id est, Christo secundum voluntatem ejus servit, ipsique fidelis est ac morigera. Atque hanc potestatem Christus non uni personæ alicui, aut soli ordini Ecclesiastico seu spirituali, ut hodie appellatur, concessit, sed toti Ecclesiæ, à qua sententia de iis, qui ligandi vel solvendi sunt, pronunciari debet. Omnes, qui aliquo munere funguntur in Ecclesia, sive sint Doctores, sive Diaconi, sive Seniores, non sunt domini, sed servi ac ministri Ecclesiæ (ut Paulus ipse de se testatur 1 Cor. 3. 5.) qui Ecclesiæ judicio non minus, quam quilibet è laicis, subjecti sunt. Et hæc dignitas ac præclara potestas Ecclesiæ Christi tanta est, & tam indubia atque extra omnem controversiæ aleam posita, ut ne unicus quidem Princeps in toto orbe Christiano reperiatur, qui si modo omnem Dei metum non ejuravit, & religioni Christianæ nuncium non remisit, judicio Ecclesiæ in iis rebus, quæ conscientiam & salutem ipsius afficiunt, non se subjectum esse agnoscat; tametsi aliqui hanc potestatem uni tantum personæ, ut Papæ Romano; alii soli ordini Ecclesiastico seu Presbyterio adscribant, ac remissionem peccatorum suorum ab eo exspectent. Imo etiam in rebus ad politiam & mundanum regimen pertinentibus, si quæstio sit de re aliqua, an justa sit, nec ne, an Deo grata vel adversa sit, quilibet Princeps ac Magistratus obstrictus est Ecclesiæ facti sui reddere rationem: quandoquidem de conscientia ac salute ejus agitur. Tantum de Rege hujus Regni.

CAPUT III.

De populo ac subditis Regni Christi in genere.

POpuli seu subditorum Regni Christi prorsus alia est ratio, natura ac proprietas, quam fuit populi illius in Regno Israëlitico, qui typus duntaxat & umbra fuit Christiani populi. Nimirum ille populus fuit carnalis ac terrenus: hic est spiritualis, cœlestis ac divinus, spiritualis ac cœlestis naturæ; imo talis populus, qui divinæ naturæ est particeps factus. Illius populi Israelitici spes ac felicitas vi Fœderis tantum in hoc mundo erat, & consistebat in secunda fortuna ac commodis hujus vitæ: terra affluens lacte & melle erat ejus summum bonum ac hæreditas; hæc erat præmium ipsorum obedientiæ, quæ etiam literali sensu legis non alia quam corporalis requirebatur, sitaque erat in externa observatione legis, etsi promptus deesset animus. At Christi populus nihil habet in mundo, in quo spem reponat; hæreditas ac patrimonium ejus non est in terris; Christiani non sunt incolæ ac cives, sed peregrini & advenæ in hoc mundo: regnum enim, ad quod illi pertinent, non est ex hoc mundo. Omnibus rebus illi renunciarunt ac valedixerunt Luc. 14. 33, etiam seipsos abnegarunt: Matth. 16. 24, omnem carnis ac vitæ temporariæ commoditatem abjecerunt, carnique suæ quasi bellum indixerunt, & eâ sunt conditione, quasi seipsos amplius non agnoscerent. *Non colligunt ullos in terris thesauros, quos tinea & rubigo consumit, & fures furari possunt* Matth. 6. 19. Status eorum est pauper & miserabilis, qualis etiam Christi Regis ipsorum fuit in terris, qui non habuit, ubi caput reclinaret suum Luc. 9. 58. Nulla est eorum in mundo authoritas, sed sunt omnium hominum servi ac ministri Matth. 20. 26. Loco gaudii luctum habent Joh. 16. 22. Loco honoris contumelias ac contemtum; loco quietis afflictionem ac persecutiones Act. 14. 22. Sunt enim populus regni spiritualis, cives cœli, ubi est eorum πολίτευμα Phil. cap. 3. 20. Ubi sperant non frugiferum rorem de cœlo, qualis olim Manna fuit, sed hæreditatem incorruptibilem, immaculatam ac immarcescibilem 1 Petr. 1. 4. Quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ullius ascendit 1 Cor. 2. 9. Eò conversi sunt ipsorum oculi, eò directus animus & omnia desideria, eò omnis labor & actiones eorum collimant. Divitiæ eorum consistunt in cœlestibus ac spiritualibus thesauris, in abundantia divinarum virtutum, in sincero & Dei timore pleno animo, nec non in pretioso illo pignore ac arrhabone Spiritûs Sancti in cordibus ipsorum habitantis, per quem eorum spes obsignatur in diem gloriosum redemtionis eorum. Ipsorum dignitas ac majestas est, quod sint Reges ac Domini mundi totius, non carnali modo, sed spirituali, dum animus eorum generosus elevat se supra omnes res hujus mundi, nulli se rei mancipat, nulli servit, nullam timet, sed omnia infra se ponit, totumque mundum cum omnibus opibus, thesauris, ac voluptatibus ejus tanquam vile lutum pedibus suis calcat. Quicquid autem ad vitæ ipsorum sustentationem requiritur, eo sapienter utuntur ad necessitatem, non ad lasciviam, aut luxuriam. Decus ac gloria ipsorum est, quod sint filii Dei, hæredes omnium bonorum Patris sui cœlestis ac cohæredes Christi Regis sui. Eorum quies ac tranquillitas est pax bonæ conscientiæ ipsorum cum Deo, quæ facit, ut exultent etiam in mediis tribulationibus, seque felices ac beatos reputent, nacti perfectam animorum suorum requiem.

Populum Regni Christi talem populum esse, vel esse debere, qualem modo descripsimus, ad id probandum non accumulabimus plurima Sacræ Scripturæ testimonia; quia eorum sensum spiritus hujus mundi magnâ ex parte in dubium vocat & incertum reddit: quanquam nos in hac descriptione potissimum ferme ipsis Scripturæ verbis usi sumus. Sed demonstrabimus potius, ipsam rei naturam necessario exigere, ut talis sit populus Christi, & talem naturam ac qualitates habeat, quales depinximus.

Indicatum est à nobis jam supra, summum illud bonum, quod doctrina Euangelii proponit, & indubitatam ejus spem hominum animis inserit, non esse rem aliquam novam ac inauditam, sed esse illud ipsum bonum, quod omnes homines à natura desiderant, vitam nimirum æternam ac perfecte beatam;

tametsi humanus intellectus, qua in re felicitas illa ac beatitudo consistat, per se minime assequatur. Jam vero ita comparatus est hominis animus, ut omnia sua studia ac desideria eò inclinet ac flectat, quod intellectus judicat monstratque esse bonum præstantissimum ac optimum, quo nullum potest fingi majus atque optatius. Et quando ejus potiundi certam spem nanciscitur, omittit omnia alia minora bona, quæ ipsi ad consequendum præstantius bonum nihil prosunt: imo si intelligat, aliquid sibi ad adeptionem vel fruitionem illius summi boni impedimento aut nocumento esse posse, aversatur id, & odit, ac pro viribus devitat. Rem ita se habere, quotidiana experientia edocet in omnibus hominum actionibus. Nam verbi gratia, quis prudens mercator multum operæ ac laboris impendet in rem, quæ vix paucis assibus constat, cum eâdem, aut etiam minori operâ possit multas tonnas auri sibi comparare? Tantæ summæ desiderium, desiderio illius exilis lucelli nullum relinquit locum. Ita etiam nemo hominum sanæ mentis tam stolidi erit appetitus, ut stomachum suum velit furfuribus aut siliquis, quas edunt porci, pascere, cum delicatissimos cibos copiosissime habeat sibi appositos. Nullus paulo erectioris ingenii, cupiet vici alicujus ignobilis magister esse, si possit ad Regium culmen evadere. Hinc igitur patet, quod in tali homine, qui ex Euangelii doctrinâ, per claram cognitionem, hausit certissimam spem vitæ æternæ, ipsâ rei naturâ sic ferente, omnia reliqua bona viliora, quæ ipsi ad vitam æternam comparandam utilia non sunt, ex animo effluant & evanescant. Itaque etiamsi doctrina Christi expresse non vetaret mundi, eorumque, quæ in mundo sunt, amorem, & non imperaret, ut renunciemus omnibus possessionibus nostris, & nos ipsos abnegemus: tamen quisquis tam sublimi illustratus est sapientiâ, ut spem certam conceperit vitæ æternæ, is ipse per se omnia quæ sunt in mundo, pro quisquiliis æstimaret, ac contemneret, nec ullo modo digna judicaret, quibus animum suum addiceret, in quibus gaudium suum ac oblectationem quæreret, ac proinde ullam molestiam, curam, ac laborem eorum causâ susciperet. Hominis enim ejusmodi animus adeo spe immortalitatis exhilaratus ac plenus est, ut alia nulla res vilior spei vel gaudio ejus incrementum addere, adeoque in ipso locum habere queat. Jam vero dictat ipsa naturalis ratio, universum mundum una cum omni gloria sua ac divitiis infinite viliorem esse illâ felicitate sempiternâ, quam nobis Euangelium pollicetur. Præterquam enim quod omnes hujus mundi res sint instabiles ac mutationi obnoxiæ, ita quoque comparatæ sunt, ut neutiquam humanum animum tranquillum reddere, & desideria ejus explere valeant. Etenim testatur experientia, postquam homo adeptus fuerit id, quod flagrantissimis expetivit votis, mox satietatem quandam & fastidium rei adeptæ suboriri in hominis animo, sit licet res pretiosissima, & porro desiderari aliquid aliud, atque hoc obtento, rursus aliud, quod menti occurrit: atque ita animum nunquam invenire posse in his rebus terrenis veram ac perfectam suam quietem. Idcirco quamvis aliquis omnes thesauros, voluptates, honoresque omnium, qui vivunt, hominum solus possideret, tamen animus ejus non exsatiaretur, nec ardentissima sitis boni alicujus majoris ac melioris in eo sedaretur ac restingeretur. Conferantur licet in unum hominem omnia omnium Regnorum, quæ sunt in mundo, ornamenta, detur ei præterea potestas dirigendi sydera cœli & cursum solis moderandi: nondum tamen acquiesceret ejus animus, sed scanderet supra cœlum, atque ibi imaginariam aliquam quæreret felicitatem. Omnia enim hæc terrena ac visibilia nihil simile, nihilque commune habent cum cœlesti natura animæ nostræ. Quemadmodum enim cibus, qui in succum & sanguinem comedentis converti, eique verum nutrimentum afferre debet, oportet ut sit aliquo modo ejusdem naturæ ac qualitatis, cum hominis corpore: nunquam enim homo famem corporis sui sedabit, etiamsi aurum præstantissimum & pretiosissimas gemmas, & adamantes deglutiat ac in ventrem mittat. Ita etiam invisibilis ac cœlestis noster spiritus nullâ re materiali ac visibili hujus mundi, quamvis mille felicitates sibi habeat adjunctas, saturari potest, neque perennis ejus sitis expleri, usque dum id assequatur, ut natet in flumine vitæ, & demergat se in profundum mare cœlestium bonorum, conjungaturque cum infinita gloria ac majestate, à qua profluxit. Ex quo efficitur, quod sicut homo, qui naturali corporis esurie laborat, nunquam appetit ejusmodi cibum, quo latrantem stomachum nequit compescere, mavultque præ auro ac gemmis panem arripere: sic etiam nullus è cordatis hominibus, ut famem animi sui componat, id est, ut desideriis ab intellectu suo excitatis satisfaciat, res istas appetet, quæ veram requiem animo ejus afferre nequeunt; non adhærebit illis animus ejus, sed eas tanquam alienas præteribit, quia in eis non invenit id, quod unice quærit ac desiderat, nempe suam tranquillitatem ac satietatem. Hanc tranquillitatem vero perfecte dare & efficere potest sola spes indubia ac certa immortalitatis, quam doctrina Christi animis eorum, qui eam audiunt ac intelligunt, inserit per tam insignia documenta, ut eis humanus intellectus refragari nequeat. Ita enim comparatus est animus humanus, ut quando bonum ingens desiderat & appetit, nec statim eo reipsâ potiri potest, acquiescat interea spe certâ, tempusque illud, quod fruitioni destinatum est, patienter expectet.

Qui ea, quæ hactenus disseruimus, probe intelligit, is non admittet in animum suum tales cogitationes, qualibus homines carnales sibi vulgo blandiuntur ac seipsos decipiunt, dum sibi persuadent, quandoquidem homo ad æterna gaudia, in Euangelio promissa, in hac vita pervenire nequeat, fieri non posse, ut sola spes boni inconspicui ac longe remoti tantas vires habeat, ut humanum animum penitus ab omni desiderio earum rerum, quibus adhuc in hac vita perfrui potest, abstrahere valeat. Propterea etiam mandata Christi, quibus nosmet ipsos abnegare, omnibus rebus, quas habemus valedicere &c. jubemur, non tam rigide interpretanda esse censent, ut homini omnis libertas bonis hujus mundi utendi, dummodo iis non abutatur, ademta esse statuatur. Nos enim hic hominem consideramus

tanquam

tanquam *hominem*, id est, rationalem creaturam, adeoque secundum partem potiorem, quâ differt ab aliis animantibus, nempe quoad rectam rationem. Christiana quoque religio nihil spectat aliud, quam ut homines à bruto ac irrationali vivendi genere, quod contra naturam suam sequuntur, & in quo carnales cupiditates dominantur supra rationem, ad eum statum traducantur ac transferantur, in quo sint veri homines, seu sapienter & secundum rationem vivant. Tales autem veri homines ac cum ratione agentes, non sunt ii, qui non contenti gaudio, quod habent ex indubitatâ spe tam immensi boni, quale Euangelium nobis monstrat, insuper etiam carnales voluptates appetunt. Eo ipso enim indicant, gaudium istud, quod ex spe sua percipiunt, imperfectum esse: quia pati potest aliûs adhuc gaudii consortium. Nam quod plenum ac perfectum est, ei nihil addi potest, nec admittit ullum incrementum. Si autem gaudium non est perfectum, apparet spem non esse perfectam. (Bonum enim quod appetitur ac speratur, non potest esse imperfectum, nec ullo modo, præsertim per bona terrena, augeri). Si autem spes est imperfecta, necesse est, ut illa sit aliquâ saltem ex parte dubia, ut eis non sufficiant præclaræ illæ confirmationes, quibus Christus doctrinæ suæ fidem fecit, ac veritatem ejus asseruit tam valide, ut propemodum etiam lapides iis permoveri ad credendum queant. Atque ita apparet, eos esse adhuc creaturas brutas, quales sunt omnes homines carnales, quorum animi inepti sunt ad veram sapientiam addiscendam, ejusque vim percipiendam: apparet in eis sensus carnales, quos cum brutis communes habent, prævalere rationi. Si enim in eis ratio validior esset ac superior sensibus, utique gaudium beatæ spei, nullum aliud minus ac vilius gaudium admitteret. Non aliter sane agunt isti homines, quam si quis ad Regnum destinatus ac brevi regio diademate ornandus, interea se oblectet, cum pueris equitando in arundine longa, aut in plateis lusitando ac puerilia tractando. An talis homo pro sapiente, imo pro rationis compote haberetur? Omnia terrena, quamvis præstantissima, nequeunt in homine divinâ sapientiâ pleno, cujus in animo spes certa beatæ immortalitatis altas radices egit, majus producere gaudium, quam modo dictæ puerilis oblectationes in homine mundanâ sapientiâ prædito. Ille enim animi sui perfecte compos est, ac dominus suorum carnalium sensuum. Quapropter sicut sensus rebus invisibilibus non pascuntur, ita nec visibilia animum ejus exhilarare queunt. Videmus, quando animus hominis per insperatum casum summo mœrore ac tristitia afficitur, & intellectus istud grande malum & irreparabile damnum considerat, eum tunc omnia, quibus prius delectabatur, respuere, nihil curare, & totum esse in miseriæ suæ contemplatione ac deploratione, imo desiderio mortis, ac tædio vitæ teneri. Et licet malum illud nondum præsens sit, si tamen homo jam certus sit, id evitari non posse, tantus in eo nihilominus excitatur luctus ac timor, qui omne gaudium, quod ex aliis rebus habebat, pellit atque extinguit. Qui timor tamdiu durat, & magis magisque augescit, quamdiu animo instantis mali imago obversatur. At si malum hoc & infortunium accidat homini stulto ac insipienti, is illud non curat, neque in animum admittit: quem animum ejus non virtus obduravit, ac patientia, quæ veræ sapientiæ proles est, seu ex cognitione oritur longe excellentioris felicitatis, cui pares non sunt omnes temporariæ perpessiones, sed torpor quidam ac stupor intellectûs, qui nihil considerat, nihil attendit, pecudum ritu, quæ cum mactantur vel verberantur, dolores quidem sentiunt, sed non cogitant, quantum sit malum istud, quo afficiuntur. Eodem prorsus modo se res habet in re contrariâ, nempe in gaudio, quod certissima spes summi boni, id est, vitæ æternæ in homine ratione prædito excitat, ut ita animum ejus repleat, ac occupet, ut omnia temporalia gaudia, quæ antea habuit, ipsi sordeant atque vilescant. Et quamdiu homo in contemplatione tantæ felicitatis suæ perseverat, tamdiu etiam durat perfectum ejus gaudium, & tamdiu nulli alii gaudio, quod cum illo nullam affinitatem habet, dat apud se locum. Porro, quia ipsum illud summum bonum, cujus spe homo in hac vita se sustentat, præsens non est, sed post mortem demum obtinendum est; tantum abest, ut homo interea in aliis rebus terrenis gaudium ac delectationem quærere debeat, ut potius propter id ipsum, quod bonum illud præsens non sit, omnes res alias ex animo suo expellere atque ejicere teneatur, ne gaudium, quod ex certa illius boni spe sentit ac percipit, evanescat aut minuatur. Spes enim illa atque gaudium aliter retineri ac conservari nequit, quam per assiduam considerationem præstantiæ summæ boni illius; hâc necesse est, ut semper renovetur, excitetur, & quasi lucerna ardens affusione olei nutriatur. Oculi mentis ad hunc scopum semper debent esse directi: ad eundem & actiones ac labores omnes hominis debent collimare. Qui animum suum ad aliud quippiam convertit, qui in re alia oblectationem suam quærit, is debilitat ac minuit illud gaudium, quod ex spe summi boni promanat. Qui ex contemplatione rei pulcherrimæ ac formosæ solidam atque constantem vult capere voluptatem, eum oportet oculos ab ea non avertere, & in rem aliquam deformem eos defigere, præsertim ita, ut etiam in illa re deformi aliquam delectationem quærat. Quin imo etiamsi homo id non intendat, neque sibi proponat, ut animum suum mancipet & addicat rebus terrenis, (quod etiam omnes mundo dediti homines in ore habent, ut dicant, se animos suos ad hæc temporaria non adstringere, sed tantum ad necessitatem iis uti) est tamen possessio earum tam periculosa, quam periculosum est anguem manu tenere, cujus morsus evitare difficile est. Quantam enim vim habeant res terrenæ in animis hominum ad semen veræ sapientiæ suffocandum, hominesque ad rerum cœlestium considerationem ac bona opera ineptos reddendum, id non solum Christus significavit ac docuit in parabola sua de semine, quod inter spinas cecidit Matth. cap. 13, verum etiam omnium temporum experientia testatur. Cum enim homo, ex sapientissima Creatoris sui institutione, nobilem spiritum suum, id est, animum, domicilio terreni & bruti corporis inclusum gerat, requiritur summa vis ac robur

animi, ut concupiscentias carnis ita refrenet, ne dominium supra animum obtineant. Nam si intellectus hominis fit infirmior, neque per assiduam ac sedulam exercitationem in vera sapientia ad suam perfectionem perducatur, caro, quæ tortum digna sequi potius, quam ducere funem, invadit imperium, hominemque captivum & catenis ac compedibus infinitarum cupiditatum constrictum tenet. Itaque quisquis veræ sapientiæ studiosus est, ejusque vi in animo suo constans gaudium ex summæ felicitatis spe retinere cupit, debet ea omnia quam diligentissime vitare, quæ hostem ipsius & anguem torpentem, id est, concupiscentias ejus carnales, excitare atque irritare possunt: ea vero sunt bona hæc terrena ac temporalia, quæ carnalibus sensibus maxime allubescunt. Et sane in hac mirabili structurâ hominis, in quo duæ res contrariæ, una terrena, nempe caro, & altera cœlestis, nempe spiritus atque animus, conjunctæ sunt, Dei singularis elucet sapientia, dum noluit, ut homo præstantissimum illud salutis bonum absque lucta & certamine, adeoque absque virtute ac labore consequeretur. Propterea ei non tantum intimum inimicum, id est, carnem ad latus adjunxit, sed etiam eum undique circumvallavit ac cinxit ejusmodi rebus, quæ carnem adversus eum exstimulare queunt, nempe bonis hujus mundi, per quæ caro quasi acri quodam stimulo ad eorum amorem ac concupiscentiam incitatur. Interea tamen Deus tantas homini concessit vires, ut si modo velit, hostem hunc suum semper vincere & in officio continere possit. Quanto enim animus hominis sublimior & præstantior est carne, tanto vires quoque animi, si intendantur, majores sunt, viribus carnis. Et, si terrena bona hujus mundi vim habent carnem adversus animum exstimulandi & incitandi, certe infinitum bonum sempiternæ felicitatis etiam infinitis partibus majores vires habet, animum adversus carnem muniendi, in eo homine, qui certam illius spem in animo suo fixam gerit. Ad extremum animus hominis ita comparatus est, naturâ suâ, ut quando tranquillitatem veram assecutus est, qualem ei sola spes certa vitæ æternæ largiri potest, summa contentione ea omnia fugiat ac devitet, quæ tranquillitatem illam aliqua ratione turbare, eumque rursus inquietum & anxium reddere queunt. Potest autem facile animus humanus tranquillitate sua privari, si rebus mutationi obnoxiis sese applicet, easque amore prosequatur. Quicquid enim hominem delectat, quando possidetur, id affert ei mœrorem ac dolorem, quando amittitur. Tales autem res mutabiles sunt omnia terrestria hujus mundi bona: tametsi splendida ac pretiosa esse videantur, fugacia tamen & fluxa sunt, mille casibus exposita, quæ si diutissime durent, ad mortem tantum hominem comitantur, sed à morte eum liberare nequeunt, nihilque aliud homini relinquunt, quam ex jactura sua dolorem. Qua in parte etiam excellentia Christianæ religionis agnoscenda est, quod dum præcipit homini, ut animum ab omnibus rebus terrenis abstrahat, id quoque spectet, ut is in hac vita adhuc tum perfecto, tum perpetuo ac indefinenti gaudio frui possit, quatenus ea omnia è medio tollit ac removet, quæ gaudium ejus turbare ac interrumpere, inque dolorem ac tristitiam commutare queant.

Verum objicere quispiam posset, non posse fieri, ut homo prorsus & omnino omnem rerum terrenarum curam abjiciat; quia vivendum ipsi in terris est, & corpori de variis rebus necessariis prospiciendum: id quod absque mundanis curis & multis carnalibus laboribus fieri nequit. Sed hanc objectionem jam antea tacite præoccupavimus, dum diximus, hominem sapientem, cujus intellectus cognitione summi boni imbutus est, & spe ejusdem certâ fultus, non appetere ullam rem, neque laborem ac curam ei impendere, quæ ipsi ad obtinendum istud bonum conducere atque adjumento esse nequit. At necessaria corporis cura ac conservatio vitæ hujus temporariæ, non est res ejusmodi. Vita enim hæc præsens innumeras utilitates adfert homini ad consequendum summum illud bonum, quod ipsi ratio & Christiana religio monstrat. In hac vita enim opus est, ut sibi colligat cœlestes thesauros virtutum divinarum: in hac vita necesse est, ut intellectum suum per cognitionem divinorum mysteriorum, & per exercitium sapientissimorum operum excolat perfectumque reddat: in hac vita multa ei facienda sunt ad Dei honorem, ad promovendam ejus gloriam, ad propagandum Regnum Christi, ad piam ædificationem proximi: in hac vita bellum ipsi cum mundo & propriâ carne gerendum est, ut capiti ejus aliquando corona justitiæ imponatur. Quamobrem Christianus hoc respectu etiam hanc præsentem vitam amat, corpusque suum solicite curat, sed non ad lasciviam & luxum, ut faciunt pecora irrationalia, verum debitâ cum temperantia, ne nimio cibo aut potu, abusuque rerum indifferentium valetudo lædatur, ac porro animus quoque turbetur, & ad sancta ac præclara pietatis opera, ad quæ facienda obstrictus est, ineptus reddatur. Adeo ut homo sapiens in hac ipsa corporis sui cura occasionem habeat eximiæ virtutis, nempe sobrietatis ac temperantiæ exercendæ, per quam gradum sibi ad cœlum struat. Dum ergo Christianus corpus suum curat, nihil aliud quærit, quam simpliciter necessaria, nempe victum & amictum pro se & pro iis, quorum cura ipsi incumbit, quique vinculo naturalis charitatis ac necessitudinis cum eo conjuncti sunt. *Habentes alimemta, & tegumenta*, inquit Apostolus, *iis contentissimus* 1 Tim. 6. 8. Quod supra hæc redundat, & quod ad vitæ sustentationem non requiritur, seu, quod superfluum est Luc. 12. 15, de eo plane solicitus non est Christianus. Id enim, quo ipse, cum suis non indiget, non propter se colligit ac servat, sed propter tineas, & fures, aliosque, qui eo post ipsum fruentur, nec ullas ipsi pro eo agent gratias. Quodsi absque illius cura ac labore, largifluus eum divitiarum rivus inundet, aut si Deus laboribus ejus ita benedicat, ut absque earum rerum neglectu, quæ ad perfectionem animi & ad cultum divinum pertinent, aliquid supra suam suorumque necessitatem lucretur, prompte ex eo largitur proximis, quos urget rerum necessariarum penuria. Estque etiam hac in re summa Religionis Christianæ sapientia notanda, quod, dum adeo quidem luculenter nobis divinam providentiam ac paternam de nobis

nobis curam promittit, ut non habeamus ullam causam animos nostros Ethnicis istis cogitationibus cruciandi; Quid edemus? quid bibemus? quo vestiemur? Matth. 6. 25, nihilominus tamen laborem manuum nostrarum serio & solicite nobis inculcet. Quicquid enim speciem aliquam virtutis habet, quicquid honestum est atque decorum, quicquid etiam apud extraneos laudem meretur, ac bonæ famæ est, id nobis præcipit Christiana religio. Jam vero non est exigua virtus manuum suarum labore vivere, non domatim cursitando, emendicatum cum aliorum hominum molestiâ panem edere, sed potius semper promptiorem esse ad dandum, quam ad accipiendum, ne vera sapientia ab insipientibus blasphemetur, quasi sectatores suos fame laborare sinat. Præterea Deus non vult suos fideles semper à corvis pasci, vel Manna cœlesti illo pane ali: hac enim ratione illis non solum occasio ad segnitiem ac otium, quod est pulvinar Satanæ, omniumque vitiorum nutrix, daretur, sed etiam adimeretur eis occasio ad plurimas præclaras virtutes exercendas, qualis est, liberalitas, misericordia erga miseros & egenos, charitas &c. Quas virtutes exercere non possent, si Deus per media supernaturalia non amplius illis suppeditaret, quam quo ipsi necessario indigent; aut etiam si illis aliquid amplius largiretur, parum laudis mereretur ista liberalitas, si id aliis erogarent, quod ipsi labore suo non acquisiverunt, & quo facile carere se posse sciunt, quodque se postridie recepturos absque suo labore ac molestia norunt. At quod gravi labore acquiritur, id homines magis amare, arctiusque tenere solent, & nonnisi propriis usibus suis reservare. Quocirca qui ex isto gravi labore suo sola necessaria pro se ac suis retinet, quod reliquum est autem, in opera charitatis impendit, is virtutem exercet, quæ cum ingenti gloria ac laude Christianæ religionis conjuncta est, & ad amplificandum thesaurum cœlestem spectat, quem Christus nobis colligere injunxit. Atque hic observanda est singularis sapientia ac prudentia Pauli Apostoli, in eo, cum jubet, ut *qui furatus est, non furetur amplius, sed manibus suis operetur, ut habeat, quod impertiat egentibus* Eph. 4. 28. Non dicit, ut habeat ipse, unde vivat; quod merito dicere debebat; hoc enim erat ejus propositum, dehortari à furando, & admonere, ut quisque se labore suo honesto sustentet. Sed quia hoc res ipsa unumquemque docet, ut ipse primo laboris sui fructu fruatur, alterum autem istud, etiam aliis impertiendum esse, pauci vel nemo potius ex seipso intelligit; idcirco Apostolus prius illud omittit, & hoc posterius tantum inculcat: indicans, Christianum etiam in illo labore suo, ad quem propria necessitate adigitur, non se solum, sed alios quoque egenos respicere debere.

Jam ubi hoc fundamentum divinæ sapientiæ in animo alicujus jactum fuerit, ut solo gaudio, quod habet ex spe beatæ immortalitatis, acquiescat, omnia vero terrena ac mundana bona pro talibus habeat, qualia revera sunt, id est, pro vanis & fallacibus bonis; non difficile erit ei etiam reliqua, quæ ad perfectam sapientiam Euangelii Christi spectant, addiscere. Hic enim est quasi stipes ac radix, ex qua charitas, fiducia, & obedientia erga Deum, quibus in tribus tota religio Christiana sita est, tanquam rami aut palmites enascuntur. Ex tali enim spe oritur flagrantissimus erga Deum amor, qui tantam felicitatem hominibus præparavit ac destinavit; cum ipsa natura, etiam irrationalia animalia, nedum homines doceat, amare suos benefactores, & quidem tanto magis atque ardentius, quanto beneficia accepta majora sunt. Huic amore juncta est intima & sincera in Deum fiducia; quia non solum amor ipse per se nullum diffidentiæ locum relinquit, sed etiam quia ratio dictat, quod cum Deus tam ineffabilem thesaurum, absque ullo suo commodo, & absque ullis nostris meritis, ultro & ex mera gratia ac charitate nobis donarit, de eo dubitandi nulla sit causa, ipsum omnia quæ nobis necessaria aut utilia sunt, nobis largiturum, vel nostri causâ esse facturum. Qui enim nobis ultro dat id, quod summum est, quo nihil majus optare ac concupiscere possumus; is utique etiam non denegabit nobis interea id, quod est minimum ac vilissimum, quo in hac mortalitate necessario indigemus. Cui considerationi plurimum momenti accedit ex aperta & expressa Dei promissione, quâ se nobis obligavit Deus, se nostri curam gesturum, se nos protecturum, ac defensurum, ut ne pilus quidem de capite nostro cadat in terram absque illius voluntate. Ex ejusmodi amore ac fiducia tandem pullulat spontanea & prompta obedientia in omnibus, quæcunque nobis Deus imperat. Hæc enim est vis dilectionis, ut hominem doceat, pro virili dare operam, ut ea omnia faciat, quæ illi, quem diligit, grata sunt. Adde quod naturæ consentaneum est, ut propter insigne bonum promissum, laboris nonnihil suscipiatur: quem laborem quisque ratione præditus tanto æquiorem ac faciliorem hic agnoscet, quia Deus nihil amplius à nobis exigit, quam quod cum nostra natura, quatenus homines sumus, egregie convenit, quodque ipsum rationis lumen dictat faciendum esse, etsi peculiariter & expresse id nobis Deus non injungeret, nempe virtutem ac vitæ sanctimoniam. Quid enim factu facilius est, & quid justius à nobis postulatur, quam id, ad quod nos propria conscientia nostra ducit ac impellit?

Ex hactenus dictis igitur nullo negotio intelligitur, cur pro sapientissimo Dei consilio ea sit conditio Christianorum, ut pro mundano gaudio, plurimis calamitatibus atque afflictionibus sint obnoxii. Quid enim rationi & veræ sapientiæ est congruentius, quam quod Deus amœnum hujus mundi paradisum, qui ad nos non pertinet, acutissimis spinis circumsepserit, ne concupiscentiæ carnis, quam adhuc circumferimus, nos iterum in eum retrahant ac introducant; quod dulces mundanorum bonorum escas amaras reddat, ne eas cum nostra pernicie gustemus, neve adeo ex tranquillo statu animi nostri, in quem nos viva spes nostræ salutis redegit ac reposuit, rursus in summam inquietudinem revolvamur? Quid etiam est sapientius ac prudentius, quam quod Deus fidem ac constantiam nostram per afflictiones probet, quod nos paterna castigatione sua in officio & intra cancellos obedientiæ contineat; quod animos nostros ad se trahat ac convertat, ut in cala-

in calamitatibus & adversis apud ipsum quæramus opem, quam neque apud nos, neque apud alios homines invenire possumus? Talia sunt plura innumera & explicatu difficilia crucis mysteria, quæ omnia percensere atque indagare non est hujus loci.

Contemtus & contumeliæ Christianis communes sunt cum omnibus sapientibus, qui unquam virtutem coluerunt. Nam omni tempore etiam inter Ethnicos virtus & sapientia à proletaria vulgi turba spreta ac susque deque habita fuit. Cumque contemtus iste egregiam occasionem præbeat exercendæ patientiæ, virtutis eminentissimæ; non est veræ sapientiæ ulla ratione adversum, ut Christiani jugiter ejus exercendæ occasionem ac campum habeant; perinde ac absurdum non est, ut fortis bellator fortitudinem suam sæpius, cum hoste confligendo, demonstret. Sed excelsus & verâ sapientiâ excultus animus, contemtu ac contumeliis stultorum hominum minime movetur; non secus ac generosus equus non curat minutorum catellorum latratus.

Est proinde verus Christianus tum sapientissimus, tum felicissimus inter homines sub Sole. Possidet enim certa spe summum & exoptatissimum bonum, in quo animus ejus perfecte acquiescit; & hac ratione evasit ex pleno tempestatibus mari carnalium cupiditatum, in quo alii mortales innumeris curarum ac solicitudinum fluctibus jactantur, neque unquam ad portum tranquillitatis appellunt, sed tandem in abyssum æterni exitii demerguntur. Animus ejus generosus altior est omnibus bonis terrenis, ut quæ infinities minora sunt, bono illo infinito, quod ipse jam certa spe tenet. Cor ejus arctissimo charitatis perfectæ nodo copulatum est cum Deo Patre suo fideli, & cum Christo Rege suo. Nulla cura ac mœror ipsum tangit, quia requiescit in gremio divinæ providentiæ, quæ ipsius curam agit. Manuum suarum labore vitam tolerat cum gaudio, quia sentit laborem suum à Patre cœlesti prosperari. Nulla metuit pericula aut casus, quia scit suum custodem vigilantissimum non dormire neque dormitare. Non metuit hostem ullum, quia Rex ejus protegit ipsum. Nullum damnum aut jactura in mundo eum contristat; quia mundo valedixit, & in corde suo inclusum gerit inenarrabilem thesaurum beatæ spei, quem ei nec mundus, nec mundi hujus princeps Satanas cum omni immundorum spirituum exercitu potest eripere. Non perturbatur animo unquam ob res, quæ extra ipsum sunt, & quas non habet in sua potestate. Proinde etiam patiens est in afflictionibus; agnoscit enim Patris sui manum, cujus voluntas semper apud ipsum sancta est. Diligit omnes homines, ut qui genus cum ipso commune habeant, & ad eandem felicitatem vocati sint. Virtus est lux vitæ ejus; & assidua observatio providentiæ paternæ Dei ac Regis nostri Christi est clypeus ejus ac munimentum adversus omnia, quæ tam animum, quam corpus ejus infestant. Et super hæc omnia gestat in pectore suo pretiosissimam arrham Spiritus Sancti, qui est Regni Christi peculiare & præstantissimum cimelium, quo nullus etiam è sapientissimis hujus mundi hominibus ausus est unquam gloriari; cum res ista nunquam ad aures eorum, nedum in mentem eis venerit. Spiritus iste regit, obsignat, atque conservat in eo spem boni invisibilis, ne inter tot validissimos fluctus & procellas variarum tentationum faciat naufragium. Ubi vero fatalis venerit hominis Christiani hora, intrepidus lætusque migrat ex hac vita; sciens mortem esse liberationem spiritûs sui ex molestissimo carcere hujus corporis, & introitum in locum placidissimæ quietis usque ad magnum illum diem, quo reipsâ ad possessionem illius gloriæ admittetur, quam in hac vita speravit. In summa, verus Christianus, ut initio dictum est, spiritualis, cœlestis, ac divinus homo est, qui mortuus est mundo & omnibus mundanis voluptatibus, & vita ejus cum Christo abscondita est in Deo, ut Paulus Apostolus loquitur Col. 3. 3.

Satis jam de populo seu subditis Regni Christi dictum esto.

CAPUT IV.

De præmio obedientibus, ac pœnâ inobedientibus constitutâ in Regno Christi.

HUcusque egimus de Rege & de subditis Regni Christi: consequens est, ut etiam de legibus hujus Regni agamus, earumque naturam ac indolem excutiamus. Leges, quæ ad quodvis bene constitutum regimen requiruntur, sunt duplicis generis. Primo sunt leges, quibus præscribuntur subditis officia, quomodo se quisque in suis actionibus gerere debeat, seu, quid cuique faciendum vel omittendum sit: quæ leges ad distinctionem cæterarum Præcepta & Interdicta vocantur. Deinde sunt leges, quibus proponuntur fidis ac morigeris subditis præmia pro ipsorum virtute atque obedientia, immorigeris autem ac maleficis meritæ pœnæ atque supplicia. Hæc duo genera legum reperiuntur etiam in Regno Christi, sed illa longe diversæ atque alius naturæ sunt, quam olim fuerunt in Regno Israelitico, aut hodie sunt in Regnis mundanis.

Ut enim de præmiis ac pœnis primo loco dicamus; quod præmia attinet, in mundanis Regnis boni cives ac obedientes subditi, non aliud virtutis suæ ac honestæ civilis conversationis præmium exspectandum habent, quam quod immunes sint à pœnis, quæ in facinorosos sunt constitutæ. In Regno Israëlitarum præmium erat bonis propositum, benedictio divina in rebus temporalibus, corporalis prosperitas, vita diuturna, fertilitas terræ, pax Reipublicæ, & similia, de quibus lege Deut. 28. ℣. 1. & seqq. Quam temporalem benedictionem Deus etiam Ethnicis ac infidelibus populis impertiri solet, quando justitiam colunt, & dant operam virtutibus, quas ipsum lumen naturalis rationis docet, inprimis autem quando fideli Dei populo benefaciunt. Verum omnis ista corporalis prosperitas, animum hominis, qui ad aliquid altius anhelat, tranquillum ac beatum reddere nequit. In Regno Christi præmia virtutis ac pietatis sunt plane alius generis, & supra quam dici aut cogitari potest sunt excellentiora, omni terrena felicitate, quantacunque illa sit. Etenim *pietas*, inquit Apostolus Paulus, *habet promissionem hujus & futuræ vitæ*,

1 Tim.

1 Tim. 4. 8. In hac vita affert homini perfectam tranquillitatem animi ex spe beatæ immortalitatis manantem: post mortem autem in futura vita plenam infiniti gaudii possessionem boni illius, ad quod animus ejus in hac vita unice adspiravit, quodque omnem ipsius intellectum, desideria, ac vota exuperat. De summa felicitate hominis Christiani etiam in hac vita, vide, quæ ad calcem proxime præcedentis Capitis dicta sunt.

Jam quod pœnas ac supplicia inobedientium ac transgressorum in Regno Christi spectat, illa sunt multo severiora & graviora, quam in ullo Regno mundano constituta sunt; quippe talia, quæ nullus mundi hujus Magistratus possit facinorosis infligere. Adeo ut rigor pœnarum in Regno Christi, etiam Mosaicæ Legis rigorem supergrediatur: præterquam quod in Regno Christi pœnitentiam agentibus gratia ac remissio peccatorum offeratur; cum contra sub Lege Mosis peccata excelso brachio, seu deliberato animo commissa, absque misericordia fuerint punita. Tales pœnæ in Regno Christi sunt inter alias hæ, quod quicunque tantum sine causa fratri suo irascitur, reus esse judicii illius, quod in homicidas constitutum est, pronuncietur. Sic quisquis dixerit fratri suo *Raca*, reus esse dicitur pœnæ mortis istiusmodi, quam Lex Mosaica blasphemis & enormiter flagitiosis duntaxat comminabatur. Et qui dixerit fratri suo *Fatue*, ei intentatur pœna idololatris atque apostatis in Lege posita, qui vivi comburebantur. Ita quoque lex Christi illum, qui mulierem tantum adspicit impudicis oculis, ut eam concupiscat, parem reputat adultero, eumque simul cum eo Gehennæ adjudicat, vide Matth. 5. ℣ 21, 22, 27, 28. Si igitur tam levia delicta, quæ in Lege Mosis aut nullâ aut certe non capitali pœna afficiebantur, in Regno Christi tam grandi mortis pœnâ vindicantur; quanto graviora supplicia proprie dicti homicidæ, adulteri, blasphematores divini nominis, idololatræ, apostatæ ac defectores à lege Christi, metuant necesse est? Certe talia, quorum irrogandorum potestatem nullus mundanorum Principum etiam potentissimorum habet. Summum & extremum supplicium, quod Magistratus Politicus inferre malefico potest, est mors temporalis: at huic in Regno Christi etiam is, qui fratri suo temere irascitur, est obnoxius.

Ex his jam perspicuum evadit, delicta atque transgressiones in Regno Christi nullis corporalibus pœnis plecti posse, nec debere. Alioquin enim secundum legem Christi modo indicatam, is qui fratri suo irascitur, capitis supplicio esset afficiendus; & qui fratrem suum convitiis proscindit, lapidandus aut igne cremandus esset: quod absurdum esse & menti Christi neutiquam consentaneum, quilibet facile videt. Qui actu ipso homicida est, vel adulter, vel aliorum gravium criminum patrator, non potest ab ullo judice humano, & usitato mundanis judiciis modo digne puniri, quia omnes corporales pœnæ, quibus in talem animadvertere possunt homines, longe sunt meritis ejus leviores. Quocirca Magistratus illi, qui talia enormia flagitia temporalibus pœnis ulciscuntur, non secundum leges Regni Christi, sed secundum Mosaicas, aut alias hominum positivas leges id faciunt. Unde sequitur, omnes pœnas transgressionum in hoc Regno in sola Regis Christi potestate esse positas, ut qui eas unicuique pro merito & pro ratione atque natura legum Regni sui irrogare valeat: ideoque ipsi soli sunt relinquendæ. Interea tamen alibi monstravit Christus, quomodo omnia peccata atque delicta, quæ hominibus in hac vita nota esse possunt, puniri debeant; nempe non morte corporea, sed spirituali, gladio spiritus Christi, per excommunicationem ab Ecclesia. Quem enim Ecclesia Christi à se separat ac ejicit, eum quasi morti adjudicat, quam Christus suo tempore, & eo modo ac ratione, quam ipse pro summa sapientia sua delictis convenientem esse agnoscit, per sua judicia infligit. Atque hæc sententia, quam Ecclesia Christi de ejusmodi peccatore pronunciat, non potest alia ratione, quam per veram pœnitentiam mutari ac aboleri. Exemplum ejusmodi pœnæ habemus in illo incestuoso, quem Paulus Apostolus jubet ab Ecclesia segregari 1 Cor. 5. Non præcipit, ut è vita tollatur, uti secundum Legem Mosis commeruerat Levit. 20. 2, sed ut ita puniatur, quo per luctum & tristitiam, id est, per seriam resipiscentiam, veniam tam gravis peccati sui consequi, rursusque in gremium Ecclesiæ recipi possit: ut videre est 2 Cor. cap. 2. 7. Ex quo exemplo judicium de aliis similibus delictis fieri potest, quod nimirum Ecclesia Christi, per excommunicationem, & abscissionem quasi à corpore suo membri putridi, ferat decretoriam sententiam, ac peccatorem Judici supremo Christo tradat, qui solus eum debitâ pœnâ potest afficere. Is quia optime novit, utpote sapientissimus, quomodo cum unoquoque peccatore agendum sit, utrum fragilitate an malitiâ peccatum commissum sit, & quæ spes emendationis adhuc sit reliqua; vel statim judicia sua in hominem peccati reum exequitur, idque facit aut modo arcano, qualium judiciorum innumera exempla nobis ob oculos quotidie versantur, aut per Judices mundanos extra Ecclesiam existentes, quorum in manus patitur eum incidere, quibusque tanquam ministris ad exequenda judicia sua utitur: vel differt aliquantisper pœnam, spatiumque ad resipiscendum ei concedit. In qua longanimitate Christi, etiam inter cætera summa præstantia, & prærogativa Regni ejus, præ Regno Israëlitico consistit. Nam juxta tenorem Legis Mosaicæ oportebat facinorosos absque misericordia è medio tolli: non erat integrum Judici pœnam mortis alicui condonare ac remittere, quæ in Lege sancita erat. Judices enim sub Veteri Fœdere non erant ipsi Legislatores, qui alioqui potestatem habent leges, quas ipsi dederunt, pro arbitrio suo relaxandi, aut etiam plane abrogandi; sed Legem à Deo acceperant, ad cujus normam ac præscriptum illi se componere cogebantur. At Christus, qui ipse Legislator est, ac simul est summâ plenus misericordiâ atque sapientiâ, qui scit, quam facile labi ac cespitare possit homo fragilis; magnâ in puniendo utitur patientiâ ac mansuetudine: quod etiam naturali æquitati est consentaneum.

Quemadmodum igitur Christus cum peccatoribus, ut ostendimus, non illico procedit secundum juris rigidi acrimoniam, quin, si veram agant pœniten-

nitentiam, vitamque mutent in melius, peccata ipsis etiam in totum condonat, id est, à pœnis, quas meriti erant, immunes facit: Ita etiam Christiana Ecclesia, quæ Christi locum hic in terris tenet, obstricta est ei, quem per excommunicationem judicio Christi tradiderat, quemque Christus tamdiu vivere passus est, ut vitam suam emendaret, remittere peccatum, eumque rursus in suum consortium suscipere, id est, eum à commerita pœna in nomine Christi absolvere ac liberum pronunciare, ubi is sufficientia dederit veræ pœnitentiæ atque emendationis suæ specimina. De tali peccatore, qui per veram pœnitentiam ad Deum convertitur, ait Christus, gaudium esse super illo in cœlis Luc. 15. 7. Hoc enim est unum ex essentialibus ac præcipuis Capitibus Novi Fœderis, sanguine Filii Dei confirmati, quod etiam illa peccata, quæ sub Lege Mosis citra misericordiam puniebantur, hic per resipiscentiam sinceram possint elui, peccatorque in gratiam recipi queat.

Cum hac autem remissione peccatorum, quam Ecclesia Christi tenetur annunciare omnibus resipiscentibus, adversa fronte pugnant omnes illæ corporales pœnæ, quæ delinquentibus tempus ad resipiscendum præcidunt, adeoque eum non solum temporali, sed & æternâ vitâ privant. Ex quo sequitur, eas in Regno Christi nullum posse habere locum. Ita si Lex Mosis, mortem commeritis veniam indulsisset sub conditione resipiscentiæ obtinendam, idque generali ac perpetuo statuto sanxisset, judex neminem facinorosum potuisset damnare morte, sed resipiscentiam eorum expectare debuisset. Quando vero in Regno Christi ejusmodi facinorosus resipiscit ac vere convertitur, tum ipsi vi Novi Fœderis revera sunt peccata à Christo remissa. Quis igitur hominum damnabit eum, quem Christus absolvit? quis occidet eum, pro quo Christus mortuus est? Præterea cum is ipse, qui talis sanguinarius Judex in Regno Christi esse vult, sit quoque membrum ecclesiæ Christi, necesse est, ut quando Ecclesia peccatorem à peccati reatu ac pœna absolvit, ipse etiam idem faciat, quod reliqui. Quomodo igitur poterit eundem postea extra Ecclesiam ad mortem condemnare? In Ecclesia remittit ei pœnam; extra Ecclesiam non remittit, sed eripit ei vitam, quam ei jam antea donaverat. Quid solatii igitur habet peccator pœnitentiam agens ex remissione peccatorum suorum, quæ ipsi in Ecclesia annunciatur, si nihilominus mori cogitur, æque ac si nullam egisset pœnitentiam? Dicet forte quispiam, in Ecclesia tantum remissionem æternarum, non autem temporalium pœnarum remissionem annunciari. Sed quomodo potest Ecclesia homini resipiscenti imperfectam remissionem peccatorum annunciare, quæ ipsi à Christo perfecte remissa sunt? Aut quomodo probabitur, Christum peccatori tantum æternam, & non etiam temporalem pœnam remittere velle? Quid differt hac in parte Novum Fœdus gratiæ à rigore Veteris Fœderis? Si ex. gr. homicida aliquis ad Christum vel Apostolorum aliquem venisset, seriam agens peccatorum suorum pœnitentiam: an illi Christus remissionem ejusmodi peccatorum annunciasset, quod liber quidem à morte sempiterna futurus sit, mors autem temporalis, quam secundum legem commeruit, ipsi remitti non possit? Annon omnes illi, qui ad Christum conversi sunt, ab omnibus tam temporalibus, quam æternis pœnis absoluti sunt? Uti inter alia exemplum ejus rei habemus in illa muliere, quæ in adulterio deprehensa est, & ex legis præscripto lapidibus obrui debebat: Christus autem eam nequaquam damnavit, sed admonitis de propria fragilitate ipsius accusatoribus, quod nemo expers criminis esset, eam absolvit. Pari modo igitur, quando extraneus, seu qui extra Ecclesiam est, hodie ad Christum se convertit, atque ab Ecclesia pro membro suscipitur, omnia ipsius præterita peccata adeo ei condonantur, ut etiam pœna mortis, si forte ejus se reum antea fecit, ipsi remittatur: sicut modo Christum & Apostolos fecisse intelleximus. Quanto magis vero is, qui jam est membrum Ecclesiæ Christi, si aliquo casu in delictum mortiferum incidat, ab omnibus pœnis liber ac immunis pronunciari atque reipsa fieri debet, si sincera ductus peccati pœnitentia rursus resurgat? Eccur talis hac in parte minus gratiæ Novi Fœderis debeat experiri, quam extraneus, quam Judæus, aut Ethnicus?

Amplius, si Christus voluisset, ut facinorosi etiam corporalibus suppliciis, ad modum Mosaicarum aut aliarum politicarum legum, plecterentur, necessario debuisset ejusmodi jura ac leges, secundum quas quodlibet delictum puniendum sit, clare & aperte præscribere: ut essent judicibus pro norma ac regula, in judicando, ne cubi limites æquitatis Christianæ transilirent. Jam vero nec Christus, nec Apostoli talia usquam docuerunt: quocirca pœnæ ejusmodi corporales in Regno Christi neutiquam sunt exercendæ. Nam si quis dicat, delicta esse juxta Mosaica jura punienda, ei incumbit hujus dicti probatio. Ut enim taceam, hac ratione secuturum, etiam Sabbati, & aliarum ejusmodi legum Mosaicarum transgressores morte afficiendos esse; in confesso est, totam legem Ceremonialem Mosaicam sub Novo Fœdere esse sublatam. Qui ergo asserit, leges judiciales de pœnis ac suppliciis adhuc vigorem suum ac robur retinere, ei non sufficit id dicere nude ac simpliciter, sed id probare tenetur.

Posset vero quispiam objicere, leges illas Mosaicas, quæ ex jure naturæ desumptæ sunt, abrogatas haud esse, sed manere immutabiles in æternum; quod etiam nos ipsi ad Matth. 5. 17. pluribus demonstravimus. Atqui juri naturæ admodum est consentaneum, ut facinora puniantur; sequitur proinde legem Mosaicam de pœnis improborum minime esse sublatam. Verum hic primum sciendum est, jus naturæ de puniendis improbis per doctrinam Novi Fœderis adeo non tolli, neque abrogari, ut id potius intensum & ad summam perfectionem adductum sit. Tantum enim abest, ut in Regno Christi improbitas maneat impunita, ut etiam talia peccata, quibus in lege Mosis nulla prorsus pœna erat posita, pari supplicio cum homicidio, cum blasphemia divini nominis, cum idololatria, cum adulterio afficiantur: id quod supra ex Matth. 5. 22. 28 deduximus. Tantum de eo est quæstio: A quo pœnæ istæ inferendæ sint? à Christo, tanquam supremo judice, an ab hominibus? Res autem hic facilis est intellectu:

intellectu: cum pœnæ Regni Christi ejus sint generis ac naturæ, ut eas infligere hominibus partim impossibile sit, partim non conveniat: ut supra jam ostendimus. Unde sequitur, soli Christo irrogationem istarum pœnarum competere: atque adeo in superiori objectione, ex eo, quod jure naturæ delicta puniri debeant, perperam inferri, ea ab hominibus, & quidem secundum Mosaica jura punienda esse. Secundo liberum est Deo, supremo Legislatori, pœnas mitigare, aut etiam in certis delictis eas condonare, aut certis delictis nullas pœnas constituere: quando nimirum ætas aut vires hominum, vel etiam alicujus populi, non permittunt nimium rigorem adhiberi, sed in multis peccatis conniventiam suadet, quali erga liberos immaturos uti solemus. Congruit enim id naturali æquitati, ut & sapientiæ, ut humanæ infirmitati aliquid indulgeatur: quemadmodum etiam contra naturali sapientiæ consentaneum, æquitatique adversum non est, ut contumaces & improbi, qui lenibus modis se regi non patiuntur, sed sunt sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, ut freno & capistro indigeant, severioribus mediis in officio contineantur, enormiaque ex mera malitia profecta scelera gravioribus suppliciis coërceantur. Hinc factum est, ut sub Veteri Fœdere in flagitia destinato animo commissa absque misericordia animadverteretur: quia populus ille naturâ contumax ac duræ cervicis (quo epitheto eum Sacra Scriptura hinc inde ornat) lenitate & indulgentia semper factus fuisset deterior. Ut autem sub tempus adventûs Christi humanum genus ad virilem quasi ac maturam ætatem pervenit, cui ætati etiam minora delicta non facile condonantur, constitutæ sunt in Regno Christi partim graves pœnæ talibus delictis, partim remissio gratiosa iisdem est proposita, si vera pœnitentia consequatur. Quæ ratio cum peccatoribus agendi summe convenit cum naturali æquitate. Misericordia enim non minus, quam aliæ virtutes, habet suum in natura fundamentum. Nulla quippe est talis in Deo justitia, quæ eum necessario cogat, delicta etiam in resipiscentibus punire. Qui enim id de Deo credunt & asserunt, eripiunt Deo unum ex præstantissimis ejus attributis, id est, misericordiam, quæ in eo consistit, ne jus, quod quis ad puniendum habet, rigide exerceatur, sed ut merita pœna ultro remittatur. Misericordia autem in neminem laudabilius & sapientius exercetur, quam in eum, qui per animi contritionem ac compunctionem se ipsum quodammodo punit, & post lapsum per pœnitentiam resurgit. Ut Deus scelera impœnitentium etiam impune abire sinat, id repugnaret ipsius sanctitati; quia videretur quodammodo vitiis ac sceleribus delectari: at gratiam ac veniam exhibere resipiscentibus, insignis virtus est, &, ut dictum, etiam naturæ consentanea. Ex quo jam perspicue patet, eo ipso, dum corporales pœnæ peccatorum non ab hominibus irrogantur, sed Christo sapientissimo Regi irrogandæ relinquuntur, jus naturæ modo perfectissimo observari: cum is tanquam scrutator cordium ac renum, qui uniuscujusque hominis naturam, & statum, & infirmitatem, & vires, uniuscujusque etiam delicti gravitatem, exactissime perspectam habet, in puniendo severitatem cum misericordia adeo novit conjungere atque temperare, ut omnes hominum linguæ causam habeant laudes ejus prædicandi, nemo habeat ullam causam vel minimam de injustitia conquerendi.

Jam oportet ut etiam distinctionem illam, inter statum spiritualem & mundanum, seu inter sacrum & profanum, quæ hic vulgo adhiberi solet, examinemus. Cum enim absurdum videatur, imo contradictionem implicans, ut Judex, qui est membrum Ecclesiæ Christi, peccatori resipiscenti in Ecclesia peccatum remittat, & tamen eum extra Ecclesiam pœnis subjiciat, id est, peccatum non remittat: idcirco hoc effugium afferri solet, quod Judex peccatori resipiscenti peccatum remittat quatenus est Christianus, seu membrum Ecclesiæ, pœnam autem irrogare eidem cogatur, quatenus est Judex & membrum Reipublicæ. Verum hæc distinctio difficultatem non tollit. Si enim Judici, quatenus est membrum Ecclesiæ, integrum non est hominem pœnitentiam agentem ad pœnas condemnare, sed tenetur ei remittere peccatum, sequitur necessario, eum quatenus Judex est, atque adeo peccatum remittere nequit, non posse esse Christianum, seu membrum Ecclesiæ. Cum enim remittere & non remittere è diametro pugnantia sint, necesse est, ut etiam Christianum esse & Judicem Politicum esse, inter se pugnent, neque in unam personam cadere queant. Quod adeo Sole meridiano clarius est, ut ne unicum quidem exemplum in contrarium produci possit. Ponamus, Christiano non esse licitum arma noxia conficere, manifestum sane est, armorum ejusmodi opificem, quatenus arma talia parat, Christianum esse non posse; eumque hac distinctione non fore excusatum, quod arma ista paret, non quatenus Christianus est, sed quatenus est opifex. Ita cum Christiano interdictum sit choreas ducere, nihil eum juvabit hæc distinctiuncula, si dicat, se non quatenus Christianus est, saltare, sed quatenus est sponsus. Item si Christiano illicitum sit splendidioribus, quam honestas postulat, uti vestibus, distinctio ista nihil valebit, quod is iis utatur non quatenus Christianus est, sed quatenus est nobilis. Item si quis illatam sibi contumeliam ulciscatur, non poterit hac ratione excusari, quod ultionem persequatur non quatenus est Christianus, sed quatenus est in statu politico equestri, cui tales contumelias pati non conveniat. Quare ad eundem modum, si Christiano permissum non sit resipiscentem pœnis corporis afficere, non erit etiam eidem permissum, quatenus Judex est, pœnas istas irrogare. Potest quidem Christianus etiam alios status gerere; ut in exemplo, potest esse sutor, vel sartor: certumque est, eum calceos vel vestes non conficere, quatenus Christianus est, sed quatenus est sutor, vel sartor. At si vetitum sit Christiano certa genera calceorum vel vestium parare, clarum est, eum illa etiam quatenus sutor vel sartor est, parare non debere, si Christianus esse velit. Est proinde hæc distinctio inter statum spiritualem ac mundanum seu politicum, hoc loco inane effugium: cum duplex iste status non duos, sed unum tantum populum Christianum faciat, è quo quilibet, cujus-

cunque status ac conditionis sit, legibus Christi obstrictus est, ita, ut quod uni mandatum aut interdictum est, id etiam alteri mandatum aut interdictum sit. Sic etiam sub Veteri Fœdere nullum discrimen, quoad jura ac judicia, fuit inter Sacerdotes ac Levitas, qui statum spiritualem seu sacrum constituebant, & inter alios Judices: utrique tenebantur jus secundum Legem dicere, neque fas erat Levitis aliquem à pœna absolvere, etiamsi perfectam egisset pœnitentiam, qui capital secundum Legem admiserat. Et contra qui non damnabatur à Levitis, quia nimirum Lex ipsa eum non condemnabat, is nec aliorum Judicum judiciis erat obnoxius. Hoc liquido cernitur ex Ezech. 44. 23, 24, ubi Deus officia Sacerdotum & Levitarum recensens, inter alia dicit: *Docebunt populum meum discrimen inter sanctum & profanum, & inter mundum ac immundum. Et cum fuerit controversia, insistent juri, & secundum judicia mea decernent, legesque meas & statuta mea observabunt.* Similiter etiam Christianus populus est unus tantum, novus ac spiritualis populus, æqualibus legibus devinctus. Discrimen sacri & politici status consistit tantum in diversis muniis ac functionibus, non in ullis legibus aut juribus. Hinc Petrus Apostolus fideles vocat Regale sacerdotium 1 Petr. 2. 9, quia nimirum à Christianis omnibus ea spirituali modo peraguntur & administrantur, quæ olim per diversos status & officia Regum atque Sacerdotum fuerunt adumbrata.

Quæ hic objici solent de Patribusfamilias, qui domi suæ alias pœnas, præter spirituales, in coërcendis liberis suis adhibere coguntur, de iis infra Cap. 7. erit commodior agendi locus.

CAPUT V.

De vero ac genuino sensu præceptorum Christi in genere, eum ex exemplo Christi certissime sumi posse.

NUnc tempus est, ut agamus de illis Christi legibus, quæ nomine Præceptorum ac Interdictorum comprehenduntur, in quibus Christus præscripsit, quomodo se quisque in vita & actionibus suis gerere debeat. Antequam autem ad earum consideationem in specie descendamus, in genere nonnihil nobis de vero sensu præceptorum Christi dicendum est: nempe unde ille sumendus sit, seu quænam sit norma ac regula, quæ nobis verum sensum eorum certo ac infallibiliter monstrare queat.

Omnis Legislator solet id spectare in legibus, quas populo suo præfigit, ut sint claræ & intellectu faciles, ne à malitiosis hominibus facile queant in alium sensum, quam ipse vult, detorqueri: præsertim in ejusmodi legibus, quas etiam post obitum suum apud posteros vult ratas esse & firmiter ac inviolate servari. Quamdiu enim Legislator ipse in vivis est, potest ipse facile sua decisione omnem, si quæ incidat, dubitationem tollere, ut qui optime, quid sibi velit, intelligat: at post fata ejus obscuræ & ambiguæ leges ansam præbent litium multarum ac controversiarum, & consequenter plurimarum turbarum ac dissidiorum in populo. Quis autem dubitet, quin sapientissimus & benignissimus Legislator, Christus Jesus, qui bonum populi sui ex animo quærit, præcepta sua clarissime & apertissime proposuerit, ut ab unoquoque, qui modo velit, intelligi possint: præsertim cum eorum transgressoribus gravissimam pœnam æternæ damnationis interminatus sit. Punire enim eum, qui non facit, quod non intelligit, est contra omnem justitiam. Cæterum clarus sensus in genere loquendo is est, quem vel clara litera, uti sonat, unicuique legenti vel audienti, absque profunda ratiocinatione, primâ statim fronte monstrat, vel quem homo ratione præditus, per facilem, obviam, claram, & in naturali rationis lumine fundatam consequentiam, vel ex litera ipsa, vel ex locis parallelis, vel ex irrefragabilibus exemplis sumere potest.

Jam quæritur, cum leges Christi sint tam claræ ac perspicuæ, ut etiam rudissimus ac simplicissimus quisque earum sensum percipere queat, quî fiat, quod non nostris solum temporibus, sed jam à multis seculis, acerrimæ agitentur controversiæ de præcipuis Christi præceptis: (nam de aliis rebus controversis non est nunc dicendi locus) ut de humilitate, patientia, charitate & similibus, quæ sunt quasi bases Regni Christi ac Christianæ Religionis? Ad quam quæstionem responderi potest, quod de legibus Regni Christi idem sit dicendum, quod Paulus Apostolus affirmavit de Lege Mosis Rom. 7. 14. *Lex est spiritualis, sed ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* Sic loquitur Apostolus per prosopopœiam sub persona sua de iis, qui adhuc sub Lege sunt, & non sub gratia. Quemadmodum enim res duæ sunt in homine, intellectus, per quem ab aliis animantibus discretus, ac verus homo est, & caro, ac sensus externi, quos cum brutis habet communes: ita etiam duplex est sapientia, quam homines sectantur, & pro suorum operum fundamento ponunt. Vera sapientia, quæ in Euangelio Christi modo perfectissimo docetur, in naturali autem ratione hominis fundatur, ab hominibus, pro clara luce intellectûs sui eam considerantibus, facile potest intelligi & pro vera ac divina agnosci; cum hominibus monstret bonum verissimum ac immutabile, simulque & media id consequendi talia, quæ homo vi intellectûs sui protinus agnoscit esse sancta, æqua, & naturæ rei consentanea. Deinde est etiam falsa sapientia atque carnalis, quæ ortum ducit à cupiditatibus, quas sensus externi excitant; hæc docet hominem modos adipiscendi bona falsa & instabilia, quæ carni grata sunt; qualia sunt bona hujus mundi & commoda corporis. Homo proinde, qui veræ sapientiæ studiosus est, seu, qui bonum summum, in quo animus stabilem requiem suam invenire potest, unice quærit, atque id quod ad bonum istud consequendum requiritur, claro lumine intellectus sui, remoto omni carnali respectu, considerat, actionesque suas ad hanc normam instituit, is est *spiritualis.* Et prout ille aptus est ad veram sapientiam discendam, ita ipsi quoque leges Christi, quæ fundamentum suum habent in vera sapientia & naturali ratione humana, sunt claræ atque apertæ. Intelligit enim, eas omni ex parte cum eo, quod lumen naturale dictat, consentire, & cum ipsa re congruere. Illi autem, qui carnali sapientiæ vel

penitus addicti sunt, vel eam cum vera sapientia conciliare satagunt (quales hodie sunt plerique Christianorum) id est, qui præter verum ac inconspicuum bonum, etiam bona conspicua, corporis quietem, ac jucunditatem quærunt, sunt eatenus homines carnales, quatenus dant apud se locum carnali sapientiæ. Hi igitur, quia præcepta Christi non intuentur puris mentis oculis, neque secundum fundamentales regulas seu principia veræ sapientiæ, quæ dictat sana ratio, perpendunt; mirum non est, quod nix, quam omnes sani oculi albam esse agnoscunt, ab illis pro alba non habeatur, qui per vitrum viride aut alio colore tinctum eam intuentur. Præcepta Regni Christi ita sunt comparata, ut vere sapientibus ac spiritualibus hominibus facilia sint observatu: uti testatur Johannes 1 Joh. 5. 3,4. *Præcepta ejus gravia non sunt*, inquit; ei scilicet, qui *vincit mundum*, ut ibidem addit: id est, qui mundo & mundanis bonis ac concupiscentiis valedixit, easque imperio intellectûs sui subjecit. Carnali autem homini gravia sunt ac molesta; quia per ea carnali quiete, quam quærit unice, privatur, omnibusque bonis carni jucundis exuitur. Quapropter ut quietem illam tantopere exoptatam nihilominus retineant, cogit eos carnis amor non solum claram literam legum Christi aliquomodo emollire, & sensum aliquem, qui naturæ spiritualis Regni Christi contrarius non sit, comminisci, verum etiam plane in contrarium sensum pervertere ac detorquere: ut quod liceat hostem suum occidere, quem Christus jubet diligere eique benefacere; quod liceat dominari iis, qui debent esse omnium ministri; quod fas sit ultionem persequi, ubi ultio Deo committenda est; quod integrum sit se supra alios extollere, iis, qui se infra alios debent demittere. Illud enim coloratum mundanæ sapientiæ vitrum, per quod leges Christi intuentur, facit, ut eis res aliter, quam est, appareat. Caro, quæ fundamenti loco substernitur, hoc omnino postulat, ut lapides, qui huic fundamento superstruendi sunt, hoc modo exascientur, & in hanc formam redigantur. Atque hi sunt illi *animales homines, qui non capiunt ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim ipsis sunt, & non possunt ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur* 1 Cor. 2. 14. Et quamdiu homines, sepotito claro rationis lumine, his mundanæ sapientiæ laqueis constricti tenentur, tamdiu Spiritus Dei qui in sanctissimis legibus Christi inclusus latet, ab eis cognosci, visque ejus & natura intelligi nequit. Peræque olim Judaico populo obstitit ac obfuit carnalis ipsorum sapientia, quâ sibi terrenum Regnum Messiæ imaginabantur, ut virtutem divinam in Christo non agnoscerent, neque cœlestem ipsius doctrinam amplecterentur.

Quid vero consilii capiendum? quid faciendum in re tam perplexa? Quis hunc spiritum mundi & carnis eximet animis hominum, qui sibi persuadent, eum spiritui Dei non esse contrarium: quia sit spiritus naturæ, quæ etiam à Deo est, quamque Christus legibus suis non sustulit, sed potius confirmavit? Sane ita est, Christum naturam non sustulisse, seu ea, quæ naturalis humanæ rationis lux monstrat bona esse atque ab hominibus facienda. At spiritus falsæ sapientiæ non est spiritus humanæ naturæ, per quam homo est homo, sed brutæ naturæ, quam homo, quatenus caro est, cum pecudibus communem habet. Christus legibus suis extollit & perficit non brutam naturam, sed humanam ac rationalem naturam ad veram perfectionem adducere conatur, ad quam homo ab ipsa creatione sua destinatus est. Propterea talia præcepta ac leges tradidit, talemque exigit obedientiam, quam non caro, sed ratio dictat, esse veræ sapientiæ consentaneam.

Quare fundamentum, ad rectum ac genuinum sensum legum Christi indagandum & inveniendum, est lumen rationis humanæ, in quo illæ fundatæ sunt. Nam ut postea in explicatione legum Christi specialium ostendetur, nihil in eis invenire est, quod humana ratio absurdum ac iniquum, & non potius summe sapiens, sanctum, ac justum esse agnoscat. Sed quia ratio naturalis non in omnibus hominibus æque efficax ac perfecta est, & hæc convenientia legum Christi cum lumine rationis, nonnisi ab iis probe potest intelligi, qui in vera sapientia non mediocriter exercitatos sensus habent; ac inprimis, quia spiritus carnalis sapientiæ cum spiritu veræ sapientiæ ita commixtus est, & ita se passim in animos hominum insinuavit, ut etiam à multis piis alioqui ac probis hominibus non facile discerni atque dignosci queat: superest nobis adhuc alia regula atque norma, secundum quam etiam indoctissimi ac simplicissimi de vero sensu legum Christi rectum judicium ferre possint; nimirum sanctissimum ac perfectissimum exemplum Domini nostri Jesu Christi, id est, vita ejus innocentissima, omnisque labis expers, quam duxit in terris. Cui exemplo Christi adjungi potest etiam exemplum vitæ Apostolorum, utpote fidelium Christi imitatorum, quales se esse ipsimet professi sunt. Hæc exempla possunt esse instar perfectissimi Commentarii ac interpretationis legum Christi, ex qua verus ac genuinus sensus earum, ubi quoad literam dubium aliquod inciderit, certo & absque errore peti potest. Sicut enim sapientes magistri in omni arte ac disciplina, quæ per certas regulas docetur, unicuique regulæ statim exemplum unum aut plura subjicere solent; qua ratione id, quod in regulis ipsis, brevibus aut etiam forte obscuris verbis traditum est, declaratur & quasi ad oculum demonstratur: Ita Deus sapientissimus non tantum per præcepta & leges hominibus voluntatem suam revelavit, verum etiam vivum sanctitatis perfectissimæ exemplum in Christo proposuit, &, ut eum sequamur ac imitemur, mandavit. Quæcunque igitur legum Christi interpretatio cum Christi & Apostolorum ejus exemplo haud congruit, & hominibus aliam obedientiæ ac sanctitatis viam monstrat, quam illi calcarunt, illa necessario falsa est, nec ullo pacto recipienda. Ex adverso autem vera est & sensui legum Christi consentanea, aut saltem non repugnans illa interpretatio, quæ homines ad exemplum Christi & Apostolorum remittit, atque eo confirmatur. Atque hoc, quod nullus cordatorum ac piorum hominum in dubium vocare potest, erit nobis pro firmo fundamento eorum, quæ in sequentibus ad illustrationem fundamentalium legum Regni Christi dicemus.

Verum potest adhuc opponi; Christum potuisse suas leges longe clarius & explicatius proposuisse, ut obviam iretur tot disputationibus ac controversiis, quæ circa eas exoriuntur: ut in exemplo, si ea claris & expressis verbis prohibuisset, quæ prohibita esse, demum per ratiocinationem ac consequentiam ex eo, quod præceptum est elici ac deduci oportet. At hoc merum tantum est effugium carnis, non sanæ rationis. Quis enim hominum tam stupidus est & hebes, qui non facile & absque altiori indagine intelligat, quando ipsi aliquid præcipitur, simul quoque ei prohiberi contrarium? Quis non intelligat, sibi prohiberi, ne abeat ab aliquo loco, quando ei præcipitur, ut in eo maneat? prohiberi sibi, ne edat & bibat, quando imperatur, ut jejunet? prohiberi, ne dormiat, quando mandatur, ut vigilet? Sic igitur etiam quis sanæ mentis homo, non statim, & absque omni rationis suæ contradictione, capiat, prohiberi à Christo, ne hostes suos occidat, quando præcipit, ut eos diligat, eisque benefaciat? prohiberi, ne dominetur, quando expresse imperatur, ut se omnium hominum subditum faciat? Quod ergo hic carnalis sapientia effugia tantum quærat, quodque id mordicus evincere conetur, quod expressis verbis prohibitum esse negat, ideoque manifestam vim verbis legum Christi adferat; inde non sequitur, leges Christi esse obscuras aut imperfectas: cum illæ rationalibus hominibus, qui secundum sani intellectûs lumen judicant, præscriptæ sint; sed homines carnales ipsi nebulas oculis suis offundunt, ut lucem videre nequeant. Insuper sapientiæ divinæ Christi conveniens fuit, ut leges suas brevibus, sed emphaticis & plenis sapientiæ verbis proponeret, nec omnes circumstantias & casus, qui incidere possent, determinaret: nempe ne animis hominum vim faceret, eosque quodammodo ad obsequium cogeret, sed ut aliquid etiam eorum industriæ, meditationi atque exercitationi relinqueret. Cogerentur sane homines vi quasi ad obsequium Christi, si leges ejus omnes, in specie, verbis expressis & evidentibus, omnibusque cum circumstantiis, nec non cum declaratione casuum intercurrentium, & occupatione objectionum, quæ à carnalibus contra afferri possent, descriptæ essent; adeoque hominibus omnia effugia penitus fuissent ademta. Itaque Christo placuit ita suas leges concipere, ut simul patere possit, quinam sint illi altæ ac generosæ indolis homines, qui vulgari pietate non contenti, tanquam divini heroes, ad summum honoris apicem, quo eos Christus aliquando coronabit, contendunt, adeo, ut propterea temporalis atque carnalis quietis suæ bonorumque hujus vitæ jacturam facere non detrectent. In eo enim consistit magnanimitas & heroica virtus, si quis præsentia minora bona spernat, ut majora ac perfectiora consequatur; etsi non usque quaque certus sit, conatibus suis responsurum esse eventum: sicut videmus generosos milites, ut summam fortitudinis laudem obtineant, sese in præsentissimum conjicere discrimen, quamvis non semper propositum sibi finem assequantur, sed in medio conatu eos vita destituat. Vilis autem & ignobilis eorum animus est, qui utilitate sua omnia metiuntur, & nullum impendium vel dispendium rerum suarum facere volunt, etsi non prorsus dubia optati eventûs spes ipsis alluceat. Quanto magis inglorii atque indigni illi sunt coram Deo & Christo, qui certo & absque omni dubitatione norunt, beato laboris sui præmio ipsos non iri frustratum, & nihilominus nolunt cum carnalium commoditatum suarum dispendio talem Deo præstare obedientiam, quam saltem externa litera videtur indicare, esse voluntati ac legibus Christi consentaneam, quæque aperte & sine omni controversia cum exemplo Christi & Apostolorum congruit.

Hæc hactenus de legibus Christi in genere dicta sunto: expendenda nunc nobis erunt in specie fundamentalia Regni Christi præcepta.

CAPUT VI.

De perfecta fiducia in Deum & Christum: deque obedientia in genere.

QUicquid Christus à populo Regni sui, seu à subditis suis requirit, id totum uno vocabulo *Fidei* complectitur Sacra Scriptura Joh. 3. 16. Fides autem duas habet partes primarias: una est fiducia in Deum per Christum inque promissiones ejus collocata; altera, obedientia ac observatio præceptorum ejus.

Debere nos perfecte confidere Christo, & Deo per illum, in omnibus iis, quæ nobis promisit Dei nomine, apud omnes Christianos est extra controversiam. Qui autem non bene intelligit, quam late se extendant promissa Christi, & quæ sint eis adjunctæ conditiones, is etiam non intelliget, quomodo fiduciam suam in Christum collocare debeat. Promissa vero spectant partim futuram vitam, partim præsentem. Promissio futuræ vitæ est beata immortalitas; sed hæc nobis sub conditione sinceræ ac filialis obedientiæ proposita est.

Promissiones vitæ temporariæ (inter alias plures, de quibus hic agere non est nostri instituti) sunt duæ. Prima est, provida cura ac prospectio de omnibus rebus ad vitam nostram sustentandam necessariis, quas Apostolus Paulus comprehendit vocibus *alimenti & tegumenti* 1 Tim. 6. 8, quarum rerum penuriâ Christus neminem fidelium suorum laborare unquam patitur. At huic promissioni annexa est conditio, ut laboremus ipsi propriis manibus; quod si faciat quisque pro virili, in suo statu ac vocatione, certum est, Christum ita laborem ejus benedicturum, ut illi defectus atque inopia rerum necessariarum nunquam sit pertimescenda. Altera promissio hujus vitæ temporalis est protectio ac defensio tum adversus omnes nostros hostes, tum adversus casus omnes ac infortunia, quibus mortalis hæc vita nostra est obnoxia. Quæ promissio tam late extenditur, ut ne capillus quidem capitis nostri absque scitu ac voluntate Dei in terram cadere possit. Matth. 10. 30. Luc. 21. 18. Huic promissioni nulla quidem annexa est conditio, sed quia Christiana religio non brutis animantibus, sed hominibus rationalibus præscripta est, ipsa ratio dictat, in hac promissione subintelligi omnino conditionem prudentiæ, ut simus cauti ac circumspecti, ne si periculum

culum aliquod sive à malis hominibus, sive ab aliquo casu immineat, petulanter & absque gravissima causa in illud præcipitemus, sed potius ei cedamus, aut aliis modis cum lenitate, modestia ac ratione conjunctis, id avertere studeamus. Quodsi quod nostri est officii, quantum in nobis est, faciamus, possumus absque solicitudine ac timore vitam nostram agere, securi de præsidio ac tutela clementissimi Regis ac Domini nostri Jesu Christi.

Quemadmodum vero promissa, quæ nobis Deus per Christum fecit, ex animo paterno ac sincero profecta sunt: ita nostra vicissim fiducia erga ipsum debet ex animo filiali ac non fucato proficisci. Christus est quidem Rex noster, sed simul etiam, uti merito omnes Reges esse deberent, Pater noster & fidelis Pastor. Promissiones quidem ejus sunt certis conditionibus limitatæ, sed ita tamen, ut conditiones istas non nimis rigide exigat, si forte aliquid ignorantiæ aut infirmitatis tum judicii tum corporis interveniat. Promissio vitæ æternæ requirit quidem observationem mandatorum ejus: sed cum sciat, quam fragilia vasa simus, circumdata carne & sanguine variisque imbecillitatibus, non vult etiam quotidianos lapsus nostros exquisite ad calculos revocare, eosque nobis imputare, dummodo cor rectum & integrum in nobis maneat, & vera pœnitentia cum certo proposito emendandæ vitæ lapsus nostros, quorum nobis conscii sumus, consequatur. Ita requirit quoque divina providentia de necessariis corpori nostro, manuum nostrarum laborem; sed non instar tyranni alicujus Pharaonis, vel quomodo durus aliquis paterfamilias à mancipiis suis exigit, ut ad sudorem ac lassitudinem usque laborent, si velint pane satiari: verum tanquam pater à suis liberis laborem postulat, quibus ille non scrupulose demensum dat aut cibaria pro ratione laboris admetitur, sed sæpe etiam dormientibus necessaria largitur. Requirit autem laborem ideo, tum ne otia dent vitia, tum ut in nostris laboribus discamus paternam ejus benedictionem agnoscere, quæ si non adesset, sæpenumero labor noster irritus ac infructuosus esset. In periculis & aliis casibus exigit quoque nostram providentiam ac circumspectionem: verum ah! si in nobis tantum ac cautione nostrâ res sita esset, millies jam de nobis actum esset. Ut enim omittam pericula à tot millibus malignorum spirituum, quorum potentiæ ac fraudibus ne totius quidem mundi sapientia potest resistere; etiam alia infortunia ac mala, quæ vel per improbos ac malevolos homines, vel per alios casus possunt in caput nostrum devolvi, ita sunt comparata, ut nisi Christus Rex noster nos tutaretur, parum proficeret & nos juvaret nostra industria. Multos casus non animadvertimus, antequam eveniant, ita ut nullâ prudentiâ eos præcavere queamus: & ubi inciderint, non sunt nobis vires & rationes, ut eos avertamus atque amoliamur. In multis casibus etiam non minores errores prudentiæ adversos committimus, quam in obedientia, quam promissio vitæ æternæ à nobis exigit. Quæ omnia si consideremus, &, si eam de Christo opinionem foveremus, eum nimis stricte & rigide urgere istas conditiones, quas promissionibus suis adjunxit, profecto debilis foret admodum & languida fiducia nostra, atque cum assiduo metu, anxietate ac solicitudine conjuncta. Sed quia scimus, eum esse Patrem nostrum immensæ misericordiæ, facimus, quantum in nobis est, & quod reliquum est, divinæ ejus gratiæ ac providentiæ committimus, filiali animo confisi, eum tam in maximis, in quibus vertitur cardo salutis nostræ, quam in minimis, quæ ad corporis nostri ac præsentis vitæ conservationem pertinent, non omnia ad vivum esse resecaturum, neque passurum, ut lapsus nostri aut errata in nostrum vertantur exitium. Ita vivimus animo tranquillo, hilares, ac securi inter innumerabiles copias casuum ac discriminum, discutimusque navicula simplicis fiduciæ nostræ, omnes fluctus timoris ac solicitarum cogitationum, quibus alii, qui plurimum suæ prudentiæ, dexteritati ac viribus tribuunt, non raro obruuntur ac submerguntur. Nimirum hæc est illa insignis felicitas, quam nobis Regnum Christi adhuc in hac vita largitur, quod animum habeamus quietum & tranquillum; quam tranquillitatem uti nullæ carnales cupiditates, ita etiam nulli casus adversi in hoc mundo turbare, nobisque excutere valent: ut qui sciamus, etiam capillos capitis nostri esse numeratos, adeoque omnes casus & mala, quæ accidunt, ex Patris nostri cœlestis voluntate accidere, inque bonum nostrum verti, in quem finem etiam id, quod per nostram imprudentiam vel negligentiam committitur, tandem converti necesse est; cum Deus aliquando nos labi ac errare sinat, ut imposterum simus cautiores in similibus casibus, aut ut alii homines majorem utilitatem capiant ex nostro errore, quam est damnum, quod incurrimus.

Hanc tantam animi nostri tranquillitatem, quam ex filiali in Christum fiducia percipimus, variis modis convellit & labefactat carnalis sapientia, non quidem omni ex parte, sed tantum in eo, quod corporis defensionem ac conservationem attinet. Nam in promissione vitæ æternæ, carnalis sapientia conditionem obedientiæ non adeo stricte observat, sed etiamsi limites humanæ fragilitatis longe excedantur & multa enormia peccata contra conscientiam admittantur, fiduciam tamen suam carnales isti homines tam firmiter in Christo collocant, ut de sua salute nunquam addubitent. Verum quod spectat temporalem hanc vitam, in ea sunt homines isti opinione, quod nisi dies & noctes manibus ac pedibus laborarent, ac rerum suarum satagerent, nisi omnes animi ac corporis vires intenderent, & quidem sæpissime cum neglectu earum rerum, quibus animæ ipsorum ad spem vitæ æternæ erigi ac refici possunt, Christus Rex eorum ipsos desereret ac pateretur ipsos egestate perire. Quasi vero ille, qui alites cœli, qui neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, qui corvorum pullos ad se clamantes tam liberaliter ac ultro pascit, à suis liberis tam anxium & pene sanguineum sudorem postulet! Itaque tanta istorum hominum solicitudo est certissimum signum, eos carere filiali in Christum, tanquam Patrem suum, fiducia; imo signum est tacitæ eorum diffidentiæ ac incredulitatis, tametsi tales homines fidem crepent & in ore semper habeant.

Quod attinet varios casus & discrimina, quæ in hac vita nobis possunt accidere, certum est, mundanam

danam sapientiam nobis è manibus excutere anchoram fiduciæ nostræ, quam in Christo figimus, & loco quietis ac securitatis, animos nostros perpetuo terrore ac timore implet; dum nobis talia adversus casus istos monstrat remedia, quæ non tantum incerta sunt, sed etiam nos sæpe in illud ipsum exitium præcipitant, cui facilius occurrissemus, si iis non fuissemus usi. Verum de eo postea dicemus amplius in Cap. de Patientia.

Ut vero etiam de Obedientia præceptorum Christi aliquid in genere dicamus, observandum est, eam ejusdem naturæ esse cum aliis partibus Regni Christi, nempe spiritualem, non carnalem; spontaneam non coactam; filialem, non servilem. Spiritualis est, quia Christus non tam externa opera, seu laborem, qui corpore perficitur, quam animum ac cor hominis respicit, ex quo de operibus judicat. Illa enim obedientia, quæ animo prompto & ex charitate præstatur, demum est accepta & grata Christo. Quicquid autem fit animo reluctante atque ex coactione, vel ex servili formidine pœnæ, id in Regno Christi pro obedientia non habetur. Dico *ex servili formidine*: Alia enim est formido filialis, quæ cum amore ita conjuncta est, ut ab ea nunquam separetur. Adeo ut vera obedientia Christiana partim ex amore erga Christum, quem in nobis amor ipsius excitat, partim ex timore, ne ipsum aliqua in re offendamus, ac proin gratia ejus excidamus, & præmium obedientiæ nostræ amplissimum amittamus, profluat. Qui timor Christo placet & acceptus est; quia est signum reverentiæ erga ipsius Majestatem. Servi autem ac mancipia expertes sunt amoris erga suos dominos: non expendunt enim unquam amorem dominorum erga se, sed tantum in oculis suis habent perpetuo mercedem, vel plagas sibi destinatas; ideoque non sponte, sed coacte faciunt officium, ex mero timore, absque amore. Sub lege non exigebatur talis spiritualis obedientia. Licet enim omnes prudentes legislatores, etiam qui ex hominibus sunt, id intendant, ut leges eorum ac mandata animo prompto ac spontaneo observentur, præsertim si pateat, nihil iniqui in eis contineri, imo potius ad bonum populi ea spectare; tamen ista animi promptitudo expressis verbis non exigitur, multo minus cum comminatione pœnæ imperatur. Quocirca Judaicus populus legi Mosis satisfaciebat, quando laborem suum corpore præstabat, etiamsi id animo alacri & ex charitate erga Deum non fieret. Hinc obedientia legalis merito tantum carnalis obedientia dicitur, quia ad eam sufficiebat tantum carnis seu corporis labor. At in Regno Christi obedientia non ex labore corporis, sed ex animo æstimatur. Fieri enim potest, ut quispiam committat malefactum aliquod, sed inscius, id malum esse, imo persuasus, id bonum opus esse, adeoque id faciat ex simplicitate cordis: ei certe id pro peccato non imputatur, dummodo ignorantiæ isti lata culpa seu petulans contumacia adjuncta non sit. E contrario potest alius facere opus bonum, & non ex charitate; cui id bonum non est. Hinc ait Apostolus: *Si insumam alendo pauperes, omnes facultates meas, & si tradam corpus meum, ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* 1 Cor. 13. 3.

Atque hic est ille cultus divinus, de quo vaticinatus est David, ubi de Christo loquitur: *Cum educes copias tuas, populus tuus tibi voluntarias oblationes offeret in sanctis cancellis*, Psal. 110. 3. id est, in cancellis puri ac pleni amoris animi. Et Christus Samaritanam fœminam sic alloquitur: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, Joh. 4. 23. Ubi spiritus carni, & veritas umbris opponitur. Quodque talis obedientia jure ac merito postuletur in Regno Christi, quod summa sapientia nititur, id docet ipsa sana ratio. Inenarrabilis enim Dei charitas, qua factum est, quod homini, nullis ipsius meritis præcedentibus, bonum incomparabile in cœlis reposuerit, habet in homine cordato, qui eam agnoscit ac intelligit, vim animo ejus ingenerandi mutuam ac perfectam erga Deum charitatem. Amor enim parit amorem: quod etiam in brutis feris videmus, quæ redamant homines, à quibus amantur & beneficiis afficiuntur. Charitas autem facit, ut libenter & sponte faciamus ea, quæ ei, quem amamus, grata sunt: sicut etiam eadem charitas facit, ut id quod ex charitate fit, magni æstimemus, neque id computemus, quod non voluntarie, adeoque non malo animo adversus nos committitur. Quanquam etiam æquitati naturali id consentaneum est, ne quod imprudenter & haud maligno animo fit, pro inobedientia imputetur, ac pœnæ subjiciatur. Charitas autem cum integritate animi tam arcto juncta est nexu, ut hæc ab illa divelli nequeat. Charitas enim vera caret hypocrisi ac fuco; hypocrisis autem sinceritati atque integritati animi opponitur.

Charitas proinde & integritas animi est fundamentum veræ obedientiæ, quæ in regno Christi requiritur. Quæ utraque tantam vim habet in homine vere sapiente, ut is semper attentissime respiciat voluntatem Domini sui, non solum promptus & paratus eam exequi, verum etiam cum gaudio ac delectatione etiam exequi. Imo paratus est omnibus horis vitam & sanguinem suum, omniaque quæ possidet, Christi causa profundere, idque non propter solam spem præmii, sed etiam vi charitatis, quæ animo ejus insita est. Ita liberi, quando prompte faciunt ea, quæ ipsis à parentibus præcipiuntur, non id faciunt adeo respectu hæreditatis, de qua ne cogitant quidem tunc temporis, cum de ea semper etiam absque eo securi sint; sed vis filialis charitatis promptam istam obedientiam in eis efficit. Talis integer & vera erga Deum charitate inflammatus animus fuit in Abrahamo, viro invictæ fidei & obedientiæ: idcirco etiam Deo tam carus acceptusque fuit, ut tanquam amicus amico se familiarem fecerit, eumque amicum suum honorificentissimo titulo appellarit. Talem animum & David habuit; quod non ipse solum de se testatur: *Delector facere voluntatem tuam, ô Deus, & lex tua est in visceribus meis* Psal. 40. 9. *Ex toto animo meo quæro te, oblectorque præceptis tuis, quæ diligo*, Psal. 119. 10, 47. Sed à Deo ipso quoque hoc testimonium consecutus est, quod fuerit *vir secundum cor Dei* Actor. 13. 22. Tam sincerus & integer animus oportet quoque insit omnibus subditis Regni Christi. Sicut enim Deus ac Christus sincerus fidelisque est erga homines, ita oportet,

tet, ut etiam homines sincero animo serviant Deo Christoque, qui charitatem ejus cupiunt experiri. Tali integritate ac promptitudine animi illi præditi non sunt, qui obedientiam suam Christo quasi certa mensura admetiuntur, vel quasi statera aurifabri scrupulose nimis appendunt. Nimirum disputant & litigant acriter de obedientia, quousque se extendat? quantum sit omnino faciendum? an etiam Christus hoc vel illud tam stricte exigat? quasi metuendum sit, ne quis nimium sanctus ac pius sit: quasi modus in obedientia excederetur, etiamsi quis ex amore erga Christum & gloriam ejus corpus suum comburi pateretur, omniaque bona sua elargiretur pauperibus: vel quasi homo posset Christo tantam obedientiam præstare, quæ immensum ac inæstimabile præmium vitæ æternæ præponderet. Ita agere solent ignavi servi, qui charitate erga heros suos destituti sunt, ut recusent ea facere officia, quæ putant expressis verbis non contineri pacto, quod cum dominis suis inierunt. Dominus Jesus inquit: *Cum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis; dicite, servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus*, Luc. 17. 10. Id est, nihil fecimus amplius, quam inutiles servi, quando optime se gerunt; sed non gessimus nos, ut filios decet, qui non id tantum spectant, quod ipsis expresse præceptum est à Patre, sed quicquid sciunt ac vident, patri gratum esse posse, tametsi diserte ac nominatim præceptum non sit, libentissimo ac hilari animo præstant.

Hinc etiam intelligi potest, leges Regni Christi quasi in puncto consistere, & sensu perfectissimo accipi debere. Nimirum quicquid Christus à nobis requirit, id requirit in summo gradu & quam perfectissime; prout ipse quoque in vita sua perfectus fuit. Non potest dici, quando ex gr. præcipitur, ut simus modesti, patientes, misericordes, casti, sobrii &c. nihilominus vi ejusmodi præceptorum permitti, ut simus aliquantum superbi, aliquantum impatientes, immisericordes, impuri, ac intemperantes. Absit. Tales leges non essent sapientes, nec decerent ullum sanctum Legislatorem. In Veteri Fœdere quidem, propter populi duritiem, quædam, non satis cum vera sanctitate convenientia, concessa fuêre. At Novi Fœderis alia est ratio. Lex Novi Fœderis est ultima ac novissima, ideoque perfectissima, qua nulla perfectior amplius speranda est. Si autem illa vel minimum aliquid sanctitati adversum concederet, posset adhuc alia perfectior dari, quæ tale nihil permitteret: id autem dicere absurdum est. Et quis etiam hominum possit *parum* istud vel *aliquantum* accurate describere, aut certis limitibus circumscribere, cum limites isti in Lege Christi ipsa expressi non sint; ne parum istud in aliquid magnum excrescat? Eo res deveniret, ut sibi quisque pro arbitrio limites istos poneret, & parum istud definiret, prout carni videretur, cujus vis in uno major est, quam in alio. Et profecto etiam lumen sanæ rationis, quicquid homini dictat bonum ac cum virtute conjunctum esse, id dictat, perfectissima ratione esse præstandum. Imperfectio enim hominum, quæ in exercitio virtutis reperitur, non provenit à ratione, sed ab appetitu, qui rationi subjectus est. Quod autem Christus ad nostræ obedientiæ imperfectionem nihilominus connivere velit, id fit summâ ejus gratiâ ac misericordiâ, non jure ullo, quod nos habeamus, ad leges ejus perfecte non servandum. Omnes leges sunt sacrosanctæ etiam in Ethnicorum Rebuspublicis, & debent æque, ac res sanctissimæ, summa cum reverentia ac diligentia observari; neminique permissum est, eas interpretando vel minima in parte relaxare, aut ab *eis sive in dextram sive in sinistram declinare*: sicut Moses olim de Veteri Lege præcepit Deut. 12. 32. Ludimagister qui pueris literarum elementa tradit, & in scribendo eos exercet, præscribit eis perfectissimam & elegantissimam literarum formam: non de industria ullum vel minimum apicem distortum ac invenustum facit, ut pueri ipsum in scribendo tanto facilius imitari possint; sed vult, ut singuli pro viribus enitantur, quo venustatem & elegantiam à se descripti exemplaris exæquent. Ita etiam in sanctissima Christi lege, ne minima quidem res curva ac distorta invenitur, quæ à perfectione sapientiæ & sanctitatis vel tantillum deflectat.

CAPUT VII.

De Humilitate, in qua vera magnitudo & excellentia populi Christi in terris consistit.

CApite superiori egimus de perfecta fiducia in Christum, & de obedientia in genere: Sequitur, ut nunc de legibus Regni Christi, in quibus obedientia vera consistit, in specie agamus. Non est autem nobis propositum de omnibus præceptis disserere, quæ ad obedientiam pertinent, sed tantum de principalibus præceptis, quæ sunt quasi bases spiritualis Regni Christi: nimirum de humilitate seu modestia, de patientia, & de charitate. Quæ tria præcepta insignia, sapientia hujus mundi non parum obscuravit, & in diversum plane sensum detorsit.

Quod igitur primum humilitatem attinet, eam nobis præscribit Christus Matth. 20. 25, ubi sic affatur suos discipulos: *Scitis, principes gentium in eas dominari, & magnates potestatem exercere in eas. Verum non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus. Sicut Filius hominis non venit, ut ipsi ministretur, sed ut ministret, detque animam suam redemtionis pretium pro multis.* In his verbis Christus discipulos suos edocet virtutem præstantissimam, qua fiat, ut fideles ejus in hoc mundo luceant tanquam clarissima luminaria, imo in qua ipsorum Regia dignitas ac eminentia præ aliis cunctis hominibus consistit: ea vero est humilitas, ut se nimirum inter omnes homines quam maxime demittant, omnibusque ad serviendum ac obediendum parati sint. Etsi vero hæc eximia lex satis per se clara atque evidens est, non solum propter clara & expressa verba, sed etiam propter lucem, quam hæc verba accipiunt ex occasione, quâ invitatus Christus verba hæc protulit: tamen sapientia hujus mundi, quæ secundum carnem vult eminere, invenit aliquid, quo verba hæc obscura atque controversa reddidit. Quare, cum absque recta hujus præclaræ doctrinæ Christi, his

verbis comprehensæ, intelligentiâ natura & indoles Regni Christi exacte cognosci nequeat, postulat omnino hic locus, ut eum aliquanto copiosius explanemus, & quidem ita, ut falsas quoque interpretationes, à carne excogitatas, simul examinemus ac refellamus. Quam ad rem nullum melius ponere possumus fundamentum, cui reliqua tutius superstruantur, quam quod Christus ipse hic posuit: non possumus clariorem habere facem, quæ nobis viam rectam evadendi ex plurimarum falsarum interpretationum labyrintho commonstret, quam est illa, quam Christus ipse hoc loco accendit; videlicet proponens nobis sanctissimum exemplum sui ipsius; Id igitur nobis uti in aliis rebus, ita in hac quoque controversia pro Helice ac Cynosurâ esse potest.

Cæterum Christo oblata fuit ad hanc doctrinam tradendam occasio à duobus Apostolis, Jacobo & Johanne, filiis Zebedæi. Cum enim Christus Capite præcedenti 19. apud Matthæum Apostolis generatim summas dignitates in Regno suo promisisset, dicens: *Cum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israëlis:* ℣. 28, & Apostoli tunc pro imbecillitate intellectûs sui ita hæc verba accepissent, quod tanquam mundani Principes regnaturi essent, duo isti discipuli per matrem suam petierunt à Christo, ut unus eorum ad dextram, alter ad sinistram ipsius in Regno ejus sederet, id est, ut dignitate proximum ipsi locum haberent. Hanc eorum ambitionem reprimere volens Christus, ac simul ostendens, qua in re vera excellentia atque eminentia eorum consistat, qui in Regno suo supra alios eminere gestiunt, nec non quomodo illa obtineri queat; docet, illam non esse sitam in dominatu & potestate aliis imperandi, atque ministeria ac subjectionem ab aliis exigendi; quali potestate utuntur mundani Reges ac Principes: sed in summa humilitate ac demissione, quâ parati simus omnibus hominibus servire ac ministrare. Summa enim submissio ac humilitas in eo demonstratur, si quis aliis serviat, bonumque eorum pro virili parte quærat. Atque hoc illustrat Christus suo proprio exemplo. Quamvis enim fuerit designatus Rex cœli & terræ, non tamen in tali statu ac conditione apparuit, ut ministrari sibi ab aliis vellet, more mundanorum Principum; sed potius ipse omnibus hominibus ministravit, eorumque in gratiam non modo multa incommoda ac molestias devoravit, sed ignominiosissimam quoque mortem sustinuit. Nam in morte sua Christus maximum demissionis ac humilitatis suæ edidit specimen, dum servilem in modum se tractari humani generis causâ passus est, ut nos à servitute peccati & sempiterni interitûs liberaret. Qua humilitate id consecutus est, ut eum Deus in summam eveheret sublimitatem, nomenque ei donaret, quod est supra omne nomen Phil. 2. 8, 9, 10. Hanc ergo insignem virtutem Christus hoc loco discipulis suis inculcat, monstrans eis viam, quâ possint in populo Regni sui, magni, imo maximi & supra alios eminentissimi evadere: nempe si se magis quam alii omnes demittant ac humilient, si omnibus ministrent, & omnium bonum, præsertim salutem animarum (quam Christus potissimum respicit) enixe quærant ac promoveant. Atque hic status humilitatis, etsi mundo admodum vilis & abjectus videatur, tamen non tantum in cœlis paratum habet præmium illustris exaltationis, juxta Christi pronunciatum: *Qui se humiliaverit, exaltabitur*; verum etiam in se consideratus habet suam præstantiam ac decus in oculis Dei & omnium hominum vere sapientium. Etenim dum quis per demissionem omnibus hominibus servit ac benefacit, eo ipso fit quasi omnium Deus; & vicissim omnes homines ipsi sic servienti obedire obstricti sunt, quia beneficiis per eum afficiuntur, præsertim si per ejus ministerium beneficio æternæ salutis, quæ omnia beneficia dignitate sua vincit afficiantur. Non potest enim is non magnifieri ab omnibus illis, qui ipsius operâ bonum summum, quo nihil desiderari majus potest, consequuntur. Et hæc est spiritualis magnitudo, ac eminentia, quæ in Regno Christi locum habet, & ad quam omnes aspirare debent, qui magni in eo esse cupiunt. Qui in humilitate animi ac promptitudine aliis inserviendi omnes superat, is maximus est in Regno cœlorum Matth. 18. 4. Et quemadmodum Regnum Christi, quod in terris cœpit, in cœlis autem consummabitur, unum idemque Regnum est; ideoque etiam Sacra Scriptura felicitatem fidelium, quam hic in terra in spe certa possident, in cœlis autem reipsa obtinebunt, tanquam unam felicitatem considerat: Ita eminentia quoque ac dignitas Christianorum, quam hic in terris per humilitatem assequuntur, & illa, quam in futura vita consequentur, una eademque erit. Nimirum hic illa est spirituali modo & carnalibus oculis inconspicuo: illic autem erit conspicua omnibus hominibus, qui gloriam nostram videbunt, & eâ alii nobiscum gaudebunt, alii vero consternabuntur.

Summa proinde horum Christi verborum est, quasi dicat ad Apostolos, qui propter postulatum illorum duorum discipulorum indignabantur: Ne miremini, duos istos condiscipulos vestros, Jacobum & Johannem, locum mihi proximum à dextra & sinistra in meo Regno postulasse: nesciunt, quid petant; neque vos scitis, quid indignemini. Vos animo agitatis ac spiratis carnalem dominationem atque imperium in alios; in mundanis Regnis ita fieri videtis, ut Reges ac Principes dominentur, eisque ab omnibus ministretur. At in meo Regno non ita erit, ut is magnus & Princeps sit, qui aliis imperat ac dominatur, sed potius oportet, ut quam humillimus sit secundum carnem, & omnibus ministret.

Ex his jam liquet, statum mundanorum Principum, Regum atque Magnatum, nec non omnium Magistratuum, qui vi coactivâ non solum in bona, ac facultates, sed etiam in vitam subditorum suorum imperium exercent, & non modo pro necessitate, sed etiam ad pompam & mundanum splendorem aliorum ministerio utuntur, in Regno Christi non habere locum: adeoque verum ac perfectum Christianum nullum tale officium gerere atque administrare licite posse. Hoc enim elucet non solum ex clara antithesi: *Principes gentium dominantur in eos* &c. *Inter vos autem non sic erit*, &c. Verum etiam

etiam ex manifesto Christi exemplo, quod ipse hic proponit, in quo nihil prorsus invenitur, quod ullum mundanum dominatum, eminentiam ac potestatem redoleat. *Regnum enim ejus non erat ex hoc mundo* Joh. 18. 36. Omnibus hominibus ministravit, & sibi à nemine ministrari passus est: (exceptis quibusdam minoris momenti ministeriis, quæ ad necessitatem corporis ejus pertinebant, de quibus postmodum nonnihil dicemus). Omnibus hominibus fecit bene, nemini male; neminem vi coactiva ad suum obsequium adegit; in apostatas aut alios impios Legis transgressores non strinxit gladium, nec aliis pœnis corporalibus usus est, id quod postulat officium supremi Magistratûs; crimen læsæ majestatis suæ nullo supplicio ultus est; sed summam ignominiam ac contemtum, denique mortem truculentissimam patientissime sustinuit. Breviter, in tota vita ejus ne unicum quidem factum apparet, quod quicquam commune habeat cum eo, quod sublimitas ac munus mundanorum Principum requirit. Cum igitur Christus hic ad suum exemplum provocet, eoque doctrinam suam declaret, manifestum est, vero ac perfecto imitatori Christi ac civi Regni ejus nequaquam competere, ut ullum tale officium mundanum Regum, Principum, ac Magistratuum suscipiat aut gerat.

Atque hoc est tam clarum & apertum, ut etiam plerique ex iis ipsis, qui statum summarum potestatum non solum licitum in Regno Christi, verum etiam necessarium esse contendunt, agnoscant, in hoc loco mundanæ eminentiæ ac dominatui tale quippiam opponi, quod cum ea neutiquam queat consistere. Sed sententiæ suæ præsidium quærunt in verbis *inter vos*; cum ait Christus: *Non sic erit inter vos*. Ajunt enim Christum hac doctrina sua politicum ac mundanum dominium non penitus à suo Regno exclusisse; sed duntaxat voluisse discrimen facere inter statum Ecclesiasticum seu spiritualem, & inter civilem ac mundanum, ut qui ambo nequeant in una persona habere locum, ut nimirum quispiam sit Princeps secularis, ac simul etiam Antistes Ecclesiæ. Itaq; hanc doctrinam solummodo pertinere ad Apostolos, eorumq; exemplo ad eos, qui aliquo munere Ecclesiastico in Regno Christi funguntur.

Verum enim vero si vis verborum, & oppositio, quam Christus in iis instituit, attendatur, &, si locus hic cum aliis Christi doctrinis, quæ ejusdem argumenti sunt, conferatur, patebit, hic contineri generalem doctrinam, quæ ad omnes fideles ac subditos Regni Christi pertineat. Nimirum Christus hoc vult dicere: Apud populos omnium terrarum ita fert mos, ut qui Principes sunt in illis populis, aut qui inter eos magni esse volunt, dominentur in populum sibique ministrari patiantur. At inter vos, id est, in meo populo, non ita erit, ut qui in eo volunt magni esse (sicuti vos Apostoli vultis) in alios dominentur, sibique ministrari patiantur; sed qui vult magnus esse, oportet ut aliis omnibus subjectus sit ac ministret. Hunc sensum loci istius esse, exinde probatur. Primo, quia nulla causa assignari potest cur Christus iis, qui supremo loco in Regno suo esse debebant (quales erant Apostoli, quibus promisit, eos *sessuros in duodecim thronis, judicaturos duodecim tribus Israëlis*, Matth. 19. 28.) non solum omne dominium supra alios voluerit adimere, verum etiam ad talem subjectionem ac humilitatem eos obligare; si alioquin reliquis fidelibus dominium concessum sit. Profecto si qui supremi ac præcipui sunt in Regno Christi non debent dominari, sicut mundani Principes, qui sibi ab aliis ministrari patiuntur, sed debent esse omnium servi ac ministri; multo minus conveniet, ut qui viliores ac inferiores sunt, tale dominium sibi arrogent. Secundo nulla quoque causa est, ob quam Christus ipse utpote Caput & designatus Rex dominio abstinere debuerit, si id in Regno Christi liberum licitumque sit. Quia vero se hac in parte pro exemplo ponit, inde merito infertur, dominatum nulli è subditis ejus esse licitum. Absurdum quoque est dicere, in hac sua demissione ac humilitate tantum spiritualibus, non etiam secularibus exemplum dare voluisse. Tertio opponit Christus dominio talem virtutem, quæ non solum à doctoribus, sed in genere ab omnibus fidelibus exigitur, nempe demissionem, humilitatem, ac promptitudinem omnibus hominibus inserviendi ac benefaciendi. Qui humilis non est, non potest ingredi in regnum cœlorum Matth. 18. 3. Qui vero in regno cœlorum vult esse magnus, ac præeminentia aliqua gaudere præ reliquis, necesse est ut peculiari ratione humilitatem exerceat ad exemplum perfectissimum Christi. Cum igitur hæc virtus, quæ ab omnibus Christianis generatim requiritur, opponatur dominio ac sublimitati mundanæ, inde apparet, sublimitatem istam ac dominium nulli omnino Christiano competere. Quarto extra omne dubium est apud eos, qui hanc interpretationem urgent, Christum hic Apostolis non tantum dominio super alios Apostolos, sed etiam in genere omni prorsus dominio interdixisse. Ita ut horum verborum, *Non sic erit inter vos*, non hic sit sensus: Non sic erit inter vos Apostolos, ut qui inter vos vult magnus esse, super cæteros Apostolos dominetur. Sic enim duo illi Apostoli, Jacobus & Johannes potuissent dicere: Bene est; neque etiam nos volumus dominari super alios Apostolos, dummodo nobis liceat supra alios populos dominari, atque inter istos dominatores primo ac dignissimo loco esse. Hoc enim illi postulaverant à Christo. Deinde nec exemplum Christi, qui nullum omnino dominium in quenquam exercuit, huc quadraret. Efficitur proinde, Christum ab Apostolis omnem prorsus dominatum removisse. Si autem Christus solis Apostolis, non etiam aliis fidelibus (ut volunt isti Interpretes) dominatu interdixisset, non bene constaret oppositio atque antithesis hic à Christo facta. Quomodo enim ista cohærerent: Principes gentium dominantur in eas gentes, inter quas Principes sunt; at inter vos Apostolos qui vult magnus esse, oportet ut vester servus sit, id est, ut vobis Apostolis serviat? Nam dominationi Principum in gentes sibi subditas, opponitur servitus. Cui autem debent illi, qui volunt magni esse, servire ac ministrare? Secundum hanc sententiam, Apostolis. Quid autem hoc facit ad rem, si Christus in universum omne dominium voluit Apostolis prohibere? Quilibet sane eorum, qui cupiebat magnus esse, libenter aliis

Apo-

Apostolis ministrasset, si modo aliis populis imperare potuisset. Quare si partes oppositionis recte sibi invicem respondere debeant, necesse est per pronomen *vester* intelligi eos, inter quos Apostoli volebant magni esse. Nam principibus opponuntur ii, qui volunt magni esse: dominio opponitur servitium seu ministerium: consequitur ergo, ut gentibus, super quas Principes imperium exercent, opponantur ii, inter quos hi volunt magni esse. Isti autem sunt populus Regni Christi, in quo duo illi Apostoli præ cæteris eminere & post Christum summi esse volebant. Exinde jam clarum est, Christum hic sub nomine Apostolorum totum fidelem populum suum intellexisse, & secularem potestatem atque dominium ab omnibus removisse, qui subditi in Regno ejus esse cupiunt. Hac ratione in antithesi partes omnes sibi optime respondent. Nimirum sic: Principes & Magnates gentium dominium exercent in eas gentes, inter quas sunt magni. Inter vos autem, id est, in meo fideli populo, non ita debet esse, verum qui in eo vult magnus esse, & eminere præ aliis, non dominari eum oportet in alios, non imperare cum potestate, sed omnium servus ac minister debet esse. Hoc pacto Magnates fiunt in Regno meo, quod non carnale est, sed spirituale. Huic interpretationi etiam congruit exemplum Christi, qui adeo longe abfuit ab omni dominatione, ut etiam Apostolorum suorum pedes laverit, Joh. 13. ℣. 5, 13, imo mundo ministrans vitam suam ejus gratiâ impenderit. Non esse autem insolitum Christo, certa occasione sibi ab Apostolis oblatâ, generales tradere doctrinas ac monita, quæ non ad ipsos solos, sed ad alios quoque fideles omnes omnium temporum spectent, videre est ex plurimis locis. Vide inter alia Luc. 9. 55, & totam concionem Matth. 5. ℣. 6, 7. Huc pertinet etiam quod Christus dicit discipulis suis: *Quod vobis dico, omnibus dico* Marc. 13. 37. Quinto hoc quoque absque omni probatione pro concesso sumitur, munus docendi & munus regnandi non posse in una persona habere locum. Expedit quidem, ut hæc duo distincta ~~munera à distinctis~~ administrentur personis, cum quodlibet tantum habeat onerum atque curarum, ut totum hominem requirat. At si naturam utriusque spectes, non ita inter se pugnant ista munera, ut ab uno homine eodem tempore sustineri nequeant. Idque probatur exemplo Christi, qui simul est Pontifex & Rex in Regno suo. Priscis quoque temporibus fuit Melchisedec simul ac semel Rex in Salem & Sacerdos Dei Hebr. 7. 1, sic erant Heli, Samuel & alii pariter Sacerdotes & Judices. Et cur, obsecro, non essent isti ad regnandum idonei, qui tantâ sunt sapientiâ ac cognitione præditi, ut Principes ipsos, quomodo juste & secundum Dei voluntatem dominari debeant, erudire possint? Quis etiam esset dignior talibus, cui reverentia, obedientia ac subjectio deferatur? Sexto quod Christus hic in universum omnibus fidelibus suis dominatione interdixerit, patet ex collatione cum aliis locis. Cum enim Matth. 18. 1, Apostoli similis ambitionis, qualis hic in Jacobo & Johanne apparuit, acti stimulis, de primatu in Regno Christi contenderent, dixit illis Christus: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut pueruli, nequaquam intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit seipsum, sicut puerulus iste, is major est in regno cœlorum.* Hunc autem locum ad omnes fideles in genere pertinere, nemo unquam traxit in dubium. Expresse enim ait Christus, *Quicunque seipsum humiliaverit*, id est, omnis qui seipsum humiliaverit, *major est in regno cœlorum.* Unde liquet, etiam præcedentia verba: *Nisi conversi fueritis* &c. generalem sensum habere: quasi dicat; Quicunque se non converterit, & non factus fuerit sicut puerulus, non intrabit in regnum cœlorum. Ex illo igitur loco jam facile etiam de hoc nostro judicium ferri potest: quod nimirum Christus tam hîc quam illic generalem præscribat doctrinam ad omnes fideles spectantem; cum utrobique eadem fuerit occasio, nempe Apostolorum ambitio principatum in Regno Christi affectantium, & Christus idem medium adipiscendi principatûs utrobique monstret, videlicet humilitatem. Cum hoc loco congruit etiam ille Matth. 23. 11, 12, ubi Christus Apostolis suis hanc ipsam virtutem, nempe humilitatem, & iisdem verbis inculcat, cum inquit: *Qui vestrûm major est, sit vester minister*; idque præceptum suum opponit ambitioni & arrogantiæ Pharisæorum, qui amabant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foris, & vocari gaudebant ab hominibus, Rabbi, Rabbi. Quis autem dicat, Christum Apostolos tantum & non omnes Christianos in genere à tali arrogantia dehortari voluisse? Huc pertinent etiam generales illæ Apostolorum admonitiones: Phil. 2 ℣. 4, 5, 7, 8. 1 Petr. 5. 5. & alibi. Tantum de prima falsa interpretatione hujus loci.

Alii cum videant, primam hanc, quam modo refutavimus, interpretationem consistere non posse, dicunt, Christum non simpliciter dominationem, sed tantum animi elationem & ambitionem hîc vetare, quæ plerumque dominationis comes esse solet. Verum hoc ex iis, quæ hucusque dicta sunt, facili negotio dilui potest. Nam si hæc Christi mens fuisset, non opposuisset simpliciter humilitatem ac ministerium dominationi, sed superbæ tantum ambitiosæque dominationi: saltem unico verbo id innuisset, ne videretur dominationem ipsam in totum tollere. Jam vero dominari, potestatem exercere in populos, ab iis sibi ministrari pati, & obedientiam exigere, pertinet ad naturam & essentiam dominationis ac imperii: id autem, quod Christus hic mandat Apostolis, nempe subjectio & humilitas, cum illo adversâ fronte pugnat. Quare cum Christus id præcipiat, quo illud, quod de natura & essentia imperii ac dominationis est, tollitur, manifestum est, eum tollere ipsum imperium seu dominationem. Christi scopus atque propositum hoc loco non est, in imperandi modo mundanorum Principum aliquid corrigere, vel certas eis regulas præscribere, quomodo regnare debeant; sed significare vult discrimen inter suum Regnum, & inter Regna hujus mundi, quod nimirum in his magnates dominentur, quam dominationem à suo Regno excludit, non quatenus illa à mundanis Principibus male administratur, sed quatenus pro natura & exigentia mundanorum Regnorum quam optime admini-

ministratur, eique opponit talem magnitudinem, quæ in sola servitute ac subjectione consistit. Verum quidem est, Reges etiam aliquomodo subditis suis servire, respectu publici boni ac tranquillitatis, quam procurant; quo sensu Paulus Apostolus de Magistratu inquit, eum esse *Dei ministrum in bonum* Rom. 13, nihilominus tamen Christus eorum potestatem & Regnum opponit suo Regno, & dicit ea hac in parte à suo Regno discrepare, quod Regibus ministretur. Quocirca ministerium, quod Christus hîc discipulis suis injungit, non est Regium ministerium, sed diversæ prorsus, nempe spiritualis naturæ, quæ mundanæ opponitur. Nam ut hoc quoque addamus, Christus hic præcipue intelligit illa ministeria, quæ ad promotionem hominum salutis spectant: id quod liquet ex ipsius exemplo, quod mox subjicit. Qua significatione etiam Paulus de se dixit: *Liber existens ab omnibus, meipsum omnium servum feci, ut plures lucrifacerem* 1 Cor. 9. 19. Et rursus alibi: *Non nosmet ipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum, nos ipsos autem servos vestros propter Jesum* 2 Cor. 4. 5. Secundo si Christus non dominatum ipsum, sed tantum arrogantiam & abusum dominii tollere voluisset, concessisset tacite Apostolis talem dominationem, qualis est mundanorum Principum, dummodo non essent arrogantes & ambitiosi, neque imperio abuterentur: atque sic Christus duorum illorum Apostolorum petitionem non omnino rejecisset. At quis non videt, eum præcise negasse illis id quod petebant, dum eis tale medium adipiscendi primatûs præscripsit, quod, ut monstratum est, naturæ civilis principatûs ac dominii repugnat.

Tertia falsa interpretatio hujus loci, quæ quodammodo cum secunda coincidit, est eorum, qui ajunt, Christum Apostolis non interdixisse dominio, multo minus id à suo Regno relegasse, verum id potius confirmasse, ac præscripsisse Apostolis doctrinam, quomodo se Reges, Principes ac Magistratus in regendo gerere debeant: nimirum ne suam gloriam, proprium commodum ac voluptates quærant atque sectentur, sed vitam suam integram usibus ac commodis subditorum suorum devoveant, & ubi necessitas postulet, etiam vitam suam pro iis exponant. Atque hanc interpretationem suam probant exemplo Christi, quod ipse hîc adducit, & collatione hujus loci cum Luc. 22. 25, 26, 27, ubi Christus ait: *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est inter vos, fiat sicut junior, & qui dux est, sicut qui ministrat. Nam uter major est, qui accumbit, an qui ministrat? Nonne qui discumbit? At ego sum inter vos, ut qui ministrat.* In his verbis, inquiunt, Christum statum magnorum & juniorum, statum accumbentium & ad mensam ministrantium non sustulisse. Ipse enim fuit maximus inter suos discipulos; ipse sæpius accubuit mensæ, sibique ministrari passus est. Ita eum nec statum Regum ac Principum abrogasse: quia ipsemet erat Rex ac summus Princeps sui populi. Quapropter verba illa, *Non ita erit inter vos*; vel ut Lucas habet: *Vos autem non sic*; ita intelligenda esse, quasi dicat Christus: Vos non debetis ita animati esse, sicut Principes mundani, qui putant veram dignitatem, magnitudinem & excellentiam sitam esse in dominio & imperii exercitio. Non debetis eos pro primis (id est, præcipuis) pro magnis, pro beneficis habere, qui aliis singulari cum auctoritate imperant, & potestatem exercent. Sed ego aliam vobis monstrabo viam, quomodo veri Reges, veri Principes, vere magni esse possitis; quæ via ei, quam mundus sequitur, plane contraria est. Videlicet qui inter vos vult magnus esse, non dominetur aliis, sed se gerat tanquam junior, etsi junior non sit: qui vult dux esse aut Princeps, gerat se tanquam minister, etsi minister non sit. Ecce in me habetis ejus rei exemplum. Ego quidem sum Rex ac Dominus, & tamen non veni, ut mihi ministretur, sed potius ut ministrem omnibus hominibus, adeo ut etiam vitam meam pro eis ponam. Etsi is sim, cui competat accumbere, ac pati sibi ministrari, nihilominus me gero inter vos, tanquam is qui ministrat: imo non pudet me etiam pedes vestros lavare. Si igitur contingat, ut vos, mei Apostoli, aliquando ad tantum fastigium evehamini secundum carnem, &, si ita, ut dictum est, in illo sublimi statu atque fastigio vos gesseritis, tum demum vere Principes, vereque magni in populo eritis.

At hujus interpretationis fundamentum est exemplum Christi, cui tota structura inædificata est; quæ tamen per illud magis evertitur, quam confirmatur. Nam primo falsum est, Christum hic in terris Regem fuisse. Erat quidem designatus Rex, sed quemadmodum Regnum ejus non fuit ex hoc mundo, ita etiam administratio ejus non in terris, sed in cœlis exerceri debuit, quo demum post mortem translatus est. Hîc in terris tantum fuit Propheta & Legatus Dei, non ut dominaretur hominibus, sed ut voluntatem Dei eis annunciaret, & tum exemplo suo sanctissimo, tum doctrinâ suâ viam eis ad regnum cœleste monstraret. *Forma Dei* Phil. 2. 6. in qua apparuit in terris, non pertinet ad Regiam ejus potestatem, sed ad munus ejus Propheticum, nempe ad fidem doctrinæ suæ per signa ac miracula conciliandam; quemadmodum etiam Apostoli, & omnes Prophetæ, quibus Deus virtutem miraculorum patrandorum communicavit, fecerunt: Propterea etiam hac sua potestate non est usus ad cujusquam noxam, aut pœnam rebellium ac contumacium, sicut officium Regum postulat, sed potius ad omnium hominum utilitatem ac solatium. Deinde falsum quoque est, Christum statum accumbentium non sustulisse. Nam per accubitum non intelligit Christus simpliciter actionem illam, cum quis accumbit mensæ ac cibum capit, alius vero ei porrigit orbem, calicem vel cantharum ad bibendum. Sic enim quivis rusticus accumbit ad mensam, quando cœnat vel prandet, & uxor vel puer illi porrigit ea, quibus opus habet. Sed Christus hoc vocabulo per improprium loquendi modum intelligit omnem eminentiam ac primatum, quem quis sibi supra alios arrogat, seu omnes illos status, qui carnalem dignitatem ac potestatem supra alios in se complectuntur. Utiturque hoc loquendi modo propterea, quia quilibet eorum, qui in tali statu vivit, ut ut imperium obtineant in alios, quando

prandium

prandium vel cœna habetur, solet mensæ accumbere, & ministerio aliorum uti, non ad necessitatem, sed etiam ad pompam & ostentationem, dum à pluribus, quam necesse est, servis sibi ministrari patitur. Atque hoc respectu Christus non doctrinâ suâ solum hoc loco, sed exemplo quoque suo omnes ejusmodi status abolevit, dum per totam vitam suam se gessit non tanquam accumbens, sed tanquam ministrans. Sæpius quidem discubuit ad mensam, sibique necessaria ministeria præstari passus est, sed non accubuit ad mensam sicut accumbens, id est, tanquam superior, & qui tanquam ob solam reputationem atque auctoritatem suam sibi ministrari patitur. Unde liquet, Christum nullum statum vel officium, quod Ecclesiæ ipsius necessarium vel utile sit, sustulisse, sed tantum dominatum & potestatem in alios noluisse in Regno suo habere locum: cum nimirum aliquis habet potestatem aliis imperandi, eos ad obedientiam cogendi, & inobedientes ac contumaces corporalibus pœnis afficiendi. In quo igitur statu atque officio talis carnalis dominatus ac potestas reperitur, ille vi hujus doctrinæ atque exempli Christi à Regno ejus est exclusus. Atqui status omnium mundanorum Principum, Regum ac Magistratuum ita est comparatus, ut carnale dominium ac potestas indivulso nexu cum eo conjuncta sit, non aliter ac vita & anima cum homine, ita ut omnes isti status absque dominatu nihil aliud sint, quam umbræ. (Qualis enim iste Rex foret, vel Princeps, qui nullam habeat potestatem populo imperandi, obedientiam ac reverentiam ab eo postulandi, inobsequentes ac transgressores tam suarum quam Dei legum corporalibus pœnis plectendi?) Dum igitur Christus talem dominationem ac potestatem ab omni statu in Regno suo removit, palam est, eum etiam statum Regum, Principum, omniumque Magistratuum sustulisse. Tenendum enim est, Christum solum esse Regem in Regno suo, neque alterius ullius pati posse consortium, qui populo ipsius imperitet, aut ullam sibi in eum potestatem usurpet. Uti enim Regnum ejus spirituale Regnum est, ita etiam non carnali, sed spirituali modo administrari debet: per ejus scilicet virtutem de cœlo, & per ejusmodi media, quæ omnium carnalium hominum oculos effugiunt, ab ipsius autem populo, in ipsius viis exercitatos sensus habente, facile perspiciuntur. Ideo nullos hic in terris habet Vicarios aut Vicereges, aut Locumtenentes, præter suam Ecclesiam, cui certis in rebus, & certis legibus potestatem communicavit, & auctoritatem tantam, ut qui eam non audierit, pro Ethnico & publicano habendus sit, & quicquid illa ligaverit vel solverit in terris, id ratum sit in cœlis Matth. 18. ℣. 17, 18. In hac ille habitat spiritu ac virtute sua; dirigitque omnia, quæ ad ejus bonum ac utilitatem ullo modo pertinent. Quocirca populus Christi ipse locum ejus ac vices quodammodo gerit, certisque in rebus, & juxta certas leges sibi præscriptas, in terris dominium exercet, judicat, ac inobedientes punit. Hæc Ecclesiæ Christi dignitas & potestas tam late se porrigit, ut omnes ac singuli, qui ad Regnum Christi pertinent, nemine excepto, ei subjecti sint, & debitam reverentiam ac obsequium ei præstare obstricti sint, quamdiu illa fines sibi à Christo præfixos non fuerit transgressa. Quod adeò verum est, ut omnes Reges ac Principes in toto orbe Christiano, tametsi carnalem & tyrannicum in modum suis subditis dominentur, si modo non sint prorsus effrenati, & non ejurarint Christianam religionem, Ecclesiæ Christi honorem deferant, eamque adeo revereantur, ut etiam se censuris ejus, vel certe eorum, quos habent à confessionibus, subjiciant. Quanquam per abusum eò res devenit, ut Magnates etiam gravissima peccata sua nonnisi molli ac levi brachio velint objurgari. Quomodo igitur Christianus populus, id est, Ecclesia Christi potest tali esse subdita, ejusque parere imperio, cui ipsa imperandi atque in eum animadvertendi jus ac potestatem habet? Neque etiam integrum est Ecclesiæ Christi talem supra se dominum constituere, id est, eam potestatem ac dignitatem, quam Christus ei contulit, vel in minima parte, alteri tradere aut communicare. Revera Ecclesia, quæ id faceret, pari se crimine adversus Christum obstringeret, atque olim se obstrinxit Israëliticus populus, de quo Deus sic dicit ad Samuelem: *Non te rejecerunt, sed me, ne Rex sim super eos* 1 Sam. 8. 7. Si autem quispiam tale dominium in Ecclesiam sibi sumat, is vim infert domui Domini, & gravissimum crimen læsæ Regiæ Majestatis Christi committit, dum populo ejus regimen violenter è manibus eripit, quod ille Ecclesiæ soli & non ulli alii commisit. Proinde talis nullum locum in Regno Christi habere potest. Quodsi contingat, ut Princeps aliquis mundanus hæreditario jure imperium obtineat, aut à Christiano populo, qui suam dignitatem non satis intelligit, alicui potestas atque imperium deferatur, quales hodie sunt omnes Reges ac Principes inter Christianos, is videat, ut ita regnet, ne judicia & iram Dei sibi accersat. An vero talis, si bene ac laudabiliter imperium administret, ac de cætero quoque pie ac inculpate vivat, prorsus à Regno Christi atque à spe salutis arcendus sit, de eo nonnihil dicemus postea. Manet itaque verum tum, quod Christus Apostolis suis, & per eos omnibus suis fidelibus omnem principatum ac dominium mundanum prohibuerit; tum quod nullum statum, officium aut functionem à suo Regno excluserit, cui talis potestas adjuncta non est, quique Ecclesiæ ejus utilis vel necessarius esse potest. Quisquis autem officio ac munere aliquo in Ecclesia Christi fungitur, est minister Ecclesiæ, teneturque ei tanquam superiori rationem suæ administrationis reddere, & convenientem honorem atque obsequium ei exhibere. Et si tali, propter officium ejus, etiam certa reverentia aut honor ab aliis Ecclesiæ membris competat, id eo solummodo respectu fit, quod sit minister Ecclesiæ, à cujus dignitate ille splendorem accipit, dum in sua administratione ejus vices gerit. Tertio ex hactenus dictis facile intelligitur, falsum esse, Christum suis Apostolis præscripsisse regulam & informationem, quomodo optime atque cum laude regnare debeant, si forte aliquando ad aliquam carnalem sublimitatem extollerentur. An enim nescivit Christus, conditionem Apostolorum toto vitæ ipsorum tempore talem fore, qualis postea reipsa fuit,

fuit, ut nimirum non dominarentur populis, sed, ut essent *spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus*, utque essent *tanquam purgamentum mundi, & omnium sordes*, ut Paulus loquitur 1 Cor. 4. 9, 13. Quas ergo regnandi regulas illis præscriberet? Sane scopus hujus doctrinæ Christi fuit longe alius. Nimirum sicut ambitio & elatio animi fuit fons & scaturigo, ex qua profluxit illa Apostolorum in Regno Christi dominandi libido; ita Christus hunc sibi scopum præcipue habuit præfixum, ut elationem illam animi reprimeret ac retunderet, eosque ad modestiam & humilitatem adduceret. Hoc autem non poterat efficacius præstare, quam cum eis viam ad talem sublimitatem perveniendi monstravit, quæ dominatui, quem affectabant, directe repugnat. Qua ratione ille hoc infelix lolium radicitus ex animis eorum evellit atque exstirpit. Si illis simpliciter humilitatem ac demissionem præscripsisset, cum virtus hæc sit nimis molesta, contemtaque, nec consentanea videatur promissioni ipsis factæ de summa eorum dignitate Matth. 19. 28, id altos eorum spiritus tam valide non repressisset. Sed Christus indicat, virtutem hanc non inanem ac infructuosam esse, sed eam esse verum medium, per quod voto suo potiri, & principatum in Regno suo obtinere queant. Regulæ regnandi, de quibus agit hæc interpretatio, ad eos tantum pertinent, qui Capita ac Præfecti fuerint populi Dei: hæc autem doctrina Christi est generale medium, cujus ope quilibet in Regno Christi magnus ac princeps evadere possit. Et si omnes Christiani ita se gererent, uti Paulus monet: *Non sua quisque spectet, sed unusquisque etiam ea, quæ sunt aliorum. Is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Jesu; qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, æqualem esse Deo, sed ipse sese exinanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus* &c. si, inquam, omnes Christiani ita se gererent, & quidem si etiam exemplo Christi ejusque jussu parati essent *animas suas pro fratribus ponere* 1 Joh. 3. 16, omnes meri Principes in Regno Christi essent. Tantum etiam de tertia falsa interpretatione.

Nunc necesse est, ut etiam quod reliquum est ad rectam hujus rei gravissimæ intelligentiam necessarium elucidemus. Ac primo quidem sciendum est, cum Christus omne mundanum dominium atque coactivam potestatem super populum suum à Regno suo removet, non simul potestatem parentum in liberos, maritorum in uxores, vel etiam statum dominorum & servorum tolli ac prohiberi. Quod omnes illi agnoscunt, qui censent, Christum in hoc Matthæi loco Apostolis omni dominio mundano interdixisse: quorum tamen nemo dixerit, eum simul Apostolis potestatem parentum in liberos, & virorum in conjuges ademisse. Et parentes quidem quod attinet, si eorum potestas in liberos stet intra limites Christianæ moderationis, ingens est inter eam & inter civilis magistratus coactivam potestatem differentia. Antequam enim liberi ex ephebis excedant, & ad maturum judicium perveniant, parentum potestas magis est castigatio cum ratione ac modo conjuncta, quam dominium, ut cernitur ex Eph. 6. 4. Postquam autem Christianæ Ecclesiæ inserti, & ad mensam Domini admissi fuerint, è parentum suorum potestate eximuntur & quasi manumittuntur, Ecclesiæque potestati subjiciuntur; non secus atque apud omnes gentes filiæ, cum nubunt, exeunt è potestate parentum suorum, & cedunt in potestatem maritorum. Atque tum non habent amplius parentes idem juris ad liberos suos castigandos, quod habebant antea, sed solius Ecclesiæ subsunt judicio ac disciplinæ. Similiter quoque jus dominii, quod habent viri in suas uxores, certis cancellis amoris, moderationis atque honoris circumscriptum est Eph. 5. 25, 26. 1 Petr. 3. 7. De quo amore scribit Paulus, quod vir diligens uxorem suam, seipsum diligat, eo quod unum corpus cum ea sit. Quemadmodum igitur nemo coactivam potestatem exercet in seipsum seu in corpus suum, ita nec vir in uxorem exercere potest. Quod autem maritus dicitur caput uxoris 1 Cor. 11. 3, atque adeo potestatem habet nihilominus uxorem suam corripiendi, inque eam moderate animadvertendi (est enim vir caput mulieris æque ac Christus est caput viri) id magis castigationis ac institutionis nomen, quali etiam parentes erga liberos, & præceptores erga discipulos utuntur, quam dominii meretur. Cum enim mulieres sint fragilia vasa, & plerumque viris ingenio ac prudentiâ inferiores, merito ac sapienter eas Deus regimini ac prudenti virorum disciplinæ subjectas esse voluit: quanquam ita, ut antequam maritus ad acrem aliquam castigationem descendat, uxorem suam prius judicio Ecclesiæ subjiciat, & ab ea consilium, quomodo illam in officio continere debeat, accipiat. Quod vero ad statum dominorum ac servorum attinet, fideles domini servos suos fideles non amplius habent ut servos, sed ut libertos Christi ac fratres in Domino: ut Paulus scribit Philemoni, Onesimum fugitivum ipsius servum commendans, recipiendum *non jam amplius ut servum, sed plusquam servum, fratrem videlicet dilectum* Philem. ℣. 16. Ministerio tamen eorum uti licet, cum & liberi atque ingenui ministrare possint. Unde & Paulus memorato loco de Onesimo dicit ℣. 13. *Quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te* (seu tui loco) *ministraret mihi in vinculis Euangelii.* Obligatio inter dominum & servum, qui certâ pro mercede ministrat, nil aliud est, quam contractus, quo quispiam ad certum opus aut laborem conducitur. Si quis verbi causa conducat architectum ad domum construendam, habet potestatem præcipiendi ipsi omnia, quæ ad contractum, quem inter se inierunt, spectant; & architectus tenetur ei in omnibus morem gerere. Habet quoque conductor id juris, ut si architectus contractum non servet, eum redarguat, & negligentiam vel perfidiam ei exprobret: idque non vi ullius dominii, sed vigore initi contractûs. Talis est igitur etiam contractus inter dominum & servum certa mercede conductum. Quod autem mancipia attinet, qualia etiam apud Christianos populos quosdam adhuc inveniuntur, in eos licere Christianis illimitatâ, nec charitate ac misericordia Christiana temperata potestate uti, imo etiam jus vitæ ac necis pro arbitrio suo exercere, uti olim apud Gentiles mos fuit, & hodie apud nonnullas Christianas nationes moris est, nemo facile dixerit, cujus animo vel mica mansueti Spiritûs

Jus Domini in Servos quale

Christi inest. Manifestum enim est, dominium Christianorum non debere esse rigidius, quam olim Judæorum fuit, quibus diserte injunctum erat, ne servos populares suos, quos durum egestatis telum coëgit subire jugum servitutis, duriter tractarent, sed haberent tanquam mercenarios & inquilinos Levit. 25. 39, 40, 43. Imo potestas eorum ita fuit restricta, ut si quis proprie dicto servo, ac mancipio suo ex Ethnicis empto, oculum aut dentem excuteret, eum manumittere cogeretur Exod. 21. ℣. 26, 27. Ut ut igitur leges hujus mundi potestatem concedant severe ac rigide cum ejusmodi servis agendi, Christianus tamen hoc suo jure lubens cedit, propter communem Dominum Jesum Christum, servos habens tanquam homines, quos omnes natura liberos, sibique æquales fecit, & si servi fideles sunt, pro dilectis fratribus, à quibus nihil exiget, præter voluntarium ministerium, contentus illorum præceptorum religione, quæ in Sacris Literis præscripta sunt servis, eos continere in officio. Vide Eph. 6. ℣. 5, 6, ubi præcipitur servis, ut *auscultent dominis suis secundum carnem, cum timore ac tremore, in simplicitate cordis, ut ipsi Christo.* Minas quoque remittit Christianus, quas mundanæ leges & consuetudines heris permittunt, ut qui sciat, se quoque *habere Dominum in cœlis, apud quem nulla est acceptio personarum* Eph. 6. 9. Multo minus utitur verberibus in servum suum, præsertim fratrem: cujus verberandi nullum jus habet, quando is jam ad cœnam Domini admissus est, sed est subiectus disciplinæ ac censuris Ecclesiæ. Si cui servorum hoc pacto servire non libeat, liberum ei est discedere, ubi præfixum & pacto definitum tempus elapsum fuerit, non secus ac mercenario aut conducto operario abire licet, postquam opus ex pacto absolverit.

Atque hanc dominorum potestatem in servos ad eum modum per religionem Christianam esse restrictam, etiam exinde firmatur, quod in omnibus locis, quæ servis præscribunt officia erga dominos fideles, nulla fiat mentio dominii ac potestatis dominorum ita, ut ex ea concludatur, servos propter eam debere dominis suis obedire: sed tantum supremi Domini, qui in cœlis est, fit mentio, propter quem illi fideliter munia sua obire debeant. Quin etiam cum fideles servos hortatur Apostolus, *ne fideles dominos suos vilipendant* 1 Tim. 6. 2, nullo verbo meminit potestatis ullius, quam domini in servos habeant, quæ vel sola poterat dominos à contemptu vindicare. Ex quo satis superque patet, in Regno Christi dominis nullam coactivam potestatem, quali utuntur mundani domini, in servos competere. Præterea cum Christus ipse in statu humiliationis suæ in hoc mundo secundum carnem fuerit tanquam vilissimum mancipium, non externa duntaxat specie, sed & reipsâ, nulla utique inter Christianos, quorum conditionem ad Domini sui exemplum, & non juxta formam hujus mundi conformari par est, hac quidem in parte differentia aut prærogativa hujusmodi erit. Nam si omnes tenentur Christo, qui fuit servus abjectissimus, pares esse, etiam inter se eos pares esse necesse est. Præsertim cum Christus ipse, à nobis qui omnes nullo excepto humillimi ipsius servi sumus, nullum exigat ministerium, vi aut minis corporalibus expressum, sed coli duntaxat velit ex pura fide, non simulata charitate, bonaque conscientia. Hoc ergo & nobis sufficere debet, ne postulemus à conservis nostris aliud ministerium, quam quod Christo ipsi in nobis præstant, dum propter ejus mandatum nobis serviunt. Quodsi immorigeri ac refractarii nobis sint, satis est, ut adhibeamus remedium Christianæ disciplinæ, quod reliquum est divino judicio committentes.

Eadem prorsus ratio est etiam potestatis præceptorum ac magistrorum super discipulos. Illorum institutio non est imperium, & assensus, quem discipuli præbent ipsorum institutioni, non est obedientia. Non habent etiam Præceptores ullam coactivam potestatem in discipulos: qui sponte suâ discere non vult sapientiam, ne discat. Quod autem interdum ludimagistri pueros nondum adultos flagris coërceant, aut ad diligentiam incitent, id faciunt loco parentum ipsorum, qui suam potestatem eis tradiderunt. Ita Christi quoque doctrinæ mandata quidem fuerunt, sed Dei, non ipsius, ut ipsemet testatur: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui me misit* Joh. 7. 16. Neque etiam obedientiam atque observationem mandatorum suorum adhibitâ ullâ vi coactivâ exegit, sed in docendo fuit *mitis ac humilis corde* Matth. XI. 26. Non imitabatur tumidos ac inflatos Pharisæos, qui propter suam doctrinam amabant vocari Patres, in ea significatione, quæ soli Deo competit Matth. 23. 9.

Ex his perspicuum est, religionem Christianam non tollere omne ordinum ac statuum inter homines discrimen, sed duntaxat docere verum usum juris, quod alteri in alterum competit, juxta naturam spiritualis Regni Christi, & juxta mandata à Christo & Apostolis tradita. Ita Paulus Judæos juxta ac gentiles ad fidem conversos monet, ut maneant in pristina sua vocatione, sive circumcisi, sive præputiati vocati fuerint, cum in utroque statu Deo servire possint: sic tamen, ut externis illis prærogativis, quas Judæis olim circumcisio dabat, nullum amplius relinquat locum, quia in Christo unum facti sint Eph. 2. 14, 15. Nam neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatura Gal. 6. 15, id est, novus homo spiritualis, qui in Christo ad regnum cœlorum regenitus est, idque per fidem, quæ nullum respectum personarum admittit.

Porro non tollit quoque religio Christiana honorem ac reverentiam, quam natura ipsa rei atque honestas (quam Christiana Religio in omnibus rebus stricte observari vult) præscribit: ut nimirum liberi parentibus, uxores maritis suis, servi dominis, discipuli præceptoribus suis tanquam spiritualibus patribus suis honorem tam verbis, quam gestibus exhibeant. Quod nî fieret, Christiani apud extraneos male audirent, & pessimâ famâ laborarent.

Verum, ut quæ hactenus disputavimus de spirituali Christianorum magnitudine, quæ in summa demissione ac humilitate consistit, confirmemus, & plenius explicemus, consideratione dignum est, Sacram Scripturam describere Christianos tanquam populum, cujus Regnum, æque ac Regis ejus Christi,

Christi, non est ex hoc mundo; cujus πολίτευμα in cœlis est, qui peregrinus est in hoc mundo, qui non habet hîc stabilem manentemque civitatem, qui ad patientiam omnium malorum vocatus est; &c. Qui igitur Christo in tali statu & tali sub conditione serviunt, non est quod se in mundani regiminis negotia immisceant. Nam primo cum Christus ait, suum Regnum non esse ex hoc mundo, Joh. 18. 36, dubium nullum est, quin Regnum istud intelligat, quod nunc in cœlis in throno Dei residens administrat, & inter fidelem populum suum exercet: à cujus legibus ac mandatis omnes Christiani cum omni sua potestate ac dominio (quatenus id scilicet inter eos locum habere potest) dependent, non secus ac membra à corpore, vel subditi ac mancipia à suo Rege ac Domino. De hoc Regno scriptum est Dan. 2. 44, ubi Daniel Nabuchodonosori somnium de magna illa statua interpretatur, & Regna mundi ventura prænunciat: *In diebus Regnorum istorum* (non in futura vita demum) *suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: disperdet autem & destruet universa hæc regna, ipsum vero stabit in æternum.* In quibus verbis videmus Regnum istud ita opponi Regnis hujus mundi, ut nullo modo inter se misceantur, etsi simul cum eorum novissimo extiturum dicatur. Quocirca omnia, quæ ad constitutionem hujus Regni pertinent, ut sunt leges, judicia, supplicia, immunitates, prærogativæ, bella, arma, ac similia, non sunt carnalia, uti erant in Israëlitico Regno, sed spiritualia & cœlestia, prout naturæ fidei Christianæ ac promissis Euangelio comprehensis consentaneum est. Hæc quippe omnia sunt ejusdem naturæ, cujus est Regnum, ubi omnia contrario modo se habent, ac in mundi Regnis. In Regnis hujus mundi dominantur, qui Reges ac Principes dicuntur; at in Regno Christi serviunt: illic ministri ac subditi certant pro Rege suo; hîc Rex ipse moritur pro subditis.

Secundo diximus, eam esse Christianorum conditionem, ut per multas afflictiones oporteat eos ingredi in Regnum cœlorum Act. 14. 22, eos ad patientiam esse vocatos, ut conformes fiant imagini Filii Dei Rom. 8. 29. Et licet non semper reipsâ afflictionibus premantur, hæc tamen est eorum conditio atque perpetua vocatio, ut parati sint afflictiones pati ac persecutiones Christi causâ. At qui dominatur, quatenus dominatur, ab omni afflictione liber ac immunis est. Quare ut afflictiones pati possit, necesse est, ut vel dominationem ultro resignet, vel per vim eâ privetur; qua ratione patientia ejus non erit voluntaria, sed coacta; proinde Christo neutiquam accepta.

Tertio cum Christiani opposite ad Judæos gentesque hujus mundi, ex quibus colliguntur, peregrini atque extranei esse dicuntur in mundo, non habere hic manentem civitatem, eorum πολίτευμα in cœlis esse, &c. hæc indicant eos non habere hic civitatem, regnum, aut Rempublicam aliorum populorum instar, atque ut olim Judæi habebant, imo hoc contra naturam populi Christiani esse. Inter populum enim Dei antiquum & novum hæc fundamentalis differentia est, quod Judaico populo ex voluntate Dei certa terra atque Respublica assignata fuerit, jurisque, quod ibi servarent, ac vi corporali exequerentur, formula præscripta: Christianis autem neque terræ ullius promissio facta sit, neque lex ulla lata, quæ circa jus terrenæ potestatis disponat; tantum subjectio, eaque sub magistratu etiam gentili, & à fide Christi prorsus alieno præcipiatur.

18 Nulla lex Christianis lata circa terrena

Quarto quemadmodum Regnum Christi, quod nunc inter homines administrat, præter cœlestis civitatis promissum, nihil aliud continet, quam benedictiones & præcepta spiritualia (corporalis siquidem necessitatis suppletio auctarii loco est, quam Deus extra Regni hujus bona Christianis, dum quærendis istis sunt occupati, divinâ suâ providentia admetitur Matt. 6. 33.) ita prærogativæ ac jura credentibus exinde competunt, non terrestria, sed spiritualia & cœlestia. Quod arguit, eos ut proprium ac peculiarem Dei populum ab aliis omnibus populis gubernatione distingui: adeo ut cum iis non magis misceri queant, quam Judaica olim Respublica cum gentili, imo corpus cum umbra, cœlum cum terra. Hocque olim in Abrahamo patre atque typo omnium credentium præfiguratum est, cum ei prædictum fuit fore, ut semen ejus per quadringentos annos serviat populo extraneo, idque post acceptam promissionem de terræ Chananææ possessione. De eodem dicit Scriptura, habitasse eum cum Isaaco & Jacobo, hæredibus promissionis, in terra promissa tanquam alienâ Hebr. XI. 9, 10, extra civitates, nullo stabili loco, in tentoriis ac tabernaculis, expectasse eum civitatem fundamenta habentem, cujus opifex ac conditor Deus est. Quo ipso confessus est, se peregrinum ac hospitem esse super terra. Hoc ipsum etiam adumbratum fuit in Levitis ac Sacerdotibus Veteris Testamenti, qui non habebant partem in hæreditate terræ Chananææ, sed Deus ipse portio ipsorum ac hæreditas erat Num. 18. 20.

Etiam Principes ac Magnates inter Christianos olim adumbrati fuerunt per Judices, qui ante Reges in populo Israëlitico regnarunt, ut quorum eminentia ac superioritas non in dominio supra populum, sed in majori scientia atque intelligentia Legis divinæ, & in abundantia donorum spiritualium præ aliis, quibus tunc pro ratione temporis illi Ecclesiæ cum laude præfuerunt, sita fuerit. Talis fuit Moses, Josue, Gedeon, Debora, Samuel, & alii, qui non Regum more dominati sunt populo; quia solus Deus erat Rex super populum suum, perque hos Judices voluntatem suam populo exponebat. In maximis quoque & gravissimis delictis nihil aliud faciebant isti Judices, quam quod post institutam rei inquisitionem, populo judicium Dei annunciarent; quod etiam populus ipse magna ex parte exequebatur, non ut mandatum Judicis, sed ut mandatum Legis. Hinc judicia sub Lege non hominum, sed Dei judicia vocantur Deut. 1. 17.

Observandum quoque hîc est, Christum hac sua doctrina non simpliciter dominia & regna mundana rejecisse, & penitus è mundo sustulisse, sed inter suos tantum subditos locum habere noluisse, cum eos ad aliam sublimitatem ac dignitatem vocaverit: in reliquis autem gentibus ea nihil immutata manere. Sic cum Deus politiam Judaicam primo constituit in

populo suo, tantum abest, ut omnes alias politias rejecerit tanquam malas, ut suis etiam extra Judæam, secundum politicas leges gentium, sub exteris Regibus magistratûs munere fungi permiserit: dummodo illæ nihil impii continerent contra Deum, ut Danielis aliorumque exempla ostendunt. At suam politiam noluit juxta aliarum gentium leges administrari, aut eas cum Mosaicis permisceri, præsertim à Judæis in ipsa Judæa. Pari modo se res habet in Regno Christi. Non damnat Christus alia regna, nisi in illis, qui Regni ipsius membra sunt. Hactenus convenit regnum Christi cum regno Israëlitico: sed in hoc differt, quod subditi hujus regni, ubicunque sint, Christi legibus obstricti teneantur, nec possint alio modo magni vel principes esse inter extraneos, alio modo inter suos, illic scilicet dominando, hic ministrando. Hoc discrimen inde est, quod Regnum ipsius jam non uni loco est adstrictum, nec limitatam habet jurisdictionem, ut olim politia Mosaica; sed vim suam obtinet ubique, eandem à suis, ubicunque terrarum sunt, exigens rationem ad magnitudinem adspirandi, inque ea versandi, ut Rex ipsemet exemplo suo nobis expressit.

Illud insuper notandum, Christum hic non loqui de statu Christianorum, qualis tum erat, aut esse debebat, sed de eo, qui futurus erat Regno suo præsente. Nam disceptatio de primatu in Regno Christi non erat de præsenti, sed de futuro tempore; nempe de eo, quisnam tunc, ubi Christus Regnum suum erexerit, major inter ipsos futurus esset. Neque quod iis interdicit, proprie loquendo est vetus Judaicum regimen, quod Deus ante Regum electionem sibi soli reservabat, sed gentilium, mundano constans imperio. Quanquam & illa vetus Judaica gubernatio, à Deo olim instituta ad externum bonum carnalis Israëlis, tanquam umbra ad clarum Solis jubar evanescens, inter spirituales Israëlitas cessare debuit, quando spirituale Christi Regnum pleno suo splendore reluceret. Nam cum Judaicus populus, nec non regio, metropolis, leges eorum, & principes, adeoque tota Lex Mosis, in quantum illa respectu Euangelicæ perfectionis imperfecta, ideoque non vero, sed umbratico, id est, vitulorum aut hircorum, sanguine obsignata fuit, Regni Christi præfigurationes quædam fuerint; utique mirandum non est, Christo jam Regnum adepto, umbras locum dedisse vero & solido corpori. De Regnis ac Rebuspublicis gentilium multo minus mirandum, quod à Regno hoc ejusque subditis excludantur, quæ nec cum externa Mosis politia potuerunt consistere. Cum ergo Christus non de præsente Christianorum statu, sed de eo, qui futurus esset, cum Regnum ipsius præsens foret, disserat, Judæis qui tum crediderant, & forte in Magistratu erant, his verbis non est imposita necessitas, illo se statim abdicandi; verum sufficit, si postea destiterint, postquam ipse Regni sui administrationem suscepit, legesque Regni sui proprias, ut absolutus Rex per ministros suos promulgari jussit. Tum vero Mosaica politia, quippe præfiguratio in Christum, in populo Dei cessare debebat, ut Christianæ charitatis, patientiæ & mansuetudinis legibus repugnans: de quo post plura suo loco.

Jam nobis illa quæstio enodanda est: quid sentiendum sit de Regibus, Principibus, ac Magistratibus, qui hodie inter Christianos mundano more regnant ac dominantur, an illi plane à Regno Christi ac spe salutis exclusi sint, siquidem in statu vivunt Christianis prohibito? Quæ res ut intelligatur, sciendum est primo, Regnum Christi duobus modis accipi. Primum significatione amplissima, quatenus juxta Danielis prædictionem supra omnes nationes, homines ac linguas totius mundi se extendit Dan. 7. 14, quo sensu omnes non Christiani solum, sed Ethnici quoque Reges atque Magistratus ad Regnum ejus pertinent, ut qui omnibus imperet ac dominetur, eos constituat & deponat, bonos præmiis, malos pœnis afficiat, per eos tueatur ac conservet fideles suos, nec non judicia sua per eos in homines impios exerceat ac exequatur, omnes denique eorum conatus, consilia, totamque regiminis administrationem ita moderetur, ut ad sapientissimum Regni ipsius finem ac scopum, qui est gloria Dei, & salus fidelium, ultimo tendat ac dirigatur. Deinde sumitur etiam Regnum Christi significatu strictiore, eoque intelligitur tantum Ecclesia fidelis, seu verus Christianus populus, qui ex voluntate ejus ipsum colit, cujus ille peculiari ratione Rex & Caput est: ille nimirum populus, cujus typus ac figura fuit olim Israëliticus populus. Et sicut ille per singularem politiam carnalem ab aliis Ethnicis populis; ita hic per singularem politiam spiritualem, sublimemque veræ sapientiæ cognitionem, ab aliis populis terræ, etiam iis, qui nomine tantum Christiani sunt, est segregatus. Atque de hoc Regno sermo est, quando dicitur, statum mundani Magistratûs non habere locum in Regno Christi. Secundo quemadmodum hodie Christiani in tot sectas divisi sunt, quarum quælibet alias damnat; reipsâ autem non omnes errores atque falsæ opiniones, quibus Christiani inter se dissident, ita comparatæ sunt, ut per se hominem à salute excludant, si de cætero vitam vivat voluntati divinæ consentaneam: ita quæritur, an hæc sententia de Magistratu, talis quoque sit, ut ab ea salus necessario pendeat? Ad quam quæstionem respondemus: si Princeps vel Rex non aliter in conscientia sua informatus sit, quam ut credat, se obligatum esse juxta leges mundanas inter Christianos receptas, (quæ potissimum è Lege Mosis & Romanorum desumtæ sunt) populum suum, qui ipsi sive hæreditario, sive electivo jure subjectus est, regere, eum tutari ejusque bonum procurare; certus, se nisi id faciat, transgredi limites vocationis suæ, in qua eum Deus posuit, adeoque graviter in Deum peccare: præterea, si is ita regnum suum administret, ut eum ament & laudent ejus subditi, nec habeant ullam sub imperii ipsius jugo gemendi ansam; si justitiæ tenax sit, ita tamen, ut in puniendo clementiâ magis, quam severitate utatur; si det operam ne quisquam sit pauper in regno, qui egestate conficiatur; inprimis autem, si in conscientias sibi imperium non arroget, neque adeo falcem suam immittat in messem Christi, qui post Deum solus est conscientiarum Dominus; si in reliquis etiam pietati ex præceptorum Christi præscripto studeat; talis Rex, Princeps, vel Magistratus

stratus simpliciter à salute arcendus non est. Interim tamen talis sciat, se non esse in numero electorum filiorum Dei, sed in numero illorum Dei ministrorum, qui constituti sunt ad terrorem malorum operum, qui gladium ultorem gerunt, qui sunt vindices ad iram Rom. 13. 3, 4. Ad talia autem opera, per quæ Deus judicia sua in impios exercet, non solet adhibere electos filios suos, sed viliores personas: quemadmodum nec Regum aut Principum mundanorum quisquam filio suo similes functiones demandat. Electi Dei filii sunt tantum instrumenta charitatis ac bonitatis divinæ, ejus præsertim, per quam salus hominum promovetur. Et quamlibet ejusmodi Magistratus maxime Ecclesiam Christi foveant, deque ea, præclare gerendo imperium, optime mereantur; tamen in eo ipso, dum nil nisi corporale bonum ejus procurant, multo sunt inferiores illis, qui secundum Christi præceptum sese infra omnes demittunt, eorumque salutem atque animarum conservationem sibi unice curæ habent. Isti enim sunt veri magnates ac principes in Regno Christi.

Sed an mox etiam talis Rex aut Princeps, qualem modo descripsimus, si ad veritatis agnitionem perveniat, in gremium Ecclesiæ Christi est recipiendus? Nullo modo. Etsi enim Christiana Ecclesia talem, quamdiu extra est, & in imperii administratione dicto se gerit modo, simpliciter condemnare nequeat; tamen ei nequaquam integrum est, id in Ecclesiam introducere, quod Christus ex ea proscripsit. Si Princeps ejusmodi intelligat Christianam veritatem, necesse est, ut hoc quoque intelligat, quod est fundamentum Christianæ religionis, nempe Regnum Christi spirituale esse, in quo civilis dominatio nullum habeat locum. Si autem propter judicii imbecillitatem aut hebetudinem id capere non possit, & nihilominus pie vivat, potest quidem hæc opinio in eo tanquam infirmo tolerari; sed imperium necesse est deponat, sceptrumque suum ac coronam ad Christi pedes abjiciat, se vero regimini Ecclesiæ subjiciat, si ab ea pro membro suscipi velit.

Ulterius quæri potest: Quid de aliis statibus Comitum, Baronum, Nobilium, & similibus inter Christianos usitatis hominum discriminibus tenendum sit? an nimirum fas sit Christiano vero talem vitæ statum retinere, inque eo vivere? Hanc quæstionem solvit Paulus Apostolus, cum ait: *Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, maneat. Servus vocatus es? ne sis solicitus: sed si potes etiam liber fieri, potius eo utere* 1 Cor. 7. 20, 21, 24. Nullus status à Regno Christi excluditur, si nimirum ad observanda Christi præcepta sensu perfectissimo, quem revera requirunt, accepta impedimento non sit. Et quatenus quidem tales status plus libertatis in se continent, quam plebejus status civium aut rusticorum, Apostolus ipse jubet, ut tali libertate potius utamur. Quatenus vero illi ex mala mundi consuetudine, multa secum trahunt, quæ præceptis Christi directe contraria sunt, ut ex gr. quod nobiles illatam sibi contumeliam etiam ad sanguinem usque vindicare soleant, & plura his similia; eatenus status ejusmodi in Regno Christi non sunt ferendi. Nobili enim, qui vult esse membrum Regni Christi, æque ac infimæ sortis homini dictum est: *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, obverte ei & alteram* Matth. 5. 39. Nominibus istis ac titulis, Nobilis, Baro, Comes, &c. utitur Christianus in mundo, perinde ut vestitu, qui pro consuetudine regionis confectus est. Quando forma vestium passim apud homines, inter quos degimus, in usu est, magis id dehonestaret religionem Christianam, quam condecoraret, si quis priscam aliquam & obsoletam vestitus formam, quæ jam ab omnibus irridetur, retinere mallet. Christiana religio vitat etiam speciem omnem superstitionis, ne videatur in rebus indifferentibus, seu iis, quæ per se nec malæ, nec bonæ sunt, pietatique nihil addunt, nihil detrahunt, singularem aliquam sanctitatem collocare. Vestis non dominatur in animo veri Christiani, quia in ea nihil nisi honestatis habet rationem, quæ apud omnes sapientes laudem obtinet, non vero studet luxui aut ostentationi pro more hominum mundanorum. Paratus quoque est eam abjicere, & cilicium induere, si id gloria Domini Jesu postulet; tamdiu tamen eam retinere potest, quamdiu gloriæ Christi & conscientiæ ejus id nihil obest. Idem igitur etiam de statu nobilitatis sentiendum est: cum is in mundo, ubi Christiani vivunt, receptus est ac viget, magis id in dedecus religioni Christianæ, quasi illa turbatrix sit omnis boni ordinis, quam in laudem redundaret, si quis tali genere ortus, absque causa justa hoc se statu abdicaret, atque plebejis se immisceret. Quocirca Christianus (nisi conscientiæ ipsius aliud suadeat) statum hunc retinere potest, sed ita, ut in eo manens nihil adversum perfectis ac sublimibus virtutibus Christianis, patientiæ nimirum, submissioni, mansuetudini, temperantiæ &c. committat, sed omni ex parte conformem legibus Regni Christi vitam ducat. Certe Paulus Apostolus, qui civis Romanus erat, hoc jus non abdicavit, quin eo etiam, ubi opus erat, usus est. Ex quo exemplo patet, posse Christianum in tali statu etiam vitare luxum in vestitu, cibis, & re familiari, neque metas Christianæ temperantiæ transgredi. Neque est, quod quis objiciat, contemptum non posse vitari, si absit splendor nobilitati conveniens. Nam etiam inter ipsos mundanos homines innumeri sunt nobiles, quibus eæ facultates non sunt, ut splendide vivere queant, aliosque ditiores æquare, neque tamen ab aliis sui ordinis hominibus contemnuntur, sed honorantur, si sapientia aut virtute sint conspicui. Christianus igitur, nobili editus prosapiâ, nulla necessitate adigitur, ut in pompa & luxu alios imitetur, etsi sumptus ipsi suppetant, modo ne infra illam honestatem ac decorum, quod ipsa quoque Christiana religio requirit, se demittat, atque ita extraneis se ludibrio exponat.

Restat adhuc quæstio: Utrum Christiano, qui genere nobili ortus non est, liceat ad talem statum aspirare? Respondeo uno verbo: Nequaquam. Quo enim alio fine id faceret, quam ad demonstrandam suam vanitatem ac superbiam? Equidem si quis servus sit, & alteri subjectus, suadet ipse Apostolus in loco paulo ante citato, ut si liber fieri legitimis modis possit, eo potius utatur. Sed potest aliquis

liber esse, & tamen non esse nobilis. Si quis casum ponat in quo is qui jus nobilitatis affectat, eo ipso plurimum prodesse Ecclesiæ Christianæ possit, id nihil aliud est, quam laqueus, quem hominibus mundana sapientia tendit. Quasi scilicet Deus nequeat conservare Ecclesiam suam, nisi ille nobilis evadat, aut quasi sola virtus ac sapientia ipsa per se, absque hoc pleno vanitatis statu non satis habeat virium ad id præstandum, quod bonum Ecclesiæ requirit. Hoc adhuc supra dictis addendum est, etsi status nobilitatis Christiano homini non sit simpliciter vetitus, eum tamen admodum periculosum & à scandalis minime immunem esse: siquidem difficile valde, si non prorsus impossibile est, in tali statu humilitati (ne de aliis virtutibus nunc quidquam dicam) ita dare operam, prout Christianæ religionis perfectio & exemplum Christi postulat. Præterea per eum impeditur homo Christianus, quominus tempore inopiæ ac egestatis se labore manuum suarum sustentet, & vel opificio aliquo vel alia honesta arte victum quærat. Sed satis de his dictum esto.

CAPUT VIII.

De perfecta patientia, quæ in Regno Christi præscribitur Matth. 5. 38, 39.

ALtera fundamentalis Regni Christi lex est, perfecta Patientia, quam Christus à suo populo exigit. Quæ lex extat Matth. 5. 38, 39, ubi sic loquitur Servator noster: *Audivistis dictum esse: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego vero dico vobis: Ne resistatis malo. Sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, verte ei & alteram. Et qui voluerit tecum judicio contendere, ac tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariaverit ad milliare unum, abi cum eo duo. Petenti abs te da, & qui vult à te mutuum sumere, ab eo ne avertaris.*

Hujus insignis præcepti, quod nobis etiam sapientia hujus mundi controversum fecit, verum sensum nobis monstrare potest exemplum Christi & Apostolorum ejus, & non minus, quam in præcepto perfectissimæ Humilitatis, de quo capite superiori egimus, nos ex anfractibus variarum falsarum interpretationum educere, atque in viam veritatis deducere. Qui enim omnibus in rebus tali utitur patientiâ, quali Christus in tota vita sua usus est, is præceptum hoc perfecte & ex mente ejus implevit. Et quæ interpretatio hominem ab exemplo Christi longius abducit, ut minorem patientiam adhibeat, quam Christus adhibuit, illa merito pro falsa habenda ac repudianda est. Exemplum enim Christi est vera ac infallibilis norma omnium interpretationum legis ipsius, quæ nos nullo modo errare sinit, quamque omnes Christiani absque omni tergiversatione admittere coguntur. *Cum enim Christus passus sit in carne, nos quoque eâdem cogitatione armari debemus* 1 Petr. 4. 1. Non possumus esse Dei hæredes & Christi cohæredes, nisi cum eo patiamur, Rom. 8. 17.

Christus hanc novam legem Regni sui de Patientia, opponit Legi Mosaicæ de pœna talionis, pro variis illatis damnis. Quæ Lex Mosis in tribus potissimum locis Veteris Testamenti scripta legitur. Primus est Exod. 21. 22. & seqq. ubi verba legis ita sonant: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem &c. si mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima*, (id est, vitam pro vita,) *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Alter locus est Levit. 24 ℣. 19. & seqq. *Si quis intulerit corporis vitium proximo suo, sicut fecit, sic fiat ei: fractura esto pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente; quale intulerit vitium, tale inferatur ei.* Tertius est Deuter. 19. 19, ubi de pœna falso testi irroganda agitur: *Omnino facietis ei, sicut fratri suo facere cogitavit, ut malum auferas è medio tui &c. Ne parcat ei oculus tuus, sed anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede esto.*

Hîc vero pro fundamento ponendum est, quod leges hæ, quæ ejusdem argumenti sunt, toti populo Israelitico, seu omnibus in genere & singulis in specie Judæis fuerint præscriptæ. Ita enim habetur in ipso initio Cap. 21. Exodi, unde desumptus est primus locus horum trium modo allegatorum: *Hæc sunt judicia, quæ propones eis*, id est, Israelitis. Et postquam aliæ quædam leges essent enumeratæ, sequitur hæc: *Oculus pro oculo, dens pro dente.* Leges autem istæ, quæ toti dabantur populo, obligabant non promiscuam solum plebem, sed etiam Judices & Capita populi. Non minus enim Judicibus, quam aliis dictum est: Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, &c. Nam in istiusmodi delictis non est apud Deum acceptio personarum, sed parem ab omnibus exigit obedientiam, tam à magnis, quam à minimis. Jure Romano Princeps non tenebatur legibus, at Mosis Lex ex æquo obligabat Regem, ut plebejos.

Hinc jam patet, si constare debeat oppositio, quam hîc Christus facit, etiam hanc novam legem Regni Christi universo populo ejus fideli, tam Judicibus sive magnis, quicunque tandem illic locum habere possunt, quam singulis privatis traditam esse. Hæc enim lex ejusdem est generis ac naturæ cum præcedentibus, ubi Christus prohibuit iram, alienæ uxoris concupiscentiam, divortium extra casum adulterii, nec non temeraria juramenta, quæ toti populo Christiano, nemine excepto, latæ sunt: ita, ut oppositæ sint legibus Mosaicis, quæ itidem toti populo erant datæ. Quocirca verba ista, *Ego vero dico vobis*, sunt tam generalia, ut totam universitatem populi Christiani generatim concernant. *Vobis*, id est, meo populo Novi Fœderis. Cumque deinceps dicitur; *Sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam &c.* nominatim sermo dirigitur ad unumquemque, qui ad Regnum Christi pertinet. Quilibet igitur, qui hujus Regni membrum ac civis esse vult, adeoque etiam Apostoli ipsi, qui erant populi Christiani Principes, & in eorum persona omnes, qui magni sunt in populo Christi, ad hanc legem servandam sunt obstricti.

Porro etiam hoc animadvertendum est, quod etsi Christus legem illam Mosis non totam recitet, sed hæc tantum verba ex ea decerpserit, *Oculum pro oculo,*

oculo, dentem pro dente; nihilominus tamen etiam reliqua, quæ non citat, cum in eodem verborum contextu sequantur, & ad eandem talionis legem pertineant, supplenda nobis reliquerit: nempe *animam pro anima, manum pro manu, vulnus pro vulnere* &c. Hoc siquidem in citationibus hujusmodi usitatissimum est, ut aliqua tantum verba loci alicujus citentur, reliqua subintelligenda relinquantur.

Quod vero supra positas leges Mosaicas, quas Christus hoc loco respicit, attinet, eæ possunt duplici modo considerari, atque sic etiam oppositio, quam hic Christus instituit duobus modis potest accipi. Primo quatenus in iis proponitur omnibus ac singulis è populo Israelitico, quid pœnarum expectandum sit illis, qui proximum suum ex mera animi protervia in corpore læserint; inprimis vero Judicibus præscribitur, quales pœnas delinquentibus & proximos suos ad eum modum lædentibus infligere debeant. Secundò considerari queunt, quatenus in iis tacite conceditur læsis talionem pro sua injuria, seu oculum pro oculo, dentem pro dente &c. à judice petere. *Tacite*, inquam, conceditur. Nam in his legibus talio læsis expresse neque imperatur, neque conceditur: sed quia etiam expresse prohibita non est, inde colligi potest, tacite esse permissum id postulare à Magistratu, quod illi per se & ex officio facere incumbit. Alioqui, cum Lex Mosaica etiam hoc inter alia spectarit, ut hominem unumquemque ad amandum proximum suum, velut seipsum, adduceret, non potuit expressâ lege id concedere, quod amori ac charitati proximi directe adversatur, ut nimirum sine misericordia secundum rigorem juris cum proximo procedatur, & quidem ita ut is per amputationem aut mutilationem membrorum suorum miser reddatur, læso autem damnum illatum eo pacto non resarciatur. Interea tamen, quia Israelitæ naturâ erant ad vindictam proni, per conniventiam tacite illis permissa est vindicta atque talio, propter duritiem cordis eorum, non secus atque divortium etiam illis ob eandem causam concessum fuerat; non tanquam res Deo non summopere displicens, sed ob evitandum majus malum in populo duro ac contumaci. Neque dubium est, quin is, qui hac in parte jus suum persecutus non est, sed acceptum damnum patienter tulit, culpamque proximo suo ex animo remisit, laudabilem & Deo gratam virtutem exercuerit. Unde etiam in Josepho tanquam argumentum pietatis ejus laudatur, quod Mariam uxorem suam noluerit palam ignominiâ afficere, neque rigorem juris adversus eam urgere Matth. 1. 19. Jam quæritur, in qua consideratione ex his duabus, Christus novam legem suam veteri opponat. Respondemus igitur, in utraque. Nam quod priorem attinet, cum legum istarum Mosaicarum is scopus proprie ac principaliter fuerit, ut toti populo, ac inprimis Judicibus modus exercendi judicii ac irrogandi pœnas pro malefactis præscriberetur; manifestum est, Christum, dum eis suam novam legem opponit, & malo (subintellige, homini) resistere vetat, talia jura atque judicia, per quæ malefici corporeis pœnis afficiuntur, in Regno suo & in populo suo abrogasse, & contra, summam patientiam imperasse: pœnas vero infligendi potestatem sibi ipsi tanquam Regi regni sui pro sapientia sua reservasse. Cum enim Christus hîc novam legem suam veteri opponat, clarum est, eum hoc sibi velle, ne malo (id est, malefico) ita resistatur, quomodo sub lege Mosaica resisti solebat, nempe per juridicialia corporis supplicia. Et quamvis Judæis tunc temporis, ut videtur, ademtum fuerit jus gladii Joh. 18. 32, unde & Christo minor necessitas erat homicidii, seu animæ pro anima pœnam nominatim è Republica sua excludere: ita tamen antiquæ legi præceptum suum opponit, ut suis omnem malorum resistentiam vetet, quæ ejusdem sit naturæ cum ea, quam Judæi, oculum pro oculo, repetentes, exercebant puniendo maleficum, aut pœnam exigendo à Judice. Hinc jam patet, jus illud, quod vi legis Mosaicæ habebat læsus in lædentem ad noxam ei vicissim inferendam, hac nova Christi lege esse sublatum. Cum enim lex ipsa læsi injuriam vindicans sublata, & loco ejus alia lex lata sit; palam est, læso omne jus adversario suo nocendi & malum malo retaliandi esse ademtum.

Quod autem posteriorem legum Mosaicarum allegatarum considerationem attinet, quatenus scilicet in eis tacite concessa fuit læsis vindictæ ac talionis à Judice petitio, ita illis nova lex Christi opposita est, ut omnis vindicta in genere, sive illa per judicium seu per Magistratum, sive absque judicio à læso ipso exerceatur, prohibita sit. Quamvis enim Christus hîc non præcipue vindictam spectat, ut nec lex Mosaica; hoc tamen necessario sequitur ex priore: Nam si judicia ipsa, in quibus malefacta puniuntur, in Regno Christi sunt abrogata, inde efficitur, etiam vindictam, quam Judex ad instantiam læsi in maleficum exercere tenebatur, esse abrogatam. Atque ita Christus sapientissime malam vindictæ concupiscentiam una cum radice ex animis hominum evulsit, dum legem Mosaicam abrogando, læso jus malefico nocendi ademit. Hac ratione enim efficitur, ne ullam ex dolore aut damno inimici voluptatem capiamus. At si jus hoc maneret, hominique permissum esset, aliquam inimico noxam vel molestiam inferre, per rei naturam aliter fieri non posset, quam ut animus ex eo aliquam delectationem perciperet. Et etiamsi ratione duo ista inter se discerni possint, vindicta & læsio inimici, tamen reipsâ secum cohærent. Hinc videmus etiam in Deo ipso ista duo non esse disjuncta. Non solum enim Deus affligere inimicos suos, ac perdere in Scriptura dicitur: sed etiam gaudere & lætari super eorum interitum ac perditionem. Cum vero in hominibus Deo istud gaudium ex alieno malo displiceret, oportebat abrogari legem ipsam, cujus vi jus ac facultatem habebat læsus mali inimico inferendi, ut simul gaudium tolleretur, quod ex ejus dolore nasci posset. Talio enim, quam lex Mosis ad instantiam læsi exercebat, nihil aliud erat, quam redditio mali pro malo: quam Scriptura Novi Testamenti etiam alibi prohibet: ut Rom. 12. 17. Illa autem non animo solum peragitur, sed etiam manu & factis externis: imo animo non potest malum reipsa inferri aut reddi, sed solo facto. Sic everso malitiosæ istius voluptatis fundamento, efficacissime, & vere funditus eam Christus evertit. Si igitur hac nova lege Christi

vindicta interdicta est, quæ per Magistratum exercetur, multo minus propria vindicta erit concessa, quæ non solum in Regno Israelitico, sed etiam in Ethnicorum bene constitutis Rebuspublicis fuit prohibita.

Præterea ad perfectam hujus insignis legis Christi intelligentiam notandum est, eam latius multo extendi, quam ne malum pro malo reddamus. Voce enim *Mali* Christus non solum intelligit maleficum, qui nocet alteri, sed simpliciter omnem hominem injustum & ingratum. Prohibetque hîc talem resistentiam, qua non solum malum vindicatur, sed etiam adversario inhumaniter denegatur id, quod stipis aut mutui nomine petit. Hoc autem partim ipsa præcepti verba indicant, in quibus simpliciter ac indefinite dicitur, ne malo resistamus; partim exempla à Christo rei illustrandæ subjuncta, in quibus proprie talioni locus non est. Nam quæ talio postulari poterat juxta legem Mosaicam, in percussione maxillæ, si nullum vulnus aut livor accederet, aut in angariatione ad unum milliare? Itaque ex his exemplis liquet, Christum majorem adhuc patientiam inculcare, quam quæ generali præcepto de Non resistendo fuerat expressa. Nimirum vult, ut, præter spontaneam malorum patientiam, sit in nobis promptum benefaciendi studium, quo parati simus plus præstare adversario, quam à nobis postulat, aut plus mali ab eo pati, quam nobis infert, ostendentes, nos Dei obedientiam & salutem proximi pluris æstimare, quam nostrum commodum. Idcirco hoc in loco exempla subjiciuntur interdicto resistentiæ, quæ eadem apud Lucam sic accommodantur præcepto dilectionis inimicorum, ut appareat, eosdem charitatis actus, qui inimicis debentur, etiam malis istis esse exhibendos Luc. 6. ℣. 29. Sensus proinde horum exemplorum non alius est, quam si diceret Christus: si quis te percusserit in dextram maxillam, verte ei (puta animo, ut Augustinus recte exponit) & alteram, id est, esto paratus in animo tuo, potius alteram maxillam cædendam præbere, quam ut malo resistas, sive per te, sive per Magistratum. Atque hoc quidem pacto talionem, hoc est, legalem resistentiam, multo efficacius prohibuit Christus, quam si expressis verbis eam prohibuisset. Quemadmodum etiam in loco Matth. 20. 21, Apostolorum ambitionem efficacius repressit, dum in viam prorsus contrariam extremæ humilitatis ac servitutis eos deduxit. At si talionem tantum prohibuisset, jam qui hoc præceptum impleret, nihil faceret amplius, quam quod tum temporis gentes haud difficulter præstabant. Nam etiam Philosophi inter eos docuerunt, vindictam sapienti haud convenire. Quomodo ergo Christus tales vocat filios Altissimi? Tum quid opus erat tot ambagibus addere ista, citius quam oculum pro oculo exigas, obvertendam alteram maxillam, pallium eripienti tunicam adjiciendam, duo milliaria cum eo, qui adigat ad unum, conficienda. Omne id, quod potius faciendum dicit, otiosum est, cum id resistentiæ interdicto generali satis perspicue propositum fuerit. Atqui ex circumstantiis loci patet, majorem hîc perfectæ patientiæ & beneficentiæ virtutem doceri, quam generale mandatum de non resistendo complectebatur. Eandem patientiam firmant omnia illa Scripturæ testimonia, quæ sic malum pro malo reddere vetant, ut contra illud bene dicendo faciendoque vincere jubeant; idque tantâ fiduciâ in Deum, ut vindicta & defensio omnis, quamlibet æquissima, qualis est illa, quam ipse exercet in maleficos, ei ut justissimo ac prudentissimo judici in solidum committatur, vide Luc. 6. 28, 29. Rom. 12. 17. 1 Thess. 5. 15. 1 Petr. 3. 9, 11, 12, 13. IV. 19. Porro quam late se extendit præceptum Christianæ charitatis adversus inimicos, tam late censendum est extendi debere resistentiæ interdictum contra maleficos.

Ulterius quæritur: An ergo nulla ratione fas sit, malum atque injuriam, quæ ab inimico infertur vel intentatur, avertere, aut seipsum defendere? Cujus quæstionis solutio ex exemplo Christi, & Apostolorum, nec non fidelium Veteris Ecclesiæ sumi potest. De Christo enim legimus, cum eum Judæi lapidare vellent, eum se abdidisse, atque ex Templo se subduxisse Joh. 8. 58. Et cum alio tempore eum capere vellent, elapsum eum fuisse ex manibus eorum Joh. 10. 39. Paulum Apostolum discipuli Damasci nocte per murum demiserunt fune in corbe, cum Judæi vitæ ejus insidiarentur, & portas observarent Act. 9. 24, 25. Ita cum Judæi quidam conjurassent, ac devovissent se non esuros, neque bibituros, donec interemissent Paulum, is conjuratione hac cognitâ, curavit rem per filium sororis suæ indicari Tribuno, qui eum postea, forti militum manu additâ Cæsaream deduci imperavit Act. 23. ℣. 12, 17. & seqq. Ita Paulus idem animose factâ apologiâ se defendit, eo fine, ut ab infestis sibi adversariis liberaretur Act. 22. 1. Cumque Tribunus eum flagris cædi juberet, defendit se jure civitatis Romanæ, sicque plagas evitavit Act. 22. 25. Similiter egit causam suam coram Festo, quem officii ejus admonuit, indicans, si nihil eorum, de quibus accusabatur à Judæis, probari possit, eum non habere potestatem se Judæis donandi, seu eorum libidini permittendi. Appellavit quoque ibidem ad Cæsarem Actor. 25. 11. Fideles Hierosolymitani, cum ingens exoriretur persecutio, fugam omnes ceperunt, & dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ Actor. 8. 1. Ex quibus exemplis colligitur clare, quod liceat, adeoque præcepto huic Christi adversum non sit, avertere malum, quod pessimi homines intentant, dummodo id fiat legitimis ac placidis modis, talibus scilicet, quibus neque inimicus lædatur ac noxâ afficiatur, neque occasio detur sinistris sermonibus, vel scandalum infirmis præbeatur. Modi isti sunt; prudentia & cautio, consilium bonum, preces, intercessio amicorum, fuga, occultatio sui, dimissio mali hominis, si nobis servitio obstrictus sit: quales modos adhibitos magnâ ex parte videmus in exemplis modo allegatis Christi & Apostolorum. Licitum quoque est, ejus, qui nos in corpore nostro lædere conatur, manus tenere, arma ei eripere, aut etiam in terram eum dejicere, ut interea tempus fugiendi habeamus. Quanquam credendum est, Deum ejusmodi casus, in quibus violentâ tametsi innoxiâ defensione opus sit, non facile, nec sine gravissima causa fidelibus suis immissurum:

missurum: qua de re infra aliquid amplius adhuc dicetur.

Insuper docet nos superius memoratum Pauli exemplum, qui per appellationem apud Cæsarem præsidium adversus inimicos suos quæsivit, prohibitum non esse, ut homo Christianus ad magistratum civilem confugiat, qui constitutus est tam ad bonorum defensionem, quam ad malorum pœnam, ejusque auxilium imploret, & vel ope ejus ablata recuperet, vel, si id ipsum quod ablatum est, reddi nequeat, damni compensationem quærat: dummodo intra lenitatis moderationisque Christianæ terminos consistat, neque damnum ullum lædenti inferat, omnemque vindictæ, iræ ac impatientiæ speciem vitet. Potest etiam huc referri casus ille, si quis in corpore læsus sit ab homine improbo, quod liceat tali impensas curationis per magistratum a facinoroso repetere. An vero etiam dolorum petenda sit compensatio, dubitatur: certumque est, cum perfectius hanc Christi legem servare, qui dolores pensari sibi non postulat. Quodsi tamen læsus membro aliquo sit mutilatus, ita ut victum sibi amplius comparare nequeat, neutiquam ei prohibitum est, æquam compensationem à patratore facti, si facultates ejus ferant, exigere. De cætero si ad eum modum, ut dictum est, vim atque injuriam avertere nequeamus, vel, si res sit parvi momenti, ac tolerabilis, potius duplo majus damnum subire debemus, quam vel per Magistratum à nobis malum amoliri. Nam ob rem exiguam adire magistratum, speciem præbet animi contentiosi ac impatientis. Quanquam sæpe ratio existimationis ac bonæ famæ exigit, ut etiam res minoris momenti, quæque alioqui facile contemni possit, per Magistratum repetatur; si nimirum dum illa nobis eripitur, simul crimine raptûs vel furti aspergamur: quo in casu patientia ac silentium facile nos reos atque infames redderet; quod ut fiat, si revera simus innocentes, propter Christiani nominis honorem nullo modo nobis est committendum.

Ex iis, quæ dicta sunt, jam perspicuum est, moderatam ac innoxiam defensionem huic præcepto Christi neutiquam adversari: utpote cum id non omni omnino resistentiæ opposuerit, sed ei duntaxat, qua sub lege Mosis resistebatur malo, per pœnas scilicet judiciales, vel per modos, qui ejusdem naturæ ac generis sunt, quibus nimirum lædens vicissim lædebatur. Animadvertendumque hic est, Græcum verbum ἀνθίστημι, quo hic Christus utitur, denotare ejusmodi resistentiam, quæ per vim fit, non cum modestia ac lenitate. Hinc etiam intelligitur, adducta à Christo exempla non simpliciter & ad literam esse accipienda; quasi nimirum teneamur percutienti nos in dextram maxillam, illicò, etiam illo non postulante, ac sine ulla necessitate alteram maxillam cædendam obvertere. Exemplum enim Christi nos aliud docet: qui cum ei miles quidam impegisset alapam, non protinus obvertit alteram maxillam, sed eum potius, quod se injuste cæderet, redarguit: *Si male locutus sum*, inquit, *testare de malo; sin bene locutus sum, cur me cædis?* Joh. 18. 22. Paulus etiam aliquanto acerbius invectus est in Ananiam Pontificem Maximum, qui ei os depalmari jusserat. Nam non solum injustitiam mandati istius Pontifici exprobravit, sed Dei supplicia etiam eidem denunciavit. *Percutiet te*, inquit, *Deus paries dealbate; & tu sedes judicans me secundum Legem, & Legem transgrediens, jubes me cædi?* Actor. 23. 2. Quare Christus hoc loquendi modo, qui in Sacris Literis insolens non est, nihil aliud indicare voluit, quam ut prompti ac parati simus plus etiam malefico præstare, quam ipse à nobis postulat: ut supra ostendimus.

Hîc etiam quæri solet; Annon Christiano licitum sit, hostilem invasoris impressionem, si aliter fieri nequeat, cum ipsius læsione repellere? Sed hanc quæstionem expediemus inferius, postquam falsas hujus præcepti Christi interpretationes è medio removerimus.

Jam opus est, ut etiam falsas hujus legis Christi interpretationes, quas carnalis sapientia adinvenit, examinemus & refellamus. Prima est eorum, qui ajunt, Christum hîc nihil nisi privatam vindictam, quam quis ipse per se exercet, non autem eam, quæ per Magistratum fit, prohibuisse; & hanc quidem legem suam opposuisse traditioni Pharisæorum atque Scribarum, qui hanc Mosis legem, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, de ejusmodi propria ac privata vindicta interpretati sint. Verum hæc sententia nullo veri schemate est commendabilis. Sic enim Christus nihil novi docuisset, cum Judæis quoque propria vindicta non fuerit concessa: imo etiam in omnibus Ethnicis bene ordinatis Rebuspublicis vindicta privata tanquam maximarum turbarum causa fuerit damnata. Neque ullo verisimili argumento ostendi potest, Pharisæos illa tempestate talem vindictam licitam esse docuisse, per quam divina vindicta, quæ per Magistratum exercebatur, atque adeo lex ipsa inanis & supervacua reddita fuisset. Ecquis vero ausus fuisset, proprio motu, ac sine auxilio Magistratûs, adversarii sui manus ac pedes ligare, eisque vicissim oculum vel dentem excludere? annon rursus hic adversarius collecto sodalitio par pari referre studuisset? Unde tandem ad summam seditionem, ad homicidia & sanguinis effusionem res devenisset. Ita ut Pharisæis nullo modo tam absurda doctrina adscribenda sit; præsertim cum illa nulli esset usui; quandoquidem Judices tenebantur ex lege læsis assistere, & eorum injurias vindicare.

Alii concedunt, Christum hic omnem vindictam in universum, etiam quæ per Magistratum exigitur, vetasse; ideoque sequentia exempla ita exponunt; potius iterum subeundam alapæ percussionem, aliaque, quæ ibidem recensentur, quam ut ullo modo vindicta de adversario sumatur. At nos supra probavimus, Mosaicam Legem non id potissimum spectare, ut aliquam læso vindictam concedat; sed magis, ut qui injuria afficiunt alios, puniantur. Quare & Christus hac sua lege non primario vindictam respexit, sed in genere omnem resistentiam, quæ ejusdem naturæ est cum ea, qua sub lege malo resisti solebat, cum damno scilicet ac noxâ ejus qui læsit. Monstravimus quoque, Christum his exemplis aliquid amplius exigere, quam generali mandato de Non resistendo, videlicet talem patientiam, quæ

quæ cum beneficentia erga adversarios conjuncta sit. Quod longe plus est, quam à vindicta per Magistratum repetendâ abstinere.

Tertia interpretatio est eorum, qui sentiunt, Christum in allegatione Legis Mosaicæ neque primam, neque secundam, cujus supra mentionem fecimus, considerationem spectasse, id est, neque corporales pœnas maleficorum irrogatas à Judice, neque concessionem læsis vindictæ à Magistratu petendæ; sed eum eatenus Legi Mosaicæ suam novam opposuisse, quatenus eâ tacite fuit prohibita omnis proximi læsio corporalis. Dum enim facinori certa assignata fuit pœna, simul eo ipso facinus ipsum prohibitum est. Christus igitur, cujus institutum fuit, Mosaicæ Legis imperfectiones supplere, juxta hanc sententiam nihil aliud sibi vult, quam si diceret: Audivistis, in Veteri Fœdere interdictum fuisse, ne quis proximo suo noceat, vel malum inferat. Ego vero dico vobis, ut non solum proximo nihil mali inferatis, neque eum ulla ratione lædatis, sed potius, si quis vos malo aliquo afficiat, ne adeo ei resistatis, ut iteratam potius injuriam excipere parati sitis. Interim vero istius interpretationis auctores nolunt hanc tam promptam patientiam extendi debere ad graves & insignes injurias, tantum ad leves ac facile tolerabiles, qualis est alapa, ereptio tunicæ, adactio ad iter unius aut alterius milliaris, & similes.

Hæc interpretatio duplici de causa est excogitata. Primò ut evitetur id, quod supra ex vi oppositionis probavimus, quod nimirum civilia judicia & corporales pœnæ hac lege sint abrogatæ; id quod auctores isti neutiquam admittunt, sed Magistratum civilem una cum lictoribus & carnifice in Regno Christi locum habere volunt. Deinde ut liceat resistere vi & cum læsione inimici injuriis ingentibus, quæ vel cum periculo vitæ conjunctæ sint, vel omnium bonorum nostrorum terrenorum jacturam secum trahant. Verum in hac interpretatione primum pro concesso sumitur, quod probabile non est, Christum nimirum Legem Mosaicam, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, tam laxo & generali allegasse sensu, ut eâ nihil aliud significetur, quam proximum non esse lædendum. Revera enim is scopus præcipuus illius legis non fuit, etsi necessario ex ea colligatur: sed scopus ejus fuit, Judaico populo jura atque judicia præscribere, (ut expresse dicitur in principio Levit. 21.) quomodo talia facinora, quæ istic enumerantur, puniri debeant. Proximo non esse nocendum, nec ullo malo afficiendum, id tanquam res, quam ipsa natura dictat, & alibi vetita est, pro concesso sumitur. In præcepto Decalogi, *Non occides*, vetatur homicidium: at cum dicitur, *Anima pro anima*, homicidio, quod jam vetitum est, pœna constituitur. In præcepto, *Non furaberis*, prohibetur furtum: in lege autem, quâ præcipitur, ut qui furatus est, quadruplum reddat, pœna furti expressa est. Et sic se res habet in reliquis legibus. Aliud est, rem aliquam prohibere; aliud, assignare pœnam rei prohibitæ: etsi ex pœna colligi queat, rem prohibitam esse. Quocirca neutiquam admittendum est, Christum hanc Mosis Legem alio respectu aut intentione allegasse, quam quâ præcipue lata fuerat: qua intentione ac scopo legis prætermisso, ut alius generalis quæratur scopus, nulla urget causa, præter præconceptam opinionem, quæ corporeas pœnas è Regno Christi exterminari non vult. Quæ enim hujus interpretationis causa affertur, quod nimirum Christo propositum fuerit, supplere defectum Mosaicæ Legis, in eo dum non solum malum prohibet facere, sed etiam pati jubet, non est sufficiens. Annon enim Lex Mosis perfectissime suppletur, dum Christus potestatem corporales pœnas infligendi ademit hominibus, qui sæpissime graviter errare possunt, & absque omni gratia ac misericordia judicare coguntur, eamque sibi ipsi, qui est sapientissimus atque æquissimus Rex, reservavit? Annon & hoc est defectus legis supplere, tam exactam ac perfectam patientiam præscribere, ut non solum omnia mala æquo animo tolerentur, sed etiam is qui læsit, beneficiis afficiatur? Ex adverso legi parum aut nihil perfectionis accedit, quando leviores injuriæ, quæ etiam sub lege puniri non poterant, ferri jubentur, graves autem ac notabiles injuriæ, non secus ac olim sub lege rigide puniri permittuntur.

Deinde distinctio inter graves & leves injurias in hac interpretatione nullo fundamento adhibetur, & merum tantum effugium esse videtur. Ubi enim Christus non distinxit, ibi nobis quoque non est distinguendum. Verba simpliciter sonant, & sine ulla distinctione sunt posita: *Ego dico vobis; Ne resistatis malo.* Imo hic nullam distinctionem locum habere, sed nobis hac lege injunctum esse tam graves quam leves tolerare injurias, ac insuper adversarios beneficiis cumulare; docet nos iterum exemplum Christi & Apostolorum. Quando enim Christus injuriam ullam violentâ ratione & cum damno ac læsione inimici à se avertit? Imo etiam truculentissimam mortem in se suscepit ultro, non solum ob talem causam, quæ in eo solo, tanquam Servatore humani generis, locum habuit, sed etiam nobis in exemplum perfectissimæ patientiæ, ut nos quoque eadem cogitatione armemur, ut loquitur Petrus Apostolus 1 Petr. 4. 1. Certe solum Christi exemplum potest nobis esse perfectissima norma, cujus ope ad verum hujus sublimis legis Christi intellectum perveniamus: id quod facillime intelligere possemus, nisi nobis caro, quæ ad tam exactam patientiam inidonea est, nebulas offunderet.

Verum ut de exemplis istis, quæ Christus hoc loco præcepto suo subjecit, aliquid ex professo dicamus, notandum primo est in genere, injurias illas, quarum Christus hîc mentionem facit, non esse simpliciter ita leves ac parvi momenti, uti in hac interpretatione extenuantur, sed in certis casibus gravissimas, imo carnali homini plane intolerabiles esse posse. Nam alapam quod attinet, si illa impingatur alicui è vulgo & infimæ sortis homini, puta servo, aut alii pugnos edere vel assueto, vel non indigno, posset forte non adeo gravis injuria videri: præsertim si à superiore aliquo infligatur. At si id contingat in viro honorato, & summæ inter homines dignitatis, si in venerando aliquo sene, si in patre, aut etiam in conjuge alicujus, matronâ gravi ac nobili, vel si in magistratu; idque non privatim,

vatim, nemine conscio, sed fiat in loco publico, plurimis inspectantibus: quis non videt injuriam esse summam? Etsi enim dolor corporis in eo facto non sit adeo magnus: at dolorem animi, qui ex summa contumelia atque ignominia nascitur, magnum esse necesse est, & homini sublimis ac carnalis animi intolerabilem. Certe juxta usitatum mundi morem dedecus nullum gravius esse inter nobiles reputatur, quam alapa. Sic tunica & pallium si opulento alicui ac bene nummato auferatur, exigua quædam & nullo numero habenda videtur. Quidsi vero pauperi & ægre vitam toleranti vestem eripias, quâ vix corpus à frigore aut nuditate defendit, cujusque reparandæ nulla ei suppetunt media, quæ major ei in bonis ac facultatibus ejus injuria fieri potest? Imo etiam diviti, si quis vestem detrahere tempore alienissimo, puta intensissimo gelu urente, in platea velit, ubi alia non sit in promptu, nihil gravius & acerbius potest accidere. Tandem milliaris unius atque alterius onus vi atque ingratiis alicui impositum, nullo jure ac merito inter leves simpliciter & contemtibiles injurias reponitur. Quid enim? si quis cogatur, qui sit ad iter, præsertim pedestre, parum aptus; si importuno tempore, ut maximum ac irreparabile damnum præsto sit, nisi domi maneat, aut si aliò ipsi necessario proficiscendum sit, & mille aliæ ejusmodi circumstantiæ dari possunt, quæ hanc injuriam gravissimam reddant. Manifestum igitur est, male istas à Christo nominatas hoc loco injurias, simpliciter leves & exiguas censeri: cum pro ratione personarum (quæ tamen omnes ad observationem hujus præcepti obstrictæ sunt) loci, temporis, ac conditionis uniuscujusque, aliarumque circumstantiarum evadere possint summopere graves ac propemodum intolerandæ. Nam, ut de solo discrimine personarum adhuc aliquid dicamus, an id haberi posset pro levi injuria, si aliquis è plebe Regi aut Principi suo alapam infringeret, vel illuderet ei nasum ejus talitro percutiendo? Vel si veste eum ignominiose spoliaret; aut minis eum cogeret ad milliare unum conficiendum, & ad rustica opera sua peragenda? Dicet quispiam: Impossibile esse, ut ejusmodi casus dentur. At cur id impossibile est? non quod tam mali atque audaces homines non reperiantur, qui talia designare sustineant, si modo sciant, id impunitum fore, Regemque ac Principem patienter id ferre teneri (quid enim non adversus hominem committerent, qui adversus Deum omni genere petulantiæ peccare non verentur?) sed quia norunt, certum sibi mortis supplicium pro tali facinore expectandum esse. Si quis autem objiciat, Magistratum tales injurias etiam patienter ferre teneri, quatenus Christianus est, sed non quatenus Magistratus est, cum hoc respectu obstrictus sit talem protervian pœnis coërcere, non ex impatientia, sed ex officio. Verum distinctionem hanc inter Christianum & Magistratum jam superiori Capite diluimus. Quis ratione præditus possit concipere, ut duæ res invicem contrariæ ac se mutuò tollentes simul in una persona habeant locum? ut nimirum quis injuriam unam eandemque patiatur & non patiatur, remittat & non remittat; illud quidem quatenus Christianus est, hoc vero quatenus est Magistratus? Legi Mosaicæ, cui Christus hîc novam legem suam opponit, cujusque etiam hæc pars erat, *Anima pro anima*, non minus Rex, quam vilissimus quisque è populo erat obnoxius. Hinc David propter occisum Uriam, mortis reus erat, & capitali afficiendus fuisset supplicio, nisi Deus extraordinariam ei gratiam exhibere dignatus fuisset: ut patet ex 2 Sam. 2. 13, ubi Nathan ei dixit, postquam peccatum suum esset confessus: *Non morieris*, nimirum, ut debebas secundum Legem. Quodsi vero Rex illi parti Legis, *Anima pro anima*, subjacebat, utique etiam in reliquis, quando dicitur, *Oculus pro oculo, dens pro dente*, eidem erat subjectus, & pœna tam super Regem, quam super alium quemvis jure atque ex vi legis extendenda erat. Quemadmodum igitur illa Lex Mosaica omnes & singulos è populo absque discrimine personarum atque officii obligabat, Rexque quatenus Rex erat, nullo pacto ab ea erat liber: ita obligat etiam hæc Christi lex omnes ac singulos, qui ad Regnum ejus pertinent, ita, ut qui vult in eo Rex esse, non tantum qua Christianus est, sed etiam qua Rex est, eâ se teneri, agnoscere debeat. Unde liquet, Regem illum, qui quatenus Rex est, huic se legi Christi non vult subjicere, etiam eatenus, qua Rex est, non posse esse Christianum; & rursus Christianum, quatenus Christianus est, talem Regem esse non posse. Quod nihil aliud est, quam quod Christianus non possit simul Christianus esse, & talis Rex.

Sed jam etiam secundo in specie exempla à Christo allata consideremus: ac primo de percussione maxillæ sciendum est, proverbiali locutione apud Hebræos quodvis ignominiæ genus, quâ quispiam afficitur, hac phrasi significari; contra vero præbere maxillam percutienti, patientiam quarumvis, etiam gravissimarum contumeliarum denotare. Quod & ab eruditis compluribus observatum est, & loca Sacræ Scripturæ aperte docent. Prioris exemplum vide 2 Cor. XI. 20, ubi Apostolus ad Corinthios scribit: *Sustinetis enim, si quis vos in servitutem redigit* &c. *si quis vos in faciem cædit*; id est, si quis vos omni genere contumeliæ afficiat. Non intelligit autem Apostolus qualemcunque, aut levem aliquam contumeliam, sed insignem ac grandem. Hoc enim agit, ut Corinthiis monstret, quantas contumelias illi ac probra à falsis Apostolis sustineant. Itaque loquitur non de parvi, sed de maximi momenti contumeliis, ut tanto magis animos eorum à falsis Apostolis avertat. Vide quoque 1 Cor. 4. 11, ubi Paulus scribit de suis gravissimis afflictionibus atque perpessionibus: *Usque in hanc horam esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur.* Ubi rursus Apostolus non levem contumeliam intelligit, cum velit maximas perpessiones suas & acerbissima mala exprimere. Posterioris exemplum clarum habemus Esa. 50. 6. *Corpus meum præbui percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non abscondidi à contumeliis & sputo.* In quibus verbis patet Prophetam describere summam patientiam suam: ac proinde eum hac locutione maximas & gravissimas contumelias designare. Vide quoque Lament. Jer. 3. ℣. 27, 30. *Bene est viro, derelicto, si jugum suum patienter ferat* &c. *si præbeat percutienti se maxillam, & satietur opprobriis multis.* Ubi *opprobria multa* explicant

plicant illam percussionem in maxillam. Ex hisce scripturæ locis perspicuum est, hoc præcepto Christi de perferenda maxillæ percussione contineri præceptum ferendarum cujuscunque generis contumeliarum, etiam gravissimarum. Sed non contenti probasse, omnes contumelias ista phrasi intelligi, præterea summos etiam dolores eâ comprehendi ostendimus. Non est enim, cur id ulla ratione admittamus, quod hic vulgo pro concesso sumitur ab iis, quibuscum disputamus, Christum scilicet per maxillæ percussionem nihil aliud, quam simplicem alapam, quæ expansâ manu infligitur, intelligere. Multo generalius est, maxillam percutere, quam alapam infringere. Omnis quidem alapa est percussio maxillæ, sed non omnis percussio maxillæ est alapa. Neque Christus dixit, si quis te nuda manu percutiat in maxillam, sed simpliciter, si quis te percutiat in maxillam. Imo usus est Christus verbo ῥαπίσῃ, quod duriorem, quam qui nuda manu imprimitur, ictum significat. Descendit enim verbum istud à nomine ῥάπις, quod baculum vel virgam notat. Unde distinguuntur ista duo Matth. 26. 67. κολαφίζειν & ῥαπίζειν: illud significat percussionem manu sola factam, hoc baculo. Legatur Beza, si placet, in Annotat. ad Matth. 5. & Marc. 14. 65. Non ergo levem duntaxat alapam hic Christus à nobis patienter excipi voluit, sed etiam plagas gravissimas, quæ fuste aut alio aliquo duro instrumento infliguntur. Sed etiamsi ictus, qui à sola manu proficiscitur, hic denotaretur tantum, non intelligeretur protinus alapa explicatâ manu illata; potest enim etiam percussio, quæ fit pugnis, intelligi. Quæ percussio adeo gravis esse potest, ut, si ab homine valido atque irato fiat, non solum valetudini ac membris nocere, sed & mortem quoque afferre queat. Vide locum Exod. 21. 18. Inde est, quod voce colaphizari (quod proprie est pugnis cædi) non quævis contumelia tantum significetur in Sacris Literis, ut paulo ante dictum est, sed etiam omnigena afflictio indicetur. Vide inter alia 2 Cor. 12. 7, ubi sic loquitur Apostolus: *Datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ, ut me colaphizet.* Hic Paulus omnes suas perpessiones, quas fuisse maximas nemo negare potest, vocabulo colaphizandi complexus est. Sic Petrus *colaphizari* pro omni genere pœnæ & afflictionis, etiam gravissimæ, posuit, dum servos delinquentes colaphizari ait 1 Petr. 2. 20. Cum neminem lateat, eos aliquando etiam virgis vel fustibus objurgari, aliquando in carcerem compingi, aliquando quoque pro delicti ratione in crucem agi solitos. Sed Apostolus per Synecdochen speciei colaphum pro quavis pœna usurpavit. Huc etiam pertinent verba Davidis Psal. 3. 8. *Tu percussisti omnes hostes meos in maxillam*, id est, variis calamitatibus ac judiciis tuis eos afflixisti. Item verba Mich. 5. 1. *Obsidionem posuerunt contra nos, & virgâ percutient in maxilla judicem Israëlis:* id est, is qui alios punire solebat, ipse miserrime (ut in obsidione fieri solet) affligetur atque vexabitur.

Ex his jam satis elucet, cum percussio in maxillam non solum cum ignominia, sed & cum dolore insigni, ac valetudinis jacturâ sæpe conjuncta sit; Christum in hoc uno exemplo docere, non tantum contumelias omnes, sed perpessiones quoque corporis & plagas etiam atrocissimas, ne iis quidem exceptis, quas mors possit consequi, nobis tolerandas esse. Si enim dixisset: Quicunque tibi in faciem inspuerit (quæ phrasis quoque Hebræis familiaris est) solam ignominiam sive dolore corporis expressisset; nunc cum percussionis meminit, & quidem ejusmodi, quæ non levem plagam corpori infligat, non est quod perpessiones corporis gravissimas hinc excludamus.

Atque id confirmatur antithesi, quam Christus hîc instituit. Legi enim Mosaicæ, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, opponit, *Ne resistatis malo.* Cui vero malo? Nonne illi, quem paulo ante innuit, qui scilicet oculum vel dentem alteri excutit? Cur enim Christus oculi & dentis meminit, si noluit tales injurias à nobis ferri? Quæ esset ista oppositio, si pars ejus una de re alia ageret, altera de alia? Etiam in ipsa Lege Mosaica Levit. 24. 20. Christus minores repetisset injurias, si voluisset, ut patientia nostra tantum ad leviores se extenderet injurias. Dicitur enim ibi, *vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Livor, ut & simplex vulnus, quod facile sanari potest, est minus damnum, quam excussio oculi aut dentis, quorum jactura est irreparabilis. Quocirca Christus cum ex Lege Mosis verba protulisset, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; postea aptissime patientiæ exemplum in percussione maxillæ posuit; ad istam scilicet oculorum ac dentium excussionem respiciens, & has similesque perpessiones generali percussionis in maxillam phrasi includens. Quasi dicat: In Lege Mosis injuriæ similibus atque æqualibus pœnis vindicabantur, ut pro oculo ac dente oculus vicissim ac dens excuteretur. Ego vero volo, vos ita patientes esse, ut si quis vobis ictum in unam faciei partem, vel manu, vel fuste impingat, etiamsi oculus vel dens elidatur, non modo non resistatis malo, sed ad alium adhuc ictum excipiendum paratiores sitis. Atque ideo Dominus maxillam potius, quam aliam corporis partem nominavit, quia dum maxilla percutitur, præsertim graviter, facile fieri possit, ut vel oculus vel dens eo ictu excludatur. Interim vero dubium non est, maxillam hic pro qualibet parte capitis, imo totius corporis poni: nulla etenim ratio est, cur Christus nos voluerit æquo animo pati, si in maxilla cædamur; si in alia corporis parte, noluerit id ferri.

Alterum exemplum est de tunica: ubi similiter attendenda est consuetudo Hebræorum, qui sicut per panem sæpe omnem victum intelligunt, ita per tunicam aut vestem, opes ac facultates omnes, totamque rem familiarem significare solent. Huc pertinet præter alios locus Luc. 3. 11, ubi Johannes Christi Prodromus turbas adhortatur: *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti.* Quis non videt, hîc speciem pro genere positam, & quicquid corpori nostro sufficere potest, ac humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit (ut Hieronymus hunc locum explicans loquitur) per duas istas tunicas notari? Non enim Johannes vult solam tunicam egenti proximo dari, sed & quævis alia, quibus is in vita opus habet. Cur ergo absurdum cuiquam videatur, si in nostro quoque loco

Christus

Christus per amissionem tunicæ & pallii omnium facultatum ac bonorum terrenorum jacturam significasse statuatur. Præsertim cum ea fuerit discipulorum Christi, quos tunc alloquebatur, conditio, ut omnes eorum opes ferme in una atque altera tunica consisterent. Non illis latifundia, vel amplæ possessiones erant: non centena aut millena numerabant sestertia: quid ergo de iis loqueretur? apposite Christus & accommodate ad personas, quibuscum ipsi res erat, sermonem instituit.

Deinde non est respicienda vilitas tunicæ unius atque alterius, sed maxime spectanda est necessitas. Amictus enim est unum ex rebus necessariis, quibus vita nostra constat. Majoris quidem pretii est auri atque argenti cumulus, quam vestis: at auri argentique copiâ carere vita nostra potest, vestitu non potest. Ita ignis & aqua auro longe viliora sunt: multo tamen gravius est, si cui aquâ & igne interdicatur, quam si quis congestis undique auri acervis spolietur. Pari modo hic quoque non ex vilitate, sed ex necessitate vestium metienda est gravitas injuriæ. Et hanc dubio procul Christus in hoc exemplo spectavit; ut ita rectissime à minus verisimili ad magis verisimile affirmate procedat nostra argumentatio: Si ereptionem rerum ad vitam nostram sustentandam summe necessariarum Christus jubet patienter à nobis ferri; multo magis non vult subire ac ferre ereptionem rerum superfluarum, in quibus (teste ipso Domino Luc. 12. 15.) vita nostra non consistit. Faciunt huc iterum verba Johannis Baptistæ Luc. 3. 11, qui locus mire aptus est ad nostrum, quem tractamus, illustrandum. Res enim minime dubia est, Baptistam per unam tunicam res omnes necessarias; per alteram tunicam, res omnes superfluas significare voluisse. Nam non jubet utramque dari: quid enim ipsi retineremus? Sed unam nobis relinquit, quia necessaria est; alteram, quia redundat, vel saltem minus nobis, quam proximo, qui nullam habet, necessaria est, dari imperat egenti. *Quæ optima beneficentiæ regula est*, inquit Grotius Annot. in Luc. 3. 11, *neque naturalem nostri curam nobis detrahens, neque nos patiens per delicias abuti, quorum penuriâ alii miserabiles vivant.* Quanquam (ut hoc obiter addam) regulam istam beneficentiæ sæpe extraordinarii casus cogunt transgredi: quando v. gr. vel res gloriæ divinæ agitur, eaque impendio omnium rerum nostrarum redimenda est; vel proximorum id requirit necessitas, quorum usibus non bona modo nostra omnia, sed animam quoque tenemur impendere. Ordinarie tamen verum est, aliorum necessitatem, ex eo, quod nobis superest, supplendam esse: nam & Apostolus sic Corinthios instruit 2 Cor. 8. 14, & hîc pulchre per duas tunicas denotavit Johannes. At in nostro Matthæi loco, ubi de patientia agit, Christus, non unam tantum tunicam, id est, res superfluas dari præcipit; etiam alteram, quamvis necessariam, si ita usu veniat, dimitti jubet. Utraque nos exuit, & ad nuditatem redigit: manifeste indicans, patientiam in omnibus injuriis tantam nobis induendam esse, ut ad extremam usque egestatem duret; utque non modo de possessione rerum, quibus facile carere possumus, sed & maxime necessariarum in vita, si improbi urgeant, cedamus. Nimirum quando res in nostro sita est arbitrio, nec aliud postulat extraordinaria necessitas, licet nobis nostra retinere bona, & cum ea cautione, ne ipsi nimium prægravemur, aliis benefacere. Sed cum vis adhibetur, & malorum improbitas non sinit nos pacifice possidere res nostras, ac dispensare, non licet nobis mordicus eas retinere; potiusque bona pars rerum nostrarum, imo si aliter fieri nequeat, tota substantia dimittenda est, quam malâ & Christianis haud convenienti ratione resistendum.

Restat, ut de tertio exemplo agamus, & quid sit angariatio ad unum alterumque milliare pensiculatius examinemus. Consonant omnium Interpretum suffragia, verbum istud Angariandi desumptum esse à Persis, quibus Angari dicebantur publici cursores; quales hodie Principum aut civitatum stipendiis aluntur, ut equos semper ad cursum habeant paratos, quique vulgo Postæ vocantur. Illis utpote in statu absoluti imperii publicâ auctoritate armatis, fas erat, cujusvis equos sive camelos, vel etiam ipsos homines rapere ad cursum, aut ad onera portanda adigere. Hoc Angariæ onus Judæi quoque patiebantur, ex quo Persarum potentia Orientem invasit. Accipitur itaque proprie angariare, pro cogere vi ad currendum, vel ad ferendum onera: quod declarat quoque Cyrenæi illius exemplum, quem adegerunt Judæi vel milites Præsidis ad bajulandum crucem, Matth. 27. 32. Unde facile intelligitur, quam gravi de injuria Christus hoc loco loquatur. Erat enim genus istud servitutis acerbissimum, resque apud omnes vehementer exosa. Beza certe censet proponi hic à Christo servitii genus pene intolerabile, quod etiam peculiari vocabulo fuerit declaratum.

Ita probavimus hactenus, Christum etiam gravissimarum injuriarum tolerantiam, in his exemplis generali interdicto resistentiæ subjunctis, nobis injunxisse. Sed accedit insuper longe maxima & validissima ratio, quæ vel sola posset rem conficere. Cui enim, quæso, obscurum esse potest, Christum cum ad novas subinde injurias perferendas nos præparet, in altera alapa vel plaga perpetienda, & pallio præter tunicam dimittendo, & milliari altero peragrando, non alteram duntaxat ejus generis injuriam præcise intelligere; ita ut tertiam aut quartam alapam, sive ictum non jubeat ferri, vel tertiam aliquam vestem dimitti, vel plura milliaria nolit à nobis confici? Sed quod alibi dictum est, ut non septies solum, sed etiam septuagies septies, id est, semper remittamus fratri contra nos delinquenti Matth. 18. ℣. 22, id huc quoque referendum est, statuendumque, præceptum esse, ut non semel aut bis tantum colaphus sustineatur, sed ut septuagies septies, id est, toties quoties ille infringatur, & quam plurima verbera patiendi animo tolerentur: quod etiam de vestimentis atque itineribus tenendum est. Ratio nimis est evidens, quia scilicet id semper, ideoque ut in arcenda una atque altera injuria, ita non minus in tertia aut quartâ propulsandâ, illicitum est, quod hîc Christus prohibet, nempe illegitima resistentia. Et, si nunquam malum pro malo reddendum est; Ergo nec post repetitam decies aut septuagies septies

injuriam id facere licet. Adhæc res ipsa loquitur, si fratri septuagies septies in nos peccanti ignoscendum est: ergo etiam toties nos verberanti, aut vestem eripienti, aut itineris molestiâ nos oneranti: Hæc enim specialia comprehenduntur sub illo generali. Tandem Apostolus aperte præcipit, ne vincamur à malo, id est, ne prius defatigemur patiendo, quam adversarius mala nobis faciendo. Atqui vinceremur à malo, & in patiendo deficeremus, si semel aut bis passi injuriam, amplius pati nollemus. Jam si hæ à Christo nominatæ injuriæ ad istum considerentur modum, uti omnino necesse est, quid gravius fingi, quid ad nos perdendos ac pessundandos magis facere potest, quam quando tot verbera atque contumeliæ mussitandæ, tot damna molestiæque sustinendæ ac devorandæ sunt?

Hucusque demonstravimus, novam legem Christi non simpliciter intra limites exiguarum injuriarum consistere, sed patientiam in omnibus etiam maximis injuriis requirere. Attamen non videtur sine causa factum, quod Christus in hac oppositione non illas ipsas injurias nominatim repetierit, quæ in lege Mosaica fuerunt expressæ; quod nimirum non dixerit: si quis tibi dextrum oculum excusserit, obverte ei etiam sinistrum &c. Sed quod talia posuerit exempla, quæ si literam spectes, aliquanto molliora sunt, quam quæ in lege Mosaica recensentur: tametsi alioqui vis eorum tam late pateat, ut omnes etiam gravissimas injurias in se comprehendant. Sciendum enim est, tentationes, quas Deus fidelibus suis ad exercendam patientiam immittit, ita comparatas esse, ut vires eorum non excedant: uti Paulus Apostolus testatur 1 Cor. 10. 13. Sane quando agitur de gloria Dei, quando nomen ejus publica confessione glorificandum est, veritasque divina sanguine fidelium obsignanda, non raro eò res devenit, ut extrema patienda sint, & vita in periculum adducenda, & membrorum mutilatio subeunda, & gravissimæ injuriæ à malevolis sint sustinendæ: ut Apostolis ipsis & multis millibus martyrum contigit, nec non Christus ipse prædixit Matth. 10. 17, 21. Marc. 13. 9, 12. Luc. 21. 16. Atque tunc patientia ista non solum habet sibi destinatam peculiarem mercedem Matth. 5. 12, sed Deus quoque operatur eam ac efficit per Spiritum suum in animis eorum, qui ob nomen ejus sanguinem suum profundere non dubitant, ut tentationem istam, quæ alioqui soli carni invincibilis est, facileque hominem fragilem ad defectionem potest adducere, patienter ac constanter sustineant. Sed ut Deus in aliis casibus, qui nihil ad gloriam ejus, aliorumque ædificationem faciunt, permittat hominibus improbis, ut illi animi sui libidinem exerceant in ipsius fideles, qui ipsi ex animo obediunt, fiduciamque sinceram in eo collocant, corpus eorum mutilent, aut etiam vitam eripiant, id pugnaret cum divina sapientia, & cum paterna ejus dilectione, quâ fideles suos prosequitur. Ut leves injurias, tantum exercendæ patientiæ causâ, eis immittat, sapientiæ ejus consentaneum est. Patientia enim non minus, quam aliæ virtutes, debet habere campum, ubi se exerat, atque exerceat, si perfecta esse debet. Deinde leves injuriæ non habent vim, filialem fiduciam fidelium infringendi: at mutilatio corporis, ac vitæ amittendæ periculum, perpetuum excitat metum atque anxietatem, quæ cum vera fiducia nequit consistere. Quomodo enim fiducia in Deo poni potest, omnisque metus abjici, ut securâ ac tranquillâ mente in viis nostris ambulemus (quod ad felicitatem Regni Christi in hoc seculo requiritur) si possibile est, ut Deus tam graves casus, qui omnibus impiis communes sunt, fidelibus suis patiatur accidere? Quid hac in parte fideles haberent singulare præ impiis, ut Deo magis confidere debeant? In rebus, quæ ad vitæ sustentationem pertinent, ita se extendit divina providentia, ut homini pio nunquam sit metuenda tanta egestas, quæ eum mendicato vivere cogat. An ergo de vita ipsa nunquam esset securus; sed semper timendum haberet, ne eâ à pessimis hominibus privetur? Atqui metus egestatis minor est, quam mortis. Imo multi homines mendicare mallent, quam laborare. Ergone in rebus minoris momenti, bono animo essent fideles, ac sine cura viverent, in majoribus autem, assiduo metu ac solicitudine se torquerent? Accidit quidem nonnunquam, ut Deus hominem pium, ad exercendam ejus fidem, patiatur devenire ad extremam inopiam, sed non ad mendicitatem, vel ad famem, quæ vitam ei auferat; sed ubi ad summum ventum fuerit, Deus præter spem ipsius submittit ei homines beneficos, qui necessitati ejus succurrant: qua ratione fides in Deum mirum in modum corroboratur. Ita fieri quoque potest, ut Deus hominem probum patiatur incidere in summum vitæ discrimen; sed fieri nequit, ut patiatur eum in illo discrimine interire, vel membra ejus mutilari: potius eum eripiet, ut fidem ejus hoc pacto firmiorem ac robustiorem reddat. Quodsi fiat, ut tam gravis tentatio non ob confessionem nominis Christi obtingat, Deo permittente, alicui, quem nos virum bonum esse arbitramur, ut corpore mutiletur, oculus ei excutiatur, manus vel pes amputetur, is videat ac diligenter cogitet, quid ansæ dederit Deo, ad se tam graviter visitandum, quò imposterum cautior sit, & tales casus, vitando ea, quæ Deo displicent, possit effugere. Neque est, quod talis sibi solummodo patientiæ exercendæ materiam datam esse existimet, nisi liquido appareat, patientiam ejusmodi posse vergere ad gloriam ac laudem Christianæ religionis apud extraneos, Deumque id ipsum hoc casu immisso quæsivisse. Quanquam non est statuendum, si Deus suam ac religionis suæ gloriam velit in mundo amplificare per fidelium suorum patientiam, eum tam gravia mala passurum inferri bonis alia de causa, quam ob nominis ac religionis suæ confessionem. Itaque vir pius non est quod metuat tam graves tentationes; curet tantum modo, ut bonâ conscientiâ divina mandata servet, seque totum Deo commendet. Si Deus propter occulta ipsius peccata tali infortunio ipsum punire velit, non solum propter hanc Christi legem, sed etiam propter Dei reverentiam, cujus pœnis resistere nefas est, ad summam patientiam se debet componere. Quæ patientia, si cum vera humilitate animi conjuncta sit ad expiationem ac remissionem peccatorum ejus ipsi prodesse potest. Aut si Deus ob causas nobis incognitas tale infortunium homini vere

probo

probo immittat, necesse est id extraordinariis Dei operibus accenseatur; non autem dicendum, homines pios ordinarie & promiscue ejusmodi tentationibus esse obnoxios. Dicam amplius: Deus tanti facit electos suos, ut non facile (extra casus religionis, ubi de gloria nominis ejus directe agitur) permittat talibus eos affici injuriis, quæ cum ipsorum ignominiâ atque contemtu conjunctæ sunt, tametsi corpus non lædant. Hinc raro videbimus, maleficum hominem absque ulla data causa probo homini colaphum aut alapam impingere, aut eum ex mera malitia luto conspurcare, aut ad laborem minime debitum adigere. Sed si id fiat, fit id plerumque, si non semper, ex odio religionis ac confessionis. Citius accidit, ut Deus pium hominem in bonis ejus terrenis tentari sinat, eaque improborum prædam fieri permittat, quæ non tanquam Christianus possidet, id est, quæ habet superflua, ut iis ad vitæ sustentationem non indigeat; atque ita eum redigat in eum statum, in quo tanquam Christianus potest esse sua sorte contentus. Hoc enim non ad eum tentandum facit, sed potius hoc pacto tentatio & offendiculum, quod à redundantia habebat, magno ipsius bono è medio tollitur, animusque ejus à rebus terrenis abstrahitur, & ad divina ac cœlestia convertitur.

Pergemus jam ad quartam falsam interpretationem hujus legis Christi, quæ eorum est, qui dicunt, Christum hic nihil aliud, quam rigidam ac strictam juris persecutionem prohibere voluisse, & docere, id quod jure nobis debetur, non esse summo cum rigore urgendum aut quærendum, sed interdum etiam nobis de æquo jure nostro esse cedendum. Verum hæc interpretatio est ipsa lege Christi multo angustior. Etenim longe plus videtur id esse, quod Christus præcipit, alteram maxillam alicui obvertere, & pallium dimittere insuper amissâ tunicâ, & confecto uno milliari alterum conficere paratum esse, quam jus suum non persequi, & de eo, etsi æquum sit, decedere. Nam licet figuratam esse illam locutionem haud negemus, nec ita, ut verba sonant, præcise ac præfracte intelligendam, uti supra monuimus, certum tamen est, ista impropria locutione Christum non tantum significare voluisse, ne jure nostro abutamur, vel etiam utamur jam acceptam injuriam ferendo, sed etiam ne metu sequentis injuriæ, atque in evitando imminenti periculo & calamitate, aliquid contra Christianam vocationem nostram committamus. Non vult enim Christus nos veteri illi carnalium hominum dicto præbere aures: *Veterem ferendo injuriam invitas novam.* Sed patientiam nostram vult inexpugnabilem esse, etiamsi nova injuria subeunda sit. Quod sane plus est, quam si dictum esset, ut de jure nostro, etiam æquo remittamus. Posset enim quispiam injuriâ affectus omni juri suo non tantum summo & stricto, sed etiam æquissimo renunciare in ea toleranda, & tamen necessarium non putare, ut novas & toties quoties repetitas injurias patienter excipiat ac sustineat. Quando injuria alicui infertur, ultio est, si quis, ut animi libidinem exsatiet, par pari referat: strictum jus absque vindicta est, si quis damnum vel contumeliam ita sarciri postulet, ut in totum ipsi, quod ablatum erat ac violatum, compensetur: æquum jus in eo consistit, si quis etsi non æquivalente, aliqua longe minori injuriæ pensatione contentus sit; quæ quo minor est, & damno accepto inferior, eo æquiori eum jure suo cedere dicendum est. Ita patet, posse aliquem ex parte, vel ex toto jure suo cedere, neque tamen satisfacere Christi præcepto, qui jubet insuper nos ad ferendum alias novas injurias paratos esse. Præterea cum in hac legis Christi explicatione juris persecutio tam late extendatur, ut tum vindictam, tum omne, quo in defensione adversarius afficitur, nocumentum in se comprehendat, tacite sumitur pro concesso, jus nobis aliquod vel ad vindictam exercendam, vel ad lædendum in defensione adversarium esse. Cum tamen jus istud, si quod fuit à natura, vel lege Mosis, penitus sit hoc præcepto Christi sublatum: ut supra demonstravimus. Atque ita non abusum tantum juris istius, sed simul etiam jus ipsum abrogatum esse patet, id est, manifestum est, Christianum læsum vi hujus præcepti Christi nullum jus habere sese ulciscendi, vel cum damno ullo lædentis malum à se avertendi. Itaque in hac interpretatione idipsum pro concesso sumitur, & pro fundamento ponitur, quod est maxime controversum.

Jam nobis etiam illa quæstio expedienda est: An vi hujus legis Christi liceat homini Christiano, ita sese ac suos adversus hostilem malorum hominum invasionem defendere, ut si nullum aliud medium expediendæ salutis suppetat, inimicum vulneret, aut etiam occidat? Qui putant id licere, illi non alium statuunt esse hujus legis Christi scopum, quam quod Christus prohibeat, ne malum acceptum, quod jam mutari nequit, vindicetur: nequaquam autem prohiberi censent, ne malum imminens quacunque ratione avertatur. Atque hæc est quinta falsa hujus loci interpretatio. Sciendum igitur est, naturam Regni Christi id nequaquam admittere. Regibus quidem carnalibus ac Principibus competit, ut subditorum suorum bonum carnale omni ratione procurent ac promoveant, eos adversus omnem violentiam defendant, & si fieri queat, etiam minima mala ab eis averruncent. Id enim requirit scopus ac finis, ad quem omnia bene constituta regiminis genera collimant, qui est quies ac securitas populi. Quicquid ad hanc procurandam pertinet, in eo nihil in se desiderari patitur Rex bonus, qui populum suum non aliter quam pastor gregem suum amat. Hanc vero fidelem ac paternam defensionem, quam Rex carnalis populo suo præstare solet, multo magis etiam fidelis Christi populus à Rege suo optimo Christo, qui amorem suum erga populum suum, animam suam pro eo exponendo, satis superque testatus est, exspectare debet. Mundani Magistratus defensio ac præsidium valde est imperfectum, quia subditos suos ne quidem ab omnibus corporalibus, tantum abest, ut à spiritualibus, malis ac periculis liberare possint: ita ut subditi sæpissime cogantur præsidium à seipsis petere, & quo optime possunt modo sese defendere. Hinc fit, ut adversus latronem in via aut in domo sua se quisque propriis armis tueri, vitamque suam cum effusione sanguinis illius servare cogatur. Ita si regio incursione hostilis exercitus infestetur, magistratus solus non potest

subditos defendere, sed ipsorum ope uti cogitur: unde accidit, ut multi vitam amittant, atque sic nullum ex defensione Magistratûs sui solatium aut emolumentum accipiunt. Hanc ob causam etiam Israëliticus populus arma capessere, atque in bellum adversus hostes suos proficisci coactus est, quia Rex ipsorum solus eos tutari non poterat. Ast longe alia est ratio defensionis nostri Regis cœlestis; quippe is non solum ea præditus est potestate, ut fideles suos queat adversus omnia pericula & casus, quicunque illi sint, perfectissima ratione defendere, sed etiam adeo paternæ ac tenerrimæ curæ suæ de nobis promissione se obligavit, ut ne pilus quidem de capite nostro absque ejus scitu ac voluntate possit decidere. Quare omnes illi, qui ex periculo propriis armis suis evadere nituntur, dubitant de præsidio ac defensione Regis sui cœlestis, id est, promissionibus ejus veram & perfectam non adhibent fidem.

Deinde exercent isti, qui in defensione inimicum lædunt, non minus vindictam, & suam impatientiam demonstrant æque, ac illi, qui jam acceptum damnum ulciscuntur. Omnis enim pœna, seu mali pro malo redditio, vindicta est, sive per Magistratum fiat (qui etiam propterea *vindex* seu ultor appellatur Rom.13.4.) sive ab ipso læso. Nocumentum autem, quod malo homini in defensione infertur, ideo ei infertur, quia nos malo afficere voluit. Hoc malum ergo simili malo pensamus; quod nihil aliud est, quam seipsum vindicare. Id quod nobis non solum hoc in præcepto Christi, sed alibi quoque in Sacris Literis interdictum est Rom.12.17. Imo factum tale, quo homo inimicus læditur, vel etiam plane vitâ privatur, antequam is nos lædat, deterius est, quam parva aliqua vindicta, dum illud malum ipsi inferimus, quod ille nobis nondum intulerat, sed tantum inferre cogitabat. Quocirca hujusmodi defensio, quæ cum læsione adversarii conjuncta est, pugnat cum perfecta patientia, quam Christus hac lege sua nobis præscripsit.

Solet autem hic objici, non cupiditate ultionis, sed alio tum stimulo nos urgeri in defensione, nempe metu atque aversatione illius mali, quod omnino intolerabile censeamus, qui solus ita occupare possit animum, ut ipsi in propulsationem periculi sui intento, ultionem in alium coquere non vacet: patientiam autem & impatientiam seu vindictam, ex animo, non ex facto æstimandam esse. Verum quicquid isti de animo dicant, hoc certum est tamen & evidens, in defensione ista, qua inimicus læditur, vel occiditur, malum pro malo reddi. Deinde patientia quidem ex solo æstimatur animo, quando is periculo illo, quod à se avertere non potest non turbatur, neque post malum illatum cupiditate vindictæ inflammatur. Ex facto autem etiam judicatur patientia, quando quis malum fert ac subit fortiter, quod alioqui violenta ratione potuisset propulsare. Quæ patientia multo excellentior est priore; quia fieri potest, ut animus accepto malo non turbetur, neque ad iram concitetur, non tam vi patientiæ, quam quod consideret, malum declinari non posse, vanamque fore sine viribus iram ac vindictæ cupidinem. Patientia in eo proprie demonstratur, quando malum æquo ac mansueto fertur animo: at dici non potest proprie, nos id patienter ferre, quod mutari nequit, multo minus id, quod nobis pati decretum non est, si illud vel cum læsione malum inferentis propulsare possemus. Quam longe is abest à vera patientia atque innocentia, qui promptius nocet alteri, quam ut noxam ipse patiatur? An is alteram maxillam obvertere dici potest, qui adeo maxillæ suæ cavet, ut alterius maxillam potius cædere paratus sit, quam suam præbere? Imo quod animus in tali facto, quo inimicus læditur, non ab omni vindicta alienus sit, docet nos ipsius Dei exemplum, qui, teste Sacra Scriptura, dum inimicos suos malo afficit, eosque perdit ac pessundat, gaudet eorum cruciatu, & in eorum interitu exultat. Sed hoc gaudium ex alieno malo, cum Deo in hominibus non placeat, oportuit omnem ejus occasionem tolli, & usum armorum ad alios lædendos prorsus prohiberi. Itaque non id solum tibi vult in hoc præcepto Christus, ne malo animo oculum pro oculo, dentem pro dente, malo homini excutiamus, sed, ne prorsus seu ulla ratione eum excutiamus: quia id absque cupiditate vindictæ fieri nequit. Præterea quod asserit hæc objectio, nos in defensione urgeri metu atque aversatione mali imminentis, de eo tenendum est, naturale quidem homini esse, malum impendens metuere atque aversari, ac proinde id per se peccatum non esse: sed hujus metus impulsu alium lædere, aut etiam morte afficere, nequaquam convenire homini Christiano. Itaque id merito culpat quoque Cicero, cum ait: *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse prius occideretur?* Huc etiam illud Vibii Crispi, quod est apud Quintilianum, transferri potest: *Quis tibi sic timere permisit?* intellige sic, ut alterum lædas, qui tibi nihil adhuc mali fecit? Multo magis ita Christiano dici potest: Quis tibi permisit præ metu alium malo afficere, vel interficere, qui tibi nondum nocuit, de quo tibi non constat certo, eum tibi velle tantum malum inferre, quantum tu metuis, vel an Deus absque illius noxa te servare nolit? Metus è periculo ortus non debet in nobis animum occidendi generare, sed veram fiduciam in Christum, qui nostrum periculum cernit, idque si velit, facillime potest avertere, imo etiam vult avertere, quia se capillos capitis nostri in numerato habiturum promisit. Eo animo esse debent Christiani in periculis, quo fuerunt illi tres viri, tergemina generosæ pietatis exempla, qui statuæ Nabuchodonosoris cultum exhibere dedignati sunt; quibus cum flammas & morte atrociora tormenta superbus tyrannus comminaretur, intrepide inquiebant: *Tuæ, ô Rex, minæ ne hilum quidem nos movent. Est enim in cœlis Deus noster, quem nos colimus; is ex hac fornace candenti atque è tuis manibus nullo negotio nos potis est eximere. Sed etiamsi ille nos eripere abnuat, tu tamen scito, nos simulacrum tuum nequaquam adoraturos* Dan.3.16,17. Tam excelsum animum gerere decet & Christianos, ut instante gravissimo à pessimis hominibus discrimine, in utramque partem parati sint: ut nimirum firmiter fidant Deo, quod eos servare, malaque avertere, licet manus sanguine non cruentent, valeat; & si Deus

mala

mala non arceat, perpeti malint extrema quæque, ac emori potius, quam leges ejus violare, malumque per malum, cœdem per cœdem à se amoliri atque depellere.

Tertio ista sui ipsius defensio cum nocumento invasoris conjuncta pugnat cum charitate perfecta, nobis ita à Christo imperata, ut potius benefacere inimicis nostris debeamus, quam eis nocere atque malefacere. Qua de re in sequenti Capite ex professo agemus.

Solent autem illi, qui propriam defensionem urgent, hoc loco objicere; Deum quidem suis sub Novo Fœdere sufficientem ac perfectam protectionem atque custodiam promisisse: sed non absque mediis ordinariis, & sine nostro labore; sicut olim Israëlitas quoque Deus sub Veteri Fœdere defendit, sed ita, ut ipsi etiam arma capere cogerentur. Illi pugnabant: Deus autem eis largiebatur victoriam, & hostes eorum profligabat. Ad quam objectionem respondeo primum, ex hactenus dictis satis liquere, quod Christus quidem certis utatur mediis ad nos defendendum, sed non talibus, ut obstricti simus ipsi manus violentas afferre inimicis nostris, easque sanguine humano maculare. Deinde conditio illa arma capiendi adversus hostes sub Veteri Fœdere non carebat exceptione: nam in certis casibus & certis temporibus promisit Deus populo suo defensionem absque omni conditione. Nempe ubi jussit Deus Israëlitis, ut ter in anno festorum solennitates obirent, & coram Domino Hierosolymis comparerent, promisit se in finibus eorum excubias acturum, ne hostis ullus irrumpat, & fortunis eorum ac charissimis pignoribus, quæ interim domi relinquerent, nocere possit. *Non concupiscet quisquam terram tuam*, inquit Deus, *cum ascendes comparitarus ante conspectum Domini Dei tui, ternis vicibus quotannis*, Exod. 34. 24. Si mulieres ac imbelles liberi talem Dei protectionem propter pietatem virorum experti sunt, fieri sane non potuit, quin & viri ipsi, qui coram Domino comparebant, præsidio illo Dei ac tutela ita fruerentur, ut hostium nemo tunc temporis eis nocere potuerit. Quæ res revera typus ac figura fuit generalis istius ac perpetuæ custodiæ, quam Deus sub Novo Fœdere fidelibus suis pollicitus est. Christiani enim non ter quotannis in terrenum templum Hierosolymitanum venire tenentur, sed eorum corda ipsa sunt sanctissimum Dei templum, in quo perenne Sabbati festum celebrant, & jugiter cum precibus, ac suspiriis coram Deo apparent, parati semper ad ejus obsequium. Quapropter in tali statu suo omnem debent abjicere timorem, & non minus, quam olim Israëlitæ, curam domesticorum suorum ac rerum suarum in Patris sui cœlestis sinum filiali cum fiducia deponere. Tertio conditio ista propriæ defensionis repugnaret sapientiæ, quæ in quolibet bono Magistratu requiritur. Quam enim id bono ordini contrarium esset, qui in omni politico regimine diligenter observatur, ubi usus armorum subditis non conceditur, nisi certis ex causis & in certis casibus, ut cum Magistratus auxilium res expectari non patitur? Nam usu armorum privatis concesso, facile infiniti abusus enasci possunt, ut quis sub propriæ defensionis prætextu ex odio ac simultate innocentibus noceat, publicamque tranquillitatem turbet, vel in sui defensione ulterius, quam par est, progrediatur. Quæ vero causa impellere Christum poterat, ut contra tam bonum ac sapientem ordinem ageret, armaque suis fidelibus in manus daret, cum ipse perfectissima ratione & absque omni sua molestia eos possit defendere? Quid utilitatis id vel ad Dei gloriam, vel ad fidelium salutem, vel ad ullam spiritualem ædificationem afferre potest, si Christus patiatur virum probum ac pium in periculum vitæ ac corporis incidere, ex quo eum non alia ratione velit eripere, quam per effusionem humani sanguinis, id est, cum ea conditione, ut tale quid faciat, à quo ipsa humana natura abhorret? At contra graves sunt rationes, ob quas Christus usum armorum Christianis merito ademit, atque ipse tutelam eorum in se recepit. Primo ut defensio eorum tanto perfectior, ac certior, esset, ipsique tanto magis essent innocentes. Cum enim ipse sit potentior omnibus hominibus, qui sunt in toto mundo, nos autem simus sæpius longe infirmiores nostris hostibus, ut qui nos non raro inscios, ac nihil hostile sperantes, astu possint invadere, facile intelligitur, certius ac perfectius nos per illum defendi, quam per nos ipsos. Et quia ipse pro divina sua sapientia in omnibus rebus novit servare justitiæ & æquitatis modum, novit etiam malorum hominum conatibus ita obsistere, ut illis nulla fiat injuria, neve pœna ausus eorum nefarii delicto sit gravior. Est autem tunc pœna gravior delicto, quando nos eum occidimus vel vulneramus, qui nos nondum læsit, qui sæpenumero non tam animum habet nos lædendi, quam armis territandi, ut nos tanto securius spoliare possit. Quo in casu conscientias nostras gravi sanguinis effusi crimine polluimus: neque nos id excusare potest, quod nobis animus invasoris non fuerit cognitus, quodque scire nequiverimus, quousque is nobis nocere voluerit. Eam enim ipsam ob causam, quia id nescimus, non debemus eum lædere, sed rem committere illi, qui id scit ac novit probe, nostrique in tali necessitate memor esse promisit. Nihil jam de eo dicam, quod in propria ejusmodi defensione, animum ira, impatientia ac vindictæ studio exardescere necesse sit; quod neutiquam convenit Spiritui Christi, qui in fidelibus ejus regnare & perpetuo habitare debet. Porro iste est scopus hujus præcepti Christi, ut in continuo exercitio tum perfectæ patientiæ, tum summæ fiduciæ erga Christum duremus, & si quod ingruat periculum, per liberationem ex eo, quam non nobis ipsis, sed ejus paternæ profectioni acceptam referre debemus, magis magisque in fiducia nostra corroboremur. At hæc fiducia majorem in modum debilitatur, si persuasi simus, nos optime armis instructos esse, & in arte dimicandi exercitatos, nihilque nobis deesse eorum, quæ ad pugnandum requiruntur: ut ita his rebus plusquam Christi præsidio, confidamus. Quodsi eveniat, ut nobis pugna cum malo homine infeliciter succedat, ut vulneribus onusti ab eo dimittamur, cogitamus sæpissime, nos nobis ipsis defuisse, nos non satis caute ac provide egisse, vel non satis idoneis armis instructos fuisse. Imo quia non possumus esse usque quaque

certi, Christum armis nostris (ut homines loqui amant) benedicturum, & victoriam nobis largiturum, ideo necesse est animos nostros semper fluctuare, & diffidentiæ plenos esse. Cumque Deus etiam possit propter aliqua peccata nostra, tali nos punire infortunio, quo corpus nostrum lædatur, propria nostra defensione privamus nos eo fructu, quem inde haurire deberemus, dum veram infortunii istius causam non agnoscimus, sed culpam nostræ imprudentiæ aut imperitiæ tribuimus, interim de emendatione vitæ nostræ, quam Christus hac castigatione sua quærit, minus soliciti. Denique cum, si nos ipsi defendere debeamus, semper nobis timendum sit, ne nos improbi adoriantur & noxam nobis inferant, Christus hunc timorem vult ex animis nostris penitus removere, animosque nostros perfecte tranquillos reddere, ut non minus securi simus, quam esse solent infantes, qui in patris aut matris suæ sinu requiescunt. In hac enim animi tranquillitate consistit summa illa felicitas, quam Regnum Christi adhuc in hac vita nobis affert, ut quemadmodum in medio numerosissimorum malignorum Spirituum, qui nihil aliud, quam perniciem nostram spirant, absque metu ullius periculi, sub protectione clementissima nostri Regis ac Domini vivimus, ita etiam nullam hominum infestissimorum violentiam pertimescamus, omnesque vias nostras ei commendemus, qui capillos capitis nostri habet in numerato. Ista autem animi tranquillitas, si nobis imposita esse statuatur conditio nos ipsos defendendi, non potest non vehementer turbari. Quarto, quod ad id attinet, quod Deus Israëlitis sub Veteri Fœdere victoriam super hostes eorum promiserit, ea conditione, ut ipsi pugnarent ac bellum gererent, jam supra indicavimus, quam ingens sit discrimen inter carnale Regnum Israëliticum, & inter Spirituale Regnum Christi. Quia enim Deus voluit, ut Israëliticum Regnum per carnales Reges, ex hominibus infirmis desumtos, administraretur, cogebantur illi ad defensionem populi sui, ejus ipsius propriam operam & arma adhibere: & propter eam ipsam causam, quia carnale Regnum erat, non debebat nisi carnali modo conservari, atque carnalibus armis defendi. Quanquam Deus, oculos suos, quibus omnia Regna hujus mundi respicit, inprimis in hoc Regnum habuerit intentos, ejusque custos fuerit, ut quando ei obedientes fuerunt Israëlitæ, armis eorum prosperam largitus sit fortunam, victoriamque celeberrimam eis concesserit super hostes: imo eos non raro, absque armis solo panico terrore immisso, profligarit, vel misso cœlitus Angelo perdiderit. At populi Christi spiritualis plane alia est ratio. Ejus Rex est spiritualis, cœlestis, divinus, qui non indiget subditorum suorum armis, ad eos tutandos, cum sua divina omnipotentia omnia possit efficere, quæcunque vult. Arma istius populi sunt preces, ac fides, qua etiam ignita tela satanæ potest extinguere: nec non patientia, qua etiam carbones ardentes in caput hostium suorum potest coacervare, Rom. 12. 20. Ac propter hanc duorum istorum differentiam, Israëlitico populo expresse mandata fuere bella, & victoria ac benedictio armorum ipsi à Deo diserte fuit promissa. Ubi vero Christiano populo tale quid promissum est? ubi vel uno verbulo adjecta est ista conditio, quod nos Deus quidem tueri velit, sed non aliter, quam ut nos ipsi quoque arma corripiamus? Quæ conditio sane aliquo loco clare exprimi debuit; quemadmodum in Veteri Testamento factum est, ubi Israëlitis expresse imperatum fuit bellare, & bellicæ leges illis fuerunt traditæ. Atque hoc tanto magis hic fieri debuisset, quia nobis tam generale mandatum est datum, ne malo resistamus, ne malum malo reddamus, ut inimicos nostros diligamus, pro infestantibus nos oremus, injurias patientia ac benefaciendo vincamus, ut omnem vindictam Deo, justissimo judici, committamus. Cum enim omnia hæc præcepta, saltem quoad literam & exteriorem sensum propriæ defensioni violentæ, cum noxa adversariorum conjunctæ directe adversentur; cumque Deus præterea tam teneram & prorsus paternam tutelam fidelibus suis promiserit; debuisset utique alicubi vel minimum indicium istius conditionis sive verbis, fieri, sive in exemplo Christi & Apostolorum extare. Israëliticus populus, quia ipse cogebatur armis uti, exercere sese quoque in arte bellandi debebat, ut arma tractare sciret. At de populo Regni Christi vaticinatur Esaias: *Non attollet gens una in alteram gladium, neque discent amplius bellare*, Esai. 2. 4. id est, non discent arma tractare, nescientque militares artes utendi gladio ac lanceis ad sui defensionem; non tantum quia ipsi neminem hostiliter aggredientur, sed etiam quia adeo certi erunt de Regis sui præsidio, ut improborum nemo eis, illo invito, nocere queat. At si divina protectio, quæ Christianis promissa est, tum demum speranda esset, si ipsi armis nostris utamur, deberent etiam homines maxime pacifici ac mites discere bellandi artem, & se à teneris pugilatu exercere. Qua ratione istorum infelix erit conditio, & vita plena timoris, qui nulla arma habent, vel quia ob paupertatem ea comparare nequeunt, vel quia ad ea tractanda inepti sunt; quemadmodum David armis adversus Goliathum uti nesciebat: cum tamen hæc sit potissima pars summæ felicitatis in Regno Christi, ut supra monuimus, quod homine Christiano nihil sit securius, quod immunis sit ab omni metu hostium tam corporalium, quam spiritualium. An vero Deus etiam hominem pietati addictum, qui juxta prophetiam Esaiæ non vult discere bellandi artem, & fretus paterna Dei providentia, nulla gerit vel usurpat arma, citius pateretur in discrimine succumbere, & à malis opprimi, quam armatum aliquem lanistam? An Deus magis benediceret gladio acuto, vel instructo ad jaculandum sclopeto, quam scuto illi fidei, de quo Paulus ait, eo etiam ignita tela Satanæ extingui? Vel an scutum istud minus valeret adversus malos homines, quam adversus malos genios? Quodsi igitur pius Christianus solis armis fidei, & filiali fiducia sua erga Deum, juncta cum assiduitate precum, omnia possit perficere, quæ ad ipsius defensionem adversus omnes inimicos spectant, quid ipsi opus est carnalibus armis? Quare cum nullo modo probari queat, Deum promissionem suam de tenera suorum defensione, suspendisse à conditione propriæ ipsorum defensionis per arma carna-

carnalia; relinquitur Christianis præsidium ac defensionem à solo Deo ac Christo expectandam esse: manetque adeo firmum ac immotum, quod paterna Dei cura atque providentia nequaquam permittat, ut fideles ejus in talia pericula incidant, è quibus evadere aliter nequeant, quam per fusionem humani sanguinis.

Quod autem attinet media, quibus Christus ex periculis suos servare solet, sunt illa ut plurimum nobis improvisa, insperata, ac miraculosa, & ante liberationem, quin etiam sæpe post liberationem, ignota: uti innumerabilia exempla demonstrant eorum, quibus Deus talia media ad evadendum ex præsentissimis periculis submisit, quæ nunquam ipsis in mentem venerant, quæque ni adfuissent, illi cum omni infirmorum ac miserorum armorum suorum apparatu funditus periissent. De eo vero, quid nostra ex parte faciendum sit, jam supra docuimus, licitum esse pacatis & innoxiis mediis malo resistere; nimirum, adhibita fuga, prudentia, precibus, pecunia, ac similibus rebus. Atque hæc media non solum concessa sunt, sed etiam eatenus à quolibet Christiano requiruntur, quatenus Religio Christiana homines sapientes ac prudentes, nemini vero noxios requirit. Ita ut dici queat Christum suos protegere atque defendere, sed ea lege, ut ipsi quoque utantur mediis, quæ ratio ac prudentia dictat. Quanquam ne id quidem tam stricte ac necessario exigitur, ut credendum sit, Deum derelicturum hominem pietatis studiosum, propterea quod non satis providus ac cautus fuerit, passurumque eum in periculo misere interire. Interea tamen vult Deus hominem Christianum uti innoxiis ejusmodi, qualia diximus, mediis: nam etsi ipse suos revera miraculose defendere atque servare soleat, tamen hisce temporibus non facit tam aperta miracula, ut ea etiam improbi homines possint agnoscere. Esset autem hoc nimis apertum ac manifestum miraculum, si homo nefarius probum hominem, neque fugientem, neque ulla ratione se defendentem, spoliare aut vulnerare non posset.

Quærat vero quispiam: An Deus etiam talem in discrimine conservaturus ac sublevaturus sit, qui nec fuga sibi consulere, nec ullo medio innoxio se salvandi uti velit? At hæc est inutilis ac futilis quæstio: quæ instituitur de casu, qui nunquam potest habere locum, nisi inter homines plane stolidos & amentes. Quis enim hominum, si non sit prorsus mente captus, potest nolle vitam suam fuga, aliisque mediis, quæ naturalis prudentia dictat, servare, si armis careat, vel se ad resistendum imparem esse sentiat? Si homo sanæ mentis instructus sit armis, nec velit fugere, ejus rei non alia est causa, quam quod speret se eorum ope periculum à se depulsurum. Verum arma gerere, & neque se defendere, neque fugere velle; vel nulla arma habere, & nolle fugere, non cadit generatim loquendo, nisi in hominem stultum, qui in Regno Christi nullum habet locum. Quanquam vero fieri etiam possit, ut homo pius, & alioqui non insipiens, tam irrationalem ac male prudentem fiduciam erga Deum gerat, ut ab eo miraculosam sui liberationem petat speretque, & Deus, qui etiam hominum simplicium, ac intellectu imbecillium Pater ac Tutor est, tali quoque homini auxilium suum haud deneget: Tamen magis probabile est, hominem istius modi imprudentem, tametsi alias pium, potius in discrimine periturum, quam evasurum, aliis in exemplum, ut discant etiam in exercenda virtute adhibere rationem. At plane alia est ratio hominis Christiani ratione ac prudentia utentis, qui non ex delirio animi, sed ex sapienti pietate, fiduciam suam erga Deum, & observationem præceptorum ejus, quibus malo resisti vetuit, testari cupit, ideoque nulla violentia carnali adversus proximum suum uti vult, non omittens interim alios rationales ac innoxios evadendi modos. Talis enim nihil facit stolidi, sed exercet virtutem summe sapientem ac Deo gratissimam, in qua Christum ipsum & Apostolos ejus habet sibi prævios.

Dices: Experientia tamen testatur, multos pios misere interemptos esse, qui vel nulla arma habuerunt, vel ea non adhibuerunt; contra vero non paucos armis vitam suam conservasse, qui alioqui, iis non adhibitis, penitus interiissent. Verum si exempla numerarentur, pateret, plures pios absque armis è discrimine vitæ esse liberatos, quam armorum usu: plurescque periisse armis sese defendendo, quam innoxiis mediis utendo. Deinde nulli hominum competit judicare de eo, quam pius fuerit is, quem Deus in periculo passus est occumbere. Deus est cordium scrutator, qui quemque melius novit, quam homines. Forte Deus pœnas occultorum quorundam peccatorum exegit à tali homine, eumque ob causas nobis incognitas, & non ob hanc, quod armis instructus non fuerit, vel ea adhibere noluerit, cædi ac victimam fieri voluit. Quem Deus decrevit morti tradere, eum nihil è manibus ejus potest eximere: quem vero servare vult, is carnalibus armis non indiget. Quod autem nonnulli vitam suam servent, armis sese tuendo, valde incertum est, an id armis eorum sit acceptum ferendum. Fortassis potuissent illi etiam absque illis servari, si modo pii essent, & summa cum fiducia Dei auxilium imploraſſent. Impii vero homines, quod interdum ope armorum vitam suam conservent, id mirum non est. Cum talibus enim agitur non secus atque cum omnibus extra paternam Dei curam positis. Nimirum quia plus fidunt suis armis, quam Dei præsidio, permittit Deus, ut secundum humanorum casuum cursum alii serventur, alii intereant, prout sors tulerit; siquidem Deo parum refert, sive tales vivant, sive occumbant. Fieri etiam potest, quod Deus velit improbum latronem aut invasorem per alium improbum punire, vel quod velit hunc improbum adhuc conservare in vivis, aut ad gravius aliquod supplicium, aut ad vitæ ejus emendationem.

Hoc loco non possumus dissimulare, eos quoque hoc præceptum Christi, adeoque naturam ac indolem Regni Christi religionisque Christianæ perfecte non intelligere, qui existimant, hanc legem Christi non esse tam stricte accipiendam, ut non liceat in præsentissimo vitæ periculo, vel in gravissimo ac intolerabili malo, aliquantisper adversario nocere, & aliquod damnum auctori injuriæ inferre, quod

tamen cum periculo, vel damno, nobis imminente neutiquam comparandum sit. Quod enim, ajunt, parum distat à norma, prope nihil distare censetur; quemadmodum exempli gratia licet interdum Christiano leve aliquod mendacium, quod in nullius nocumentum redundet, dicere, etiamsi in genere mendacium omne sit prohibitum. Verum primo ex hactenus disputatis clare satis intelligere est, primarium hujus legis Christi scopum esse, non aliam, quam perfectissimam patientiam, quam nobis Christus hic præscribit: cujus patientiæ fundamentum est perfecta fiducia, quam in paternam Dei ac Christi providentiam collocare debemus, absque cujus voluntate ne pilus quidem de capite nostro perire potest. Si igitur adversarium in defensione lædere impatientia est, certe parum ei nocere, erit saltem parva quædam impatientia. Quis vero dicere velit, Christiano licitum esse parvam aliquam impatientiam exercere? Sic enim dici posset, licitum quoque esse, parum superbum, parum avarum, intemperantem, vel injustum esse. Quod enim parum à norma distat, ut isti homines loquuntur, pro nihilo habetur. Omnes leges in omni bene ordinata Republica sunt sanctissimæ, neque fas est cuiquam in minimo vinculum earum relaxare. Quanto sanctiores sunt leges hujus sanctissimi Regni Christi, in quibus non est nobis integrum dispensare quicquam, & vel minimum concedere, quod eis repugnat. Christus ipse de Mosaica Lege inquit, qui solverit minimum è præceptis ejus, eum minimum vocatum iri in Regno cœlorum, id est, non fore participem Regni cœlorum Matth. 5. 18. Quanto minus impune feret, qui præcepta Regni Christi solverit? Agimus autem hic de vero sensu hujus legis, non vero de eo, quid magis vel minus excusabile aut culpabile sit, si quid adversus perfectam hanc regulam committatur. Itaque si quis dicat, eum qui in summo vitæ periculo, levi aliquo vulnere hostem suum afficiat, minus peccare, quam eum, qui gravissimis eum vulneribus onustum reddat; concedi id quadantenus, & certa ratione potest: sunt enim ut in virtute, ita & in vitio certi gradus perfectionis. At dicendum non est, id vi hujus præcepti Christi esse licitum atque concessum. Deinde tam paternæ Christi dilectioni ac providentiæ, quam suæ propriæ virtuti multum detrahunt, qui gloriantur se fiduciam in Christo ejusque præsidio collocare, nec dubitare, quin se in discrimine sit defensurus, & tamen arma gestant, quibus, ubi ad discrimen ventum fuerit, hostes suos saltem aliqua ex parte lædant. Quod sane nihil aliud est, quam quod aliqua ex parte Christo diffidant. Perinde quasi Christus eos quidem servare vellet, sed non aliter, quam hac conditione, ut hostibus suis aliquatenus noceant. Ostendimus supra, absurdum esse dicere, Deum suos non alia lege velle protegere, quam ut ipsi arma stringant ac vibrent. Verum multo absurdius foret, si Deus hanc conditionem, ut non nimis graviter, sed aliquantisper tantum hostes lædantur, promissioni tutelæ suæ adjunxisset. quia multo periculosius est, hostem totis viribus in nos ruentem, velle tantum leve vulnere perstringere, quam directe vitam ejus petere, eumque è medio tollere. Dum enim cavemus, ne eum graviter sauciemus, & nimis circumspecte agimus, concedimus locum ac tempus adversario cogitatum in nos facinus peragendi: & dum ille videt, nos hostili modo ipsi resistere, nescit autem, quousque ei nocere velimus, magis magisque animus ejus adversum nos exacerbatur: cum interea nostra innoxia patientia ac precibus emolliri atque ad miserationem flecti possit. Ita ut hæc conditio de exigua læsione multo sit absurdior, quam si nobis simpliciter præceptum vel permissum esset, periculum vitæ imminens, quam optima possumus ratione à cervicibus nostris amoliri. Tertio, quomodo id dici potest parvum nocumentum, vel exigua læsio, quando per eam adimitur inimico vis ac facultas nobis nocendi? Aliter enim fieri nequit, quam ut manus ejus ita vulnerentur, ut gladium dimittere cogatur; vel pedes ejus, ne nos insequi possit; vel ut oculi lædantur, ne nos possit videre: quæ sane non exigua læsio est. Adde, quod istud reipsa non sit admodum practicabile. Quomodo enim in illo fervore certaminis fieri potest, ut plaga infligatur manui, vel pedi, vel oculis, & quidem non valde noxia: cum inimicus interea nos deliberantes & ictus librantes facile præoccupare, & interficere posset? Quis non videt, hac ratione nos in majores timoris atque anxietatis anfractus conjici, quam si vel strenue nos adversus irruentem inimicum defenderemus, vel ab usu armorum omnino abstineremus? Quamobrem omnes illi, qui hoc fine arma gestant, ut tempore instantis periculi vel minima ex parte lædant adversarium, quo majus malum à se avertant, revera non intelligunt, quam perfecta sit custodia atque protectio Regis ac Servatoris nostri Christi, quam populo suo promisit. Non intelligunt, quam imperfecta sit eorum fiducia erga ipsum, & patientia, dum in discrimine non simpliciter ad paternam ejus tutelam confugiunt, sed simul etiam auxilium petunt à suis fragilibus armis, & à tam misero, incerto, magisque ipsis noxio, quam utili eorum usu. Christianus, qui rectè intelligit Christi promissa, & suum erga eum officium, omnesque animi curas alta pace composuit, ea quæ sibi accidere possunt, cuncta in Christum conjiciens, ac providentiæ ejus paternæ commendans, non est de ulla re sive magna, sive parva solicitus; clypeus enim fidei ejus ac fiduciæ est ipsi pro omnibus armis certissimum munimentum. Quod si vero mali quippiam & adversi ipsi contingat, id tanquam ictum, qui à paterna manu Christi venit, æquo suscipit ac fert animo. Quod autem ad exemplum de levi mendacio, quod nemini noxium sit, attinet, id similiter perperam & non ex mente præceptorum Christi est prolatum. Potest quidem dici, Christum nobis id, ut alias infirmitates, si non plane deliberato committatur, & non sine gravi causa ac necessitate, rigide ac severe non imputaturum: non autem affirmandum simpliciter, id ullo in casu licitum esse. Accidit interdum, ut proximus noster per nostrum mendacium à summo periculo possit liberari: sed si semper nobis præsens esset animus, & ingenium promptum, possemus etiam absque mendacio id ipsum assequi: sed quia sæpe casus subiti ac improvisi nobis non concedunt

spa-

spatium cogitandi, quid aut quomodo loquendum sit, confugimus ad mendacium. Attamen non videmus quicquam simile in Christo, aut ullo Apostolorum, quod vel minimo mendacio, vel saltem ambigua locutione, quæ aliter ab audiente, aliter à loquente intelligi possit, usi fuerint. Profecto si ad mendacium proferendum, peculiari instrumento, quod extra hominem sit, opus esset, & aliquis id vellet gestare eo fine, ut in casu ac necessitate, parvum & nemini noxium mendacium proferret; quemadmodum arma eo fine gestantur, ut inimico aliqua saltem ex parte noceatur; is nullo modo à culpa immunis esset. Deinde prorsus alia est ratio ejusmodi mendacii, quam læsionis inimici, quæ utut exigua sit, tamen nocet alteri: at mendacium istud nemini nocet, sed potius prodest vel mihi ipsi, vel proximo meo, dum infortunium aut periculum à me, vel ab illo hac ratione averto.

Adhuc aliquis quærat; An ergo nullo modo licitum est Christiano homini arma gerere, vel gladio accinctum incedere? Respondeo. Cum fusio sanguinis humani atque homicidium res abominanda sit, arma etiam, quæ in hunc finem parantur, abominabilia esse necesse est, ita ut Christiano non satis conveniant. Sed, sicut abusus & corrupti mores hujus seculi effecerunt, ut etiam plurima vitia pro virtutibus habeantur, ita multis hominibus, quibus pro ratione carnalis status eorum gladium gestare competit, vitio ac ignominiæ verteretur, si inermes & gladio non accincti, velut alii plebeji homines, incederent. Itaque ubi usus ac consuetudo ejusmodi invaluit, inter homines, cum quibus vivitur, si modo adsit firmum propositum neminem lædendi, res ad vivum resecanda non est, & gestatio gladii æque prohibenda non est, atque usitata forma vestium, quæ in illa regione, in qua degimus, viget, prohiberi minime solet. Christianus enim ad nullas res externas adstrictus est, dummodo conscientia per eas non polluatur. Quodsi tamen fratres debiliores eo offendi possent, præsertim si toti Ecclesiæ, cui adhæremus, id displiceret, tunc spernendus esset mundi contemptus, & respectus carnalis honoris cedere deberet charitati, quam debemus fratribus, adeoque gladius esset deponendus. De cætero ad venationem & capturam ferarum, quæ hominibus in cibis sunt, arma gerere permissum esse, nemo hominum prudentium ibit inficias.

Colophonis loco, ut uno quasi fasce complectamur sensum hujus præcepti Christi: *Ne resistatis malo*, addimus, eum non esse alium, quam ut non solum malum, quod nobis ab improbo homine illatum est, simili malo non retaliemus, seu par pari non referamus, neque per nos ipsos, neque per magistratum; verum etiam ne malum, quod nobis ab inimico intentatur, pari malo arceamus ac repellamus: imo ut non tantum non pari, sed ne minori quoque malo illud propulsemus, quam illud est, quod nobis ab inimico impendet. Sicut enim non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ita etiam non sunt facienda mala, ut evitentur mala.

CAPUT IX.

De perfecta Charitate, quæ in Regno Christi exigitur.

TErtio Lex fundamentalis Regni Christi est perfecta Charitas, quæ cum præcedenti Patientiæ lege eatenus summam habet affinitatem, quatenus patientiam cum illibata charitate, & charitatem cum perfecta patientia exercere tenemur. Hanc charitatis Legem Christus subjicit statim patientiæ legi Matth. 5. 43, 44, 45. ubi sic loquitur: *Audistis dictum, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego vero dico vobis: Diligite inimicos vestros, benedicite eis, qui devovent vos, benefacite eis qui oderunt vos, & precamini pro eis, qui vobis sunt infesti, & persequuntur vos; ut sitis Filii Patris vestri cœlestis, qui facit solem suum oriri super malos & bonos, & pluit super justos & injustos.*

Legis Mosaicæ, cui hic Christus suum novum præceptum opponit, prima pars de dilectione proximi legitur Levit. 19. 8. Altera autem pars de odio inimici, non quidem ad literam extat in Lege Mosis, res tamen ipsa satis clare in ea continetur, & aliis verbis, in quibus simul & modus eum odio habendi ostenditur, ut nimirum eradicetur & exterminetur, descripta est: ut mox intelligemus. Per proximum sub Veteri Fœdere alius intelligebatur nemo, quam Israëlita, qui etiam ibidem in citato legis loco *filius populi* seu popularis appellatur: & Hebraica vox Reah, quæ Latine reddita est, *proximus*, significat proprie amicum, socium, familiarem; pro quali Judæis neminem licebat agnoscere, nisi qui esset ex eodem populo Israëlitico. Inimici vero nomine intelligebantur omnes aperti ac publici hostes Dei ac populi Israëlitici. Ac primum quidem in horum numerum referebantur Ethnici populi, qui superstites manserunt in terra Chananæa, adversus quos, ut pote idololatras, aliisque nefandis flagitiis coöpertos, Israëlitis implacabile odium imperatum erat. Vide Exod. 23. 23, 24. XXXIV. 11, 12, 13. Levit. 26. 7, 8. Jussi erant eos internecione delere, devovere, non pangere cum eis fœdus, neque gratiam eis ullam facere: Deut. 7. 2. pacem eorum, & bonum eorum non quærere in æternum Esdr. 9. 12. Pari odio prosequi jussi sunt etiam Amalechitas Exod. 18. 14. Deut. 25. 17, 18, 19. Ammonitas & Moabitas, eatenus quatenus in congregationem Domini eos admittere nefas erat Deut. 23. ℣. 3. Atque hoc erat justum & à Deo mandatum odium, ut adversus Dei populique publicos hostes. Jos. 10. 13. XIX. 25. 1 Sam. 30. 26. Deinde etiam pro inimicis sub lege habebantur omnes impii ac scelerati in populo, quos lex præcepit absque omni misericordia puniri & è medio tolli, ut manifestos hostes Dei ac omnium verorum Israëlitarum. Debebatque Judex pœnas talibus irrogare, non ex propria vindicta, sed tanquam vindex Dei & sanctissimarum legum ejus. Ita erga idololatras ac seductores omnis misericordia vetita est: Deut. 13. 6. *Si clam incitet te frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor, quæ est in sinu tuo, aut ami-*

amicus; quem diligis, sicut animam tuam, dicendo: Eamus, & colamus Deos alienos, quos ignoras tu & Patres tui; è diis populorum, qui sunt circa vos, propinquorum tibi, aut procul dissitorum abs te, ab una extremitate terræ ad alteram extremitatem ejus; non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, nec misericordia utaris erga eum, nec celato eum, sed omnino occide illum; manus tua primum sit super eum, ut morte afficias eum, postea vero manus totius populi, & obrues eum lapidibus, ita ut moriatur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te ex terra Ægypti. Et ibidem ℣. 12, *si audiveris de aliqua civitatum tuarum, quas Dominus Deus tuus dat tibi, ad habitandum illic, dicentes: Egressi sunt homines nequissimi è medio tui averterunt habitatores civitatis suæ, dicendo: Eamus & colamus Deos alienos, quos ignoratis; inquire solicite & pervestiga diligenter, reique veritate perspecta, si vera certaque res erit, abominationem hanc omnino perpetratam esse in medio tui, statim percutito habitatores civitatis illius acie gladii, internecioni devoveto eam, & omnes qui erunt in ea, jumentaque deleto acie gladii: omnem vero prædam ejus comportato in medium plateæ ejus, & combures igne civitatem illam, omnemque prædam ejus Domino Deo tuo, ut sit tumulus perpetuus, ne ædificetur deinceps.* De pœna blasphemorum vide Levit. 22. 14. homicidarum Num. 35. 31. adulterorum Levit. 20. 10. Deut. 22. 22. Qui omnes sub lege non amplius proximis accensebantur, sed inimicis, adeoque non diligendi: sed odio habendi erant.

Quod reliquos autem Israëlitas, qui tanta se impietate non obstringebant, eorum odium & omnis inter eos inimicitia, etiam sub Mosis Lege fuit stricte vetita: ut patet ex Levit. 19. 17. ubi scriptum est. *Non habebis odio fratrem tuum in corde tuo, sed libere argues proximum tuum, neque feres in eo peccatum.* Etsi enim Israëlitarum alter adversus alterum privatam gereret simultatem, tamen eum diligere tenebatur tanquam amicum ac participem divinarum promissionum, quamdiu pro membro Israëlitici populi habebatur, & ad Fœdus Dei pertinebat: quo privilegio ac jure tum excidebat, atque hostis Dei & populi universi censebatur, quando per summam improbitatem atque contumaciam fiebat transgressor legis divinæ. De ejusmodi autem inimico, privato inter Israëlitas loquitur locus Exod. 23. 4, 5. ubi præcipitur, ut bos aut asinus inimici errans ad Dominum suum reducatur, utque sub onere jacens, sublevetur: non vero de extraneo & alienigena; ut cernitur ex collatione cum Deut. 22. 1, ubi expresse fratris fit mentio, id est, Israëlitæ. Itaque etiam dilectio proximi non extendebatur latius, quam ad Israëlites. Quod attinet extraneos illos, qui in medio ipsorum habitabant, & ad certa etiam mandata legis obstricti erant Levit. 18. 26. iis quidem fas erat benefacere, sed non tenebantur eos diligere, sicut seipsos: ut videre est Deut. 15. 3. XXIII. 20. Hinc igitur elucet, quando in lege mandatur, *Diliges proximum tuum sicut seipsum* Levit. 19. 18. proximum illic non tantum publicis hostibus Dei ac totius populi, sed etiam unicuique extraneorum opponi: cumque dicitur: *Odio habebis inimicum tuum*; nullos alios inimicos, quam publicos hostes Dei ac populi, sive sint alienigenæ, sive impii Israëlitæ, intelligi.

Ex hisce intelligitur, nimis fragili istos niti argumento, qui ex eo, quod iisdem verbis ac literis non inveniatur hoc dictum in Lege Mosaica scriptum, *Odio habebis inimicum tuum*, colligunt, Christum hoc novum suum præceptum de Dilectione inimicorum non opposuisse Legi Mosaicæ, sed falsis tantum interpretationibus ac traditionibus Pharisæorum, ut qui legem etiam hac in parte de dilectione proximi perverterint, & duntaxat eam de amicis, non etiam de inimicis exposuerint, odioque habendum esse inimicum ex professo docuerint. Statuunt enim isti, quorum nunc opinionem referimus, Legem Mosis non minus perfecte quam Euangelium dilectionem amici atque inimici præcepisse, & utrumque sub nomine proximi comprehensum fuisse. Horum sententia, inquam, fragili nititur fundamento. Nam primo non desunt & alia loca Sacræ Scripturæ, in Novo Testamento citata, quæ ad literam non reperiuntur in Veteri. Ut Matth. 11. 23. ubi Matthæus ait, impletam fuisse in Christo scripturam, *Quod Nazoræus vocabitur:* cum tamen verba ista nusquam extent in toto Veteris Testamenti codice, sed res ipsa tantum, quæ verbis istis significatur, in Sacra Scriptura per typos ac figuras fuit adumbrata. Vide Commentaria nostra in hunc locum. Deinde probari nequit Pharisæos id, quod hic asseritur de iis, docuisse: neque etiam ulla est causa, cur Christus, qui alias nunquam illis parcere solebat, sed acriter in eos semper invehebatur, hic eorum nomine abstinere voluerit. Vide hic iterum Commentarium nostrum in Matth. 5. 21. Tertio quomodo dici potest, Legem Mosis præcepisse, ut apostatæ aliique flagitiosi inter Israëlitas diligerentur, quos absque omni misericordia funditus exscindere, & simili ultione prosequi, atque Ethnicos populos Chananiticos, diserte præcepit.

Jam vero huic odio ac persecutioni inimicorum, quæ in Lege Mosis mandata erat, opponit Christus dilectionem inimicorum, & quidem talem & tantam, ut non modo inimicis nihil mali inferamus, sed etiam eis benefaciamus, injuriasque beneficiis pensare studeamus, quin & Deum pro eorum prosperitate, ac inprimis pro eorum conversione ac emendatione oremus.

De hoc præcepto dilectionis primum notandum est, Christum id non minus, quam præcedens præceptum de patientia, non certis tantum personis, sed universo populo suo Christiano, tam Principibus, Judicibus, ac Magistratibus, si qui in Regno ejus locum habere queant, quam minimis in populo præscripsisse. Unicuique enim, qui vult esse Filius Altissimi, præcipitur, ut ad hunc modum inimicos suos diligat: quemadmodum & præceptum Mosaicum, cui Christus suum opponit, ita toti populo Israëlitico injunctum erat, ut præcipue & nominatim Magistratus ac Principes in populo illo obstringeret; ut pote cum eorum jussu atque ductu, bella adversus impios populos geri, & supplicia in defectores à populo Israëlitico executioni mandari debuerint.

Deinde considerandum est hoc loco, quid Chri-

Christus per inimicos intelligat, quos diligi præcipit: nempe eos, qui fideles ejus, adeoque ipsum quoque per horum latus *maledictis proscindunt, odio habent, infestant ac persequuntur:* puta, non propter privatam aliquam causam, aut litem, quæ uni sit cum altero, sed propter causam publicam, quæ universum fidelem populum concernat, id est, propter confessionem nominis Christi. Inimicos enim, quos Christus diligi imperat, opponit illis inimicis, quos Lex odio haberi jubebat: qui non erant ulli alii, quam publici hostes Dei & Israëlitici populi. Quocirca hic Christus etiam tales intelligit. Quod idem ex Luca quoque manifestum est, qui verba hæc immediate subjungit iis, quibus Christus beatos prædicaverat suos discipulos, si contingeret, ut ob nomen suum odio haberentur ab omnibus hominibus, expellerentur, convitiis ac probris afficerentur, atque aliis indignis tractarentur modis. Quo ipso ostendere voluit, quomodo se vicissim discipuli erga tales inimicos gerere debeant. Vide Luc. 6. ℣. 22, 27. Tales autem inimici erant tunc temporis præcipue infideles inter Judæos, qui Christum discipulosque ejus ad necem usque persequebantur, idque majori cum odio & acerbitate faciebant, quam ulli Ethnici populi.

Interea vero hoc præcepto Christi tacite etiam dilectio erga illos inimicos nobis mandatur, qui non propter nomen Christi, sed propter aliam privatam causam nobis infesti sunt; Imo hoc ipso præcepto, quo publicos inimicos diligere jubemur, multo efficacius etiam privati cujusque inimici amor inculcatur, quam si expressis verbis præciperetur. Nam si teneor publicos hostes Christi ejusque fidelium tanto amore prosequi, quanto magis teneor amare eum, qui ob longe minorem causam mihi inimicus est, meque odio habet. Nullum enim odium ex aliis causis est detestabilius coram Deo, quam quod ob nomen Christi adversus fideles ejus exercetur.

Ex hactenus dictis jam perspicuum est, judicia politica, in quibus facinorosi corporalibus pœnis afficiuntur, in Regno Christi locum non habere. Si enim Christus jubet publicos populi sui hostes, qui nos ob nomen ejus oderunt, vexant, ac persequuntur, non simpliciter tantum diligi & eis benedici, sed etiam pro eis orari, illos beneficiis affici; quanto magis illi nobis diligendi sunt, & beneficiis cumulandi, qui non sunt hostes nominis Christi, sed tantum simplices malefici & transgressores Legis. Christum enim & fideles ejus persequi, & tanquam blasphemos dira morte afficere, est peccatum omnia alia peccata ac scelera gravitate superans: & tales persecutores atque hostes veritatis sunt etiam plerumque malefici. Jam vero dici nequit, nos ei benefacere, cui vitam ob flagitia ejus eripimus, aut pœnas corporis cum cruciatu ac dolore conjunctis infligimus. Quapropter corporales pœnæ, cum hac perfecta dilectione atque charitate, quam Christus hoc loco præscribit, neutiquam possunt consistere. Inprimis cum hæc dilectio postulet, ut pro malis hominibus Deum oremus, ut convertuntur, & ad frugem redeant; per capitales autem pœnas eis ordinarie tempus ad pœnitentiam agendam præripitur ac præciditur. Non enim existimandum est, breve illud tempus paucorum dierum, qui malefico ad resipiscendum conceduntur, sufficere ad difficillimum opus regenerationis in homine facinoroso perficiendum; quamvis fieri possit, ut terror obversantis ante oculos mortis talia verba, quæ animi pœnitentiam redoleant, ex ore ejus extorqueat: quia nemo est, qui non exhorreat, si sibi & temporariam simul & æternam vitam amittendam esse videat. An autem brevis ille terror possit ita esse in omnibus facinorosis efficax ad animum eorum mutandum, ut si vita donentur, revera etiam à pristina vitiorum ac scelerum suorum consuetudine desciscant, dubium admodum est, imo prorsus incredibile. Quare charitas hæc, quam Christus hic præcipit, id sibi vult, ut ejusmodi peccatoribus concedatur tamdiu spatium ad agendam resipiscentiam, quamdiu Deus Solem suum super eos oriri facit, id est, quamdiu patitur eos frui vitalibus auris. Si convertatur intra id spatium, gaudium super eo existet in cœlis, & in Ecclesia Dei, quod anima à morte servata sit. Sin moriatur in peccatis suis, à Christo ipso jam erit judicatus atque condemnatus.

Cum eo, quod dilectio hoc loco requirit, ut inimicis, adeoque etiam maleficis benefaciamus, nequaquam pugnat, quod Scriptura Sacra alibi jubeat hujusmodi homines inordinate ambulantes aversari, consortium eorum fugere, ave eis non dicere 2 Thess. cap. 3. 6, 14. 2 Tim. 3. 5. Tit. 3. 10. 2 Joh. 10, quod ipsa Scriptura eos anathemate feriat, 1 Cor. 16. 22. 2 Tim. 4. 14, & cibum cum eis capere vetet 1 Cor. 5. ℣. 11. Nusquam enim legimus in Sacris Literis, juberi ut tales odio habeantur, actusque odii ac iræ, sicuti Lex præcipiebat, circa illos exerceantur. Ea autem quæ Scriptura Sacra erga eos facere mandat, maximam partem in bonum eorum fiunt, ut pudore ad resipiscentiam adducantur, ut discant non blasphemare; quod cum fit, consulitur eorum saluti ea ratione, quam Christus præcipit: item ad bonum Ecclesiæ, ne talium hominum contagione aliquid patiatur detrimenti. Neque hæc impediunt illam benedictionem ac beneficentiam, quam Christus hic præscribit. Non enim omittenda est interim ulla occasio eos blandis verbis ad resipiscentiam admonendi, & in necessitate officia charitatis illis exhibendi.

In verbis Apostoli 1 Cor. 16. 22. *Si quis Dominum Jesum non amet, esto anathema, maranatha,* non est imprecatio in hos vel illos impios, sed generalis renunciatio communicationis, seu facti eorum detestatio. Quasi dicat Apostolus: si quis Jesum Christum non amat, is à communione ac consortio nostro segregetur atque excommunicetur. Similis locutio est Gal. 1. 8. *Sed etsi nos aut Angelus de cœlo euangeliset vobis præter id, quod euangelisavimus vobis, anathema sit.* Quo dicendi genere indicatur, abstinendum à communione cum istis, quatenus talem doctrinam ad nos afferunt, non minus quam olim Judæi ab anathemate abstinere debebant. Ex hoc vero neutiquam colligi potest, certas quasdam personas, de quarum insanabili malitia certo nobis non constat, odio prosequendas esse, ita ut iis communia charitatis officia deneganda sint, nedum ut corporaliter,

poraliter, sicut olim sub Lege, puniendi, atque exscindendi sint. Similiter cum Apostolus dicit de Alexandro fabro ærario, qui multis malis eum affecerat; *Deus ei rependat secundum opera ejus* 2 Tim. cap. 4. 14, non est ista maledictio, malave imprecatio, sed potius vindictæ omnis remissio translatioque in eum, qui juste judicat: quemadmodum de Michaele Angelo scriptum legimus, cum non auderet, blasphemum ferre judicium in Satanam, quîcum de Mosis corpore certabat, dixisse eum, *Dominus increpet te, Satan* Jud. ℣. 9.

Nec est, quod putemus, Legem spirituali sensu acceptam hoc pacto dissolvi, si corporales pœnæ abrogentur: quin potius carnalibus ac typicis ejus sublatis consummatur ipsa, totaque in Spiritum convertitur, nihil aliud spirans, quam justitiam, fidem, judicium, & misericordiam, quæ præcipua sunt Legis; ut merito Christus dicat, *se non venisse dissolvere Legem, sed implere* Matth. 5. 17. Nam odio inimicorum, quo dilectionis præceptum sub Lege velut cancellis quibusdam coarctabatur, per novum Christi mandatum antiquato, Lex, cujus complementum est charitas, magnifice ampliata, & ad summum perfectionis suæ apicem perducta est.

Neque est, quod hic quispiam objiciat, Christum & Apostolos debuisse expressis verbis id docuisse, quod politia Mosaica ac judicia forensia abrogata essent: cum enim Apostoli doctrinam Christi de perfecta dilectione docendo politica Mosis adimpleverint, necesse non erat, ut speciatim fideles, à politicis istis dehortarentur; præsertim cum nemo primis illis temporibus Christum aperte profitens, ut decebat, in Magistratu durare potuerit, (quod jam ante ex parte ostensum, sequentia plenius docebunt.) Alia ratio fuit circumcisionis aliarumque ceremoniarum, quas expressis verbis abrogare coacti sunt, quia videbant eos, qui ex Gentibus crediderant, à spiritualibus Christi præceptis sensim ad carnalium observationem abduci, non sine maximo veritatis ac libertatis Euangelicæ dispendio. Et tamen Pharisæos verisimile est, ex Christi sermonibus tale quid subodoratos fuisse, cum interrogant, quid mulieri isti faciendum sit, quæ in adulterio fuerat deprehensa Joh. 8. 4, 5. Non interrogant, quid sibi Romano imperio subjectis in adulteram liceat: (absurdissimum siquidem foret, Mosis Legem huc accommodare, quasi illa ad pœnam infligendam obligaret eos, qui non sunt suæ potestatis) verum citant clara verba Legis, prout jacent, & super eis quærunt mentem Christi, quasi diversum hac parte sentientis. Neque cur sic interrogent, alia eorum intentio probabiliter divinari potest, quam ut id, quod suspicabantur tectius à Christo doceri, palam promere cogeretur. *Lex*, inquiunt, *lapidandam dicit, tu quid dicis?*

Cur igitur, dicet quis, Christus discipulis suis mandat servare, quicquid Pharisæi & Scribæ sedentes super cathedra Mosis illis dicent, servandum Matth. cap. 23. 2, 3. Ad hoc respondeo, Christum citato in loco sermonem habere de talibus Legis præceptis, quæ magistri illi, cum alios docerent, ipsi tamen ne digito quidem ea attingebant. Ista non spectabant externam politiam aut ceremonias, ob quæ omissa nunquam à Christo reprehendi meruerunt; sed erant moralia Legis, puta, misericordia, judicium, fides, justitia, sicut Christus ibidem docet, ac seipsum explicat. Ceremonialia autem & politica Legis præcepta, ut paulo ante dictum est, extensione charitatis, quam arctis ejusmodi odii ac immisericordiæ cancellis, sicuti sub Lege, non inclusit, & spiritualium judiciorum in locum eorum surrogatione, verius ab eo consummata, quam abolita esse censenda sunt.

Nec denique obstat antedictis, quod falsitatis insimulentur testes, qui Stephanum protomartyrem dicebant verba blasphema locutum contra Legem, dixisseque, Jesum mutaturum ritus, quos tradidit Moses Act. 6. 13, 14. Nam falsitas, quam testes commiserunt in hac causa, non tam in perversa verborum allegatione consistebat, quam in calumniosa eorundem interpretatione & ad blasphemiam detorsione. Cur enim dubitemus, Stephanum idem dixisse, quod Christus non semel ante de futuro urbis & templi Hierosolymitani excidio prædixerat Matt. cap. 24. Marc. 13. Luc. 19? Idem statuendum est de eo, quod additur, Jesum mutaturum ritus; quod ex priore illo consequitur: cum haud dubie ritus intelligantur, qui urbi & templo erant alligati, hisque destructis cessare debebant, videlicet quoad externum exercitium, non autem quoad impletionem, quæ Regni & Sacerdotii in Christum translatione jam tum facta erat. Ac de tali mutatione Legis, quæ per vim hostilem cum Reipublicæ ac templi eversione accidit, loquitur Propheta Daniel cap. 9. ℣. 27. *In media hebdomade abrogabitur victima & oblatio, & stabit in alis abominatio desolationis.* Hoc testes illi calumniose ad blasphemiam detorquent, ideoque falsi testes nuncupantur. Sic Doëgus etsi vere nunciaverat Saulo id, quod inter Davidem & Abimelechum erat gestum, tamen quia hoc fecit criminandi animo, calumniator ac vana loquens dicitur Psal. 52. 4, 5. vide 1 Sam. 21. 1. xxij. 9. Quodsi Stephani ipsius apologiam videamus, nusquam eum animadvertimus, quod testes objiciunt, à se dictum negare, quin potius tanquam non adversus Legem & Templum calumniose dictum defendere, docendo, ipsosmet Judæos blasphemiæ, impietatis, pertinaciæ adversus Legem verius accusandos, qui Jesum Caput omnium Prophetarum, quem Legis figuræ designaverant, de cujus adventu Prophetæ prædixerant, quem Moses audire præceperat, pro Messia agnoscere, ac vocem ejus audire nollent. Unde eventurum ipsis innuit, quod Prophetarum oraculis fuerat prænunciatum de excidio Templi & rituum mutatione, sicut olim patribus eorum acciderat.

CAPUT X.

De bellis & armis Christianorum.

EX his quæ hucusque dicta sunt, merito concludi potest cum Paulo Apostolo, non esse Christianorum arma carnalia, sed spiritualia 2 Cor. cap. 10. 4, & non esse eis certamen cum carne & sanguine, id est cum hominibus, sed cum principatibus, & potentibus ac potestatibus aëriis Eph. 6. 12.

Nam

Nam cum suprema salus populi Christiani non sit posita in divitiis, imperio, ac tranquillitate temporaria, vita denique præsenti, sed in horum omnium contemptu & abnegatione; quomodo bellum pro iis defendendis suscipiet, quæ religio Christiana docet abdicare, præsertim quando sine cæde retineri non possunt? Fundamentales leges Regni Christi sunt Patientia, charitas, & fiducia. Patientiæ præceptum est, malos non ferire, sed ferre: charitatis, inimicos non perdere, sed servare eisque benefacere: fiduciæ, Deo vindictam, & quicquid mali nobis contingere potest, penitus committere.

Israëlitis, quorum summum bonum hujus vitæ finibus continebatur, non erat fas ullum bellum absque peculiari Dei mandato auspicari, vel alio, quam præscriptum erat in Lege, modo illud gerere; præterea eis vitam suam ex Dei voluntate instituentibus promissa erat victoria. Quam ob causam bella eorum merito Domini bella dicta fuerunt Num. 31. ℣. 3. 1 Sam. 18. 17. xxv. 28. 1 Paral. 5. 22. Christianis autem nullum ejusmodi carnale bellum in nomine Domini suscipiendum, vel gerendum demandatum est, & victoria, quæ illis promissa est, non est nisi per afflictiones, mortes, ac persecutiones. Hac via Christus dux nobis præivit, antitypus Josuæ, qui hostes suos carnalibus armis vicerat; cum Christus contra spiritualibus armis patientiæ atque acerbissimæ mortis perpessione victoriam obtinuerit ac triumphum.

Cum Israëlitæ dispersi essent in captivitate Babylonica, & inter alias gentes externas, non erat illis de ullo bello cogitandum, sed pax populi illius, cui serviebant, quærenda, & pro populo illo gentili orandum: quia *pax illius*, ait Propheta, *est pax vestra* Jerem. 29. 7. Atqui Christiani pari loco sunt, populus dispersus inter alias gentes, peregrinus & alienigena in hoc mundo. Quamobrem nulla illis attingenda sunt carnalia bella, quibus aliæ gentes inter se colliduntur, sed debent pacem ac salutem inimicorum suorum quærere, proque iis precibus apud Deum intercedere. Celso religionem Christianam ridenti, quod bella damnaret, respondit Origenes, gladium sive arma Christianorum esse, orare pro potentibus hujus mundi.

Et quemadmodum carnale Regnum Israëlitarum in aliis omnibus rebus præcipuis fuit figura spiritualis Regni Christi, ita etiam bella Judæorum fuerunt typi ac umbræ spiritualium bellorum in Regno Christi. Sublatis igitur umbris ac figuris, postquam corpus ipsum comparuit, jam nobis non amplius in typo, sed in spiritu ac veritate bellandum est.

Observandum etiam hic est, Davidem virum alioqui sanctum, non potuisse Domino ædificare templum, quia erat bellator, & multum sanguinis humani profuderat, cum tamen bella Domini gesserit 1 Paral. 29. 3. Quî igitur fas sit illis manus suas sanguine humano cruentare, qui ipsi sanctissimum Dei templum esse debent?

Huc spectant quoque variæ prædictiones Prophetarum de summa pace & abolitione bellorum futura in Regno Messiæ, inter eos saltem, qui regni istius consortes essent Esai. 2. 4 dicitur: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non attollet gens contra gentem gladium, neque exercebuntur ultra ad prælium.* Quæ verba non possunt de illa pace intelligi, quæ tempore Augusti Cæsaris in toto Romano Imperio viguit; quia sermo est de iis, qui ascendent ad Sionem montem Domini, quique lege Euangelii Sione egressurâ arguti ac correpti, ad tam pacificam vivendi rationem sese daturi essent. Hæc correptio atque argutio sub Tiberio primum cœpit, sub quo Christus crucifixus fuit, & post Christi exaltationem per Apostolos in universo orbe continuata, in hodiernum usque diem duravit, ac porro durabit ad consummationem seculi. Et tamen statim sub imperio illius secuta sunt bella, atque in mundo gesta. Ut ergo prophetia sit vera, de ipsis sanctis intelligi debet, qui prædicationi Messiæ inimicitias ac bella damnantis, & summam charitatem inter homines exerceri volentis, ex animo obtemperarent.

Idem confirmatur alio loco Esaiæ cap. xj. 6, ubi scriptum est: *Et habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo cubabit; vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus reget eos; juvenca & ursa simul pascentur, simulque requiescent catuli earum; & leo quasi bos comedet stramen; & infans ludet super foramine aspidis, & in cavernam viperæ qui ablactatus est, mittet manum suam. Non nocebunt, neque occident in universo monte meo sancto; quia replebitur terra scientia Dei, sicut mare plenum est aquis.* Et Zachariæ cap. 9. 10 dicitur, quod Messias *docebit pacem gentes.* Item Ezech. 38. 11, 12 indicatur, sanctos sub Dei custodia securos fore, & habitaturos sine muro, sine vectibus ac portis, & Deum, illis quiescentibus, hostes eorum esse cæsurum. Ex quibus vaticiniis jure concludi potest, summam pacem ac tolerantiam inter fideles veros fore, etiam inter eos, qui antea acerrimi hostes fuerunt, usumque armorum, gladii, lanceæ, arcus aliorumque telorum inter eos locum non habiturum, id est, eos non solum inter se nulla bella gesturos, sed neque cum aliis, qui eis bellum intulerint: quia ad pugnandum non amplius erunt idonei, nescientque tractare arma, ut qui didicerint tantum diligere inimicos suos, iisque benefacere, de cætero omnem curam ac solicitudinem suam in Deum rejicere. Qui antea crudelitate animi lupis, pardis ac leonibus erant similes, habitabunt cum agnis, seu agnorum instar se gerent, cumque iis qui agnina, id est, mansueta indole præditi sunt, consociabuntur. Tam mites ac cicures evadent, ut neminem læsuri ac malo ullo affecturi sint: & quamvis ab aliis lædentur, vi tamen eis non resistent, perinde ac ovis haud resistit lupo, eam dilaniare quærenti.

Posset quispiam dicere: At saltem licet bellum gerere ob conscientiarum libertatem. Verum quid opus est bellare ob conscientiam, quam nulla vis humana, imo ne diabolica potest cogere, & in servitutem redigere? Conscientia semper manet libera ac soluta, etsi corpus conscientiæ causa constrictum sit vinculis, aut alia multa patiatur mala. Itaque bella ejusmodi revera sub obtentu libertatis conscientiarum, tantum tranquillitatem corporis pro scopo habent, non conscientiæ, quæ nulla re turbari & inquietari potest, nisi malis operibus. Si quis

libertatem externi cultus divini prætendat, is scire debet, non esse hunc primarium & Deo maxime placentem cultum, sed interiorem, qui spiritu ac veritate peragitur, quem hominum nemo impedire potest. Permittit autem Deus interdum tyrannis hujus mundi, ut fideles in externo cultu turbent ac impediant, vel ad fidem ac constantiam eorum explorandam, aut si magis externo, quam interno cultu addicti sint, ad docendum eos, ut imposterum Deum magis animo, quam labiis colant. Quod ergo, Deo volente ac procurante, fidelium bono fit, id bellatores isti volunt gladio impedire. Breviter; illi ipsi inimici, quos Christus vult à nobis diligi Matth. 5. 43. quibus jubet benedici, & bene fieri, Deoque in precibus commendari, inprimis sunt isti, qui nos conscientiæ ac confessionis Christi causa diris devovent, oderunt, & omni persecutionum genere infestant: quomodo igitur arma adversus eos stringere licebit.

CAPUT XI.

Refutatio quarundam Objectionum, quæ adversus ea, quæ de abrogatione Magistratus civilis & pœnarum corporalium, ut & bellorum carnalium in Regno Christi dicta sunt afferuntur.

IIs quæ hactenus de statu civilis Magistratus, deque corporalibus suppliciis, & de bello disputata à nobis sunt, quod nimirum in Regno Christi eis nullus sit locus, vulgo solent variæ objectiones opponi.

Primo objicitur, hanc doctrinam tendere ad universalem societatis humanæ, omniumque Rerum publicarum, ac politici ordinis abolitionem, per eam aperiri non fenestram, sed latissimam portam omnibus flagitiis ac sceleribus, pios autem, quos defendere jubet æquitas libidini impiorum exponi; denique totum Christianum orbem, si invadentibus Turcis aut Ethnicis arma opponere non liceret, funditus periturum, & internecione deletum iri. Sed certum sane est, ita futurum, & id omnino secuturum, si Christiani nullum Magistratum, nullum Regem haberent, qui eos regeret; si essent instar ovium pastore carentium, sine omni dubio à lupis devorarentur. Jam cum Christianus populus regnetur à potentissimo, sapientissimo, ac clementissimo Rege Christo, qui ejus plusquam paternam curam gerit, ita ut ne pilus quidem de capite ejus absque ipsius voluntate perire queat; inter suos autem ac fidelium suorum hostes robur dexteræ suæ exerit, eosque ferreo sceptro contundit; non est ulla ordinis boni confusio, vel bonorum oppressio, multo minus interitus Christiani orbis adeo pertimescendus. Imo id ipsum longe magis esset metuendum, si imperium penes solos Principes ac Reges terrenos foret, & summus ille Rex Christus, non sæpenumero, modo divinissimo suæ sapientissimæ gubernationis, cupiditatum eorum insatiabilium ac insipientium conatuum torrenti terminos figeret. Etsi Christus fideles suos tanti æstimat, ut eorum opera non utatur ad ea, quæ magis servis, quam filiis conveniunt, nempe ad effundendum sanguinem & judicia capitalia administranda: non tamen propterea impietas manet impunita, nec pietas absque præsidio. Quis enim punit improbos, quando Magistratus non raro in officio suo faciendo est negligens, vel in suis judiciis peccat respectu personarum? Quis punit Magistratus ipsos, quando illaudabilem ac contaminatam vitam agunt, idque ipsi perpetrant, quod in aliis plectere solent? Nonne id facit supremus ille Rex Christus? nonne is tum occultis, tum manifestis judiciis suis adhuc in hac vita unumquemque persequitur, & singulis retribuit secundum opera eorum; & quidem sæpe tam mirabiliter, tamque sapienter, ut ad oculum pene manus ejus cerni deprehendique possit? Quis etiam tuetur pios ac innocentes, quando ipse Magistratus adversus eos insurgit eosque opprimere nititur, quando jus pervertit, & non secundum justitiam, sed secundum gratiam pretio corruptus judicat? Nonne Christus summus Rex noster est, qui, quando videt, *cum qui recedit a malo, prædam uniuscujusque fieri, & neminem esse, qui auxilium afferat probis, ipse brachio suo servat eos, & justitia sua fulcit eos*? ut Esaias Propheta loquitur de Deo, quando pii ac pauperes in Israëlitico populo à potentioribus premebantur, Esai. 59. 15, 16.

Dices: Christum quidem esse supremum Gubernatorem ac Regem Christiani orbis, sed eum regere mundum non sine externis mediis, sed per civiles Magistratus, quos ipse hoc fine in Orbe Christiano instituit & conservat, ut sint terrori malis operibus, & ministri Dei bonis in bonum, Rom. cap. 13. 3, 4. At hæc objectio non tangit revera rem, de qua est quæstio. Christum enim in sua gubernatione adhibere externa quoque & visibilia media, ipsosque etiam homines, quin & nominatim Magistratum politicum, ad puniendum improbos, & tuendum bonos, nemo est, qui negat; quemadmodum etiam negari nequit, Christum habere innumera arcana ac invisibilia, hominesque latentia media, quibus in regendo mundo utitur, ac inprimis eum uti opera ac ministerio Angelorum, qui sunt ministratorii spiritus, quos ille mittit ad ministerium eorum, qui hæredes futuri sunt salutis, Heb. cap. 1. 14. Sed de eo non est controversia; sed hoc quæritur, An Christianus, qui est membrum Regni Christi, munere Magistratus politici fungi possit? vel, An Christus in Regno suo sive Ecclesia talia instituerit officia, quorum est de sanguine judicare? Christo equidem coguntur ministrare non solum omnes illi Reges ac Principes, qui nomen ejus profitentur, sed etiam Ethnici & à religione ejus alienissimi, quin & ipsi maligni Spiritus, ut, quando vult, per eos punire sceleratos, & tutari pios possit: id quod patet ex loco Rom. 13. 1, 2, 3. qui de nullo alio, quam de Ethnico Magistratu agit, ut paulo post videbimus. Quod autem Magistratus, qui sunt inter Christianos, attinet, commode potest totus orbis Christianus, quantus quantus est, comparari cum amplo ac spatioso aliquo horto, in quo paucæ reperiuntur præstantes herbæ aut flosculi insignes, at urtica & infelix lolium late dominatur.

Ita

Ita enim etiam inter eos qui Christi nomen præferunt, paucissimi sunt admodum veri fideles, & electi filii Dei, Christique tales servi, qui mortui sint mundo omnibusque mundanis concupiscentiis, & se totos Domino ac Regi suo filiali cum fiducia consecrarint: plerique in omni statu sunt homines toto animo dediti mundo, qui corporalia bona summe diligunt, eorumque conservationem ac propagationem non in divina providentia, sed in carnalibus mediis, & secundum mundanæ sapientiæ regulas quæritant; sunt quoque inter eos innumeri, qui si excipias confessionem Christiani nominis, in vita ac moribus parum aut nihil ab improbissimis Ethnicis differunt. In hos æque se extendit Christi imperium, ac in electum ejus populum, sed dispari prorsus modo ac ratione. Nimirum permittit, ut inter illos vigeat politicus ordo & secundum leges mundanæ sapientiæ sint inter eos judices sanguinis & carnifices, ut pote cum ejus præsidium ac regimen rejecerint; Regesque ac Judices Ethnicorum aut Judæorum more habere, ac mundanum in modum regi defendique velint; non secus ac olim Israëlitæ Deum rejecerant, & Deus quoque illis talem Regem dedit, qualem cupiebant, sed dedit eum in ira sua, 1 Sam. 8. 5, 7. Atque hic ipse ordo, quem Deus inter istos homines conservat, cogitur etiam servire electis ejus ad defensionem: non quod illi, qui munus defendendi innocentes gerere volunt, eos semper defendere studeant (quia plerumque ipsi sunt maximi persecutores vere credentium, quia maxima potestate pollent) non etiam quod fideles per se ab eorum præsidio pendeant, vel illi fidant; sed quod Christus pro sua immensa sapientia ita res moderetur, ut id quod illi propter suam ac suorum propriam utilitatem ac pacem faciunt quæruntque, etiam fidelibus Dei, ac sæpe quidem illis invitis atque adversis, serviat. Tam enim admirabilis est gubernatio hujus cœlestis Regis, ut pusillo & orbi ignoto gregi hominum piorum, etiam potentissimi Monarchæ ministrare, & illorum bono ingentia opera, quibus se invicem absumunt, & pœnemina summis in orbe terrarum miscent, peragere cogantur. Ad quæ opera non opus est ut pii ipsi manus suas admoveant: sed tantum tanquam filii Regis in hoc mundi theatro spectatores sint ejus Comœdiæ vel Tragœdiæ, quam in eo agunt mancipia jussu vel permissu Regis: utque ex eo, quod vident in mancipiis fieri, ipsi magis magisque discant timere Deum omnis mali ultorem, ex eo vero, quod in se fieri cernunt, discant Deo magis magisque fidere, & sub ejus tutela debitum ei præstare obsequium. Atque hac ratione Christus punit malos, ac defendit probos in Regno suo, non ut electos suos faciat ministros iræ suæ: multo enim sunt præstantiores in oculis ejus, quam ut eos ad tam vilia officia adhibeat; sed id facit per servos ignobiliores ac mediastinos, qui etsi nomine ejus censeri velint, tamen in Regno ejus non aliter locum habent, quam lolium in horto, quos ille ad tempus patitur florere, quamdiu electo populo suo quasi umbram præbent, quin & large remuneratur eos, si piis benefaciant: quando vero teneros flosculos amoris ejus suffocare atque extinguere gestiunt, id est, quando fideles ejus persequuntur, & exstirpare nituntur, facit cum eis; quod majestate ac sapientia ejus dignum est. Quocirca nullo modo dici potest, sublato civili Magistratu & judiciis capitalibus ex Christi Ecclesia, omnium rerum confusionem induci, piosque præsidio, impios vero meritis pœnis carituros. Nam si quis in Ecclesia Domini à bono recedat, & quod malum est, faciat, parata est tali pœna in Ecclesia, ut tanquam putridum membrum resecetur, id est, ut à communione sanctorum separetur. Si resipiscat, patent ei fores gratiæ: sin perseveret in malitia, paratum inveniet illico, extra Ecclesiam Domini, gladium, rotam, patibulum aliaque supplicia, quæ ille pro sapientissima summi Regis directione non magis effugiet, quam si pœnæ istæ in ipsa Domini Ecclesia ipsi irrogarentur. Quo pacto sane nulla confusio ac perturbatio ordinis invehitur, sed potius sapientissimus ordo, quem Christus in Regno suo instituit, elucet, dum ejusmodi discrimen facit inter liberos & servos, ut quemque eorum ad talia munia adhibeat, quæ statum ejus ac conditionem decent. Si omnes Christiani pii essent, & charitatem inter se colerent, nihil opus foret ullo Magistratu, ullo Judice, ullo carnifice; sed quia plerique viam iniquitatis calcant, aut certe Christo non integro corde confidunt, id est, ejus inconspicuo præsidio contenti non sunt, ideo Christus quoque permittit eos ire viis suis, & cum eis sic procedit, ut status eorum postulat. Quemadmodum igitur Christus singulos è fidelibus suis adversus omnem improborum violentiam tuetur, ita etiam universum populum suum tuetur adversus hostiles exercitus, ut tanquam filii pacis in pace vivere possint, quamdiu ipsi obsequentes sunt. Paterna enim cura atque providentia Dei circa fideles sub Novo Fœdere certe minor non est, quam sub Veteri, ubi Deus populo suo pollicitus est, si viri omnes festis diebus Hierosolymam commearent, atque domi uxores ac liberos suos cum omnibus bonis suis indefensos relinquerent, ac hostibus, quorum in medio habitabant, quasi prædæ exponerent, se hostes eorum ita inhibiturum ac refrænaturum, ut regio ipsorum ab hostili incursione libera esset ac immunis, Exod. 34. 23, 24. Quanto magis pii sub Novo Fœdere, quibus longe præstantiores factæ sunt promissiones, tam paternam Christi Regis sui custodiam sibi polliceri possunt, qui adeo fidelis est, ut non patiatur fideles suos tentari supra vires, ac proinde eos non prostituet crudelissimis hostibus, neque eorum libidini permittet, etsi ipsi manus suas sanguine hostium suorum non inquinent. Quodsi contingat, ut Christi populus à veræ pietatis via deflectat, Christoque sic necessitas imponatur judicia sua in eum exercendi, quæ humana potentia, quæ arma erunt tam valida & efficacia, ut hostes istos debellare queant, quos adjuvat Domini manus, & cum quibus una pugnat Christus contra suum populum depravatum? *Quando Domini indignatio erumpet sicut ignis & exardescet, quis erit, qui eam extinguat?* Jer. 21. 12. *Præ increpatione Dei Jacob consopiuntur & equi & currus: ecquis potest consistere coram eo, quando irascitur?* Psal. 76. 7, 8. Non enim putandum est, bella esse res, quæ temere ac fortuito accidant in mundo. Sunt

illa Dei judicia, quæ ille in habitatores terræ propter peccata ipsorum immittit, aliquando acrius ac severius, aliquando mitius, prout sunt merita hominum, vel prout ipsi placitum est misericordia erga eos uti ad ipsorum emendationem. Neque est, quod quis cogitet, tam numerosam aliquando fore piorum multitudinem, ut sint absque omni magistratu in terris ac sui prorsus juris & arbitrii. Non inveniuntur in orbe integri montes auri puri, sed sparsim & parce hinc inde aliquid auri reperitur. Itaque non est, quod pii metuant, ne quis eis urbes ac regiones eripiat. Sed si Deus judicia sua effundat in urbem aut regionem, ubi illi habitant, fugere inde atque emigrare debent, ne fiant participes divinarum plagarum. Quam ad rem Deus suis sufficientia suppeditat media, ut è flamma possint evadere: quemadmodum legimus, eum quoque fideles suos è Jerusalem ante ejus excidium eduxisse, dum eos divinitus missa voce monuit, ac interitum urbis eis indicavit. Ut rem in pauca conferam, populus Christianus est populus pacis, qui nec bellare, nec arma tractare novit, cujus spes omnis ac fiducia posita est in Rege ipsius Christo, cui absque ulla reprehensione servire studet, corpus suum omniaque temporalia ipsius curæ ac providentiæ committens. Arma ejus, quibus profligat omnes suos hostes, sunt fides ac patientia. Promissa enim ei facta non consistunt in hac vita, ut ob ea digladiari opus habeat: mors, quæ naturali homini est summum & extremum malum, Christianis proprie malum non est, sed tantum introitus vel transitus ad vitam æternam. Quod illi sciunt ac bene norunt non per ratiocinationem ac consequentias, quæ à divina bonitate, & rei ipsius æquitate ducuntur, sed ex promissis certis ac claris, quæ nobis confirmata sunt, morte, resurrectione atque exaltatione Christi, ut & missione cœlitus Spiritus Sancti. Quem tametsi nunc tam conspicue non mittat Christus fidelibus, uti tunc misit in primordiis Euangelii, tamen tempore summæ affiictionis fulcit eo Spiritum nostrum ac corroborat, animoque eum nostro imprimit non secus ac sigillum aut pignus nostræ hæreditatis, quæ nobis reposita est in cœlis. Hinc fit, ut veri fideles etiam in mediis calamitatibus ac persecutionibus lætitia exultent, ut qui sciant, omnia ipsis cedere in bonum. Si injuria afficiantur, vindictam committunt Deo, qui juste judicat, cujus oculi intenti sunt in justos, facies autem ejus aversa est ab injustis. Si quis eis maledicat ac convitietur. Benedicunt ei, scientes se hoc pacto ad benedictionem vocatos esse; & Spiritum Dei super eos requiescere, si Christi causa persecutiones patiantur. Interea eos, qui nondum maturuerunt in fide, & ad perfectionem nondum pervenerunt, Deus Pater optimus suscipit in tutelam suam, nec gravius ullum onus patitur imponi humeris eorum, quam ferre possint.

Altera objectio, quæ adversus hanc doctrinam affertur, est, quod opera justitiæ, qua unicuique, quod suum est, tribuitur, piis scilicet immunitas à malo, impiis autem pœna, sint per se & natura sua bona; quapropter haud quaquam credibile est, ea à Christo esse prohibita. Respondeo. Primum multo magis credibile est, Christum in tam perfecto justoque Regno, quale ipsius est, opera justitiæ illis prohibuisse, qui partim non possunt ea exercere, partim non intelligunt, quomodo secundum accuratum justitiæ lancem destribui debeant (sæpissime enim ab hominibus tum in defensione bonorum, tum in punitione malorum vel excessu vel defectu peccatur) ipsumque ea in se recepisse, ut qui pro immensa potentia & ineffabili sapientia sua multo melius, quam homines, unicuique, quod suum est, tribuere novit. Itaque tantum abest, ut opera justitiæ in Regno Christi sublata sint, ut potius modo excellentissimo ac perfectissimo exerceantur. Hinc virga seu sceptrum Messiæ *virga rectitudinis* seu justitiæ appellatur Hebr. 1. 8. ibidemque Christus Rex ita describitur, quod *diligat justitiam*. Quamobrem nobis injungitur, ut omnem vindictam illi committamus, qui juste judicat Rom. 12. 19. 1 Pet. cap. 2. 23. Ita ut proborum nemo metuere debeat, se indefensum ac sine præsidio fore, etsi ab hominibus non defendatur, aut se ipse carnali ratione non defendat: neque etiam cogitare quisquam debeat, mala opera impune abitura, etsi ab hominibus non puniantur. Secundo liberum etiam est Deo per se opera justitiæ suis electis prohibere, tum quoque, quando naturalis æquitas dictat, ea ita officii nostri esse, ut sponte nostra & absque peculiari Dei mandato omitti non debeant: quando scilicet per hoc vult fidei, obedientiæ & charitatis nostræ, capere experimentum, an videlicet ei ex toto animo confidamus, adeoque eum supra omnia diligamus, quæ perfecta justitia nostra est. Atque hoc jus summum ac potestatem Dei in nos non possumus non agnoscere, nec nisi palam injusti esse velimus, eam ipsi denegare. Sic natura docet parentum, liberorum, conjugum defensionem non esse deserendam tempore imminentis periculi. Potest tamen Deus certis casibus eorum etiam, quibus naturaliter obstricti sumus, desertionem nobis imperare: quod quia tum Dei causa & non sponte nostra fit, sine cujusquam injuria fit; cum illi, quos sic deserimus, se suaque omnia, etiam absque hoc, Deo debeant, ejusque potestati toti subjecti sint, qui & ipse eos sine nobis curare ac defendere potest. Hujusce rei exemplum habemus in Lege jam sæpius commemoratum, ubi Deus jussit ter quotannis Israëlitas comparere ante se Hierosolymis, ad solennia festa obeunda, omnesque domesticos suos in periculo hostilis incursionis interea relinquere, Exod 34. 23, 24. In Euangelio vero, hoc est, perfectionis doctrina, major etiamnum, ut consentaneum est, fiducia & charitas in Deum requiruntur; ubi prima statim adeuntes vox monet, omnibus renunciandum esse Christi causa, aut abeundum: ubi jam ingressos severior excipit disciplina, docens, malum bono vincere, ingratis ac malis benefacere, damni & injuriæ compensationem à Christo expectare. Quæ cuncta iis, qui ex animo credunt, propter magnitudinem præmii facientibus propositi, suavia ac facilia videntur. Ut paucis dicam, ex eo, quod opera justitiæ natura sua ac per se bona sint, nihil aliud effici potest, quam actus judiciales, quibus mali pœnis afficiuntur, boni defenduntur, non esse natura sua illicitos: an vero Christianis vetiti sint, nec ne, aliunde

aliunde judicium fieri debet, nempe ex ipsius Christi verbis, quæ non ad naturalem æquitatem deprimenda, sed hæc potius ad illa exigenda & atollenda est; cum rationi divino lumine illustratæ optime conveniat, minus commodum negligere, ut infinitis partibus majus inde percipiamus.

Tertio loco hic objicitur, nusquam legi, quod iis, qui in Magistratu aliquo existentes ad fidem Christianam conversi sunt, mandatum sit, ut eo se munere abdicarent, aut quod doctrinam Christi amplexi id ultro deposuerint, eique renunciaverint: quod omnino videtur non fuisse reticendum, si Religio Christi hoc postularet. Respondeo primum: quod eos attinet, qui in Christum nondum passum crediderint, neutiquam mirandum, à talibus non fuisse exactam legum, quæ regnum ipsius proprie spectant, observationem, quamdiu regni illius administratio nondum à patre illi esset donata. Christum enim certando & patiendo Regnum suum æternum & cæleste ingredi decebat: quemadmodum & David, typum Christi gerens, cum jam in Regem à Deo esset unctus, non sine multis certaminibus & difficultatibus Regnum sibi promissum accepit. In hunc finem Christus natus & in mundum ingressus est, non ut ibi dominaretur, sed veritati testimonium redderet, Matth. 20. 28. Joh. 18. 37, eamque obsignaret sanguine suo, sicut à Patre mandatum acceperat: cui postquam obediens fuit, seque ipsum ad infirmam demisit humilitatis abyssum, supra omnes cœlos est evectus, ut ibi erigeret Regnum, quod plenum justitiæ & majestatis, iisdem, quibus cœlum & terra finibus terminaretur. Interim præparabat discipulos suos in terris, cum eis versans, per doctrinam pœnitentiæ ac fidei, docens Regnum cœlorum non venisse, sed appropinquare, Matth. 4. 17, ac subinde leges illas, quæ in Regno suo locum habituræ essent, proponens; quo postea Spiritu Sancto memoriam illis renovante, mentemque suo lumine collustrante, paratioribus animis eas reciperent. Tantum abest, ut Johannes Baptista, cujus munus tantum erat, Christum Regem digito ostendere, cuique ut pote terreno, Joh. 3. 31. vera Regni illius spiritualis & cœlestis conditio necdum satis erat perspecta, ad præcepta hæc observanda populum incitare atque exhortari debuerit. Quod vero credentes eos attinet, de quibus non est expressum, quod mandatum tale Christo jam glorificato acceperint, mirandum non est, cum in historia conversionis eorum ab Apostolis factæ, generalia tantum fundamenta, & prima principia doctrinæ Euangelicæ, quibus homines ad pœnitentiam à mortuis operibus, & fidem in Dominum Jesum Christum converti debent. exposita legamus, nullam ibi mentionem fieri specialium illarum virtutum, quæ omnem Judæorum & Gentilium justitiam longissime exsuperant, quæque nonnisi credentibus, & Christum pro Domino suo agnoscentibus præscribi utiliter possunt. Quid, quod supervacaneum, erat, de aliquo, qui Christum professus dicitur, speciatim referre, quod his aut illis legibus sese subjecerit; quandoquidem Christum pro Rege suo agnoscere, tantundem est, atque si quis profiteatur, se omnibus illius legibus dicto audientem esse esse velle. Quin & illud constat, si quis tum temporis Judæus Christi religionem sincere profiteretur, ei magistratum inter Judæos gerere neutiquam à cæteris permissum fuisset. Quomodo vero ex gentibus illi, qui vere crediderant, gentilem retinuissent dominationem, cum qua pro temporum illorum ratione connexus erat idolorum cultus, atque adoratio, & publicus idolothytorum esus &c, & si hæc abessent (quanquam difficulter abesse poterant) ipsa illa gentilis dominatio, quid aliud erat quam tacita quædam gentilismi professio? Hoc est, quod Tertullianus alicubi militibus Christianis, sub gentili militantibus imperio exprobrat, dicens, eos sub Satanæ vexillo militare, pro templis idolorum, quibus renunciaverant excubias agere, pro dæmoniis, quæ Christiani ejicerent, pugnare, ibi accubare, ubi Apostolus prohibuerat. Quod attinet exemplum Cornelii Centurionis, qui Gentium ad fidem conversarum primitiæ fuit, in hoc videmus impletum fuisse vaticinium, quod extat Esai. 2. 4. dummodo per Legem Domini Sione egredientem argutus correptusque, correptioni isti gladios & lanceas in vomeres falcesque recudere suadenti, obsecutum fuisse volumus. De Sergio Paulo nihil aliud dicitur, quam eum credidisse, & admiratum super doctrina Domini; at baptisatum fuisse, & Christum aperte professum non legimus. Vide Act. 13. 12.

Nec factum Pauli, quod objicitur ex Act. 23. 18. indicat, eum potestatem gladii Christiano permissam credidisse, nec legitimum ejus usum ad corporis sui tutelam à Lysia petivisse. Nam cum nonnulli malitiosi vitæ ejus insidiarentur, hoc tantum petit à Tribuno, ne petentibus Judæis, ut postridie ad consessum duceretur, auscultaret, eo quod quadraginta viri in necem suam conspirarint. Non ergo petit vi defendi, sed detegens conspirationem, simul indicat modum avertendi periculi sine cujusquam noxa, nimirum si in castris detentus, non sisteretur synedrio. Porro salus militum Romanorum, adeoque eorum ipsorum, qui in necem Pauli conspiraverant, (utcunque de se parum fuisset solicitus) postulabat, ut insidias, sicuti fecit, detegeret. Fingamus enim, Judæos ad occidendum prosiluisse, ac Paulo manus injecisse, nonne si milites restitissent, quod ex officio facere debebant, cædes utrinque facta fuisset? Taceo, quod tantum crimen adversus publicam potestatem jam non modo excogitatum, verum etiam patratum, nonnisi nocentium capitibus expiari potuisset. Ita ut Paulus, hac insidiarum sibi structarum detectione, potius fusioni sanguinis occurrerit, quam ullam ad eam ansam dederit. Periculum autem, quod detectis à Tribuno imminebat, non adeo magnum fuit (sicut & eventus nos docet) ut propterea tacere melius foret; cum hujusmodi molitiones à populo male pacato, in privatum aliquem structas, ipsæ etiam supremæ potestates, nedum tribunus, libenter soleant dissimulare, contentæ, conatibus ne executioni mandentur, obviam ivisse. Quamvis in hoc, de quo agimus, negotio, non tam spectare oportet, quid consequi potuerit, quam quid consecutum sit; siquidem Paulus actionum suarum ducem habuit Spiritum Dei.

Quarto objici solet, doctrinam hanc seditiosam esse & rebellionibus ansam dare; quippe cum solvat subditos obedientia, & Magistratus, quatenus à credentibus administratur, auctoritatem elevet. Respondeo. Quando dicimus, Christianum qui juxta perfectum canonem in doctrina Domini nostri Jesu Christi præscriptum ambulare velit, Magistratu se abstenturum, ut cui subjectio & non dominatio in alios mandata sit, per hoc adeo non solvitur obedientia Magistratibus debita, ut adstringatur potius, & fortiori vinculo ligetur. Neque per hoc jus, quod vel natura vel lege, vel instituto aliquo inter gentes obtinet, sic adimitur credentibus, quasi etiam inviti & contra conscientiam teneantur ei renunciare: imo cum nihil magis sit arbitrarium, quam Religio Christiana, renunciatio hæc Deo placere non potest, nisi sponte, adeoque ex conscientia divini præcepti suscipiatur. Ut hoc obtentu neminem rebellare oporteat Magistratibus: quin tanto major istis debetur reverentia, quanto minus absunt à Christianæ mansuetudinis archetypo. Illa ipsa subjectio, ad quam Christiani vocati sunt, complectitur in se obedientiam erga Magistratum, sub quo vivunt; & eadem doctrina Christi, docet quoque omnem Magistratum, etiam Ethnicum, à Deo esse, ejusque esse ordinationem, neque fas esse ulli Christiano divinæ illi ordinationi resistere. Longe aliud est putare sibi non esse licitum munere Magistratus fungi: & aliud est, Magistratui nolle obtempere: hæc duo non pugnant ita inter se, ut ubi unum sit, alterum esse non possit. Sive igitur Christianus sit Magistratus, sive extraneus, si quis ei resistit, aut contradicit, ut subjectione eorum se eximat, is resistit ac contradicit ordinationi divinæ, inque hunc quadrat id, quod Petrus dicit de falsis Prophetis, quod dominationes contemnant, & dignitates convitiis incessant. Non pertinet quoque ullo pacto ad contemptum dominationum, divinæque circa eas ordinationis, si quis munera & ministeria Christianorum, quæ Deus ipsis peculiariter disposuit, distinguat a muneribus & ministeriis mundanis ac civilibus, quæ Deus universali sua ordinatione inter gentes mundi constituit: quemadmodum in aula Regia immerito diceretur ille contemnere officia Mareschalci, Cancellarii, Archi Camerarii, aliorumque aulicorum, qui affirmaret, Regis Filio neutiquam competere, ut tale aliquod administret officium.

Rom 13 vs

NB

Quinto solet contra nos afferri locus Pauli 1 Tim. 2. 1, 2, 3, ubi sic scribit Apostolus: *Quamobrem adhortor ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, intercessiones, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in eminentia sunt, ut quietam & tranquillam vitam degamus, cum omni pietate & honestate. Nam hoc bonum acceptumque est coram Deo Servatore nostro, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* His verbis (dicunt qui contrarium sentiunt) hortatur Apostolus, ut oretur pro Regibus, ut salvi fiant atque ad veritatis cognitionem perveniant, & quidem eo fine, ut ubi ad agnitionem veritatis pervenerint, nos sub eorum præsidio quietam ac tranquillam vitam degamus. Talem autem vitam quietam & tranquillam nobis Reges præstare non possunt, si illico post suam conversionem Regno se abdicent: quia nulla amplius auctoritate ac potestate polierent, qua ad aliorum præsidium ac defensionem opus est: Fieri quoque posset, ut si Reges conversi diadema sceptrumque abjicerent, alii succederent multo deteriores, qui nos magis etiam, quam illi conversi antea fecerant, inquietarent: atque sic accideret, ut dum credimus Deum nostras preces exaudivisse, dum Reges illi Principes, quorum sub imperio vivimus, conversi sunt, non solum non sequatur exoptatus quietis ac tranquillitatis fructus, quem ex conversione eorum speravimus, sed ut à successoribus multo pejoribus magis vexemur, & gravioribus persecutionibus infestemur, utque ita non bono nostro, sed maximo malo exauditi simus.

Verum hæc interpretatio, quam isti irrefutabilem esse autumant, rem acu non tangit, ut ex sequenti loci hujus explanatione patebit. Nimirum Apostolus his verbis hortatur fideles, ut orent pro omnibus hominibus, ac nominatim pro Regibus, & omnibus, qui sunt in eminentia. Quidnam vero id sit, quod orari pro his velit, non expresse quidem dicit; attamen ratio illa, quam mox subjicit: *Nam hoc bonum acceptumque est coram Deo Servatore nostro, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*; perspicue indicat, hujusmodi res esse, pro quibus orari vult, quæ ad æternam ipsorum salutem pertinent, nempe ut convertant se ad Christum per cognitionem veritatis. Quod in hac objectione exinde concluditur, Apostoli hanc fuisse mentem, ut iidem conversi Reges maneant, quo fidelibus quietam & tranquillam vitam procurent, quod facere non possent, si dignitate se abdicarent, id nullum habet stabile fundamentum. Primum enim pro concesso ac confesso sumitur, quod tamen falsum est, hunc precum scopum proponi ab Apostolo, nempe ut orent pro Regum conversione, quo conversio ista præstet ipsis vitam quietam & tranquillam, sive ut fructus iste ex tali conversione sequatur. Nam etiamsi tunc Rex aliquis ad Christum conversus fuisset, tamen fructus ille pacis ac tranquillitatis neutiquam sperari potuisset, subditis in incredulitate manentibus: imo Reges ipsi non potuissent idcirco manere Reges, quia Regibus potissimum illa tempestate incumbebat, Ethnicos cultus stabilire, & omni cura ac solicitudine eos conservare; quod Regibus conversis nullo modo convenisset, quin nec tacite assensum præbere talibus abominationibus, illis licuisset. Per vim autem ista mutare, præterquam quod non fuisset eorum potestatis, in populo superstitioso, qui conscientiæ libertatem ac religionem suam non minus amat, quam veri Dei cultores, vitamque suam ac sanguinem ei impendere paratus est, etiam à Christiana professione, quæ omnem violentiam atque coactionem in negotio conscientiæ aversatur, id fuisset alienum. Ut ut sit, non hinc quieta & tranquilla vita, sed contrarius potius inter fideles effectus extitisset, incredulis vi se opponentibus. Quomodo ergo Apostolus credentes hortatur, ante omnia pro hoc itidem orare, ut Reges convertantur, qui in gentili Republica regnantes pacem ipsis

præstent? Si quis dicat, Apostolum non simpliciter respicere solas Regum personas, sed Reges simul sumptos cum reliquis hominibus, pro quibus orari jubet, vel saltem cum istis populis quibus Reges illi præsunt; tum conversio ista Regum cum populis ac subditis suis sola sufficeret ad quietem & pacem Christianis inter homines conciliandam, nec opus esset, ut Reges in hunc finem imperium suum retinerent: siquidem pii nullo præsidio ac defensione inter pios indigent, & finis ille pacis, conversionis hujus beneficio, pro qua fideles rogant, multo efficacius potest obtineri, quam ulla externa vi ac potentia. Secundo absurdum videtur, ut ubi tanta est orandi causa ut hic recensetur, puta conversio & salus infidelium, quæ credentibus optandæ ac procurandæ sunt, non solum quietis externæ, verum etiam vitæ ipsius dispendio, animi & cogitationes ipsorum insuper ad externæ pacis desiderium distrahi debeant, tanquam ad rem Ecclesiæ utilissimam, utque eo respicientes jubeantur ante omnia orare pro Regum gentilium conversione. Sic enim secundum hanc interpretationem proximus finis precum foret, conversio Regum, remotior autem & ultimus, tranquilla vita: quod est absurdum. Totum quippe Euangelium fidelibus nihil nisi persecutiones atque afflictiones in hac vita promittit, idque nostræ saluti bonum ac utile esse docet: præterea omnium temporum experientia testatur, Ecclesiam semper melius egisse sub persecutione, quam sine illa. Nempe sub Principibus Christianis, ut censet Ludovicus Vives de vita sub Turca, virtutes paulatim decoxerunt, & in eorum locum invecta ab iis nobilitas, honores, arma, insignia, triumphi, supercilia, fastus, superbia. Adde quod Episcopi, horum beneficio, fruentes plena securitate, & potentia ac divitiis locupletati, primo comessari & potare cum ebriosis, deinde omni metu soluti conservos suos percutere cœperunt. Quomodo igitur Apostolus pro scopo ac fine ultimo orationis pro Regibus id ipsum posuisset, quod natum est omnem veræ pietatis zelum atque ardorem extinguere, Ecclesiamque Dei prorsus pessundare? id autem est carnalis quies atque prosperitas. Tertio etiam alii viri docti, inter quos est Beza, qui alioqui munus Magistratus inter Christianos vult conservatum, observarunt, verba, *qui in eminentia sunt, ut agamus vitam quietam & tranquillam*, sic invicem connecti posse, ut finis indicetur, cur illi in eminentia sint: quasi dicat Apostolus, Orandum esse pro Regibus, & pro omnibus, qui ideo sunt à Deo in eminentia constituti, ut nos vitam quietam & tranquillam agamus. Quemadmodum enim omnis Magistratus est à Deo, estque Dei ordinatio, ita scopus regiminis eorum est, ut boni ac probi sub illis quietam atque tranquillam vitam agere possint. Nec obstat huic interpretationi, quod tum non pro omnibus Regibus essemus obstricti orare, sed pro iis tantum, qui eo fine eaque intentione præsunt, ut pii vita tranquilla fruantur; cum etiam pro persecutoribus orandum sit; quodque sic dubium maneret, pro quibus orandum esset. Nam & Paulus Rom. 14. 1. ubi subjici nos vult omni potestati, addit ℣. 3. 4. causam, quia in bonum nostrum sunt, terrori malis, non bonis operibus; neque tamen inde concludi potest, eum noluisse, ut tyrannis etiam ac malis Regibus subjiciamur. Paucissimis enim iste finis propositus fuit, imo nullis eorum, qui id temporis in imperio, ac increduli erant, in mentem venit, ut Christianorum bonum ac tranquillitatem cum pietate conjunctam procurarent. Non ergo intentionem imperantium, sed finem Dei illos ordinantis respicit Apostolus, tum eventum ex provida illius directione resultantem, atque in bonorum commodum ac profectionem, sæpissime etiam invitis Regibus, recidentem. Quarto possunt verba illa, *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honestate*, ita accipi, ut contineant causam, cur pro omnibus hominibus orandum sit, ac nominatim pro Regibus atque in eminentia positis, nempe ut conversatio nostra inter gentes non solum pacifica & modesta, sed etiam pia sit, atque honesta; idque vel ex precibus in bonum ipsorum conceptis appareat. Quo etiam Petrus respexit 1 Pet. 2. 13. cum ait. *Obedite omni ordinationi humanæ, propter Deum, sive Regi, ut supremum imperium habenti, sive præsidibus, ut qui ab eo missi sunt, ad vindictam quidem facinorosorum, sed laudem eorum, qui bene agunt. Nam hæc est voluntas Dei, ut benefacientes obturetis inscitiam insipientium.* Et paulo superius ℣. 12. *Conversationem vestram bonam facientes inter gentes, ut in quo male de vobis loquuntur tanquam de maleficis, ex bonis operibus, quæ in vobis agnoscunt, Deum glorificent in die visitationis.* Apostolus Regum & magnatum inter gentes speciatim mentionem facit, ut significet, ne illos quidem precibus nostris eximendos esse, cum Deus etiam eos velit servari, qui minime videbantur servandi. Et sic prima ratio, quamobrem hortatur fideles ad preces pro salute incredulorum fundendas, desumta erit à fine & utilitate istiusmodi precum, in procuranda eorum conversione, quatenus videlicet hæ sint velut externa quædam indicia & testimonia spiritus pii ac pacifici, quibus incredulorum animi in amorem religionis Christianæ inflammari queant, aut saltem convinci injustitiæ, quod obtrectent Christianis, tanquam maleficis. Quam rationem Apostolus confirmat deinceps, ab universalitate gratiæ divinæ, qua vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Quinto, quod in hac objectione dicitur, fieri posse, ut si Reges conversi Regia se dignitate exuerent, alii longe deteriores eis surrogarentur, adeoque orationes piorum magis in ipsorum malum & afflictionem, quam in bonum ac solatium reciderent, id nullius momenti est apud eos, quibus ratio divinæ providentiæ bene nota est. Deus enim preces piorum, quas ipse jubet fieri, non ita exaudire solet, ut per eas mala ipsorum atque afflictiones augeantur ac multiplicentur. Si Deo placeat, ad eorum petitionem, temporariam quietem ac tranquillitatem illis concedere, non dubium est, quin eam sit procuraturus, & eum, quicumque successerit, Regem, etiam deterrimum ac teterrimum, ita sit freno suæ omnipotentiæ in officio retenturus ut piis pro suo lubitu nocere nequeat. Sed etiamsi piis bene constaret, se sub succedentis Regis imperio minus pace ac tranquillitate fruituros, tamen jam finem suarum precum atque oratio-

num assecuti essent, si Rex, qui in præsentia regnat, converteretur, & ad agnitionem veritatis veniret, neque opus esset, ut tyrannidem subsequentis Regis extimescant, aut de ea nimis sint soliciti, cum is non minus, quam omnes alii homines, in Dei sit manu ac potestate.

Pauca desiderantur.

Præparationis ad utilem lectionem librorum

NOVI TESTAMENTI,

Eorumque intellectum ac interpretationem.

PARS ALTERA.

In qua doctrina de Tribus in una Deitate Personis excutitur.

DIgnitas atque præstantia Scriptorum Novi Testamenti nulla lingua ac voce satis depræd cari ac dilaudari potest. Nam si omnis Scriptura Veteris Testamenti à Deo inspirata, teste Apostolo 2 Tim. 3. 16, *utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus:* multo magis id de Sacra Scriptura Novi Instrumenti dicendum est. Maxime autem eo nomine nobis divina illa scripta magnifacienda ac pro inæstimabili thesauro æstimanda sunt, quod nobis aperte monstrent viam perveniendi ad summum illud bonum beatæ immortalitatis, cujus desiderio omnes homines, natura duce, rapiuntur. Quam viam Christus Dux ac Princeps salutis nostræ compendio complexus est in illa sua precatione, quam jam jam moriturus fudit ad Deum Patrem suum, hisce verbis: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* (Pater) *illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Verum juratus ille generis humani hostis Satanas, ut salutem ipsam nobis invidet, ita & Sacram Scripturam variis falsis interpretationibus corrupit, & viam salutis nostræ densis errorum sentibus quasi obstruxit ac impedivit. Inprimis autem hoc egit, (ut jam aliis erroribus innumeris missis, de uno ex præcipuis tantum agam) ut Christo Filio Dei (in cujus cognitione, post Dei Patris cognitionem, salus æterna sita est) veram divinitatem, quam per exactissimam & omnibus numeris absolutam obedientiam consecutus est, eriperet, atque ita nostram fidem ac spem, quam per eum in Deo reponimus, prorsus inanem ac frustraneam redderet. Atque id ipsi pro voto ac desiderio successit, dum falsa ejusmodi dogmata, quæ hodie etiamnum adorat ac veneratur Christianus Orbis, disseminavit longe lateque, quibus Christus tantum verbotenus, non autem reipsa verus fuisse homo nostri similis, seu humana persona, quæ divina gloria in cœlis coronata sit, asseritur, sed statuitur esse ipse Deus Altissimus, qui humanam assumserit naturam; atque sic talia ipsi adscribuntur, quæ si Deus Altissimus foret, vel ea facere non potuisset, seu in eum cadere non potuissent, vel ex iis nullum solatium, nullum fructum ac spei nostræ firmamentum percipere possemus. Quem errorem perniciosissimum statim post Apostolorum obitum in Ecclesia Dei spargi cœpisse, colligitur inprimis ex antiquissimo scriptore Ignatio, qui ætate proximus fuit Apostolis. Is enim in Epistola sua ad Tarsenses *Satanæ ministros* vocat eos, qui docent, *Christum esse Deum super omnia.* Ita scilicet pura doctrina Apostolica, quæ etiam in Israëlitica Ecclesia omnibus viguit temporibus, quod *unus tantum Deus sit, ex quo omnia* Deut. 4. 6. 1 Cor. 8. 6, protinus post primam Ecclesiarum Christianarum fundationem obscurata fuit, ut in unam Deitatem duæ personæ, id est, revera duo Dii summi, Pater & Filius, invecti sint. Neque intra hos terminos stetit error, sed prout proverbio dici solet, *Omne trinum perfectum,* ita postea successu temporum illa virtus Dei, quæ in Sacris Literis Spiritus Sanctus nuncupatur, facta est ab hominibus persona, & supremæ quoque Deitati inserta.

Nullum autem est dubium, quin Spiritus divinus, qui in Christo fuit, jam tunc, cum Christus insignia illa verba ex precatione ejus paulo ante citata proferret, hunc pestiferum quasi è longinquo ac eminus viderit, eique in tempore occurrere voluerit. Ita enim describit Christus Deum Patrem suum, & se quoque ipsum, ut simplicissimus quisque, si modo mens ejus non sit præconceptæ opinionis nebulis obtenebrata, primo statim intuitu ac sine longa meditatione puram Apostolicam veritatem hac in parte queat agnoscere. Etenim *Patrem* suum

vocat

vocat *solum verum Deum*: se autem *missum ab eo*, seu illius legatum. Si igitur Pater est solus verus, id est, summus Deus, clarum utique est, neque Christum, neque Spiritum Sanctum (utpote qui Pater non sint) unum illum verum & summum Deum esse. Ita etiam, si Christus Jesus illius unius veri Dei legatus est, certe non est ipse ille unus verus Deus, cujus est legatus: alioquin enim sui ipsius legatus esset; quod seipsum evertit. De Spiritu Sancto autem, quod non sit ille unus verus Deus, præter ea, quæ jam innuimus, ex eo etiam satis intelligitur, quod Christus in verbis suis memoratis nullam expressam Spiritus Sancti mentionem faciat: cum tamen cognitio ejus necessario fuisset commemoranda, non minus quam Patris & Filii, eo nimirum loco, ubi de via æternæ salutis sermo est, si ipse æque esset unus ille verus Deus.

Quæ veritas, cum non solum modo dictis Christi verbis, sed infinitis quoque aliis locis Sacræ Scripturæ tam Veteris quam Novi Testamenti confirmetur, ideoque tam clara sit ac evidens, ut propemodum manibus (ut sic dicam) palpari possit; difficile dictu est, quam mirabiles atque absurdas strophas & effugia adinvenerit humana subtilitas, ad vim ejus declinandam ac eludendam, & ad inveteratos errores tuendos atque in animis hominum conservandos. Quæ effugia atque commenta non modo in Sacris Literis nullum habent fundamentum, verum etiam lumini naturali sanæ rationis è diametro pugnant, ita ut ne à doctissimis quidem clare intelligi ac percipi possint.

Quod ita se reipsa habere, ut Lector Christianus rectius perspiciat, juvat hanc rem paulo plenius explicare, ita tamen, ne propositæ brevitatis metas excedamus: & tum primævam Apostolicam doctrinam de uno Deo Patre, de Jesu Christo Filio ejus unigenito, deque Spiritu Sancto; tum quoque alteram, veterem quidem etiam, sed post Apostolorum tempora demum natam excogitatamque sententiam de Trin-uno Deo, seu de Deo, uno in essentia, & trino in personis; una cum utriusque argumentis, quibus nituntur, ob oculos ita ponere, ut inter se collatæ melius elucescant, omnesque sani & incorrupti judicii lectores, facilius, quid distent æra lupinis, dignoscere valeant. Quemadmodum enim vulgo fit, ut contraria juxta se posita rectius cognoscantur: ita etiam ex hac antithesi ac collatione duarum contrariarum sententiarum liquido patebit, utra cum simplici & omnibus hominibus intellectu facillima veritate (qualis illa esse debet, quæ universis ac singulis hominibus tanquam scitu ad salutem necessaria proponitur) nec non cum Sacra Scriptura, quæ hac in parte tam infirmitati simplicium, quam sublimi eruditorum ingenio se accommodat, magis meliusque conveniat. Ubi eadem opera non pauca quasi obiter inspergemus, & explanabimus, quæ alias in Commentariis sæpius repetenda essent: ita ut Christianum lectorem, ubi se occasio dederit, huc deinceps simus remissuri.

Hanc autem nostram tractationem præsentem, qua aditum parare lectori volumus ad utilem lectionem Novi Testamenti, in tres partes dispescemus. In prima proponemus primævam Apostolicam doctrinam de Uno Deo Patre, de filio ejus Jesu Christo, & de Spiritu Sancto, eamque declarabimus ac testimoniis Sacræ Scripturæ (summatim tamen ac breviter) confirmabimus. In altera parte alteram sententiam de Trinuno Deo, Patre, Filio & Spiritu Sancto, una cum præcipuis ejus argumentis, quæ ad ejus declarationem ac confirmationem spectant, ut & loca Sacræ Scripturæ, ex quibus probari solet (etiam nonnisi summatim) exponemus, ejusque absurditatem, quantum patietur instituti nostri ratio, detegemus. In tertia & ultima parte nonnihil etiam de aliis quibusdam rebus, quarum notitia pio ac simplici lectori ad intelligentiam exactiorem tum ipsius Novi Testamenti, tum interpretationum ejus, utilis esse potest, disseremus.

PARS PRIMA.

In qua primæva doctrina Apostolica de Uno Deo Patre, de Filio ejus Jesu Christo, & de Spiritu Sancto declaratur, ac breviter confirmatur.

CAPUT I.

Deum illum unum Altissimum, tantum unam esse personam.

UNo ore omnes Christiani, nemine contradicente, fatentur, quod æternus ille Deus Altissimus, qui divinitatem suam à nullo alio accepit, sed eam plane ex seipso & à seipso habet, nonnisi unus sit. Hoc enim non solum Sacra Scriptura apertissimis verbis testatur (vide inter alia Deut. 4. 6. Esai. 44. 6. 1 Cor. 8. 6.) sed etiam sanæ rationis lumen id ipsum dictat. Cum enim Deus sit perfectissima substantia, omnis autem multitudo sit signum imperfectionis, cum illa nonnisi tunc necessaria sit, quando unum non sufficit, inde manifestum est, Deum Altissimum non esse nisi unum.

Quando igitur cum Sacra Scriptura dicimus, unum tantum Deum esse, id quam simplicissime intelligimus, & in tali significatione accipimus, quæ omnibus hominibus bene nota ac clara est: cum pro certo credamus, Deum ea, quæ de se ac natura sua omnes ac singulos homines necessario scire voluit, clare

clare in verbo suo revelasse. Jam nemo nescit, quid vocula *unus* significet, quando tali nomini apponitur, quod personam denotat. Quando enim exempli gratia dico, Unum tantum habemus Cæsarem, vel unum Regem; nullus est sanæ mentis homo, qui aliter intelligat hoc dictum, quam quod una duntaxat sit Cæsaris vel Regis persona. Ita cum dico, unus tantum est Angelus Gabriel, qui conceptionis Christi nuncium Virgini Mariæ attulit; sensus non alius est, quam unam tantum esse Angelicam personam, à qua annunciatio ista facta est. Similiter quando dico, una tantum est Virgo, quæ sine viro peperit; nihil aliud volo, quam unam tantum talem personam è virginibus esse. Neque ullum dissimile exemplum in tota rerum natura monstrari potest, ubi vox *unus* addita nomini personam designanti, aliud quam unam personam significet. Cum igitur nomen *Deus* non minus, quam nomen Cæsar, Rex, Angelus, Virgo & similia, personæ nomen sit (denotat enim supremum Dominum ac Rectorem rerum omnium: dominari autem & regere nonnisi personarum proprium est) sequitur, simplicissimam fidem esse, credere, quod Deus ille unus non sit nisi una persona. Quod vero hic objici solet, aliam esse prorsus rationem Dei & rerum creatarum, ideoque vocem *unus*, cum de Deo usurpatur, plures personas significare posse; id nihil aliud est, quam crassa principii petitio, quia id ipsum absque ulla probatione pro concesso sumitur, de quo potissimum est controversia. Quomodo enim probari potest, aliter hac in parte se rem habere in Deo, quam in creaturis? Quin potius ex ipsorum propria confessione monstrari potest, non aliter rem in Deo habere. Annon enim Pater Domini nostri Jesu Christi est unus Deus Altissimus? quis autem unquam dicere ausus est, eum plures quam unam personam esse, vel esse posse? Ita iidem Christum Filium Dei, ut & Spiritum Sanctum, æque ac Patrem credunt esse unum illum Deum Altissimum: nec tamen quisquam eorum dicet, Filium Dei, & Spiritum Sanctum, seorsim sumptos, plures quam unam personam esse aut esse posse. Et tametsi de Filio Dei sentiant, eum Deum simul & hominem esse, nullo modo tamen volunt admittere, eum duas esse personas, divinam unam, & humanam alteram (quanquam id revera ex ipsorum doctrina consequitur) sed malunt dicere, eum habere duas naturas, quæ simul junctæ unam solummodo personam constituant: quia ipsis nimis absurdum videtur statuere, unum Filium Dei, vel unum Christum esse duas personas. Quid jam ad ista exempla respondebunt, quæ non ab humanis vel Angelicis personis, sed à personis supremæ Deitatis (ut illas vocant) petita sunt? Quodsi confugiant ad Sacram Scripturam, & allegent illa Christi verba: *Ego & Pater unum sumus* Joh. 10. 30, item illa Johannis: *Tres sunt, qui testantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt* 1 Joh. 5. 7, in eodem luto hærebunt, dum vocis istius *unus* ambiguitate pro suo arbitrio ludunt. Quî enim probabunt, in utroque hoc loco vocem *unus* vel *unum* in eadem sumi significatione, in qua sumitur, quando de Deo dicitur, eum unum esse, id est, unam esse divinam substantiam? Communis loquendi usus postulat, ut quando de pluribus personis dicitur, eas unum esse, id non aliter intelligatur, quam eas unum esse in voluntate, in animo, in consiliis, in consensu &c. inprimis quando de testibus sermo est, uti fit in loco posteriore. Neque potest talis significationis vocis *unus*, qualem isti fingunt, ullum exemplum neque ex Sacris Literis, neque ex usitato hominum sermone produci. Manet proinde, simplicissimum ac verissimum Sacræ Scripturæ sensum, quando dicit, unum tantum Deum esse, hunc esse & non alium, quod una tantum sit divina persona.

CAPUT II.

Apostolica doctrina de Patre Domini nostri Jesu Christi, quod is solus sit unus ille Deus Altissimus.

QUod cum ita sit, quæritur porro, quis sit illa unica divina persona? Hæc vero nos docet Sacra Scriptura clarissimis verbis; eam esse Patrem Domini nostri Jesu Christi. Nos loca Sacræ Scripturæ breviter hic tantum attingemus, quorum fusior explicatio in Commentariis nostris videnda est, ad quos benignum lectorem amice remittimus.

I. Argumentum præbent nobis præclara illa verba Christi supra posita Joh. 17. 3. ubi Patrem suum ita describit, quod sit *solus verus Deus*.

II. Argumentum habemus apud Paulum Apostolum 1 Cor. 8. 6. ubi dicitur: *Etsi sint, qui dicuntur Dii, sive in cœlo, sive in terra (sicut sunt Dii multi, & domini multi) nobis tamen unus est Deus, Pater ille ex quo omnia, & nos in ipsum.*

III. Argumentum extat Eph. 4. 6. *Unus est Deus & Pater omnium nostrum.*

IV. Argumentum petitur ex Matth. 24. 36. ubi Christus inquit: *De die autem illo ac hora* (scilicet ultimi judicii) *nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater meus.* Vide quoque Marc. 13. 32. Si solus Pater Christi novit diem novissimi judicii, manifestum est, eum solum esse Deum Altissimum.

V. Argumentum suppeditat nobis iterum Paulus 1 Cor. 12. 4, 5, 6. ubi ait: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ubi *idem Deus* ab eodem Spiritu, & ab eodem Domino distinctus, nullum alium significare potest, quam Patrem Domini nostri Jesu Christi.

VI. Argumentum habetur 1 Tim. 2. 5. *Unus est Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus.* Hic per voces *unus Deus* solum Patrem intelligi, in Commentariis nostris liquido demonstravimus.

VII. Argumentum sumitur ex Rom. 3. 30. *Unus est Deus, qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* In Commentario quoque ostendimus, hunc unum Deum non alium esse, quam Patrem Jesu Christi.

VIII. Argumentum ducitur ex Rom. 16. 27. *Soli sapienti*

sapienti Deo, per Jesum Christum, sit honor & gloria in secula seculorum. Hic rursus ad Commentarium nostrum lectorem remittimus, ubi monstravimus, hunc solum Sapientem Deum, solum Patrem Jesu Christi esse.

IX. Argumentum suggerunt illa Christi verba Joh. 5. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam alii ab aliis accipitis, & gloriam, quæ ab illo uno Deo est, non quæritis?* In Commentariis nostris probatum invenies, per illum unum Deum non alium à Christo intelligi, quam Patrem ipsius.

X. Argumentum vide Jud. 4. ubi Apostolus ait, falsos Doctores jam tum in Ecclesiam subingressos, *solum herum Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum negare.* Ubi iterum per *unum herum* solum Patrem designari in Commentario docuimus.

XI. Argumentum est, quod solus Pater Jesu Christi sit à seipso, & (ut vulgo loqui solent) fons divinitatis. Ab illo enim ipse quoque Filius divinitatem suam habet: ab eodem etiam procedit Spiritus Sanctus. Vide hac de re plura ad Joh. 15. 26.

XII. Argumentum desumi potest ex visionibus apud Danielem, & in Apocalypsi Johannis extantibus. Vide Dan. 7. 9. Apoc. 4. & 5. ubi qui sedet in throno, non est ullus alius, quam Pater Jesu Christi.

XIII. Argumentum deducitur ex eo, quod unus ille Deus summus innumeris Scripturæ locis à Christo & Spiritu Sancto distinguatur. Is autem, qui à Christo & Spiritu Sancto distinguitur, estque summus Deus, non est alius, quam Pater. Vide sequenti cap. 3. primum argumentum: & cap. 4. itidem primum argumentum.

XIV. Argumentum est, quod nullus alius sit Deus Altissimus, quam qui olim dictus fuit Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, Deus Israëlitarum. Hic autem nullus est alius, quam Pater Jesu Christi. Vide Act. 3. 13. Hebr. 1. 1.

XV. Argumentum latissime patet, & in multa distingui potest. Omnia enim Sacræ Scripturæ loca huc pertinent, in quibus aliqua Patri præ Christo prærogativa tribuitur. Huc spectant primum ea Sacrarum Literarum testimonia, in quibus *Pater* aut expresse *major Christo* dicitur (Vide sequenti cap. 4. argumentum 14.) aut *Christi caput* (vide dicto loco argumentum 45.) aut *Deus Christi* (vide ibidem argumentum 44.) quin & illa, quibus *Pater Christo mandata dedisse* asseritur (vide argumentum 16.) Christumque ejus *servum ac ministrum* fuisse (vide argumentum 18.) ejus *mandatis paruisse* (vide argumentum 17.) & *Patris voluntati suam subjecisse* (vide argumentum 13.) Itemque illa, ubi Christus dicitur *esse Dei* (vide argumentum 46.) esse *Dei mediator* (vide argumentum 48.) *Dei sacerdos* (vide argumentum 51.) *missus à Patre* (vide argumentum 15.) *venisse, ut Patris voluntatem, non suam faceret* (vide argumentum 6.) Pertinent huc & illa, quibus Christus profitetur, *non se, sed Patrem primum operum admirandorum, quæ ederet, auctorem esse* (vide argumentum 24.) *suam doctrinam non suam, sed Patris esse* (vide argumentum 4.) *qui in se credat, non in se credere, sed in eum, qui se miserit, nempe Patrem* (vide argumentum 8.) Quibus & illa sunt similia, quæ docent Patrem per Christum coli, & ad Patris gloriam, tanquam ad ultimum scopum referri ea, quæ Christus vel habet divina, vel præstat, vel vicissim à nobis illi præstantur: Christum *preces ad Patrem fudisse* (vide argumentum 19.) *Patrem resuscitationis Christi verum esse* auctorem (vide argumentum 52.) *Patrem exaltasse ac glorificasse Christum, atque adeo omnia ei largitum esse* (vide argumentum 20. 21. 22. 23. 38. 13.) *Patri Christum traditurum aliquando esse regnum, eique subjectum futurum* (vide argumentum 49.) *Patrem per Christum omnia fecisse, aut facere.* (Vide argumentum 30. 31. 32. 33. 34. 35.) Docebimus autem suis locis, dum ista, quæ enumeravimus, Patri adscribuntur, prærogativam ei præ Christo toto, non vero secundum humanam tantum naturam considerato, tribui: ac porro etiam Spiritu Sancto eum esse majorem. Quod vel inde perspici potest, quod ea, quæ enumeravimus, & Patri absolute soleant adscribi, & nuspiam Christo, respectu nimirum naturæ alicujus potioris, nuspiam Spiritui Sancto adscribantur. Addi possunt his & alia, ut quod Pater, non Christus, non Spiritus Sanctus homines prædestinasse, & vel ante conditum mundum, vel à jactis mundi fundamentis quippiam cuiquam decrevisse legitur. Vide Matth. 20. 23. xxij. 1. & seq. xxv. 34. Rom. 8. 29. & seq. Gal. 1. 15, 16. Eph. 1. 3. & seq. Omnis gloria, omnis felicitas, sive Christo, sive fidelibus ejus destinata, à Patre primum decreta parataque est. Omnis ab illo salutis nostræ ratio pendet. Quid vero de creatione cœli & terræ dicam? Hanc utut Trinitarii etiam Christo ac Spiritui Sancto asserere conentur, ipsi tamen dicere solent, eam Patri peculiari ratione, non secus ac si ipsius propria esset, adscribi solere; quo pacto Filio tribuatur Redemtio, Spiritui Sancto sanctificatio. Hinc & in Symbolo, Apostolico dicto, nec Christo, nec Spiritui Sancto creatio cœli & terræ adscribitur, sed Patri tantum. Ita enim dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Et in Filium ejus unigenitum &c;* ubi Christum non ipsum Creatorem, sed creatoris filium unigenitum confitemur. Neque vero Sacræ Literæ uspiam Christo creationem cœli ac terræ adscribunt; & cum creationem ei tribuunt, non modo de creatione nova, seu certa quadam reformatione rerum loquuntur, verum etiam nuspiam dicunt, ipsum Filium creasse omnia, sed per ipsum, aut in ipso esse creata omnia. Denique cum vel de religione ac cultu divino universo, vel de certis illius partibus loquuntur Sacræ Literæ, ita Patrem commemorare solent, ut satis appareat, hunc esse eum, cui omnibus seculis ab omnibus hominibus cultus fuerit exhibendus, & à piis omnibus exhibitus, & in quem solum omnis honor ultimo sit referendus. Unde etiam post exaltatum Christum, is tamen mos in Ecclesiis Christianis obtinuit, ut preces publicæ pleræque ad Patrem dirigerentur, paucæ ad Filium, rarissimæ, præsertim si preces ab hymnis distinguas, ad Spiritum Sanctum. Unde preces Ecclesiasticæ ut plurimum ita finiri solent: *per Dominum nostrum Jesum Christum*; nonnunquam, *per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum:* per quem nimi-

nimirum ut mediatorem, & Sacerdotem, ad ipsum Patrem preces funduntur. Ita ut ista, quæ in universo Christiano Orbe per tot secula duravit, consuetudo, quam ne dogma quidem illud vulgare de tribus supremi Dei personis tollere potuit, luculentum testimonium præbeat nostræ de uno Deo Patre sententiæ. Hujusmodi enim Patris præ Filio & Spiritu Sancto prærogativa, illum solum supremum esse Deum evincit. Ipsa nempe veritas sese animis hominum, etiam sibi reluctantium, insinuavit, & suæ claritatis radios iis immisit, nec se penitus errorum nebulis obscurari passa est. Nam undique apparent indicia atque argumenta, ex quibus patet, solum Patrem esse eum, *ex quo omnia, & per quem omnia, & in quem omnia*, ut de Deo summo loquitur Paulus Rom. 11. 36. hoc est, cujus consilio ac decreto omnia primum constituantur; cujus efficaci providentia ac virtute omnia perficiantur; in quem denique tanquam ultimum finem omnia tendant. Facile id observabit paulo diligentior Sacrarum Literarum lector, præsertim ita monitus, si & rerum, quæ Patri, Filio, ac Spiritui Sancto tribuuntur, & rationis, qua eæ illis tribuuntur, ac porro modorum loquendi, qui de iis usurpantur, diversitatem attenderit. Tantum ad demonstrandum, solum Patrem Domini nostri Jesu Christi esse illum unum Deum Altissimum.

CAPUT III.

Apostolica doctrina de Jesu Christo, quod ille sit verus homo, & unigenitus Filius, atque Unctus Dei.

QUod primævam Apostolicam doctrinam de Jesu Christo, quis ille sit, attinet, ea consistit primum in eo, quod quoad naturam sit verus homo: ut Paulus expresse eum vocat 1 Tim. 2. 5. & tum Petrus, tum Paulus *virum* eum appellant. Vide Act. 2. 22. xvij. 31 Christus quoque ipse se plusquam septuagies *filium hominis* nuncupat, id est, Hebræorum phrasi, hominem: quanquam etiam per se manifestum est, filium hominis non posse esse nisi hominem. Testantur idem de Christo omnia humanæ naturæ attributa atque actiones humanæ, quæ Christo in Sacra pagina attribuuntur. Natus enim est Matth. 2. 1. Luc. 2. 7. fuit infans, qui fasciis involvebatur Luc. 2. 12. crevit & profecit sapientia, & ætate Luc. 2. 52. edit Matth. 9. 11. bibit Joh. 4. 7. Luc. 22. 18. dormivit Marc. 4. 38. esurivit Matth. 4. 2. sitivit Joh. 19. 28. tristatus est Matth. 27. 37. flevit Luc. 19. 41. Joh. 11. 35. subjectus fuit omnibus humanis afflictionibus Hebr. 4. ℣. 15. ac tandem mortuus est Matth. 27. 50. Quæ omnia signa sunt veri hominis.

Si igitur Christus verus homo fuit, ut ostensum, constans humano corpore Luc. 24. 39. & humana anima Matth. 26. 38. sequitur, eum non nudam tantum humanam naturam fuisse, sed veram humanam personam. Hinc nusquam in Sacris Literis dicitur: Humana natura Jesus Christus; sed, homo Jesus Christus, vir, filius hominis &c. Neque etiam ullum exemplum à mundo condito proferri potest, quod aliquis verus homo fuerit, nec tamen persona humana. Qui dicunt, in Christo aliter se rem habere, quam in aliis hominibus, qui omnes quidem sint humanæ personæ, Christum autem etsi sit verus homo, tamen tam singularem hominem esse, ut persona humana non sit; illi id ipsum probare debent non tanquam concessum sumere quod simpliciter negatur: quod nimirum Christus non sit talis homo, quoad naturam, quales nos sumus. Si ille non est homo sicut nos, non erit unus ex genere humano, non erit particeps carnis & sanguinis, non poterit nos vocare fratres suos, non erit per omnia tentatus, sicut nos, spesque nostra erit inanis, quæ hoc fundamento nititur, quod unus ex genere mortalium à mortuis resuscitatus, & ad beatam immortalitatem evectus sit.

Non usurpatur quidem vocabulum *persona* de Christo in Sacris Literis, imo & alias in toto Veteris & Novi Instrumenti Codice nusquam legitur; sed ad declarationem Apostolicæ de Deo ac Christo sententiæ vel ob hoc solum necessarium est, quia Trinitatis assertores ea utuntur, statuuntque, in una divina essentia dari tres distinctas essentias, & Christum secundum divinam naturam (quam ei tribuunt) secundam personam Trinitatis appellant. Alioqui sufficeret, ut cum Scriptura loquentes, simpliciter diceremus, Christum esse verum hominem: cum nemo tam insulsus ac stupidus sit, qui nesciat, unumquemque verum hominem etiam personam humanam esse. Verum hac de re inferius parte secunda hujus tractatus plura adhuc à nobis dicentur.

Tametsi vero Dominus Jesus, quoad naturam & essentiam suam, sit verus homo, tamen ratione generationis suæ, status ac dignitatis, longe supra alios homines evectus est, adeoque è numero ac turba vulgarium hominum exemptus. Vide Gal. 1. 1. Est enim simul Dei viventis Filius Matth. 3. 17. xvj. ℣. 16. Joh. 10. 36. illius scilicet Dei, qui est creator cœli & terræ Act. 4. 25, 27. idque non vulgari aliqua ratione, ac promiscua, qua etiam Angeli Job. 1. 6. ij. 1. xxxviij. 7. Psal. 97. 7. & non pauci homines Psal. 82. 1, 6. præcipue vero fideles Joh. cap. 1. 12. Rom. 8. 16. ix. 26. filii Dei dicuntur, sed peculiari & excellentissimo modo, ita ut ei, præ aliis omnibus Dei filiis, nomen *Unigeniti* Joh. 3. 16. ac *proprii Filii Dei* Rom. 8. 32. competat: imo omnes reliqui homines, cum Christo comparati, vix digni sint filiorum Dei appellatione.

Causæ autem, ob quas Christus Dei sit Filius, quatuor potissimum in Sacris Literis memorantur. Prima est, quia absque operatione viri ullius, à solo Deo, virtute Spiritus Sancti, immediate in utero Mariæ Virginis conceptus est, nullumque adeo alium Patrem, præter Deum ipsum habuit. Quam causam indicavit Angelus, Mariam sic alloquens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque, quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. 1. 35. Altera causa est, quia à Patre sanctificatus est & in mundum missus. Quam causam affert ipse Christus apud Johannem, dum Judæos se blasphemiæ insimulantes, pro-

propterea quod se Deo æqualem faceret, ita refellit: *Si illos dixit Deos* (puta Lex) *ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; quomodo me, quem Pater sanctificavit, atque in mundum misit, dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?* Joh. 10. ℣. 35, 36, 37. Per hanc enim sanctificationem ac missionem (quæ prorsus singulari & multo excellentiori modo, quam olim Prophetæ, aliique legati ac muncii à Deo mittebantur, facta est) Deus eum sibi in sapientia, sanctitate, ac potentia similem effecit, eumque nomine suo ac loco sui Euangelium divina cum auctoritate ac potentia promulgare voluit. Qua in re etiam insignis & plane paterna Dei charitas erga eum enituit. Tertia causa est, quia eum Deus suscitavit à mortuis, atque ad vitam immortalem denuo quasi genuit. Hanc causam allegat Paulus in sua Concione, quam habuit Antiochiæ, ubi inter cætera sic fatur: *Annunciamus vobis promissionem, quæ facta est patribus, quod eam Deus impleverit nobis filiis eorum, dum resuscitavit Jesum; sicut etiam in Psalmo secundo Scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Act. 13. 32, 33. Quo in loco Apostolus citat verba Psalmi secundi, ut probet ac demonstret, Christum per resuscitationem à mortuis constitutum esse Filium Dei. Atque hanc ob causam etiam vocatur *primogenitus ex mortuis* Col. 1. 18. Quarta causa est, quia eum Deus non tantum in immortalitate, sed & in potestate, sapientia, & gloria modo perfectissimo sibi similem reddidit, dum eum ad dexteram suam collocavit in cœlis Hebr. 1. 3, donavit ei nomen, quod est supra omne nomen Phil. 2. 9, 10, nempe divinam potestatem in cœlo & in terra Matth. 28. 18, & exaltavit eum supra omnes principatus, & potestates, & virtutes, & dominationes, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro Eph. 1. 21, adeoque eum constituit Regem cœlestem Joh. 18. 36, qui est super omnes Reges Apoc. 1. 5. XIX. 16, caputque Ecclesiæ Eph. 1. 22. Col. 1. 18, & Judex vivorum & mortuorum Joh. 5. ℣. 23. Act. 10. 42. Ob quam divinam sublimitatem ac similitudinem cum Deo ille est in summo gradu & perfectissima ratione Filius Dei. Estque non dicam æque, sed incomparabiliter magis dignus, ut non modo Filius Dei, sed Deus quoque appelletur Rom. 9. 5, quam Judices summi ac Magistratus in terris Psal. 82. 7, aut Angeli cœlestes, qui propter sublime officium suum, quod à Deo acceperunt, non solum filii Dei, sed etiam Dii in Sacris Scripturis nuncupantur Psal. 97. 7. Quanquam ei adhuc ante exaltationem, simul ac ad munus suum Propheticum consecratus est, & tanquam Dei legatus in mundum prodiit, hoc nomen Dei competiit. Vide Joh. 1. 1. Quia nimirum non in humana, ut alii Prophetæ solebant, sed in divina forma apparuit, Phil. 2. 6. Nunc vero in statu immortalitatis, & supremæ divinæ potestatis, quæ ipsi à Deo Patre ipsius pro perfectissima ejus obedientia donata est, Phil. 2. 9. perfectissimo etiam modo dignus est, ut omnes linguæ eum vocent *Deum super omnes benedictum in secula*, Rom. 9. 5.

Porro Apostolica doctrina de Jesu Christo tradit, eum esse magnum illum Servatorem, Messiam, seu Christum, id est, unctum Dei, qui quondam Israëlitis promissus fuit Deut. 18. 18. Act. 3. 22. Matth. 16. 16. Quæ Christi dignitas cum superiori connexa est, atque cohæret. Factus enim est tunc excellentissimo modo servator & Unctus Dei, quando per exaltationem ad dextram Dei, excellentissime Filius Dei evasit: ut clare ac diserte testatur Petrus Act. 2. 32, 36. Hinc in Sacris Literis, more Hebræorum, Christus & Filius Dei pro una eademque re ponuntur. Qua de re vide ad Matth. 16. 16.

Atque hæc est prisca Apostolorum fides de Christo Jesu, sufficientibus Sacræ Scripturæ Testimoniis comprobata. Quod vero ille simul cum Patre sit unus ille Deus Altissimus, tantum abest, ut id ex Sacris Literis demonstrari queat, ut contrarium potius clarissime ac solidissime ex ea concludi probarique possit: id quod patebit Capite mox sequenti.

CAPUT IV.

Argumenta ex Sacris Literis summatim depromuntur, quibus probatur, Christum non esse Deum summum.

I. ARgumentum, quod Christus non sit Deus summus, ex eo duci potest, quod innumeris Sacræ Scripturæ locis simpliciter & absque omni adjectione à Deo summo distinguatur: dum Filius Dei, Sermo Dei, imago Dei, panis Dei, qui de cœlo descendit, vocatur, & infinitæ aliæ ejusmodi locutiones de eo usurpantur. Quare non potest esse ipse Deus Altissimus, à quo manifeste adeo distinguitur. De hoc argumento vide ad Matth. 3. 17.

II. Argumentum est, quod Christus plurimis locis Sacræ Scripturæ Dei Filius dicatur. Unde patet, Christum esse inferiorem Patre, qui omnium confessione est Deus supremus. De hoc argumento vide quoque dictum locum Matth. 3. 17.

III. Argumentum petitur ex Joh. 5. 19. ubi Christus ait: *Non potest Filius à seipso facere quicquam, nisi videat Patrem facientem.* Et ℣. 30. *Ego nihil possum à meipso facere.* Quomodo igitur esse potest summus Deus? Vide ad hæc loca.

IV. Argumentum illa nobis dant loca, in quibus Christus ostendit, se non esse primum auctorem suæ doctrinæ. Ut cum inter alia inquit: *Doctrina mea non est mea, sed ejus qui me misit*, Joh. 7. 16, 17. Vide ad hunc locum.

V. Argumentum præbent loca, ubi Christus negat se à se venisse, sed à Patre missum esse. Vide Joh. 7. 28.

VI. Argumentum ex illis locis sumitur, quibus Christus testatur, se non venisse, ut faceret suam voluntatem. Quomodo ergo est Deus Altissimus? Vide Joh. 5. 30.

VII. Argumentum ex illis ducitur locis, ubi Christus se negat quærere suam gloriam. Vide Joh. cap. 8. 50.

VIII. Argumentum suppeditant verba Christi Joh. 12. 44. *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum, qui me misit.* Vide ibidem.

IX. Argumentum inde petitur, quod Christus aliquando diem ultimi judicii ignoraverit. De quo vide Matth. 24. 36.

X. Argumentum suggerunt verba Christi Matth. cap. 20. 23. *Sedere ad dextram & ad sinistram non est meum dare.* Vide ibidem.

XI. Argumentum est, ex verbis Matth. 19. 17. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.*

XII. Argumentum præbent verba Christi, quibus Patrem sic affatur: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. 39.

XIII. Argumentum habemus Hebr. 5. 5. *Christus seipsum non glorificavit, ut summus Pontifex fieret.*

XIV. Argumentum sumitur ex verbis Christi Joh. 14. 28. *Pater major me est.*

XV. Argumentum est, quod Pater Filium in mundum miserit. Vide Joh. 3. 16.

XVI. Argumentum est, quod Christus mandata à Deo acceperit, eisque paruerit. De quo vide Matth. 10. 40.

XVII. Argumentum est, quod Christus fuerit Deo obediens. Vide Rom. 5. 19.

XVIII. Argumentum est, quod Christus Dei servus vocetur. Vide Matth. 12. 18.

XIX. Argumentum est, quod Christus preces ad Patrem fuderit. Vide Matth. 26. 39, 42, 44. Joh. 17. 1.

XX. Argumentum est, quod Christo omnia à Patre sint data. Vide Matth. 28. 18.

XXI. Argumentum est, quod Deus Dominum Jesum fecerit Dominum ac Christum. Vide Act. 2. 35.

XXII. Argumentum est, quod Christo omne judicium traditum sit à Patre, quodque sit à Deo constitutus Judex vivorum & mortuorum. Vide Joh. 5. 22. Act. 10. 42.

XXIII. Argumentum est, quod Christo donatum sit à Patre nomen, quod est supra omne nomen. Vide Phil. 2. 9.

XXIV. Argumentum desumitur ex Joh. 14. 11. *Pater qui in me manet, facit hæc opera.*

XXV. Argumentum deducitur ex Joh. 5. 36. *Ego habeo testimonium majus, quam est Johannis. Nam opera, quæ mihi dedit Pater, ut ea perficiam, illa ipsa opera, quæ ego facio, testantur de me, quod me miserit Pater.*

XXVI. Argumentum petitur ex verbis Christi Joh. 10. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, testantur de me.*

XXVII. Argumentum accipitur ex Joh. 11. ubi Christus Lazarum excitaturus sic ait: *Pater, gratias ago tibi, quod me exaudiveris.*

XXVIII. Argumentum ducitur ex verbis Petri Act. 10. 38. *Deus Jesum Nazarenum unxit Spiritu Sancto & virtute, qui obambulavit benefaciens & sanans omnes in diaboli potestatem redactos: quia Deus erat cum eo.*

XXIX. Argumentum ex ejusdem Petri verbis petitur Act. 2. 22, *Jesum Nazarenum virum à Deo approbatum apud vos, virtutibus, prodigiis ac signis, quæ Deus edidit per eum.*

XXX. Argumentum est, quod Christus non sit prima, sed media causa omnium divinorum operum, ad salutem nostram spectantium. Vide Joh. cap. 1. 3. 1 Cor. 8. 6. Eph. 3. 9. Col. 1. 16. Hebr. cap. 1. 2.

XXXI. Argumentum est, quod Deus omnia per Christum sibi reconciliarit. Vide hac de re 2 Cor. 5. 18. Col. 1. 19.

XXXII. Argumentum est, quod Deus novissimis diebus ad nos locutus sit per Filium. Vide Heb. cap. 1. 1.

XXXIII. Argumentum est, quod nobis Deus victoriam dederit per Dominum nostrum Jesum Christum, 1 Cor. 15. 57.

XXXIV. Argumentum est, quod Deus Spiritum Sanctum in nos liberaliter effuderit per Jesum Christum, Tit. 3. 5.

XXXV. Argumentum est, quod Deus occulta hominum judicaturus sit per Jesum Christum. Vide Rom. 2. 16.

XXXVI. Argumentum est, quod Christus nobis factus sit à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, ac redemtio. Vide 1 Cor. 1. 30.

XXXVII. Argumentum est, quod Christus consummatus factus, extitit omnibus, qui obediunt ipsi causa æternæ salutis. Vide Hebr. 5. 9, 10.

XXXVIII. Argumentum habetur Act. 5. 31. ubi Petrus inquit: *Deus* (Christum) *dextera sua evexit principem ac servatorem.*

XXXIX. Argumentum depromitur ex verbis Christi Joh. 15. 26. *Ubi venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui procedit a Patre, ille testabitur de me.*

XL. Argumentum deducitur ex verbis Petri Act. cap. 2. 33. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit quod nunc videtis & auditis.*

XLI. Argumentum petitur ex verbis Johannis cap. 7. 39. *Spiritus Sanctus nondum erat, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

XLII. Argumentum sumitur ex Joh. 16. 7. ubi Christus dicit: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

XLIII. Argumentum ducitur ex verbis Christi Joh. 8. 16. *Quodsi etiam judicarem ego, judicium meum verum esset: quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.*

XLIV. Argumentum præbent verba Christi Joh. 8. 14. *Etiamsi ego testor de meipso, verum est testimonium meum; quia scio, unde venerim, & quo vadam.*

XLV. Argumentum desumitur ex verbis Christi Joh. 8. 29. *Non reliquit me solum Pater, quia ego, quæ placent ipsi, facio semper.*

XLVI. Argumentum est, quod Pater vocetur Deus Christi. De quo vide Matth. 27. 46. Marc. cap. 15. 34. Joh. 20. 46. Eph. 1. 17. Hebr. 1. 8. Apoc. 3. 12. Mich. 5. 4.

XLVII. Argumentum est, quod Deus sit Christi caput. Vide 1 Cor. 11. 3.

XLVIII. Argumentum habetur in verbis Pauli 1 Cor. 3. 32. ubi dicit: *Christus est Dei.*

XLIX. Argumentum est, quod Filius Patri Regnum reddet, eritque ei subjectus. De quo vide 1 Cor. 15. 24, 28.

L. Ar-

L. Argumentum est, quod Christus sit Dei & hominum mediator 1 Tim. 2. 5.

LI. Argumentum est, quod Christus sit Dei sacerdos. Vide Hebr. 2. 17.

LII. Argumentum est, quod Christus sit à Deo resuscitatus ex mortuis. Vide Act. 2. 24. 111. 26.

LIII. Argumentum est, quod Christus dicatur imago Dei invisibilis. Vide 2 Cor. 4. 4. Col. 1. ℣. 15. Hebr. 1. 3.

LIV. Argumentum ex illis præcipue causis ducitur, ob quas Christus Filius Dei vocatur. Vide Act. 13. 32, 33.

LV. Argumentum est, quod Christus, quatenus est unigenitus Dei Filius, pro nobis mortuus sit. Vide Joh. 3. 16.

LVI. Argumentum est, quod de Incarnatione Dei Altissimi Sacræ Literæ taceant. Vide Matth. 1. ℣. 18.

LVII. Argumentum est, quod Christo datus sit Spiritus Sanctus. Vide Matth. 3. 16.

LVIII. Argumentum est, quod Christus fuerit à Diabolo tentatus. Vide Matth. 4. 1.

LIX. Argumentum est, quod Christus sit primogenitus omnis creaturæ. Vide Col. 1. 15.

LX. Argumentum est, quod Christus fuerit in forma Dei, & Deo æqualis. Vide Phil. 2. 6.

CAPUT V.

Apostolica doctrina de Spiritu Sancto, & demonstratio ex scriptura, quod is non sit Deus summus.

HActenus primæva Apostolica doctrina de Jesu Christo filio Dei ex Sacra Scriptura exposita est atque ex ea abunde probatum, eum non esse ipsum Deum Altissimum. Jam etiam nonnihil de Spiritu Sancto dicemus: ac primum, quid sit, ex Sacris Literis indicabimus; deinceps etiam argumentis validis ex sacra pagina evincemus, eum Deum Altissimum non esse.

Quod ad prius attinet, ad præsens institutum nostrum sufficiet, ut ex Sacro Codice intelligamus Spiritum Sanctum esse *virtutem Dei* (vide Luc. 1. 35. xxiv. 49. Rom. 15. 13. Act. 1. 8. 1 Cor. 2. 4, 5.) illam nimirum virtutem, per quam Deus omnibus temporibus fideles suos sanctificavit, divinisque donis replevit; per quam etiam Filium suum in utero Mariæ Virginis produxit, Matth. 1. 19. Luc. 1. 35. eum muneri ejus initiavit Matth. 3. 16. xii. 18. & unxit Luc. 4. 18. Act. 10. 38. eique divinam potestatem ac sapientiam communicavit Esai. 42. 1. 2. Matth. 12. 18. quam postea Christus, postquam exaltatus est, rursus in Apostolos Act. 2. 3. & seqq. 9. 18. & per eorum manus in alios quoque fideles effudit Act. 8. 15, 18, 19. eosque hac ratione supernaturali sapientia, cognitione ac virtute exornavit: per quam etiam hodie fideles suos ad ministeria sua sanctificat Rom. 15. 16. 1 Pet. 1. 2. eorumque corda regit Gal. 5. 18. per quam Deus in eis habitat. Rom. 8. 9. 11. 1 Cor. 3. 16. eos in spe salutis confirmat & obsignat 2 Cor. 1. 21. 22. Eph. 1. 13. 14. per quam denique aliquando à Christo ex mortuis resuscitabuntur, & ad immortalitatem regenerabuntur. Rom. 8. 11.

Spiritum Sanctum autem non esse ipsum Deum summum, ex sequentibus argumentis clarissime constat.

I. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus nusquam in tota Sacra Scriptura expresse Deus vocetur. Qua de re vide Act. 5. 4.

II. Argumentum est, quod nusquam in Sacris Literis præceptum sit, ut Spiritum Sanctum adoremus aut invocemus: quin ne exemplum quidem ejus rei inveniatur ullum. De quo vide Act. 7. 59.

III. Argumentum est, quod Spiritus Sancti plurimis in locis nulla fiat mentio, ubi omnino ejus mentio fieri debuisset, si Deus summus esset. Vide Act. 20. 21.

IV. Argumentum sumitur ex verbis Christi: Matth. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, & nemo novit Patrem, nisi Filius*, &c. Vide ibidem ad Matthæum commentarium nostrum.

V. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus creberrime à Deo distinguatur. De quo vide ad Matth. 3. 16.

VI. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus appelletur *Dei virtus*. Vide Act. 1. 8. Quo pertinet etiam, quod dicatur *digitus Dei*. Luc. 11. 20.

VII. Argumentum est, quod Christus Spiritus Sancti Filius foret, si Spiritus Sanctus esset Deus summus, vel, si saltem persona esset. Vide Luc. 1. ℣. 35.

VIII. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus detur hominibus, quodque ideo *donum* Dei nuncupetur. Vide Act. 2. 38.

IX. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus *arrhabo* dicatur 2 Cor. 1. 22.

X. Argumentum est, quod Spiritu Sancto homines obsignentur. Vide locum modo dictum ad Corinthios.

XI. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus in homines effundatur. De quo videatur Tit. 3. 6.

XII. Argumentum est, quod in Spiritu Sancto homines baptisentur. Vide Act. 1. 5.

XIII. Argumentum est, quod homines Spiritu Sancto potionentur. Vide 1 Cor. 12. 13.

XIV. Argumentum est, quod Christus & alii homines Spiritu Sancto uncti sint. Vide Luc. 4. ℣. 18.

XV. Argumentum ducitur ex iis locis, quæ partitionem quandam Spiritus Sancti arguunt. Vide Act. 2. 18.

XVI. Argumentum est, quod Paulus Apostolus dicat, se cum aliis Apostolis primitias Spititus Sancti accepisse Rom. 8. 23.

XVII. Argumentum est, quod Deus Spiritum Sanctum non det ex mensura. Vide Joh. 3. 34.

XVIII. Argumentum est, quod Spiritum Sanctum non debeamus extinguere. De quo vide 1 Thess. 5. 19.

XIX. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus aliquando non fuerit. Vide Joh. 7. 39.

XX. Argumentum est, quod discipuli Ephesini dicant Paulo, se ne audivisse quidem, an sit Spiritus Sanctus Act. 19. 2.

XXI. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus à Patre procedat Joh. 15. 26.

XXII. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio mittatur. Qua de re vide Joh. 14. 26.

XXIII. Argumentum ducitur ex eo, quod Christus de Spiritu Sancto dicat: *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur*, Joh. 16. 13.

XXIV. Argumentum est, quod Deus nobis quædam per Spiritum suum revelarit. Vide 1 Cor. 11. 10.

XXV. Argumentum petitur ex verbis Pauli loco modo dicto 1 Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.*

XXVI. Argumentum ex ejusdem Pauli verbis deducitur 1 Cor. 2. 11. *Nemo scit, ea, quæ in Deo sunt, nisi Spiritus Dei.*

XXVII. Argumentum est, quod Spiritus Sanctus super Christum aliquando descenderit. Vide Matth. 3. 16.

Atque hæc hactenus dicta sufficiant ad breviter declarandam, & è scripturis confirmandam simplicem illam ac primævam Apostolicam doctrinam, de uno Deo Patre, de Filio ejus Jesu Christo, & de Spiritu Sancto.

CAPUT VI.

Ulterior Confirmatio Apostolicæ doctrinæ de uno Deo Patre &c. ex antiquissimo Christianæ Fidei Symbolo.

ETsi protinus post Apostolorum ex hac vita migrationem Satanas seriatus non sit, sed omnem moverit lapidem, ut puram doctrinam de uno Deo Patre, de Filio ejus Jesu Christo, & de Spiritu Sancto, variis erroribus inquinaret atque adulteraret; tamen singulari Dei omnipotentis providentia factum est, ut eam non potuerit prorsus delere, vel ita obscurare, quominus clara & insignia ejus remanerent vestigia. Nam ne de antiquis Patribus Antenicænis nunc quicquam dicam; validissimum huic doctrinæ Apostolicæ testimonium præbet antiquissimum Symbolum, quod Apostolicum vocatur. Quod eum in finem à primitiva Ecclesia concinnatum est, ut qui Christianam suscipiunt Religionem, habeant quasi in breviario comprehensos omnes necessarios ad salutem fidei Christianæ articulos. De his articulis ii qui per baptismum Ecclesiæ aggregari volebant, interrogabantur, & si ad omnia in hoc symbolo expressa interrogati annuerent, in Christianum nomen coöptabantur, ac pro membris Ecclesiæ suscipiebantur. Istud vero symbolum ita sonat: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ: Et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est ex Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, & crucifixus, mortuus; & sepultus, descendit in infernum, tertia de resurrexerit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet in dextera Dei Patris Omnipotentis, unde venturus judicatum vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.*

In hoc fidei Symbolo Pater vocatur Deus Omnipotens, creator cœli & terræ; Christus autem non ipsa Deus Omnipotens, sed Filius ejus appellatur; & quidem talis Filius, qui non ab æterno ex essentia Patris genitus sit, (qua de re altissimum est silentium) sed qui *conceptus sit ex Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine &c.* Præterea in mox sequentibus verbis talia Christo adscribuntur, quæ nonnisi vero homini competunt, & nullo modo de tali Filio Dei, qui sit ipse Deus Altissimus, prædicari queunt. quod nimirum passus sit, mortuus, ac sepultus &c. Et quomodo fieri potuisset, obsecro, si Christus talis Filius Dei esset, qui ex essentia Patris ab æterno genitus est, imo qui est ipse Deus summus, ut non unico saltem verbulo in hac Apostolicæ Fidei Confessione ejus rei facta fuisset mentio? Num credibile est, in hoc Christianæ Fidei ad salutem necessariæ compendio, unum è præcipuis & summe necessariis articulus (qualis iste hodie esse creditur) omitti potuisse?

Quod tertiam Symboli hujus partem attinet, ubi agitur de Spiritu Sancto, posset aliquis objicere, doctrinam istam, quæ negat Spiritum Sanctum esse Deum supremum, imo ne personam quidem cum esse agnoscit, cum hoc Apostolico Symbolo non congruere; siquidem in hoc dicatur: *Credo in Spiritum Sanctum.* Credendum enim nobis non est in alium quenquam, quam in Deum Altissimum. Sed hæc objectio solutu facilis est. Primum enim non ea est vis horum Symboli verborum, ut id quod ex iis colligitur, necessario ex illis sequatur. Id quod vel hinc intelligi potest, quod scriptura quoque dicat Exod. 14. 31. Israëliticum populum in Mosen credidisse: de quo tamen nemo dicere ausit, eum esse Deum Altissimum. Etiam alibi in Sacris Literis mentio fit fidei in res tales, quæ nullæ personæ sunt: ut quod Israëlitæ crediderint in miracula Dei Psal. 78. 34. vel quod crediderint in verba Dei Psal. 106. ℣. 31. Ubi manifestum est, neque miracula Dei, neque verba Dei esse Deum Altissimum. Secundo sciendum est, tertiam hanc Symboli partem, apud scriptorem Ecclesiasticæ Historiæ Socratem ita expressam legi: *Credimus in Spiritum Sanctum, & in carnis resurrectionem, & in vitam venturi seculi, & in regnum cœlorum, & in unam Catholicam Dei Ecclesiam.* Lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. 26. Quæ verba etsi sint Arii, cujus illic à Socrate refertur confessio exhibita Constantino Imperatori: tamen apparet ea sumta esse ex communi sensu Christianorum. Nam & Cyrillus sic habet: *Credo in unum baptisma, in remissionem peccatorum, & in unam Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Cyprianus quoque ad Episcopos Numidas, interrogationem in baptismo fieri solitam testatur hoc modo: *Credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per Sanctam Ecclesiam?*

Vide

Vide Grotium in Annot. in Matth. 28. 19. Eandem vero Symboli partem tertiam Theodoretus Lib. 1. Eccl. Hist. Cap. 4. in Epistola Alexandri ad Alexandrum, postquam dictum esset, fides nostra est in solum ingenitum Patrem, &c, & in unum Dominum Jesum Christum &c. ita proponit: *Confitemur & unum Spiritum Sanctum, qui innovavit & Veteris Testamenti Sanctos homines, & ejus, quod Novum appellatur, divinos doctores; unam & solam universalem Ecclesiam &c. posthac scimus futuram resurrectionem à mortuis &c.* Ex quo intelligitur, isto loquendi modo, *Credo in Spiritum Sanctum*, nihil aliud denotari, quam si dictum esset, *Credo Spiritum Sanctum:* id est, Credo esse Spiritum Sanctum, esse sanctam Catholicam Ecclesiam, esse sanctorum communionem &c. Quemadmodum etiam in duobus præcedentibus de Deo Patre & Christo fidei articulis omnino statuendum est, non alium esse sensum, quam hunc: Credo in Deum Patrem Omnipotentem, &c. id est, Credo esse Deum, qui est Pater, Omnipotens, Creator &c. Et similiter: Credo in Jesum Christum &c: id est, Credo Jesum Christum esse unigenitum Dei Filium, Dominum nostrum, qui conceptus est è Spiritu Sancto &c. Quis enim credat, in primo & secundo articulo cum dicitur, *Credo in Deum Patrem &c. & in Jesum Christum &c.* id hunc sensum habere: Ego fiduciam meam repono in Deum Patrem &c. & in Jesum Christum &c? Ethnici sane, quorum causa potissimum Symbolum hoc confectum est, nullam adhuc veri Dei creatoris cognitionem habebant, uti liquet ex Act. 17. 23. Itaque ad religionem Christianam accedentes, prius credere debebant, Deum esse, Jesum Christum esse ejus filium, quam discerent fiduciam suam in Deum & Christum collocare.

Tertio si ex hac fidei Apostolicæ confessione colligi deberet, Spiritum Sanctum esse Deum Altissimum, aut saltem personam aliquam, debuisset seorsim fidei in eum confessio fieri, (sicut de duabus reliquis personis credenda peculiariter sunt posita) & non in censum rerum, quæ personæ non sunt, referri. Quarto neutiquam fieri potuisset, quin res tanti momenti & ad salutem necessaria clarius aliquanto indicata fuisset, & saltem nomen Dei additum fuisset: Credo nimirum in Deum Spiritum Sanctum. Certum namque est, Symbolum istud inprimis propter rudiores ac simpliciores esse compositum, ut haberent summam totius fidei Christianæ, seu mavis breviarum omnium ad salutem necessariorum fidei articulorum, quod ediscerent, & de fide interrogati, ex eo respondere possent. Quis vero è simplicioribus (ut de multis doctis quoque nunc taceam) erit, qui ex his verbis, *Credo in Spiritum Sanctum*, colligere queat per se, Spiritum Sanctum esse Deum summum? Præsertim si eundem loquendi modum usurpatum etiam de humanis personis, quin & de rebus, quæ prorsus personæ non sunt, in Sacris Literis legat: qualia exempla paulo ante produximus. Quinto Tertullianus, qui vixit circa annum Christi 180. Regulam fidei exponens immobilem, tertiam Symboli partem, *Credo in Spiritum Sanctum*, & quæ sequuntur, plane omittit. Sic enim ait libro de Velandis Virginibus: *Regula fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum Omnipotentem, mundi conditorem; & Filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlos, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem.* In hac Regula fidei nullo verbo Spiritus Sancti meminit, cujus tamen meminisse debuisset necessario, si is Deus summus esset. Et alibi in libro de Præscript. Hæret. aliam tradens fidei Regulam idem Auctor (quæ quidem, quod Filium Dei attinet, jam à prisca veritate Apostolica deflexit, quanquam nihilominus eum, ut hodie fit, pro Deo Altissimo non agnoscit) Spiritus Sancti facit quidem mentionem, sed non seorsim, verum inter alias res, quas de Christo recenset. Ita enim inter cætera fatur de Christo: *Creditur &c. eum fixum cruci, tertia die resurrexisse, in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris, misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat, venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum &c.* Ubi vides Spiritus Sancti non fieri mentionem peculiarem, multo minus dici eum esse Deum Altissimum.

Ex quibus simul intelligitur, tertiam hanc Symboli istius partem, quæ de fide in Spiritum Sanctum, & in ea quæ sequuntur, agit, quamvis verissima fidei Christianæ dogmata contineat, & Apostolicæ doctrinæ consentanea, non paris tamen antiquitatis cum prioribus duabus partibus esse, sed priores illas de Deo Patre & de Jesu Christo pro Apostolicis atque ad salutem necessariis ac sufficientibus fidei articulis semper fuisse habitas, tertiam autem partem de credendo in Spiritum Sanctum, posterioribus demum temporibus fuisse adjectam. Adeo olim primitiva Ecclesia dedit operam, ne tyrones & idiotas multarum rerum scientiâ prægravaret: (uti hodiernis usu venit temporibus, ubi ad salutem necessarii articuli fidei, quæque ad eorum intelligentiam faciunt, tanta copia traduntur, ut eorum numerus iniri nequeat, tantum abest, ut ab indoctis, imo & à doctis multis, memoria teneri possint.) Hinc etiam mirum non est, aliquos discipulos Ephesi ignorasse, Spiritum Sanctum dari, Act. 19. 2. quia solum de maxime necessariis Christianæ religionis capitibus, sine quorum notitia illi, ex Ethnicismo ad Christianismum venientes, credere non poterant, erudiebantur: qualia sunt de Deo conditore mundi, quem Ethnici tum temporis ignorabant, & de Jesu Christo Dei Filio ac legato.

Possemus quoque ad confirmandam doctrinam Apostolicam de uno Deo Patre, ex omnibus antiquis Ecclesiæ Doctoribus, quos Patres vocant, quique ante tempora Niceni Concilii vixerunt, (quod celebratum fuit Anno Christi 325.) testimonia depromere, atque ostendere, eos quamvis de Christo Filio Dei jam ex Ethnica Platonica Schola nova & Apostolicis temporibus inaudita atque ignota dogmata invexerint, omnes tamen hanc Patris Jesu Christi prærogativam agnovisse, quod ille solus sit Deus Altissimus, & fons istius divinitatis, quam filio attribuunt. Imo etiam in ipso Symbolo Niceni

Concilii, Christus non vocatur Deus summus, sed *Deus de Deo, lumen de lumine*, id est, talis Deus, qui Deitatem suam à supremo Deo accepit. Et Alexander Episcopus Alexandrinus, qui primus fuit auctor illius infelicis certaminis cum Ario, cujus causa Nicenum Concilium congregatum fuit, scribit apud Theodoretum Eccl. hist. lib. 1. cap. 4. Christum *mediam inter ingenitam Patris, & creatam rerum aliarum, naturam habere.* Verum fusior hujus rei tractatio non est hujus loci: poterit alio loco, si Deus annuerit, de ea commodius agi.

SECUNDA PARS,

In qua vulgaris sententia de Trinitate, & cum annexis, explicatur, præcipua ejus fundamenta excutiuntur, & multiplex istius sententiæ absurditas demonstratur.

CAPUT I.

In quo sententia de Trinitate summatim proponitur, & Symbolo, quod vulgo Athanasio adscribitur, confirmatur.

VUlgaris, & apud maximam Christiani orbis partem hodie recepta, sententia de Uno summo Deo, hæc est: quod unus ille summus Deus, qui potestatem suam à nemine accepit, sit tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: quæ tres personæ uno nomine *Trinitas* vel *Trinunitas* appellantur. Quæ postrema appellatio, eo sensu, quo ab illis accipitur, perinde absurde sonat, atque si quis diceret, Quadriduplicitas, Sexquinquitas, Octiseptimitas &c. Quin & vox Trinitatis summopere tam Luthero, quam Calvino displicuit. Lutherus in Postilla Majori Dominica Trinitatis ita scribit: *Vox Trinitatis frigide sonat, & est humanitùs inventa, satiusque esset Deum, Deum appellare, quam Trinitatem.* Calvinus vero Admonitione 1 ad Polon. inquit: *Precatio vulgo trita, sancta Trinitas unus Deus miserere nostri, mihi non placet, ac omnino barbariem sapit.* Ibidemque vocabulum Trinitatis vocat *barbarum, insipidum, profanum, commentum hominum, nullo nixum sermonis Dei fundamento, Deum Papisticum, Prophetis & Apostolis ignotum.*

Cæterum hæc de Trinitate sententia statuit, Patrem genuisse Filium ab æterno ex sua essentia; & Spiritum Sanctum procedere seu emanare ab æterno à Patre & Filio, vel ut Ecclesia Orientalis sive Græca loquitur, à Patre per Filium.

Ajunt, Patrem esse personam, & Filium esse personam, & Spiritum Sanctum esse personam: & quidem quemlibet eorum esse singularem atque distinctam à reliquis personam. Nulla ratione enim personas confundi volunt, aut unam pro altera sumi.

Patrem vocant primam personam Trinitatis, Filium secundam, Spiritum Sanctum tertiam: omnes tres autem simul sumptos vocant unum summum Deum, seu Trinitatem.

Non eo autem pacto putant tres istas personas esse unum Deum, quo exempli gratia tres senatores unum senatum faciunt; ubi de singulis separatim dici nequit, iste homo est senatus, cum quilibet eorum tantum pars sit senatus totius, qui ex tribus senatoribus constat. Sed talem illi statuunt Trinitatem in Deo, ut tamen vera unitas non tollatur. Itaque contendunt, tres illas Deitatis personas omnes simul ita esse unum Deum, ut quælibet separatim totam divinam essentiam in se habeat, utque de qualibet seorsim dici queat, eam esse (ut sic loquar) totum illum unum summum Deum. Hoc modo scilicet: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus (intellige ille unus summus Deus) & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus. Quod cum humana ratio nullo modo queat concipere, ut tamen id aliquomodo intelligibile faciant, & aliqua veri specie commendent, hanc Trinitatem in unitate seu Trinunitatem ita efferunt, ut dicant: Deum esse Unum in essentia, & Trinum in personis, id est, in suprema Deitate esse tres personas, sed illas tres personas junctim habere tantum unam essentiam, & quidem ita, ut nihilominus quælibet persona seorsim habeat totam divinam essentiam.

Amplius inquiunt, Patrem misisse de cœlo Filium suum in uterum Mariæ Virginis, in quo ille assumsit humanam naturam, atque ex ea verus homo natus est. Ita ut Christus è duabus naturis compositus sit, divina una, secundum quam est secunda persona Trinitatis, & humana altera, secundum quam ille quidem verus homo, sed non humana persona est.

De Spiritu Sancto asserunt, eum esse tertiam Trinitatis personam, quæ ab æterno à Patre & Filio processit. ita ut quemadmodum Filius per æternam generationem essentiam suam atque personam à Patre accepit, sic Spiritus Sanctus per æternam processionem etiam suam essentiam ac personam à Patre ac Filio simul acceperit.

Spiritus Sancti, tanquam tertiæ personæ Trinitatis opera Pater usus est, dum Jesum Filium suum in utero Mariæ Virginis produxit. Quod, ut recte intelligatur, ita concipere oportet, quod Pater Spiritum Sanctum una cum Filio de cœlo demiserit, in uterum Mariæ Virginis, ut ita Maria Virgo Filium Dei à Spiritu Sancto in utero suo acceperit & concepit.

perit. Quæ res, si proprie & secundum hujus dogmatis vim exprimi debeat, dicendum est: Unum illum Deum, per unum illum Deum produxisse unum illum Deum in utero Virginis; nimirum Patrem, Filium, per Spiritum Sanctum, quorum quisque in specie, & tamen simul omnes tres sunt unus ille Deus.

Hæc est brevis summa sententiæ de Trinitate & de uno illo Deo, cui hodie potissima pars Christiani Orbis addicta est. Quam nihil prorsus commune habere cum superius explicata Apostolica & antiquissima fidei Christianæ Confessione seu Symbolo, nemo est, qui non facile perspiciat.

Producunt autem hujus sententiæ Defensores etiam antiquum quoddam Symbolum, in quo hoc eorum dogma plene expressum continetur. Quod Symbolum ferme unanimiter ab eis creditur auctorem habere Athanasium, qui fuit Episcopus Alexandriæ post obitum Alexandri, eumque id in Concilio Romano, quod celebratum fuit Anno Christi 340. id est, 15. post Nicenum Concilium, proposuisse.

Istud autem Symbolum ita habet:

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus: & tamen non sunt tres æterni, sed unus æternus; sicut etiam non tres increati, non tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus.

Ita Pater est omnipotens, Filius est omnipotens, Spiritus Sanctus est omnipotens; & tamen non sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Ita Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: nec tamen sunt tres Dii, sed unus Deus.

Ita Dominus est Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus: non tamen sunt tres Domini, sed unus Dominus.

Sicut enim Christiana veritas nos cogit confiteri, singulas personas Deum ac Dominum esse: ita etiam Catholica fides non permittit, ut tres Deos, & tres Dominos profiteamur.

Pater à nemine est neque factus, neque creatus, neque genitus. Filius est à Patre, neque factus, neque creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus est à Patre & Filio, neque factus, neque creatus, neque genitus, sed procedens. Itaque unus est Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius est, aut posterius, nihil majus aut minus, sed omnes tres personæ sunt æqualiter æternæ, æqualiter magnæ. Propterea omnino, ut dictum est, tum unitas in Trinitate, tum Trinitas in unitate veneranda est. Quisquis igitur salvus esse cupit, ad eum modum teneat de Trinitate.

Necessarium autem est ad æternam salutem, etiam Incarnationem Domini nostri Jesu Christi recte credere, ut credamus & confiteamur, Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, esse Deum & Hominem. Deus est ex essentia Patris ante omnia secula genitus, perfectus Deus, & perfectus homo, constans anima rationali & humano corpore: qui Patri æqualis est secundum Deitatem, minor autem Patre secundum humanitatem.

Qui, etsi sit Deus & Homo, tamen non duo Christi, sed unus Christus est; non conversione Deitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum: unus Christus, non commixtione naturarum, sed unitate personæ. Nam sicut rationalis anima & corpus unus homo est, ita Deus & homo est unus Christus. Qui passus est salutis nostræ causâ, descendit in infernum, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris & Omnipotentis Dei, unde venturus est judicatum vivos & mortuos. In cujus adventu omnes homines cum corporibus suis resurgent, & de suis factis atque operibus rationem reddent: & tunc qui bona fecerint, intrabunt in vitam æternam; qui vero mala egerint, ibunt in ignem sempiternum.

Hæc est fides Catholica, quam nisi quis fideliter credat, salvus esse non poterit.

Symbolum hoc etsi vulgo credatur ab Athanasio esse conscriptum, tamen nonnulli viri eruditi afferunt gravissimas ea de re dubitandi causas. Prima est, quod ferme trecentis annis post supra memoratum Concilium Romanum, nempe in quarto Concilio Toletano, demum prodierit in lucem. Vide Gerhardum Vossium de Symbolis Dissert. 2. An ullo modo fieri potuit, ut tanti momenti scriptum viri tantæ auctoritatis, in quo salutaris fides (ut hodie putatur) tam claris & apertis verbis, quorum similia in tota Sacra Scriptura non reperiuntur, expressa atque descripta est, tamdiu lateret, & non protinus tunc produceretur in publicum, cum maxime controversia cum Arrianis ferveret? Secunda est, quod inter reliqua Athanasii scripta non exstet. Tertia, & quidem potissima est; quod Athanasius ipse de Deo aliter senserit, quam in hoc Symbolo docetur. Quod ut liquido pateat, propria ejus verba ex primo ejus Dialogo de Trinitate hic apponemus. Non procul ab initio istius Dialogi introducit ille duos secum colloquentes: unum Anomæum, qui Arii partes ac sententiam tuetur, alterum Orthodoxum, qui veram Christianam fidem, cui Athanasius addictus erat, explicat, & Anomæum de ea informat. Cum igitur Orthodoxus dixisset, in Deo esse unam tantum Deitatem, sed tres hypostases, quærit Anomæus: *Hoc vero cujusmodi est?* Et *Orthodoxus* respondet: *Ut sunt Petri, & Pauli, & Timothei tres hypostases, & una ἀνθρωπότης, ac si dicas, humanitas.* Anom. *Ergo sunt tres Dii.* Orthod. *Absit ut hoc dicam.* Anom. *Si ita sunt hypostases, ut Petri, & Pauli, & Timothei, tres sunt Dii: quandoquidem Petrus, Paulus, & Timotheus tres sunt homines.* Orthod. *Ne hi quidem sunt tres.* Anom. *Annon igitur tres sunt, Petrus, Paulus & Timotheus?* Orthod. *Tres quidem sunt, at non tres homines: quia tunc tres sunt homines,*

cum dissimile cor habuerint, ut Græcus, & Judæus & Christianus. Sin vero idem senserint, nec sint inter eos dissidia, tres quidem sunt hypostates, sed unus in Domino, quod unum animum, & unum cor habeant; & tres quidem sunt numero, at non quod diversam inter se naturam vel diversum cor habeant. Anom. *Ego eos qui tres sunt, tres esse dico.* Orthod. *At ego tres esse dico, si inter se dissenserint: quodsi ex Dei verbo fuerint eadem mente & sententia compacti, unum novum hominem esse dico, manentibus tamen hypostasibus.* Anom. *Sed hæc de hominibus dicuntur, in Deo vero aliter se res habet.* Orthod. *Si in iis, quæ corporaliter separata sunt, modo animi sententia non dissideant, habet Scriptura Unus & Unum; multo magis id dicendum est, in iis, quæ sunt materia & corporis expertia. Aut igitur in istis ponito esse dissidia, ut tres Deos dicamus, quoniam unus istud, alius illud velit: aut si nulla est in iis dissensio, unus sit Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; quemadmodum qui in Christo sunt compacti, unus homo sunt, sicut scriptum est* &c. Et sub ejusdem Dialogi finem rursus Orthodoxum ita loquentem facit: *Qui coëssentialitatem dicit, Christianus est; qui vero existimat eum non esse Christianum, qui coëssentialitatem dicit, & tamen ipsemet, hoc dicit, comperitur seipsum condemnare, ut servus ille malus ex suo ipsius ore damnatus.* Anom. *Quomodo vero sum compertus id dicere?* Orthod. *Nos (dixisti) sentimus, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse instar Episcopi, Presbyteri & Diaconi.* Anom. *Fateor me dixisse instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.* Orthod. *Atqui Episcopus, Presbyter, & Diaconus sunt ὁμοούσιοι, coëssentiales. Fassus es igitur ὁμοούσιον, coëssentialem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Hucusque sunt verba Athanasii. Ex quibus clarissime perspicitur, sententiam ejus de Deo & Trinitate longe diversam fuisse ab ea, quæ in supra descripto Symbolo (quod ipsi attribuitur) comprehensa est, hodieque in Ecclesiis Christianorum traditur. Diserte enim urget, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tantum eatenus unum Deum esse, quatenus animo ac voluntate unum sunt, sicut Petrus, & Paulus, & Timotheus unus tantum homo sunt, quatenus in Christiana religione consentiunt. Sed cum in doctrina de Trinitate non sit quæstio de unitate voluntatis, seu animi consensu, sed de unitate naturæ seu essentiæ Dei, sequitur ex hac Athanasii sententia, quod sicut Petrus, Paulus, & Timotheus, quoad naturam & essentiam suam (seposita hac consideratione, an animo consentiant, nec ne) vere tres distincti homines sunt, ita etiam Pater, Filius & Spiritus Sanctus quoad naturam & essentiam suam (haud considerata consensus eorum unitate) revera tres distincti Dii sint. Præterea dicit Athanasius, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non aliter esse coëssentiales, quam Episcopus, Presbyter, & Diaconus coëssentiales sunt. Atqui Episcopus, Presbyter, & Diaconus, non numero sed specie tantum eandem essentiam habent. Sequitur igitur, secundum Athanasium etiam Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum specie tantum, non numero eandem habere essentiam: quod est contra mentem modo dicti Symboli, & hodiernorum Christianorum. Quapropter Symbolum istud nullo pacto Athanasii esse potest; quia credibile non est, eum sibi ipsi tam aperte contradicere voluisse, aut sententiam suam tam cito mutasse. Indicat quoque hic Athanasii locus, tempore Niceni Concilii longe aliam de Deo viguisse doctrinam, quam hodie inter Christianos. Id quod Christiano lectori probe notandum est.

CAPUT II.

Vulgarem sententiam de Trinitate vel solo silentio Sacrarum Literarum refutari.

VErum istius Symboli auctor sit, quisquis velit, Christianus lector modo id animo à præjudiciis vacuo consideret, illudque cum primævo & (quoad sensum) Apostolico fidei Symbolo quod in prima parte cap. 6. hujus nostri tractatus exposuimus, conferat. Ibi omnia sunt clara, plana, simplicia & intellectu facilia: hic in Athanasiano, ut vocatur, Symbolo, sunt meræ spinæ, dumi, ac scopuli, imo inextricabilis labyrinthus rerum ejusmodi, quæ neque ad literam in Sacra Scriptura usquam reperiuntur, neque ulla legitima consequentia è Sacris Literis erui atque elici possunt; rerum, quæ non solum omnium hominum captum atque intellectum superant, sed quæ cum sana ratione omnino pugnant: cum inter se contradictoriæ sint, & se invicem tollant, ideoque etiam ne similitudinem quidem ullam veri habeant: ut suo loco ostendetur.

Patrem Domini nostri Jesu Christi solum esse summum Deum, supra jam clarissimis Scripturæ verbis ex Joh. 17. 3. 1 Cor. 8. 6. & aliis plurimis locis demonstravimus: etiam de Christo & Spiritu Sancto, quod nullus eorum Altissimus Deus sit, tam clara & evidentia argumenta ex Scriptura Sacra produximus, ut ea etiam simplicissimus ac indoctissimus nullo negotio capere atque intelligere possit. At ubi hoc scriptum est in Sacris Literis: *Fides Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur; non confundentes personas, neque substantiam separantes?* Ubi scriptum est: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti: sed Patris, & Filii & Spiritus Sancti, una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas?* Ubi nam hæc verba in Sacra Scriptura leguntur: *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus. Pater est æternus, Filius æternus, Spiritus Sanctus æternus; & tamen non sunt tres æterni, sed unus æternus?* Ubi habetur, quod *Filius ex essentia Patris ante omnia secula sit genitus?* quod Deus de cœlo descenderit in uterum Virginis Mariæ, atque in eo homo factus sit? quod Deus unus, Deum unum, per Deum unum in utero Virginis produxerit? Ubi Spiritus Sanctus usquam in Sacris Literis dicitur esse Deus? imo ostendatur vel unus locus, ubi expresse Deus appelletur.

Estne credibile, Christum & Apostolos, ut Prophetas nunc præteream, rem, quemadmodum in Symbolo Athanasii proponitur, & vulgo creditur, scitu tam necessariam, creditu tam difficilem, & omnem

& omnem humani ingenii captum longissime superantem, taciturus fuisse? Nonne res ipsa docet, eos, quanto esset dogma illud, & scitu magis necessarium, & perceptu difficilius, tanto id clarius propositurus fuisse, & tanto crebrius, tantoque diligentius inculcaturos? Cogit id credere eorum in cæteris rebus haud Paulo minoribus, & perceptu facilioribus, diligentia: cogit eorundem erga salutem generis humani studium, vel potius ardor: cogit denique id, quod susceperunt ac stustinuerunt, officium. Num Christo Servatori nostro, num Apostolis, aliisque divinis viris, minus putabimus curæ fuisse salutem hominum, quam iis, qui aut olim tanto conatu dogma illud, tanquam proram ac puppim salutis nostræ defenderunt, aut hodie tuentur? Num illis aut intelligentia istius, quod vulgo adorant, mysterii minor fuit, aut verba, quibus id describerent, defuerunt? Clarius id exprimere potuit Athanasius in Symbolo suo, quam Christus aut Apostoli? Paulus Apostolus recensens ea, quæ ad salutem ore profitenda & corde credenda sunt, ait: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Si confitearis ore tuo, Dominum esse Jesum, & corde tuo credideris, quod Deus eum resuscitarit à mortuis, salvus eris*, Rom. 10. 9, 10. Quam multum hoc ab illa Symboli Athanasiani confessione differt? Omnes Christiani, qui Papatui valedixerunt, credunt ac docent, omnia quæ ad salutem sunt necessaria scitu, sacrorum voluminum ambitu comprehendi, & quidem tam clare ac perspicue, ut ea etiam simplicissimus quisque facile possit intelligere. Quam vero illi rationem afferent, cur id dogma aperte in Sacris Literis non contineatur? Ajunt non pauci, licet id expresse in Scripturis non comprehendatur, legitima tamen consequentia deduci ex iis posse. Atqui, ut alia nunc mittam, in re tam difficili, à captu nostro tam remota, tam necessaria, non solas consequentias, sed claram ac dilucidam explicationem, eamque non semel repetitam, omnino ostendendam esse, paulo ante docuimus: præsertim quia homines simplices, atque indocti, quibus æque Deus salutis viam patere voluit, ne dicam magis, quam doctis & ingeniosis, consequentias illas non intelligunt, neque de illis judicare possunt; ac præterea non in consequentiæ tantum ratione, sed etiam in ipsius sententiæ vi percipienda illis laborandum est, quæ vix à doctis percipitur, si modo id perpici potest, quod secum ipso pugnat.

Alii ajunt, non tantum legitimis consecutionibus id dogma ex Sacris Literis elici posse, sed reipsa etiam in iis contineri. Utut enim vox Trinitatis in illis non extet, extare tamen ejus sententiam. Neque vero nos requirimus, ut ipsum Trinitatis nomen ostendant; sed rem ac sententiam, quam eo nomine vulgo comprehendunt, clare ac perspicue expressam. Illud, inquam, requirimus, ut ostendant, ubi scriptum sit, Deum esse unum essentia, trinum personis: Patrem esse Deum, Filium esse Deum, nempe summum, Spiritum Sanctum esse Deum, nec tamen tres esse Deos, sed illos tres unum esse Deum: sic, Patrem esse æternum, similiter Filium, & Spiritum Sanctum, nec tamen tres esse æternos, sed unum æternum. Hæc & similia, quorum sententia omnibus statim pateat, requirimus; qualia sunt illa Athanasiana: quibus omnia hodie templa personant. At cum talia proferunt loca, in quibus consequentia est opus, ut pateat, hanc illorum esse sententiam, quam illi volunt; nihilo plus perficiunt, quam illi, qui solis consecutionibus rem tantam ex Sacris Literis elici volunt. Vide illorum Achilles duos, quibus maxime sententiam suam statuminari credunt, illico apparebit, quam clare hoc dogma in Sacra Scriptura expressum sit. Primus est Matth. 28. 19. *Baptizate in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* At quantum distant hæc ab illis: Tres sunt personæ in una Dei essentia? Tria videmus, tres personas non videmus; nec magis unam eorum trium essentiam; imo potius diversas cernimus, & inter se inæquales. Hic certe consequentiis opus est, ut Athanasiana doctrina inde exsculpatur. Alter est 1 Joh. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt.* Non jam illud tangam, quod locus iste suspectus sit. Demus, esse indubitatum, & in omnibus exemplaribus Græcis ita legi. Unde patet, hic unitatem essentiæ intelligi? Unum sunt: ergo unum essentia? Iste est nimis immanis saltus. Non modo hic sententia ipsa non extat, essentiæque nulla expresse facta est mentio, sed ne per consequentiam quidem legitimam sententia talis evinci potest. Generale est, Unum esse, & plures sub se continet species: unum essentia, unum consensu, sive animi, sive testimonii, sive alterius alicujus rei. Posito autem genere, ponitur quidem species aliqua, sed non protinus certa, ut hoc loco unum essentia. Imo si recte attendas, ponitur hic quidem certa species unitatis, verum non essentiæ, sed testimonii: cum de tribus testibus agatur, seu, de testimonio Patris, Verbi, ac Spiritus Sancti, nec dubium sit, eos in isto testimonio unum esse significari. Præterea quibus hic verbis dicitur, Spiritum Sanctum esse personam? Nonne ad consequentias iterum confugere necesse est?

CAPUT III.

An dogma de Trinitate sit mysterium?

PLerique eorum, qui hanc de Trinitate sententiam amplectuntur, agnoscunt eam valde difficilem & humano intellectui incomprehensibilem esse: sed clamant, esse mysterium, omnium hominum rationem superans, nec judicio aut regulis rationis subjectum, ideoque simpliciter credendum, non scrutandum. Verum ita loqui solent, qui causæ suæ non fidunt, & lucem fugiunt. Jesuita Becanus in Manuali Controv. pag. 610. agens de sententia Calvini, qui suam de Eucharistia doctrinam vocet ineffabile mysterium, optime inquit: *Hic Vides consuetudinem hæreticorum; quando in manifesta contradictione hærent, tamen sententiam suam non contradictionem, sed mysterium vocant, quod ratio capere nequeat.* Hoc sane Becanus jure merito in Calvino traxavit; sed in se ipso quoque & in suæ religionis consortibus idem vitium notare debuisset: cum

cum & illi in doctrina de Trinitate, si fortiter urgeantur, eo tandem confugere soleant, ut dicant, Mysterium esse.

Hæc vox Mysterii per tam multa secula hactenus rude & inconditum vulgus, in cæca & inconsiderata erga hanc tam absurdam & scripturæ ignotam doctrinam reverentia detinuit, ut & hodie adhuc timeant, & quasi horrore quodam corripiantur, quando adhibita ratione eam expendere volunt: perinde ac si crimen læsæ Majestatis divinæ committeretur, si id bene cognitum & clare intellectum credatur, quod statuitur esse ad salutem omnino necessarium. Huc accedunt horrenda illa verba, quæ in Symbolo Athanasiano statim in ipsa fronte leguntur: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat fidem Catholicam, quam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Et ad finem ibidem: *Hæc est Catholica fides, quam nisi quis fideliter credat, salvus esse non poterit.* Quodsi vero rationalis consideratio hujus dogmatis, aliquam de ejus veritate dubitationem in animo pariat, putant miseri homines, jam actum esse de sua salute. At merito quæri potest, An doctrina ista de Trinitate sit tam sublime ac impervestigabile mysterium, & an ab ejus scrutatione ac probatione adeo abhorrendum sit; cum Apostolus jubeat omnia probare, & quod bonum est, retinere, 1 Thess. 5. 21.

De unaquaque re, quæ sub examen ac disquisitionem cadit, duo quæri solent. Primo, An sit? Secundo, Quomodo sit? Prior quæstio est fundamentum posterioris: ideo etiam primo omnium expedienda est. Si enim res non sit, si in rerum natura non extet, si nihil nisi figmentum sit, frustra quæritur, Quomodo sit? Jam vero res sunt innumeræ, de quibus sciri potest, quin etiam reipsa constat, eas vere esse atque existere, sed quomodo sint, id hominum fugit scientiam. At hoc quod notum est ac scitur, id non est mysterium amplius: quod vero latet & nescitur, id tantisper manet mysterium, donec vel per Dei revelationem, vel per sedulam meditationem ac inquisitionem cognoscatur. In exemplo, quod Deus sit Omniscius, non est ullum mysterium, sed res est non solum ex Sacra Scriptura, verum & è lumine sanæ rationis clara & manifesta. Vide Psal. 94. 9, 10, 11. Sed quomodo & qua ratione Deus omnia sciat, quomodo è loco tam remoto, uti est cœlum à terra, omnium ac singulorum hominum, qui à condito mundo extiterunt, intimas & abditissimas cogitationes distincte nosse, & memoria retinere, & semper quasi præ oculis habere queat, id captum humanæ mentis in hac mortalitate superat. Ita quod Deus creaverit cœlum ac terram, mysterium non est, sed res evidens & intellectu scituque facilis unicuique: si modo Sacræ Scripturæ fidem adjungat. Imo Paulus Apostolus ait Rom. 1. 19, 20, etiam Ethnicos ex operibus creationis potuisse ad cognitionem creatoris venire, nimirum per considerationem tam admirabilium effectuum divinæ sapientiæ & omnipotentiæ. Verum quomodo mundus à Deo conditus sit, quomodo nudum mandatum & spiritus oris ejus tantæ efficaciæ esse potuerit, ut tam admiranda opera, tam pulchra, tam multa & tali forma atque figura per eum producerentur, hoc manet nobis hominibus imperscrutabile mysterium, donec id tandem in cœlesti olim Academia cognoscemus. Quin & in natura ipsa nobis pleraque sunt mera mysteria. Nam quod homo ab homine, animal ab animali generetur, quod è minuto semine ingens crescat arbor, id videmus oculis nostris quotidie, neque id pro mysterio habendum est. Sed quomodo homo in matris suæ utero formetur, omniaque ejus membra tam aptissime præparentur, quomodo vitam spiritumque accipiat; quomodo item spiritus, qui in semine arboris latet, operetur, quomodo in terra circumjacente ex humore ejus radices, stipitem, ramos, folia, fructus, & in iis rursus alia semina tam mirabiliter proferat, id oculis intellectus nostri cerni atque indagari non potest. Hoc modo se habent & alia innumerabilia in mundo.

Quod igitur dogma Trinitatis attinet, hic æque, ac in aliis rebus, duæ istæ quæstiones occurrunt: An sit? Et quomodo sit? An sit, id est, an vere talis Trinitas in Deo sit, non potest sane illis esse mysterium, qui id sciunt, docent, & aliis inculcant. Mysterium enim est, quod ignoratur: imo si in Sacris Literis, ut illi jactant, continetur, adeo mysterium non est, ut omnes homines in mundo, qui Sacras Literas legunt vel legi audiunt, eisque fidem adhibent, id scire queant. Illis autem, qui nondum sciunt, talem extare Trinitatem, illa adhuc mysterium est. Sed talibus non est ulla ratione prohibendum, ne inquirant de eo, An sit? Non sunt à veritatis investigatione absterrendi hoc terriculamento, quod id sit imperscrutabile mysterium. Si enim illis, qui dogma Trinitatis jam norunt & credunt, non est amplius mysterium, debent etiam cum iis, à quibus parem cognitionem ac fidem requirunt, ita agere, ut ipsis quoque hæc res non sit amplius mysterium, sed ut de veritate istius dogmatis, æque ac illi, claram ac indubitatam scientiam habeant: id est, debent eos de hoc dogmate pro viribus erudire, non simpliciter eis absque probatione id obtrudere (sicut Pontificii solam auctoritatem sui Pontificiis vel Ecclesiæ suæ urgentes facere solent) sed solidis ac irrefragabilibus argumentis eos convincere, objectionesque eorum justis & idoneis rationibus refellere.

Porro si quis certo sciat, aliquid verum esse, vel si ipsi veritas alicujus rei tam validis argumentis demonstretur, ut nihil solidi habeat, quod contra afferat: non est quidem ipsi prohibitum amplius cogitare & inquirere, quomodo res ista se habeat, & si id intellectu suo assequi possit, summa laude dignus est, ut qui non leve incrementum sapientiæ suæ consecutus sit. Sed si id assequi nequeat, oportet ut contentus sit ista cognitione, quod sciat, rem vere & reipsa esse, etiamsi nesciat, quomodo sit. Ita nos contenti sumus atque acquiescimus, quod sciamus, Deum esse Omniscium, eum creasse mundum, hominem alium ab alio generari, ex parvo semine magnas arbores crescere &c. tametsi, quomodo hæc omnia fiant, nunquam in hac vita percipiemus. Si quis autem ex eo, quod ratione sua assequi nequeat, modum rei, ansam sumat dubitandi etiam de veritate rei ipsius, & quia non intelligit,

ligit, quomodo res sit, ideo ambigat etiam, an res sit; cum tamen rem esse irrefutabilibus documentis jam convictus sit: ei tunc merito dici potest, id quod assequi & intelligere non potest, esse mysterium, cujus ignorantia & non intelligentia nullum jus ipsi dare possit ad negandam rei ipsius veritatem, de qua ipsi ex certis atque invictis argumentis constare queat.

Forte hic dicet quispiam, eos qui dogma Trinitatis impugnant, non tantum inquirere, An sit? Sed etiam, Quomodo sit? Cumque hoc postremum assequi nequeant, dubitare eos propterea etiam de primo, & negare ipsius rei veritatem, propter non perceptum rei modum. Sed secus se res habet. Qui enim dogma Trinitatis oppugnant, simpliciter tantum quærunt, An talis Trinitas detur, seu extet? Ubi per Trinitatem nihil aliud intelligunt, quam quod illi ipsi, qui eam asserunt & propugnant, intellectum volunt. Nempe non de eo quærunt, An sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus? De eo enim nullus Christianorum dubitat: neque etiam hæc est illa Trinitas, quæ hodie urgetur. Sed id quæritur, An summus Deus sit unus in essentia, & Trinus in personis? An Pater sit Deus, Filius sit Deus, Spiritus Sanctus sit Deus, & tamen non tres sint Dii, sed unus Deus? An Deus Altissimus, secunda nimirum persona Trinitatis de cœlo descenderit, & humanam naturam assumserit? Quæque alia hoc dogmate continentur, & hodie magna contentione urgentur. In hoc ipsum igitur inquirere, an verum sit, an res ita se in Deo habeat, nemini veritatem amanti vitio verti potest, non magis certe, quam Ethnico alicui credenti, mundum ab æterno fuisse (qualis fuit Aristoteles, Plinius, & alii) vitio verti posset, si scrutetur & inquirat, an verum sit, quod Deus mundum certo tempore creaverit. Præterea potius ipsi Trinitatis defensores in eo culpari possunt, quod non modo doceant, Deum unum ac trinum simul esse, verum etiam modum, quo id fiat, in specie definiant ac determinent, adeoque impenetrabile mysterium ratione sua rimentur: dum ajunt, eum esse unum in essentia, & trinum in personis. Imo videbimus infra suo loco, quam accurate, imo temerarie circumstantias omnes ac singulas æternæ generationis Filii Dei ex essentia Patris describant, quomodo nimirum Pater eum per imaginem quandam, quam ipse contemplando se ipsum in se concipiat, produxerit. Similiter audacter statuunt ac definiunt, quomodo facta sit æterna processio Spiritus Sancti à Patre & filio. Hic certe imtempestivum est dicere, Mysterium est, neque quisquam culpandus est, si quærat, An hæc omnia vera sint? An ita se in Deo habeant? Sique argumenta, quæ ad assertiones istas probandas afferuntur, debito ac legitimo modo examinet. Talis enim semper manet in prima adhuc quæstione, An sit? Id quod nemini prohiberi potest, nisi quis velit Papistarum more rem absque probatione ulla ipsi obtrudere.

CAPUT IV.

Scripturam Sacram solam esse normam, ac Lydium lapidem, juxta quem in rebus religionis de veritate dogmatum judicandum sit. Et quomodo ex Scriptura Argumenta ac probationes sumantur.

MOdus indagandi veritatem alicujus dogmatis aut doctrinæ, quæ ad salutem necessaria esse asseritur, nullus alius est, quam ut diligenter inquiratur, an illa in Sacris Literis contineatur, atque ex iis demonstrari queat. Solam enim Sacram Scripturam statuimus esse regulam ac normam fidei, ad quam omnes religionis controversiæ exigendæ, & juxta eam determinandæ sunt: id quod apud eos, quorum in gratiam potissimum hunc laborem suscepimus, est extra omnem dubitationis aleam positum.

Argumenta autem seu probationes è scripturis duobus modis sumuntur, vel ex clara litera & expressis verbis, vel per legitimam consequentiam deducuntur. Multa clarissimis & ipsissimis verbis in Sacris Literis expressa sunt, ut nullis consequentiis opus sit: v. g. quod Deus unus sit Deut. 4. Esai. 44. ℣. 6. quod sit æternus Gen. 21. 33. Esai. 40. 28. justus, Exod. 9. 27. Deut. 32. 4. misericors, Deut. 4. 31. Psal. 103. 8. sanctus, Levit. 11. 44. Jos. 24. ℣. 19. quod Deus cœlum & terram creaverit, Gen. 1. 1. ij. 4. Esai. 42. 6. quodque solus Pater Jesu Christi sit ille verus Deus, Joh. 17. 3. 1 Cor. 8. 6. item quod Jesus Christus ex Spiritu Sancto conceptus sit, Luc. 1. 36. Matth. 1. 18. aliaque ejusmodi innumera. Sed exempli causa, quod non liceat homini Christiano per animam suam jurare, ut multis in more est, id iisdem verbis in scriptura non legitur; sed tamen per bonam consequentiam potest ex scriptura deduci. Si enim vetitum est per caput suum jurare Matth. 5. 36. ideo quod nemo capitis sui dominus sit, ita ut possit vel unum capillum capitis sui album aut nigrum facere; inde necessario sequitur, nefas esse etiam per animam suam jurare, ut cujus dominus non magis sit homo, quam capitis sui, quique proinde potestatem non habeat eam jurejurando quasi oppignorandi. Ita panem Eucharisticum non esse adorandum, Sanctos demortuos non esse invocandos, ad literam in Sacris Literis non extat; optima nihilominus consequentia ex iis concluditur, quia scriptum est, soli Deo Deut. 6. 13. & Christo Joh. 5. 22. cultum religiosum esse exhibendum. Hoc igitur pacto etiam, cum doctrina de Trinitate, quod Deus sit unus essentia, trinus personis, eumque esse simul Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum &c. claris & expressis verbis scripta non reperiatur in Sacra pagina; necesse est, ut si illa Sacræ Scripturæ consentanea est, saltem per consequentias legitimas ex ea colligi possit. Quæ vero doctrina neque expressis literis ac verbis, neque per ullam bonam consequentiam ex Sacro textu probari potest, illa absque omni dubio vel plane falsa est, vel ad religionem Christianam non pertinet.

Quod

Quod porro claram literam attinet, certum est & res ipsa docet, non semper literæ inhærendum esse, sed sæpius à proprietate verborum recedendum, & alium commodiorem sensum, quam est literalis, quærendum esse. In exemplo, quando Christus Herodem appellat vulpem, manifestum est, id proprie & ad literam intelligi non posse Luc. 13. 32. De seipso dicit Christus: *Ego sum vitis vera* Joh. 15. 1. Quis tam absurdus est, qui velit hoc proprie sumere, & affirmare, Christum esse revera lignum ejusmodi, quod racemos fert, & pampinis contectum est? Etsi enim vocula *vera* addita sit, quæ propria significatione vitem esse accipiendam suadere videtur; tamen res ipsa satis superque indicat, improprium ac tropicum esse sermonem. Imo licet res aliqua crebro & multoties in Sacris Literis expresse & ad literam legatur, tamen literaliter & proprio sensu intellecta potest esse falsa, & alia quæ semel tantum aut bis invenitur, vera. Cujus rei clarum exemplum habemus in Deo, qui semel tantum in Sacris Literis Spiritus nuncupatur Joh. 4. 24, contra vero in locis innumeris ei membra corporea, non tantum hominum, sed etiam irrationalium animantium, adscribuntur: ut oculi Gen. 6. 11, aures Num. xi. 1, manus Gen. 49. 24, pedes 1 Paral. 29. 2, digiti Exod. cap. 8. 19, alæ Psal. 17. 8, & similia. Ex quo olim hæretici quidam Anthropomorphitæ dicti occasionem erroris sui sumserunt, ut Deo humana membra attribuerent. Stat igitur, non semper insistendum esse literali sensui & verborum proprietati.

Jam quæritur: Quomodo sciri queat, quando à litera recedendum, & alius commodior sensus quærendus sit, quando non? Hanc rem non possumus melius declarare, quam si ipsorum illorum, qui alias acerrimi Trinitatis propugnatores sunt, proprium judicium ac sententiam super hac re audiamus. Ex innumero autem eorum numero, qui rem hanc recte & secundum veritatem explicant, paucos tantum aliquos in medium producemus. Johannes Conradus Danhaverus Professor Argentinensis in Idea boni interpretis & malitiosi Calumniatoris, editâ Argentorati Anno 1642. cum pag. 84. dixisset, à clara litera Scripturæ ad tropum seu improprium sensum non esse confugiendum, nisi causa necessaria postulet, postea vero aliquot causas subjunxisset, quæ non adeo necessariæ & cogentes sunt, tandem ait pag. 91. §. 54. *Vera causa cogens tropicam explicationem, est, primum contradictio manifesta, in extremum discrimen adducta, quæ nulla ratione potest conciliari.* Et pag. 93. §. 55. inquit: *Quod vero contradictio vera, quæ conciliari non potest, nos ad tropum ducat, probatur: primum ratione, quia alioqui scriptor mendacii reus esse, argueretur, cum duarum contradicentium propositionum altera necessario sit falsa. Nam si scriptor dixisset, homo est tantum bulla, & alibi dixisset, eum esse animatum; tu autem utrumque credere & ad literam intelligere velles: tum tu simul crederes, hominem esse bullam, id est, non habere animam, & nihilominus etiam habere animam. Secundo probatur idem exemplis Scripturæ. Deus enim vocatur spiritus Joh. 4. 24, & tamen passim in Biblis ut membra corporea habens describitur. Quis vero est tam ineptus, qui utrumque proprie accipiendum putet? Quæ conciliatio dari potest, quæ cogat utrique assentiri?* Porro pag. 97. §. 57. scribit: *Secunda causa cogens tropicam explicationem, est sensus manifesta & certa absurditas: quæ oritur primo ex discrepantia profanæ historiæ, vel eventus. Ut cum Christus Luc. 19. 44, urbi Hierosolymæ prædixisset, in ea non mansurum lapidem super lapidem; cum tamen Romanis non adeo curæ fuerit, singulos lapides è fundamentis eruere, atque dissicere, sed adhuc integræ quoque turres aliquot relictæ sunt, nempe Phasellus, Hippica, Mariamne, & insuper tanta pars muri, ut urbs versus Occidentem ea pene cingeretur; uti Josephus testatur lib. 7. de bello Jud. cap. 18. Quare hic absque omni dubio Hyperbole quæ in Scripturis usitata est, admittenda est; quasi dicere voluisset Christus: Urbs ita disturbabitur & solo æquaditur, ut qui accesserit, non sit crediturus, homines hic aliquando habitasse. Secundo existit absurditas literalis sensus ex prædicationis Logicæ impossibilitate. Quia enim disparatum de disparato dici nequit, ideo Herodem esse vulpem Luc. 13. 32, cæcos videre Matth. cap. xj. 5, absurdus sit, qui proprie & ad literam intelligat. Atque hæc collectio iterum per rationem probatur. Nam si scriptorem ita interpretari velis, ineptum eum faceres, ut qui sanæ rationi vim faciat. Deinde probatur idem testimonio Augustini, qui sic ait: Si manifestæ certæque rationi velut Sanctarum Scripturarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, nec Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati; nec quod in eis, sed quod in seipso, velut pro eis, invenit, opponit. Epist. ad Marcell. 7. conf. lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 10. 12. & 16. 2.* Hucusque Danhaverus.

Summa dictorum Danhaveri huc redit, quod à Scripturæ sensu literali ac proprio non sit discedendum, neque alius sensus improprius quærendus, nisi tunc, cum cogit necessitas & causa aliqua urgens. Urgens autem causa & necessitas tunc est, quando literalis sensus vel manifestam contradictionem continet, vel quando alioquin absurditas aliqua ex eo sequitur. Quod à benevolo lectore notari velim.

Consentiunt autem cum Danhavero omnes saniores & doctiores Theologi; ut inter alia exemplum Augustini paulo ante adductum docet. Cui addemus adhuc duorum aliorum testimonia, pro multis, quæ hic allegare possemus. Unus est D. Conradus Dietericus, qui in Institutionibus suis Catecheticis de interpretatione Sacræ Scripturæ agens, inter alias regulas hanc tertiam ponit: *In interpretatione Scripturæ semper proprietati sermonis & literali sensui inhærendum est; nisi Scriptura ipsa vel propter absurdam consequentiam, vel propter aliam causam te aliter facere jubeat, & quomodo id fieri debeat, monstret.* Alter est M. Keslerus, qui in Examine Log. Phot. pag. 185, sic habet: *Literalis sensus semper est retinendus, nisi invehat manifestam absurditatem, vel analogiæ fidei contrarius sit, vel denique falsum aliquid ex eo sequatur.* Et paulo post scribit Coroll. 5. *Quæ sententia manifestam absurditatem continet, & palpabili contradictione cum sana ratione pugnat, illa admitti non potest, ideoque necessario alius sensus per media rectæ interpretationis quærendus est.*

Quod

Quod enim directe contra rationem est, id est contra Deum ipsum, quia recta ratio Deo contraria non est, sed ejus regulæ & principia sunt vera, ut quæ ex fonte veritatis, nempe ex Deo, profluxerunt.

Ex his paucis testimoniis eruditorum virorum, qui alioqui Trinitatis maximi patroni fuere, quid putas, Lector amice, posse concludi? Nonne clare & irrefragabiliter inde sequitur, quod nulla sententia pro vera & Scripturæ consentanea haberi queat, quæ absurda est, quæ contradictionem secum trahit, adeoque sanæ rationi repugnans esse deprehenditur? Omnino ita est. Nam ob quam causam una sententia rejicienda & pro Scripturæ contraria habenda est, ob eandem debet etiam altera, in qua similis ratio reperitur, rejici & pro Scripturæ contraria haberi. Si igitur in sequentibus ostenderimus, dogma Trinitatis juxta regulas sanæ rationis multis modis absurdum esse, & secum ipso pugnare; quid aliud consequetur, quam id rejiciendum & tanquam Scripturæ minime consonum repudiandum esse.

Oritur autem hic rursus alia quæstio: Quis Judex esse debeat, qui decidat, ac dijudicet, Utrum literalis sensus, vel dogma aliquod absurdum sit & contradictorium, nec ne? Hic dicet: Dogma hoc est absurdum & contradicit sibi ipsi. Alter negabit id ipsum, & dicet, nullam in hoc dogmate esse absurditatem vel contradictionem. Quod dispar judicium revera est præcipua causa, cur inter partes litigantes nulla fieri possit concordia. Tanta enim vis est apud plerosque præconceptæ opinionis, ut etiam in medio veritatis meridie cæcutiant. Clarum nobis ejus rei exemplum præbet Vir alioqui perspicax, cujus paulo superius meminimus, Dannhaverus, qui in libro & loco supra citato cum varias protulisset causas, quas non censet esse cogentes ac sufficientes, ut ob eas à proprietate ac litera Scripturæ recedatur, inter alias etiam hanc refert pag. 87. §. 52. *Si contradictio apparens sit, non vera:* moxque ostendit ejus rei exemplum in Calvinianis, qui affirmant, cum Christus naturale corpus habeat, contradictorium esse, dicere, quod Christus in ultima Cœna uno eodemque tempore ad mensam accubuerit, & simul quoque in ore Petri fuerit, cum is corpus ejus in, cum, & sub pane vere & essentialiter (ut statuunt Lutherani) manducaret ac deglutiret. Nam unum verum ac naturale corpus, quantum quantum est, uno eodemque tempore posse esse in pluribus locis, quam in uno, negant Calviniani tanquam rem simpliciter impossibilem & contradictoriam. Et recte quidem. Quod enim hic est, & simul est illic, id est hic & non est hic, quia est illic: & rursus est illic & non est illic, quia est hic. Nihilominus Dannhaverus id non vult agnoscere, sed conatur (quanquam frustra) probare, duas istas propositiones non esse contradictorias: *Christi corpus ad mensam sedet ab ore Petri* remotum. Et: *Christi corpus non sedet ad mensam, sed est in ore Petri.* Sic etiam in dogmate Trinitatis se res habet. Etsi illud plurimis scateat contradictionibus, ut deinceps clare ostendetur, tamen id hodierni Theologi passim agnoscere nolunt. Hinc tam multa excogitarunt effugia, mille novas distinctiones, & nescio quas inusitatas ac inauditas quotidie etiamnum comminiscuntur argutias, quibus sese ex contradictionum laqueis expediant. Quis igitur in hac & similibus controversiis erit Judex, qui sententiam ferat? Nemo hic in terris potest dari alius Judex, quam is ipse, cui absurditas rei proponitur. Dum enim duæ partes secum disceptant, constituit una alteram Judicem, cui suam sententiam approbare & rationibus persuadere nititur: & hinc fit, ut una alteri indignetur, quod id pro vero agnoscere ac judicare nolit, quod ipsi illa clare ac evidenter (uti existimat) demonstrat. Si igitur quispiam rem claram ac manifestam capere nequeat, quacunque de causa, quis erit Judex ejus, qui ipsum cogat? Quis persuadebit illi nivem esse albam, qui eam per vitrum flavo aut viridi colore tinctum intuetur? Ubi omnia fuerint tentata, quæ ad talem ab errore revocandum, & in viam veritatis reducendum conducere possunt, nec quicquam potest proficiscere, relinquendus est, & in Christiana charitate tolerandus, donec tempus forte vel Deus hominis animum immutet. Sed de hac quæstione, quis esse debeat Judex in rebus religionem spectantibus, plenius ac copiosius agitur in libello, tametsi ad umbilicum non perducto, de Judice & Norma Controversiarum fidei, J. S.

CAPUT V.

Jure adhiberi legitimas consequentias & ratiocinationes ad refellendum dogma Trinitatis.

HUcusque egimus de primo modo demonstrandi sententiam sive doctrinam aliquam è Sacris Literis: nempe è literâ clara & expressis verbis: nunc aliquid nobis etiam de secundo modo, qui fit per consequentias & collectiones, dicendum est. Licitum esse per consequentias doctrinam aliquam, vel veritatem è Scriptura elicere; præter innumera alia exempla, abunde id demonstrant ea, quæ cap. 4. supra attulimus de juramento per animam suam, de adoratione panis Eucharistici, deque invocatione Sanctorum. Imo nemo hominum, qui ab Apostolicis temporibus huc usque vixit, aut etiam imposterum vivet, suæ salutis potest esse certus, si consequentias & ratiocinationes omnes à rebus divinis removendas ac relegandas putet. Nusquam enim in divinis Literis expresse & ad literam scriptum est, quod Ego, vel Tu, vel Henricus, Ludovicus, Fridericus &c. qui in Christum credimus, salvabimur: sed tantum per consequentiam id inde colligitur, quia generaliter dixit Christus: *Filium hominis exaltatum iri, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* Joh. 3. 15, 16. Quid vero de dogmate Trinitatis dicemus? Certe luce clarius est, id quemadmodum hodie docetur, & in Athanasiano Symbolo propositum est, nequaquam ad literam & expressis verbis in Sacra Scriptura monstrari posse, sed ejus assertores necessario ad consequentias hic confugere. Inde enim est, quod ita argumentari soleant: Cui tribuuntur divinæ proprietates, ille est summus Deus. Christo tribuuntur divinæ proprietates. Ergo Christus est summus Deus. Item: Cui opera adscribuntur, quæ solis

personis competunt, is est persona. Atqui Spiritui Sancto opera talia adscribuntur, quæ solis personis competunt. Ergo Spiritus Sanctus est persona. Et hujusmodi alias innumeras collectiones ac consequentias nectunt.

Jam si illis fas est, sententiam suam de Trinitate consequentiis & ratiocinando probare (qui probandi modus, si modo consequentiæ bonæ sint & legitimæ, sane repudiandus non est) non potest etiam esse nefas, aliis, non tantum ipsorum consequentias & ratiocinationes examinare, an sint legitimæ ac solidæ, verum etiam ipsorum sententiam legitime ratiocinando & argumentando impugnare atque evertere. Et quemadmodum illorum consequentiæ & argumentationes non nituntur claris Sacræ Scripturæ verbis, sed solis rationis principiis; ita licet quoque adversus eos tales nectere consequentias, quæ certis & immotis rationis principiis innituntur, & ex eis necessario fluunt. Ubi enim scriptum est; eum cui divinæ proprietates tribuuntur, esse Deum summum? Item, eum cui adscribuntur opera ejusmodi, quæ solis personis competunt, esse personam? Unde, quæso, sumunt istas propositiones? Nonne ex ratione? Sic ergo patet, fundamentum sententiæ ipsorum de Trinitate esse ratiocinationem.

Jam cum nobis nullus æquus judex possit hanc adimere libertatem, quominus dogma Trinitatis, verumne ac solidum, an vero merum sit hominum figmentum, examinemus atque excutiamus; præsertim postquam in prima parte hujus Tractatus nostri primævam doctrinam Apostolicam de Uno Deo Patre, de Christo Filio ejus, & de Spiritu Sancto (cum qua dogma Trinitatis nihil commune habet) irrefragabilibus Scripturæ testimoniis comprobavimus: non terrebimur Mysterii nomine, quo nos veluti Gorgonis capite objecto quasi in saxa vertere, & ne ratione utamur, efficere adversarii conantur, sed intrepide dogma istud ad obrussam sanæ rationis revocabimus, & Sole clarius demonstrabimus, id innumeris laborare contradictionibus, ideoque nullo modo verum esse posse. Quod ut tanto fiat commodius, prius omnia illa effugia, distinctiones, & sophismata expendemus, quæ tum ad explicationem, tum ad confirmationem dogmatis hujus de Trinitate adhiberi solent, & sine quibus illud neutiquam defendi atque servari potest.

CAPUT VI.

Distinctio inter Essentiam & Personas in Deo examinatur.

CUm in eo manifesta sit contradictio, quod Deus sit Unus, & tamen simul Trinus, id est, unus & non unus, trinus & non trinus: ut hæc absurditas evitetur, & ostendatur, Deum alio respectu esse unum, & alio trinum, excogitata est distinctio inter Essentiam & Personis Deitatis. Ajunt enim, Deum esse unum quoad essentiam, trinum autem quoad personas. Atque hæc distinctio est primarium fundamentum dogmatis hujus de Trin-uno Deo, sine qua illud nequit consistere. Verum revera arenosum est istud & debile fundamentum, quo dogma hoc non reipsa, sed fucata tantum verborum specie, ab absurditate atque contradictione vindicatur.

Intelleximus paulo ante, quam homines isti dogma Trinitatis summum Mysterium esse clamitent, quod nullus hominum ratione possit comprehendere, multo minus linguâ suâ effari: at videmus nihilominus, eos ipsos audere ista ineffabilia effari, & declarare, quomodo fieri possit, ut Deus sit unus & trinus simul. Sed si ex veritate res æstimetur, non declaratur hac distinctione res tam ardua & intellectu difficilis, sed potius magis obscuratur, ita ut homo simplex, qui antea doctrinam hanc de Deo minime intellexerat, hac audita distinctione inter Essentiam & Personas, eamque intelligere studens, rationem prorsus amittat, ut tandem nihil sciat, neque intelligat. Si saltem hæc distinctio essentiæ & personarum in naturali ratione fundata esset, etiamsi in Sacris Literis non reperiatur, possent isti homines aliqua ratione excusari: sed rem ejusmodi pro fundamento tam necessarii ad salutem articuli ponere, quæ non solum in Scriptura non extat, sed etiam rationi sanæ repugnat, eamque insuper tanquam Mysterium, quod nemini sine jactura æternæ salutis scrutari fas sit obtrudere, id nulla excusatione defendi potest. Etenim illi non hoc modo pro impenetrabili mysterio venditant, quod *Deus sit unus, & trinus* quoque, id quod scriptum esse in Sacris Literis censent (tametsi id in Sacris Libris ad literam & expresse scriptum monstrare nequeant, sed per longe petitas consequentias demum ex iis elicere conentur) verum hoc etiam nominatim, quod *Deus sit unus in essentia, & trinus in personis:* quod tamen bene sciunt, in Sacra Scriptura non haberi. Quando enim dicimus, id esse absurdum, & seipsum evertere, quod tres distinctæ personæ unam tantum habeant essentiam, illico respondent, esse Mysterium, quod rationis captum superet. At quo jure illi id mysterium vocant, quod & Scripturæ ignotum est, & in judicio sanæ rationis non potest consistere, nec aliter concipi, nisi tanquam absurdum & seipsum contradictione conficiens. Præterea etiamsi concederetur, è Scriptura probari posse (quanquam id impossibile est) in uno Deo esse aliquid trinum; quid cogit credere, vel quid causa est, ut statuatur, tres personas esse in una essentia? Quidsi quis sibi aliter rem imaginetur, & dicat, in Deo esse unam tantum personam, & tres essentias? quomodo ille refutabitur? Vel si dicat, etsi in Deo sint tres personæ, illas tamen simul sumtas esse tantum unam personam? Cum enim Trinitatis assertores non vereantur ita loqui: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus; cur non liceat alicui etiam sic loqui: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus Sanctus est persona, & tamen non sunt tres personæ, sed una persona? Quid ad hoc dicent? Si dicant, hoc esse impossibile, & contra omnem rationem, ut tres personæ sint una persona: statim in eos possunt propria ipsorum verba retorqueri, ac responderi, id esse Mysterium, de quo judicare nequeat & non debeat ratio.

Sed

Sed ut clarius adhuc pateſcat, quam abſurda ſit hæc diſtinctio eſſentiæ & perſonarum, & quam illi, qui ea utuntur ad ſuæ opinionis defenſionem, nequaquam poſſint effugere hunc graviſſimum errorem, quod unus Deus ſit tres Dii, vel quod una Dei perſona ſit tres perſonæ (quod utrumque manifeſte contradictionem implicat) paulo accuratius expendemus propriam ſignificationem iſtarum duarum vocum *Eſſentiæ* & *Perſonæ*, ac porro etiam hanc, quam illi inter iſta duo faciunt, diſtinctionem.

Primo Eſſentia rei alicujus eſt id, quod res eſt, vel per quod unaquæque res eſt & dicitur id, quod eſt: nihilque aliud eſt, quam propria rei natura, ex qua conſtat. In exemplo, id cujus gratia hoc lignum vocatur lignum, eſt ligni iſtius eſſentia; & id cujus gratia hoc ferrum dicitur ferrum, eſt ferri iſtius eſſentia. Ita etiam id, cujus gratia hic vel ille homo (Petrus, vel Paulus) homo eſt, eſt hominis illius eſſentia, idque nihil aliud eſt, quam humana ejus natura, qua præditus eſt. Simili modo eſſentia quoque Dei Altiſſimi nihil aliud eſt, quam divina ejus natura, per quam & cujus gratia ille Deus eſt.

Hinc jam manifeſtum eſt, primum eſſentiam rei alicujus nihil aliud eſſe, quam rem ipſam, adeoque non poſſe rem ullam abſque eſſentia ſua conſiderari: & rurſus, nullam eſſentiam eſſe poſſe, quæ non ſit certæ alicujus rei eſſentia. Deinde, unamquamque rem, quæ vere exiſtit, ſuam propriam ac ſingularem eſſentiam habere, & plures res diſtinctas & ſeparatas, etiam plures diſtinctas eſſentias habere; vel plures res diſtinctas non poſſe unam tantum habere eſſentiam, & viciſſim unam eſſentiam non poſſe eſſe plurium rerum diſtinctarum. Alioqui dici poſſet, hæc res eſt illa res; hoc lignum eſt illud ferrum; hic panis eſt illa caro; vel hoc lignum eſt illud lignum, hic homo eſt ille homo. Si enim hoc lignum eandem numero eſſentiam haberet, quam habet illud lignum; vel ſi hic homo Petrus haberet eandem prorſus eſſentiam, quam ille homo Paulus habet; liceret dicere, hoc lignum eſt illud lignum, hic homo Petrus eſt ille homo Paulus. Hoc vero quia nemo non abſurdum eſſe agnoſcit, fatendum eſt, unam eſſentiam numericam non poſſe pluribus rebus diverſis eſſe communem.

Secundo conſiderandum nobis eſt, quid nomen Perſonæ denotet. Eſt autem in confeſſo inter eruditos (exceptis paucis, quos præconcepta opinio ad nova effugia quærenda adegit, qua de re cap. ſequenti agetur) Perſonam nihil aliud eſſe, quam ſubſtantiam primam completam intellectu præditam. Bos aut aſinus eſt quidem ſubſtantia prima completa, ita ut non ſit pars alterius rei, ſed quia intellectu caret, ſeu quia non habet eſſentiam rationalem atque intelligentem, ideo perſona non eſt. Homo autem eſt ſubſtantia intelligens ac ratione prædita, idcirco eſt perſona. Sic etiam Angeli, tam mali quam boni, perſonæ ſunt: quia ſunt ſubſtantiæ intelligentes. Eodem modo & Deus perſona eſt, quia eſt ſubſtantia ſumme & perfectiſſime intelligens.

Unde liquet, principio, ubi ſunt plures diſtinctæ perſonæ, etiam neceſſario plures diſtinctas ſubſtantias ſive eſſentias eſſe. Si enim perſona eſt ſubſtantia intelligens, ut ſuperius oſtenſum eſt, utique duæ diſtinctæ perſonæ, erunt duæ diſtinctæ ſubſtantiæ intelligentes, & tres perſonæ erunt tres ſubſtantiæ: & ſic porro. Et quomodo quis poſſet perſonam concipere, quæ non habeat ſuam propriam ſubſtantiam vel eſſentiam? Quod enim caret propria & peculiari eſſentia, id vel nihil eſt, vel pars tantum alterius rei; ut exempli gratia, manus aut pes hominis; vel accidens aliquod rei, ut longitudo in homine, & nigredo in corvo &c. Perſona autem non eſt pars aut membrum ullius rei, non accidens ullum, ſed eſt res ipſa perfecta & complecta per ſe ſubſiſtens, ideoque habet ſuam propriam ſingularem eſſentiam. Cum ergo Trinitarii affirment, in Deo eſſe tres diſtinctas perſonas, videre quilibet poteſt, hac ratione ſtatui in Deo tres diſtinctas eſſentias: præſertim cum ipſi urgeant, quamlibet perſonam non partem tantum divinæ eſſentiæ, ſed integram eſſentiam divinam habere. Atque ita dum tres diſtinctas perſonas in Deo ponunt, eo ipſo revera eſſentiam Dei multiplicant, & trinam faciunt. At ſi ſint tres diſtinctæ divinæ eſſentiæ, ipſimet fatentur, neceſſario ſequi, tres Deos eſſe. Idcirco enim illi contendunt, tres perſonas Deitatis tantum unam habere eſſentiam, ne, ſi tres diſtinctas eſſentias ſtatuerent in Deo, objiciatur ipſis, quod tres Deos habeant ac venerentur.

Dein ex ſupra poſita perſonæ deſcriptione elucet, ubi una tantum eſt ſubſtantia intelligens, ibi etiam unam tantum perſonam eſſe. Ubi enim plures ſunt perſonæ, ibi etiam ſunt plures ſubſtantiæ intelligentes; aut ſi omnes unam tantum eſſentiam habent, dici poterit, unam perſonam eſſe alteram: quod abſurdum eſt. Certe ſi Pater, ut illi volunt, eandem eſſentiam habet, quam habet Filius, Filius erit eadem perſona, quæ eſt Pater. Idem dicendum erit & de Spiritu Sancto, ſi is perſona Deitatis eſt, & eandem habet eſſentiam, quam Pater & Filius habent. Atqui nec ipſi volunt, ut perſonæ confundantur, ut ſupra vidimus in explicatione eorum ſententiæ cap. 1. hujus partis ſecundæ.

Hoc loco id etiam in memoriam revocare oportet, quod ſupra jam attigimus, quod cum ex illorum ipſorum ſententia Deus unam tantum eſſentiam habeat, & quidem non intellectu deſtitutam, ſed eminentiſſime intelligentem, inde ſequatur, eum etiam, vi allatæ à nobis definitionis perſonæ, unam tantum eſſe perſonam.

Ex quibus omnibus hucuſque dictis efficitur, vi diſtinctionis iſtius inter eſſentiam, & perſonas ſequi, Deum eſſe unam perſonam, & eſſe etiam tres perſonas; item eum habere unam tantum eſſentiam, & etiam tres eſſentias. Quam contradictionem tam manifeſtam concilient homines cordati, ſi poſſunt.

Contra hanc tam claram veritatem ſolet vulgo objici: Nos inſcite res divinas rationis noſtræ decempeda metiri velle, & de Deo ejuſque eſſentia judicare ex natura rerum creatarum. In creaturis enim ita ſe rem habere, ut plures diſtinctæ perſonæ etiam ſint plures diſtinctæ eſſentiæ intelligentes, & viciſſim una ſubſtantia intelligens ſit una tantum perſona; at

in Deo, cujus natura & essentia est infinita, ideoque ratione nostra incomprehensibilis, longe aliter se rem habere. Verum unde illi sciunt, quod tam audacter asserunt, hac in parte rem aliter se habere in Deo ejusque essentia? Si in scriptura id legerunt, producant locum, ubi id scriptum sit. Sin tantum nudæ sunt cogitationes humanæ, non possunt id ullo jure hominibus sana ratione præditis obtrudere, quod omnium hominum recta ratio absurdum esse agnoscit. Et cur ipsi hanc distinctionem inter essentiam & personas finxerunt? Cur negant, tres distinctas personas in Deo habere tres distinctas essentias? Cur malunt trium personarum unam tantum essentiam esse statuere? Nempe propterea, quia ad exemplum omnium rerum creatarum concedere cogerentur, tres Deos esse. Nam sic ut tres humanæ personæ sunt tres homines, & tres Angelicæ personæ sunt tres Angeli, siquidem persona quælibet habet propriam suam essentiam; Ita etiam tres divinæ personæ forent tres Dii, si singulis illarum personarum propriam essentiam ac peculiarem attribuerent. Cur vero non etiam hic dicunt: In Deo, cujus natura est infinita & incomprehensibilis, tres divinæ essentiæ non sunt tres Dii, sed unus Deus? Et si alicui ita loqui liberet: Deus est trinus in essentiis, & unus in Deitate; idque infinitate & incomprehensibilitate divinæ naturæ vellet defendere, quomodo eum refellerent? Quare si distinctio ista inter essentiam & personas non est ratione examinanda, & ad infallibilia veritatis principia exigenda, oportet ut eam expresse in Scripturis monstrent, clareque ostendant, ubi hoc sit revelatum, quod in infinita Dei essentia ita se res habeat, ut illi prætendunt. Quanquam nos supra cap. 4. hujus partis secundæ demonstravimus, etiamsi res aliqua claris & expressis verbis in Sacris Literis scripta sit, non esse mordicus adhærendum literali sensui, si ille judicio sanæ rationis absurdus sit, & contradictionem in se contineat.

Atque hæc, de qua modo egimus, distinctio est prima & præcipua basis atque fulcrum doctrinæ de Trinitate: in hac distinctione fundatur id totum, quicquid ex Sacra Scriptura ad hoc dogma adstruendum afferunt. Omnia enim illorum argumenta, quæ sumunt ex Scriptura, eo spectant, ut probent, unum illum Deum summum esse tres personas, & tam Filium & Spiritum Sanctum, quam Patrem esse Deum illum unum. At si hac distinctione inter essentiam & personas carerent, non possent tandem (etiamsi omnia quæ ex Scripturis probare volunt, ultro ipsis concederentur) aliud quicquam concludere, quam alterutrum ex his duobus: Vel, in suprema Deitate tres distinctas personas, & tres quoque distinctas essentias divinas esse, quæ tamen simul junctæ dicantur unus Deus; eo scilicet modo, quo verbi causa tres Senatores constituunt unum Senatum; quem errorem olim hæretici Thitheitæ dicti defenderunt: Vel, unum Deum unicam tantum esse personam, quæ se modo tanquam Patrem, modo tanquam Filium, modo tanquam Spiritum Sanctum patefecerit; qui error quondam fuit Sabellii, & propter eum ab Ecclesia hæreseos damnatus est. Ad hos igitur duos errorum scopulos evitandos inventa est hæc inepta & absurda distinctio inter essentiam & personas in Deo. Verum an hunc finem, quem intenderunt, assecuti sint, Christianus lector ex iis, quæ hactenus à nobis disputata sunt, facile judicabit.

CAPUT VII.

De Dei triplici Existentia, seu tribus existendi modis.

NOn possumus hic prætermittere mentionem alterius etiam admodum insulsi commenti, quod tamen viri quidam alioqui summe docti pro firmissimo tibicine doctrinæ suæ de Trinitate habent.

Ostensum est superiori Capite, quid proprie sit persona, & quæ sit ejus definitio, nempe personam nihil aliud esse quam substantiam primam completam intelligentem. Quæ definitio uti verissima est, & cum definito exactissime congruens, ita etiam omni tempore à doctis omnibus absque contradictione recepta fuit. Quia vero successu temporis, vis veritatis multis Trinitatis professoribus oculos aperuit, ut ipsimet agnoscerent, si hæc personæ definitio admittatur, necessario secuturum, quod tres personæ in Deo, tres substantiæ intelligentes, adeoque tres Dii sint: commenti sunt aliud, & quidem supra quam dici potest, ineptum effugium. Ajunt enim, tres personas in Deo, non esse tres substantias intelligentes, sed tantum tres modos existendi, seu tres existentias unius divinæ essentiæ, id est, Deum Altissimum, qui unam tantum habet essentiam, esse triplici modo Deum Altissimum, primo tanquam Patrem, secundo tanquam Filium, tertio tanquam Spiritum Sanctum: atque hoc triplex esse Dei, esse tres personas Deitatis.

Quod creaturas attinet, fatentur illi, & testatur quoque ratio, imo in rebus visibilibus etiam sensus ipse, quod unaquæque substantia, quoad suam essentiam, & uno eodemque tempore considerata, uti semel tantum sit, ita etiam uno tantum modo sit id, quod est; sitque adeo impossibile, ut una res pluries quam semel existat. Nam si non semel, sed pluries, vel pluribus modis uno tempore existeret, jam non esset una res, sed multæ; tot nimirum, quot sunt vices vel modi, quibus existit. Angelus Gabriel semel tantum & uno modo est Angelus Gabriel. Paulus Apostolus semel tantum & uno modo, non bis, aut ter, non duobus aut tribus modis est Paulus Apostolus. Hic lapis unicus, & hoc unicum lignum, semel tantum & non pluribus vicibus aut modis est hic lapis, & hoc lignum. At in Deo & essentia ejus infinita & increata, inquiunt isti, rem esse aliter comparatam. Unam enim divinam essentiam non esse in Deo uno modo, sed tribus modis, adeoque Deum non semel tantum esse, sed ter Deum Altissimum.

Commentum hoc tam simile est opinioni Sabellii (quem tamen isti homines tanquam hæreticum rejiciunt) quam est ovum ovo. Sabellius enim, ut ad calcem præcedentis Capitis retulimus, sensit, Deum summum esse unam solummodo personam, quæ

quæ se tribus modis revelarit in Scriptura, semel tanquam Patrem, secundo tanquam Filium, tertio tanquam Spiritum Sanctum. Si vero id quod ab istis hominibus dicitur, non est Sabelliano modo intelligendum, revera effugium hoc est obscurissimum, & tam intricatum, ut verbis satis explicari nequeat.

Possemus autem supersedere à labore excutiendi & refutandi hujus figmenti, cum sit tam insulsum, ut etiam plerique Trinitariorum id concoquere & tolerare nequeant, ideoque id proferre erubescant, imo id prorsus rejiciant. Attamen ut pateat, quantam confusionem homines isti in simplici cognitione Dei invehant, dum omnem movent lapidem, ut suam præconceptam sententiam tueantur, paucis juvat assertionis istius futilitatem ostendere.

Jure merito autem postulamus ab hujus commenti auctoribus, vel patronis, ut vel umbra aliqua rationis monstrent, rem ita in Deo se habere, uti dicunt; quod nimirum una Dei essentia, quam ipsi simplicissimam esse fatentur, non semel, sed pluries sit Deus, & quidem non bis vel quater, sed ter. An scriptura alicubi ita loquitur? An Deus sese ita in verbo suo manifestavit? An forte testatur de eo lumen naturale humanæ rationis? Atqui agnoscunt ipsi, præter Deum, omnes reliquas res in cœlo & in terra existentes, respectu essentiæ suæ, & respectu ejusdem temporis, semel tantum existere; quo fundamento igitur, vel qua de causa ratio humana sibi Deum aliter imaginari potest? An propterea res aliter in Deo est, quia divina essentia increata est & infinita? At quid solidi habet talis collectio: Essentia Dei est increata & infinita; Ergo ter, sive tribus modis existit? Quæ hic est consequentia? Quis inter conclusionem & medium, quo probatur, nexus? Equidem meliori jure contrarium posset inde concludi, quod etsi in aliis rebus fieri posset, ut una res non semel, sed pluries existeret, Deus tamen necessario semel tantum & uno modo, non pluribus existat, quia essentia ejus est increata ac infinita, & Deus quicquid ad summam perfectionem ejus requiritur, per unum existendi modum habere potest, adeo ut ei pluribus existentiis, seu existendi medis non sit opus.

Ad hæc, si Deus propter infinitatem essentiæ suæ pluries existere potest, nihil causæ est, cur ter tantum, & non infinities existat. Imo si quælibet persona Trinitatis, ut hi volunt, est unus ille Deus Altissimus, habetque in se totam essentiam divinam; nihil afferri potest causæ, cur non quælibet persona etiam pluries, imo infinities existat. Quæ infinitæ existentiæ trium personarum & ipsæ quoque personæ divinæ forent, quarum quælibet totam haberet divinam essentiam, & rursus quælibet earum infinities existeret. Sic ergo Deus juxta hanc sententiam non tantum semel infinities, sed infinitis modis infinities Deus existeret. Quæ infinities infinitæ existentiæ omnes personæ Deitatis essent.

Præterea hoc commento evitari nihilominus nequit id absurdum, cujus evitandi causa potissimum illud est inventum; quod nimirum ex sententia de tribus distinctis in Deo personis sequatur, tres Deos esse. Si enim Deus vere tribus distinctis vicibus, seu modis existit, estque adeo tres personæ, quarum quælibet habet totam divinam essentiam, & quarum quælibet potest ac debet Deus dici, tum necessario sequitur, Deum esse tres Deos. Quando enim res aliqua uno tempore ter vel tribus modis existit, tunc non est una res, sed tres res. Ita ut, si rem ipsam spectes, revera unum & idem sit, sive dicam: *Deus est ter, vel tribus modis*; sive, *tres sunt Dii*. Hoc tantum interest, quod posterius istud verbis efferatur, quæ intelligi possunt, prior autem locutio nullum sensum habeat, nisi absurdum & irrationalem, qualis locutionis exemplum neque in Scriptura, neque in familiari aut communi sermone datur.

Cæterum ex hoc inutili ac vano commento hæc tamen nascitur ad confirmandam veritatem utilitas, quod qui primi inventores ejus fuerunt, eo ipso clarum testimonium præbuerint, jure ex ipsorum sententia de tribus Deitatis personis colligi, tres Deos esse. Nullam enim illi aliam causam habuerunt hoc effugium comminiscendi, quam quod vi veritatis cogerentur fateri, si persona in Deo sit substantia intelligens (quæ est propria personæ definitio) necessario secuturum, quod tres personæ tres Dii sint. Cum vero plurimi, imo plerique è Trinitariis ipsis hoc effugium de trina Dei existentia repudient, ac veterem personæ definitionem retineant, hoc nobis novi hujus commenti inventores perhibent testimonium, quod plerique Trinitariorum revera tres Deos colant.

CAPUT VIII.

De circumincessione, id est, de mutua & tamen impermixta distinctarum personarum Trinitatis in se immanentia.

SEquitur tertium sententiæ de Trinitate fundamentum. Nimirum quia hæc sententia postulat, ut omnes tres personæ Deitatis unam tantum eandemque numero essentiam habeant, & tamen distinctæ personæ maneant: homo sanæ mentis, qui non cæca fide, sed rationali cognitione id vult comprehendere, non potest id aliter concipere, quam quod essentia divina in tres partes divisa sit, quarum singulas singulæ personæ possideant. Unde porro sequeretur, non quamlibet personam seorsim, prout illi volunt, sed omnes tres personas simul sumtas demum unum illum Deum Altissimum esse: singulas autem personas esse partes tantum aut membra Dei Altissimi. Hic error igitur ut vitetur, adhuc aliud ingens mysterium tenendum est, & absque omni disquisitione credendum. Id autem vocatur Græce περιχώρησις, Latine, (quanquam nec Latine satis) circumincessio, seu immanentia, quæ est mutua personarum penetratio, & unius personæ in altera, ac vicissim hujus in illa existentia. Vide Gerhardi locos comm. Tom. 1. de tribus Elohim cap. 6. sect. 29.

Cum Christus ad discipulos suos veniret, clausa janua, multi existimant, januam non fuisse apertam ac reseratam, sed mansisse occlusam. Nolunt autem

tem, Christum per aliquod foramen exiguum, aut per rimam introiisse: hac ratione enim naturale corpus ejus, qui ex carne & ossibus constabat, protensum fuisset in longitudinem fili instar, vel in latitudinem instar loci. Neque etiam hoc sibi volunt, corpus Christi factum esse instar retis aut cribri, quod per aquam trahitur, ubi aqua in tot particulas dividitur, quot foramina sunt in reti vel cribro. Sed statuunt, corpus Christi mansisse integrum ac indivisum, etiam externa figura retenta, & sic transiisse ac penetrasse per januam, similiter integram & indivisam manentem. Quemadmodum igitur sententiæ istius vi intelligendum est, Christi corpus, dum penetraret januam, in ipsa janua, & januam vicissim in corpore Christi fuisse, & quidem ita, ut etiam minima pars januæ in minima parte corporis Christi, & rursus minima pars corporis Christi in minima parte januæ lateret, & tamen neque corpus Christi, neque janua in minutas illas partes divideretur: eodem modo etiam in doctrina de Trinitate hæc mutua personarum inexistentia concipienda est; quod nimirum tres Deitatis personæ indivisæ in se invicem maneant, & una alteram in se totam contineat, ac vicissim ab altera quoque tota contineatur & includatur. Quod sublime & omnes hominum cogitationes transcendens mysterium Augustinus Lib. 6. de Trinit. cap. ult. ita declaravit: *Singula*, inquit, *sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus. Unum omnia.* Quod ita intelligendum est: primo, *Unaquæque persona est in unaquaque persona*, id est, Pater est in Filio & Spiritu Sancto; Filius est in Patre & Spiritu Sancto; Spiritus Sanctus est in Patre & Filio. Deinde *omnes personæ sunt in qualibet persona*, id est, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, seu tota Trinitas est in Patre, est item in Filio, & denique in Spiritu Sancto. Tertio *qualibet persona est in omnibus personis*, id est, Pater est in tota Trinitate, & Filius est in tota Trinitate, & Spiritus Sanctus est in tota Trinitate. Quarto *omnes personæ sunt in omnibus personis*, id est, tota Trinitas est in tota Trinitate. Ita *omnia sunt unum*, id est, omnes personæ habent unam essentiam. Hoc autem totum intelligi debet, ut Damascenus lib. 1. Orth. fid. cap. 19. monet, *absque contractione, commixtione, & confusione*; id est, ne credatur personas inter se esse ita contractas & compressas, quemadmodum fieri solet, quando duæ res sunt æqualis magnitudinis, & una in alteram vi quasi pressa intruditur; item ne putetur personas inter se permutari atque confundi, ut vel Pater fiat Filius, vel Filius fiat Pater.

Quomodo vero hic homo rationalis, cui est mens sana in corpore sano, qui non fungum pro corde, non peponem pro capite gerit, se ex isto labyrintho expediet, ubi ex uno absurdo aliud nascitur, & nova subinde crescit dubitandi materia? Primum enim difficile prorsus intellectu est, imo impossibile, quomodo persona una in altera possit vere & essentialiter existere, & vicissim hæc altera existere in illa prima. Sed hoc adhuc difficilius est, percipere, quomodo una persona sit in secunda & tertia, rursusque secunda & tertia sit in prima, & porro tertia & prima sit in secunda; imo omnes tres sint in qualibet, & simul etiam in omnibus. Potest quidem concipi (ut rem vulgari & crasso exemplo illustrem) quomodo butyrum in pultibus sit, & pultes in butyro. Grana enim pultis natant in butyro, butyrum autem non est in granis, sed circa grana & inter grana. Ac hoc concipi nequit, quomodo vinum in cantharo, & cantharus vicissim in eodem vino esse possit, quod in se continet. Adhuc vero minus concipi ac comprehendi potest hæc mirabilis personarum circumincessio ac immanentia.

Secundo qui fieri potest, ut sibi quisquam imaginari possit, per ejusmodi internam & mutuam personarum immeationem, personas non confundi, ita ut Pater fiat Filius, & Filius fiat Pater? Si verum esset, quod Christus eo modo, ut ante dictum est, per clausam januam ingressus sit, posset id citius concipi, quod tunc janua non fuerit corpus Christi, neque corpus Christi fuerit janua, (quanquam & hoc difficulter potest capi) quia etiam in ista penetratione corpus Christi suam habuit peculiarem essentiam, & janua itidem suam retinuit. Sed quod personæ Trinitatis non solum invicem alia in alia contineatur, & includatur, sed etiam unam nihilominus & eandem essentiam omnes habeant, & quidem ita, ut interea neque inter se confundantur ac permisceantur, neque essentia dividatur, sed personæ distinctæ, essentia vero indivisa maneat: id non humano tantum, sed & Angelico intellectui est captu impossibile. Nihilominus tamen, qui talem permistionem personarum, vel divisionem essentiæ mente concipit, is ex sententia Symboli Athanasiani æternum damnabitur.

Tertio si in qualibet persona est tota Trinitas, prout paulo ante citatus Augustini locus docet, tum erunt tres Trinitates, una in Patre, altera in Filio, tertia in Spiritu Sancto, sicque erunt novem personæ Deitatis, & loco Trinitatis erit Nonitas. Quodsi rursus istæ novem personæ ita sibi mutuo in existant, ut, Augustino dicente, omnes simul sint in qualibet, tum erunt novies novem, id est, octuaginta personæ & una. Imo hac ratione fient innumerabiles & in finitæ personæ.

Quarto si quælibet persona est in tota Trinitate, & vicissim tota Trinitas est in qualibet persona, & in tota Trinitate; sequitur, Patrem esse in Patre, Filium in Filio, & Spiritum Sanctum in Spiritu Sancto, id est, quamlibet personam esse in seipsa. Quæ locutio quid significet nemo hominum intelligit.

Quinto, si verum est, quod isti homines firmiter credunt, secundam personam Trinitatis vere de cœlo descendisse, & humanam naturam assumsisse, & tertiam personam, id est, Spiritum Sanctum apud Jordanem in specie columbæ super Christo, tanquam super secunda Trinitatis persona apparuisse, primam autem personam, nempe Patrem in cœlo remansisse; utique tunc personæ à se invicem digressæ ac sejunctæ fuerunt, nec mutuo in se inextiterunt, quemadmodum & corpus Christi à janua sejunctum erat, cum Christus jam esset in conclavi. Quod si ita est, debent agnoscere homines isti, tunc saltem aliqua ex parte divisam fuisse divinam essentiam, adeoque apud Jordanem neque Patrem, qui

de cœlo

de cœlo loquebatur, neque Filium qui stabat in Jordane, neque Spiritum Sanctum, qui inter Patrem & Filium medius volabat, tam perfecte, quam alias, Deum illum unum fuisse: quandoquidem eorum singuli non totam divinam essentiam, sed partem ejus tantum, in se habuerint. Nam ob id ipsum docent illi, personas ita mirifice esse inter se implicatas, ne si quis eas à se invicem disjunctas ac separatas, uti alias personæ esse solent, conciperet, simul etiam divisam eorum essentiam animo conciperet, atque sic æternam damnationem incurreret.

Etsi vero tam irrationale & tam stultum sit istud commentum, tamen homines isti credunt, mysterium istud expressis & claris verbis contineri in Sacris Literis, ubi nimirum Christus Joh. 10. 38. XIV. ℣. 10. testatur, se in Patre esse, & Patrem in se. Verum istis verbis tam absurdum mysterium à Christo non doceri, inde deberent merito agnoscere, quod Christus apud eundem Johannem etiam de discipulis suis aliisque fidelibus simili loquatur modo. Nam Joh. 17. 20. & seq. ita Patrem suum invocans ait: *Non tantum pro istis rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, me à te missum esse. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, &c.* Sic etiam Johannes scribit 1 Epist. 3. 24. *Qui observat ejus præcepta, in ipso habitat, & ipse in eo.* Jam si hac locutione circumincessio & essentialis personæ unius inexistentia in altera denotaretur, dicendum esset, quamlibet personam Trinitatis, imo totam Trinitatem etiam in quolibet fideli & in omnibus fidelibus simul existere, ac rursus quemlibet è fidelibus, & simul omnes fideles existere in singulis personis Trinitatis, & in tota quoque Trinitate. Quod mysterium isti homines non magis admittent, quam nos eorum admittimus. Quare probabilius & veritati magis consonum est, dicere, quod isto loquendi modo significetur arcta & intima conjunctio atque unitas voluntatis & amoris, quæ est inter Christum & Patrem ejus cœlestem, nec non inter Christum & ejus fideles: prout in textus explicatione ad Johannem fusius ostendimus.

CAPUT IX.

De Distinctione inter Deum Essentialem & Personalem.

QUartum fundamentum doctrinæ de Trinitate, quod ad ejus tum explicationem, tum defensionem necessarium est, consistit in mirabili admodum distinctione ac duplici acceptione nominis *Dei*, quatenus id de Deo Altissimo usurpatur. Ajunt enim, nomen *Dei* in Sacris Literis, nonnunquam *essentialiter*, nonnunquam vero *personaliter* accipi; id est, quando nomen Dei de singulis personis Deitatis prædicatur, tunc id sumi personaliter, & significare unam tantum divinam personam, illam nempe de qua agit subjecta materia: quando autem simpliciter & sine designatione certæ personæ ponitur, tum id accipi essentialiter, & denotare totam divinam essentiam, seu totam Trinitatem. Ut cum scriptura dicit, unum esse Deum, vel, Deum creasse cœlum & terram; tum inquiunt, nomen Dei totam divinam essentiam, vel totam Trinitatem designare. At cum dicit, Pater est Deus; tunc ajunt, nomen Dei non totam Trinitatem, sed tantum primam personam significare. Similiter cum Christus vocatur Deus, non totam Trinitatem voce Dei indicari dicunt, sed tantum secundam Deitatis personam.

Occasio & origo hujus distinctionis inde est, quod asserant, unicam divinam essentiam esse trinam in personis, & tamen simul dicant, quamlibet personam Trinitatis habere totam in se divinam essentiam: unde vident consequi, quod quælibet persona trina in personis sit. Ita enim ex illorum sententia argumentari licet: Unus ille æternus Deus est trinus in personis. Pater est unus ille æternus Deus. Ergo Pater est trinus in personis. Atque idem concludi etiam de Filio & Spiritu Sancto potest. Porro cum Filius etiam eandem essentiam divinam habeat, sequitur, etiam totam divinam essentiam, id est, totam Trinitatem ab æterno esse genitam, & totam Trinitatem de cœlo descendisse, humanamque naturam assumsisse. Videntes igitur, se ita irretitos, & istis laqueis esse impeditos, cum aliam se extricandi & expediendi viam non haberent, hanc mire ineptam nominis *Dei* distinctionem excogitaverunt.

Sed ut taceam, quod ne minimum quidem indicium hujus distinctionis in Sacra Scriptura reperiatur, tantum abest, ut isti homines hac ratione se ex istarum tricarum laqueis expediant, ut potius magis magisque iis constringantur. Si enim, verbi gratia, Filius totam habet essentiam divinam, ut illi statuunt, & propter hanc ipsam causam unus Deus summus appellatur, quia habet totam divinam essentiam; nulla est ratio, cur nomen Dei, quando Filio tribuitur, non debeat essentialiter sumi, id est, eo sensu, quo totam divinam essentiam denotat. Deinde hoc pacto symbolum Athanasii plenum erit sophismatum & fallaciarum, ad decipiendos homines simplices ambigua significatione vocabuli *Dei* instructum. Cui enim ex idiotis in mentem venire possit, nomen *Dei* modo tali, modo alia significatione accipi debere? An possit ullus è rudioribus cogitare, Patrem Jesu Christi, quando Deus dicitur, non esse Deum illum, qui creavit cœlum & terram? si enim Deus ille, qui creavit cœlum & terram, trinus est in personis, Pater autem non est Deus ille, qui trinus est in personis, (non enim est essentialiter Deus, sed tantum personaliter) sequitur, Patrem non esse illum Deum, qui creavit cœlum & terram. Quod sane omnem religionem ac cultum divinum tollit. Ulterius, quando dicunt, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, cur addunt ista verba, *& tamen non sunt tres dii, sed unus Deus*? Nonne id propterea faciunt, ne quis, præsertim simpliciorum, inde concludat, esse tres Deos? Quo significatu? Nimirum eodem, quo prius dictum erat, Pater

est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. At si hîc uno eodemque sensu sumatur nomen Dei, nulla causa est, cur adjiciant verba ista: *Et tamen non sunt tres dii, sed unus Deus.* Nihil enim in eo absurdi est, etiamsi dicatur, esse tres Deos, si nimirum nomen Dei non essentialiter, sed personaliter accipiatur, id est, in ea significatione, qua non tota divina essentia, sed una tantum persona divinitatis designatur: qua significatione hoc nomen in scripturis sæpius accipi, homines illi contendunt. Imo nihil absurdi foret, etsi diceretur, esse quatuor Deos, unum Deum essentialem, qui trinus in personis est, & tres Deos personales, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Neque sane video, quomodo is convinci ac refutari posset, qui vi hujus dogmatis, quatuor Deos, ita ut dictum est, credere vellet. Parte enim, exempli gratia, non est is ipse Deus, qui est trinus in personis: (alioqui in esset tota Trinitas.) Ergo necesse est, Deum illum, qui trinus est in personis, alium esse, quam Patrem, ac porro etiam alium quam Filium, & Spiritum Sanctum. Atque hoc non esse absurdum, clarissime ac disertissime testatur Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui inter subtilissimos & acutissimos Doctores Scholasticos habetur, vixitque Anno Christi 1161. Is lib. 1. distinct. 5. lit. A. B. expresse docuit quaternitatem in Deo. Primo ponit essentiam divinam, quæ nec generat, nec generatur. Deinde Patrem, qui generat. Tertio Filium, qui generatur. Quarto Spiritum Sanctum, qui ab utroque procedit. Quæ ipsius sententia ab universo Concilio Lateranensi Anno 1215. recepta ac confirmata, liber vero Joachimi Abbatis Florentini, quem ille contra hanc Lombardi sententiam conscripserat, condemnatus est. Verum de his alibi plura, si Deus concesserit.

CAPUT X.

De Distinctione inter essentialem, & Personalem Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

QUintum doctrinæ de Trinitate stabilimentum est, etiam nova rursus & mirifica distinctio. Solent enim homines illi supra dictam distinctionem non solum in nomine Dei, sed etiam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti adhibere. Quando enim claris scripturæ testimoniis premuntur atque urgentur, quibus solus Pater verus Deus, vel unus ille Deus dicitur, nec suppetit ulla alia elabendi via, tum dicunt, nomen *Patris* in rebus divinis dupliciter sumi, aliquando *essentialiter*, ita ut totam Trinitatem significet, aliquando *personaliter*, ut prima tantum persona Trinitatis eo intelligatur.

Verum præterquam quod nullum exemplum talis significationis è scriptura proferri possit, neque ostendi, ubi vel nomen Patris, vel nomen Filii, vel nomen Spiritus Sancti totam denotet Trinitatem; per se etiam perquam absurda est hæc distinctio. Nam si nomen Patris totam Trinitatem significaret, significaret etiam Filium. At hoc nemo non videt, absurdissimum esse. Deinde consideretur, obsecro, in quem intricatissimum labyrinthum homines simplices iterum hac distinctione inducantur. Supra enim capite præcedenti, ut vidimus, asseruerunt, hæc nomina Patris, Filii, & Spiritus Sancti esse notas ac signa, è quibus cognoscendum sit, quando nomen Dei personaliter, & non essentialiter sit accipiendum: siquidem quodlibet istorum nominum unam tantum personam, & non totam essentiam divinam denotet. Si autem nomen *Patris* interdum etiam totam essentiam Deitatis, seu totam Trinitatem denotare debeat, jam nota illa & signum erit falsum, poteritque tunc etiam nomen Dei, etsi Patri additum sit, non personaliter, sed essentialiter sumi. Quid igitur certi est in hac distinctione? Hoc certe non est sacram scripturam explicare, sed potius clarum scripturæ sensum obscurare, dubiumque ac incertum reddere, & idiotarum intellectum sub specie singularis sapientiæ conturbare, imo ad desperationem de salute adducere. Quomodo enim potest idiota certum fidei, ac porro & salutis fundamentum in scriptura habere, si Deus salvificam cognitionem suam tam ambiguis ac dubiis verbis proposuit, ut illa modo ita, modo aliter, modo in nativo suo sensu, modo in prorsus inusitato & absono sensu accipienda sint? Qui fieri potest, ut hoc pacto homo indoctus errorem evitet, & damnationem effugiat? Nam si, verbi gratia, legat apud Paulum Apostolum, *Nobis unus tantum est Deus* (intellige summus) *Pater ille, ex quo omnia* 1 Cor. 8. 6. quomodo ille intelliget, nisi forte per aliquam supernaturalem revelationem, Patrem ibi non Patrem Jesu Christi, sed totam Trinitatem significare? Quodsi vero hanc significationem ignoret, tum credet, Apostolum solum Patrem Jesu Christi appellare unum illum Deum summum: qui error ex hominum istorum mente damnabilis est.

CAPUT XI.

De Filii Dei æterna generatione ex essentia Patris.

SEquitur sextum doctrinæ de Trinitate columen, quo sustentatur atque innititur. Nempe cum hoc dogma postulet, ut Filius Dei æque ac Parer pro Deo summo habeatur, sequitur necessario, generationem istam, qua Pater Filium produxit, ab æterno esse factam. Si enim Filius certo demum tempore à Patre esset genitus, non posset esse Deus summus, quia non esset ab æterno. At ubi iterum de hac æterna generatione ullum est in Sacris Literis vestigium? Ostendatur vel unicus locus, ex quo, si non claris verbis, saltem per legitimam consequentiam illa probari possit. Supra cap. 3. Partis 1. in expositione primævæ Apostolicæ doctrinæ de Filio Dei, præcipuas causas, ob quas Christus Filius Dei dicitur, ex sacra scriptura enumeravimus. Prima est, quod nullum alium Patrem, præter Deum, habuerit, qui eum per Spiritus Sancti sui virtutem in utero Virginis Mariæ produxit. Secunda est, quod

quod eum Pater sanctificavit, & in mundum misit. Tertia, quia eum Deus resuscitavit à mortuis. Quarta, quia eum Deus ad dexteram suam collocavit in cœlis. Jam vero hæc omnia cum Christo gesta sunt in tempore, non ab omni æternitate. Quodsi præter has enumeratas causas adhuc alia sublimior & excellentior datur, ob quam Christus Filius Dei vocetur, quæque æternam ejus ex essentia Patris generationem indicet, monstrent nobis eam in sacro Codice. Loca enim illa, quæ ab ipsis produci vulgo in hunc finem solent: nihil minus, quam hoc, quod illi volunt, demonstrant: ut ex eorum explicacione in hoc tractatu patebit.

Neque vero adversarii nudis hac assertione de æterna generatione Filii Dei contenti sunt, sed progrediuntur ulterius; & exquisite atque examussim describunt istius generationis circumstantias ac modum. Nimirum antiqui Doctores, quos illi Patres vocant, qui dogma Trinitatis primi fabricati sunt, cum viderent, sententiam de sempiterna generatione Filii Dei neque in Sacri Literis ullum habere solidum fundamentum, neque in judicio sanæ rationis posse consistere, sed contradictionis damnari: ut tamen speculationes suas aërias, quas omni virium conamine sibi defendendas sumserunt, aliquo veri colore ac specie commendarent, tale figmentum, quale mox exponemus, architectati sunt: Inquiunt enim, Patrem genuisse Filium, seipsum contemplando & intelligendo, Patrem autem & Filium produxisse Spiritum Sanctum se volendo & amando. Vide Gerhardi loc. comm. Theol. Tom. 1. de tribus Elohim cap. 8. sect. 47. Becani summ. Theol. Schol. pag. 71. quæst. 2. Keckermanni Syst. Theol. lib. 1. cap. 3. Quod ut rectius percipiatur, hominum istorum sententiam explicatius proponemus.

Duæ sunt in Deo potentiæ, quarum operatio in Deo peragitur, & in eo manet, intellectus, & voluntas. Deus enim seipsum & intelligit, &, ut summum bonum, vult atque amat. Ex his duabus potentiis, sive mavis ex earum operatione hoc pacto eliciunt illi secundam & tertiam Trinitatis personam. Intellectus, ajunt, quicquid intelligit ac considerat, id nonnisi per imaginem intelligit ejus rei, quam intelligit. Cum enim res ipsa, quæ intelligitur, non sit in intellectu, necesse est, ut intellectus formet sibi aliquam rei istius imaginem seu ideam, in qua rem illam contempletur atque consideret. Quare cum Deus ab omni æternitate seipsum intellexerit, oportet eum sui ipsius imaginem ab omni æternitate etiam concepisse, ut se ipsum in ea contemplaretur, sive, per eam intelligeret. Hanc vero imaginem necessario esse Deum ipsum dicunt. Nam & quicquid est in Deo, id Deum esse statuunt, ob summam essentiæ ipsius simplicitatem; & imaginem istam Dei infiniti, infinitam esse oportere. Nihil vero esse infinitum, præter Deum. Necesse autem simul esse docent, ut illa imago persona sit, & quidem distincta ab eo, qui ipsam produxerit: alias seipsum produxisset Deus. Unde tandem concludunt, eam esse Dei Filium: quia & producta sit, & producenti, ut pote ejus imago, similis, & substantia cum illo eadem. Porro autem, quia Deus seipsum cognitum, suamque illam, quam intelligendo produxerit, imaginem amet, & ab ea vicissim ametur, hunc ipsum voluntatis actum inquiunt tertiam divinitatis personam constituere. Siquidem & in Deo sit ille amor, & infinitus; ac porro non minus, quam imago illa ab intellectu producta, Deus. Persona autem necessario esse distinctum ab iis, à quibus sit productus.

Hoc scilicet est magnum illud mysterium de origine secundæ atque tertiæ divinitatis personæ, quod nobis primi Patres Ecclesiastici revelarunt, hodie autem (quod merito mireris) à plerisque Trinitatis assertoribus, sacrosancte adoratur, & absque ullo rationis scrutinio credendum proponitur. Hic vero illi, qui assidue rationem in divinis cæcam esse clamitant, qui ex ea adversus Trinitatem disputari nolunt, qui illud, ad nauseam usque crepant, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria*; hic, inquam, exclamare deberent, rationem cæcam esse; de istis, qui talia arcana pandunt dicere deberent, eos scrutari velle Majestatem, & crimine læsi Numinis sese obstringere, dum tam ineffabilia & majora humano intellectu mysteria, mortali lingua eloqui tentant. Quam alto enim hæc omnia sunt suppressa Sacrarum Literarum silentio? Quam ne litera quidem aut jota ullum de iis in toto Scripturæ Sacræ volumine reperitur? Quamque aliena sunt ista ab iis, quæ de Filii ex Deo generatione in eadem scriptura apertissimis verbis traduntur.

Sed operæ pretium tamen est ut hoc mysterium ad lydium veritatis lapidem revocemus, & videamus, cum scriptura de eo taceat, annon saltem in ratione aliquod habeat fundamentum. Primum vero mirari subit, homines istos se tam præpostere hic gerere. Nam dum simplicitatem essentiæ divinæ ita urgent, ut quicquid in Deo est, Deum esse velint, interim autem plures in eum personas invehunt, &, si vim sententiæ spectes, infinitas, ut mox monstrabitur; ea ipsa ratione simplicitatem illam penitus convellunt, & non obscure innuunt, Deum ex infinitis rebus esse compositum. Sed gravius illud est, quod dum simplicitatis tantam rationem habere velle videntur, omnemque à Deo compositionem removere student, de qua tamen simplicitate Sacræ Literæ silent, ut pote ad salutem scitu haud necessaria, & simplicioribus plane incognita, unitatem tollunt Dei, quam Sacræ Literæ toties tamque aperte inculcant.

Secundo historia ista de æterna generatione Filii, & processione Spiritus Sancti, hominem eam prudenter expendentem in tantos anfractus deducit, ut nihil aliud ex ea possit colligere atque intelligere, quam Filium & Spiritum Sanctum tum seipsos, tum alter alterum, tum denique Patrem ipsum genuisse ac produxisse; imo istas tres personas non modo seipsas, sed & alias innumeras personas progenuisse. Nam si eadem numero est Patris & Filii essentia, ac porro etiam intellectus; eadem quoque numero est intellectus operatio: præsertim quia acutiores Trinitarii, ob summam essentiæ Dei, simplicitatem, idem esse volunt intellectum ipsius, & intellectionem, seu intellectus actum atque operationem. Itaque si intellectus operatione Pater genuit Filium,

Filius

Filius quoque, cujus eadem fuit operatio, seipsum genuit. Quin etiam Spiritus Sanctus genuit Filium illum Dei ab æterno existentem, & sic Pater est Filii, & principium sui principii. Eadem enim intellectione, una cum Patre & Filio, seipsum essentiamque suam, & simul etiam Patrem ipsum ac Filium ab omni æternitate intellexit ac contemplatus est. Et deinceps, quia eodem voluntatis actu, Spiritus Sanctus una cum Patre & Filio voluit atque amavit: quicquid illi volunt atque amant; si voluntatis quidam actus est Spiritus Sanctus, seu quippiam à Patre & Filio per voluntatis operationem productum, seipsum quoque produxit Spiritus Sanctus.

Tertio cum persona quævis & seipsam & cæteras intelligat, easdemve cupiat atque amet, necesse est, ut quævis iterum plures & Filios, & Spiritus Sanctos producat, si illa sunt vera, quæ de divina intellectione & amore illi nobis dictitant. Etenim diversam adeoque dissimilem oportet esse imaginem Patris, qua Pater est, & Filii, qua Filius est, & Spiritus Sancti, qua talis. Pro imaginum autem illarum diversitate ac multitudine, orietur etiam multitudo actuum voluntatis & amoris, quo personæ singulæ complectuntur illas imagines, & vicissim imagines illæ personas, à quibus productæ sunt, seque etiam ipsas singulæ, & denique se invicem prosequuntur. Quare si & imagines illæ per intellectum productæ, & illi voluntatis actus in Deo personæ sunt, vel saltem personarum diversarum principia; personæ in infinitum multiplicabuntur. Sic habebimus non amplius tres personas, sed infinitum numerum personarum in Deo. Imo si quicquid est in Deo, Deus est, ut illi statuunt, aliunde quoque plurimæ divinæ nascentur personæ. Cum enim dicant, Deum non aliter quam mediante imagine, quæ personæ sit, omnia intelligere; Deus autem intelligat omnes res creatas: sequitur, tot esse in Deo imagines ac proinde personas, quot sunt creaturæ, & res singulæ, quas intelligit. Similiter cum asserant, ex amore qui est inter Patrem & Filium, personam Spiritus Sancti esse productam; Deus autem amet omnia creata; ex hoc amore quoque infinitas personas productas esse necesse est, quæ omnes Deus ipse sint, personis tantum ab eo differant.

Ex hoc commento de generatione æterna Filii Dei, fluit adhuc alia absurdissima omnique rationi ac scripturæ contraria sententia, quam tamen multi Trinitatis defensorem aperte profiteri non verentur, & tanquam certam veritatem atque ingens mysterium plurimi faciunt: ii præsertim, qui Filium per intellectionem à Deo generatum ajunt. Sententia autem illa est, quod Filius Dei adhuc perpetuo generetur, & in æternum generabitur. Cum Deus nunquam desinat seipsum contemplari & intelligere, nunquam etiam desinit Filium, suum generare. Sic ergo Pater ab æterno est in actu generandi Filium, eumque in æternum continuabit. Imo Deus non potest unquam finem facere isti generationi, quia non potest cessare ab actu seipsum intelligendi. Qui vero nondum natus est, neque in æternum nascetur, de eo dici non potest, eum revera esse in rerum natura, aut unquam fore. Qui enim nascitur seu generatur, per generationem accipit essentiam suam: qui autem nondum natus est, & nunquam nascetur, ille etiam nunquam essentiam suam accipiet, adeoque nunquam erit. Itaque vi hujus sententiæ unica tantum actu extitit ab æterno persona Deitatis, nec unquam plures existent: siquidem secunda persona, quam Filium esse volunt, nunquam nascetur, & tertia quoque persona Spiritus Sanctus nunquam producetur, quia amor Dei, ex quo producendum esse ajunt Spiritum Sanctum, nunquam cessabit, nec finem habebit. Quodsi vero Filius Dei nondum est genitus, & nunquam erit in rerum natura, ergo periit omnis spes nostra, quam per ipsum in Deo collocamus; ergo non Filius Dei, sed alius quispiam Fœdus gratiæ nobiscum pepigit; ergo non Filius Dei nos redemit, & morte sua viam ad salutem nobis aperuit.

Alii, ut æternam istam generationem Filii Dei teneant, eo confugiunt, ut dicant, generationem illam Filii Dei similem esse generationi rerum, quæ per emanationem producuntur: quo pacto lux vel radii à sole emanant. Finge, inquiunt, solem ab æterno extitisse; ab æterno eum lucem ac radios generasse necesse erit, & sic radios licet generatos, ab æterno tamen extitisse. Jam vero Dei Filium per emanationem à Patre genitum esse ajunt: dum is seipsum intelligit, & sui ipsius concipit imaginem; quæ actio perpetuo duret.

Verum nihil isto commento proficiunt. Nam, ut præteream, ignotam esse prorsus Sacræ Scripturæ hanc narrationem, animadvertendum est, hoc loco de proprie dicta generatione sermonem esse: nam & illi ipsi homines contendunt, generationem Filii Dei veram ac proprie dictam generationem esse. At de luce & radiis solis proprie dici nequit, eos generari. Sunt enim accidentia, non substantiæ: accidentium autem proprie dicta generatio non est. Deinde quæ per emanationem quodammodo generantur, non habent essentiam perfectam ac consistentem, sed eorum esse, ut loquuntur in scholis, est in fieri, hoc est, eo ipso tantum sunt, quod fiant, ac transeant; & præterea in iis pars una post alteram generatur. Habent enim partes successivas, quarum una præcedit, altera subsequitur; & illa quæ generatur, antea non extiterat, & quæ semel est generata, quia suum esse jam accepit, non generatur amplius, sed alia, quæ nondum extiterat. Quare si etiam lux perpetuo à sole generatur, alia subinde atque alia pars successiva generatur. Alias si tota secundum omnes partes unquam extituras semel producta esset, non generaretur jugiter, sed tantum semel producta conservaretur. Ex his apparet, non posse Filium Dei per emanationem jugem generari: quia si hoc modo generaretur, substantiam non haberet perfectam ac permanentem, sed transeuntem, & per partes successive generaretur, quarum aliæ evanescerent, aliæ nascerentur; quod quam absurdum sit, quis non videat? Taceo quod hac ratione Filius Dei non possit esse Deus Altissimus: quia quicquid per emanationem sive perpetuam, sive non perpetuam generatur, ejus essentia ab eo pendet, à quo emanat. Dei autem Altissimi essentia à nullo pendet. Itaque dato etiam, non tamen concesso, isto æternæ generationis Filii Dei modo, nihilominus Filius Dei Deus Altissimus esse non posset.

CAPUT XII.

De operibus, quæ intra & extra essentiam Dei fiunt.

PRiusquam progrediamur ulterius, & à consideratione Trinitatis, qualis in seipsa est, gradum promoveamus, ad conjunctionem atque unionem Dei cum humana natura: adhuc nobis agendum est paucis de una distinctione, quæ ad perfectam hujus dogmatis explicationem spectat, estque velut septimum doctrinæ de Trinitate pedamentum. Quanquam distinctio ista per se absurda non est, nec veritati contraria; ab istis tamen hominibus hoc loco absurde adhibetur.

Quandoquidem credunt, tres personas divinas unam tantum habere essentiam, inde necessario efficitur, quod quicquid una è tribus personis facit & operatur, idem faciant & operentur etiam reliquæ. Quorum enim essentia communis est, illis etiam commune est, quicquid ab illa essentia proficiscitur. Hinc homines isti creationem cœli & terræ, quam Symbolum Apostolicum, ut & Sacra Scriptura Patri attribuit, nec non resuscitationem Christi à mortuis, aliaque divina opera, propter identitatem essentiæ, Christo quoque & Spiritui Sancto tribuunt, opera ista totius Trinitatis esse dictitantes, etsi uni tantum personæ nominatim in Sacris Literis adscribantur. Asserunt enim, Christum & Spiritum Sanctum non minus esse Creatorem cœli & terræ, quam Patrem; & Christum una cum Patre & Spiritu Sancto seipsum à mortuis resuscitasse. Jam si hæc & similia opera divina eam ob causam sunt omnibus tribus personis communia, quod unam ac indivisam essentiam omnes habeant; sequitur, ob eandem essentiæ unitatem ac indivisibilitatem etiam reliqua opera, quæ alioquin isti homines certæ tantum personæ Trinitatis tanquam propria assignant, omnibus tribus personis communia esse: quale est opus illud, seu actio, per quam Pater Filium ab æterno ex sua genuit essentia. Si enim Filius eandem essentiam habet, quam Pater, Pater autem Filium genuit ex sua essentia; necesse est, ut etiam essentia Filii Filium, id est, Filius seipsum ex propria essentia sua ab æterno genuerit. Pariter etiam essentia Spiritus Sancti, (quæ una eademque essentia est, quæ reliquarum personarum) genuit Filium, & Patrem quoque, & seipsum; atque sic & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus invicem sese produxerunt, & alius ex alio simulque à seipso emanavit, ita ut quælibet persona Trinitatis sit simul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Cum igitur in has casses se incidisse animadvertant, adhibent hic illam distinctionem inter opera Dei, quæ intra essentiam Dei peraguntur, & quæ extra eam exercentur. Opera externa ajunt esse inseparabiliter toti Trinitati communia, ita ut ab omnibus tribus personis simul efficiantur, tametsi unius tantum personæ fiat mentio. At in operibus internis esse quasdam actiones singulis personis proprias ac peculiares, quæ reliquis non sint communes. Sic Patri soli competere inquiunt, quod Filium ex essentia sua genuerit; Filio autem proprium esse, genitum esse ex Patris essentia; Spiritui Sancto vero, quod à Patre & Filio processerit.

Cur autem aliter se res habeat in operibus, quæ intra essentiam, quam in iis, quæ extra essentiam Dei fiunt, nullam aliam afferre possunt rationem, quam quod ita ipsis placeat, quodque aliter dogma ipsorum defendi nequeat. Sed quam illud etiam hac ratione male defendant, non solum ex eo patet, quod nullum istius assertionis suæ fundamentum in verbo Dei queant ostendere, verum etiam ex eo, quod hinc sequatur, respectu operum seu actionum, quæ intra Dei essentiam peraguntur, in Deo non unam essentiam, sed diversas esse, respectu vero operum externorum, unam tantum essentiam. Cum enim omnia opera, quæ fiunt à persona, proficiscantur ab essentia illius personæ; Pater autem, dum genuit Filium ex sua essentia, fecerit opus, quod Filius non fecit; necesse est ut opus istud ab alia essentia profectum sit, quam est illa, quam habet Filius. Sunt ergo hoc modo plures essentiæ in Deo, & tamen nihilominus una tantum; quia opera quæ sunt extra essentiam Dei, etsi uni personæ adscribantur, tamen propter communem essentiam, sunt omnibus tribus personis communia.

Verum hoc fulcrum distinctionis inter divina opera non est tam firmum, ut non alio adminiculo ad sustentandum Trinitatis ædificium indigeat. Etsi enim vi hujus distinctionis, opera creationis, redemtionis, & sanctificationis, ut pote opera extra essentiam Dei existentia, toti Trinitati adscribant: agnoscunt tamen interim, creationem peculiariter Patris proprium opus esse, & redemtionem Filii, sanctificationem autem Spiritus Sancti. Dicuntque has esse *proprietates personales externas.* Vide Gerhardum Tom. 1. de tribus Elohim cap. 6. sect. 39. & cap. 9. sect. 52. Itaque ejusmodi opera ajunt quidem esse toti Trinitati communia, sed ita tamen, ut *ordo & cujusque personæ proprietas servetur.* Unde totam quidem inquiunt Trinitatem cœlum & terram creasse, sed in ordine Patris, ut cujus proprietas peculiaris sit creare; hunc esse creatorem per Filium in Spiritu Sancto. (Cogitet vero hic homo cordatus, quid sibi velit istud, *in Spiritu Sancto.*) Ita etiam totam Trinitatem redemisse genus humanum, sed in ordine Filii: & totam Trinitatem sanctificare homines in ordine Spiritus Sancti.

Sed ne hic rursus ad Sacras Literas provocem, ubi nihil horum habetur, deberent saltem homines isti Symboli sui Athanasiani meminisse, in quo dicitur: *In Trinitate nihil est prius aut posterius, nihil majus aut minus.* Si ita est, nihil causæ est, cur modo dicta opera certo ordine inter personas distribuantur: aut si nihilominus aliquem personarum ordinem in eo servare placet, cur mihi non liceat dicere, Filius est creator per Patrem in Spiritu Sancto; vel, Spiritus Sanctus est creator per Filium in Patre, &c. Nam & ipsi illi homines non dubitant Filium & Spiritum Sanctum æque ac Patrem Creatorem cœli ac terræ appellare. Deinde qui fieri potest, ut quælibet persona suas peculiares proprietates habeat, si omnes nonnisi unam habent essentiam numericam? Proprietates enim rei ab essentia ejusdem resultant,

& quæ

& quæ res habent communem essentiam, illæ etiam communes habent proprietates, & contra, quæ habent peculiares & proprias proprietates, illæ habent quoque propriam & peculiarem essentiam. Inprimis autem mirum est, eos divinis personis peculiares proprietates adscribere, qui statuunt, duas naturas in Christo sibi invicem idiomata seu proprietates suas communicasse, ita ut proprietates unius naturæ de altera enunciari possint. Si igitur hoc fieri ob solam conjunctionem naturarum potest, ubi tamen, ut ipsi volunt, nulla permixtio naturarum facta est: quanto potiori jure omnes divinæ proprietates absque discrimine possunt ac debent de unaquaque persona enunciari; siquidem hæ omnes simul nonnisi unam eandemque essentiam habent? Quod fieri posse ac debere, illi è Trinitariis probe perspexerunt, qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vocant, *tres justificantes, & tres auctores justificationis nostræ.* Neque causa ulla est, cur non eodem modo dicere possint, illas tres personas esse tres Creatores, tres Redemtores, & tres Sanctificatores. Mera igitur contradictio est, cum isti homines dicunt, supra memorata opera esse toti Trinitati communia, & nihilominus etiam esse personarum propria & peculiaria opera. Quod enim alicui proprium est, id non potest aliis esse commune.

CAPUT XIII.

De Incarnatione Filii DEI.

OCtavum perfectæ cognitionis Dei ex horum hominum sententia requisitum est Incarnatio Filii Dei. Quo barbaro vocabulo hoc sibi volunt, quod Filius Dei, quem secundam Trinitatis personam faciunt, jussu Patris de cœlo descenderit in uterum Mariæ Virginis ibique homo factus sit. Quod commentum necessario ipsis erat excogitandum, alioqui sententia eorum de persona Domini Jesu Christi non posset consistere. Cum enim Scriptura diserte testetur, Christum dum in terris vixit, verum fuisse hominem, qui verum humanum corpus, & veram humanam animam habuerit; de Deo autem nullo modo dici queat, quod humanum corpus & animam habeat; sequitur, si Christus nihilominus summus Deus esse debeat, eum esse aliquid ex Deo & homine compositum. Hanc igitur compositionem sive conjunctionem vocant illi Incarnationem vel Hominificationem Filii Dei, aut simpliciter Dei.

Vocabulum hoc Incarnationis non solum in Sacris Literis non invenitur, sed etiam eo sensu, quo ab istis hominibus usurpatur, est perquam absurdum. Quando homo nascitur, verè dici potest, quod homo fiat, qui antea homo non fuerat, imo nihil omnino erat: aut si quis velit dicere, eum antea aliquid in mundo fuisse, tamen certum est, eum id amplius non esse, quod fuerat. Et miraculum illud Christi, quo in Cana aqua in vinum commutata est, non absurde posset dici aquæ vinifactio. Ibi enim revera aqua facta est vinum, ita ut aqua desineret esse aqua, & vinum merum relinqueretur. Eodem modo si Incarnatio Dei proprie sumatur, intelligendum esset, Deum desiisse esse Deum, & ex Deo factum esse hominem, seu in hominem fuisse conversum. Quando enim res una fit alia, desinit esse id, quod antea fuit. Ita aqua vinum facta desiit esse aqua, & caro, quando putrescit, & fit vermis, desinit esse caro.

Dicere quispiam posset, ex vi verborum id male colligi. Posse enim, exempli gratia, dici, Cæsarem factum esse Regem Bohemiæ, & tamen non desinit esse Cæsar, tametsi status Regius inferior sit, quam status Cæsaris. At hic notandum est, magnum esse discrimen ac differentiam inter hoc exemplum, & inter Incarnationem Dei. In hoc enim exemplo per Regem Bohemiæ non intelligitur proprie persona Regis Bohemiæ quoad essentiam, sed tantum Regius status sive officium. Alioquin enim absurdum foret, ac prorsus impossibile, ut Cæsar quoad essentiam suam fieret illa persona, quæ est Rex Bohemiæ. Nam hac ratione (si modo possibile esset id fieri) Cæsar revera desineret esse non modo Cæsar, sed etiam homo ille, qui ante fuerat. At in Incarnatione Dei nolunt isti homines, Deum dum factus est homo, tantum externum aliquem statum assumsisse, sed affirmant, eum quoad essentiam ac naturam suam factum esse illum hominem, qui ex Virgine Maria natus est. Hinc eorum nonnulli haud verentur dicere, locutionem istam, *Deus est homo*, vel, *Deus est hic homo*, non solum veram esse, sed etiam propriam. Vide Becani Summ. Theol. Schol. part. 3. pag. 569, 570. Sect. 8, 9, 12. Ex quo sequitur, Deum per hanc incarnationem, vigore propriæ significationis hujus vocis, desiisse Deum esse: uti sane ex his hominibus quidam fatentur, ex modo dicta locutione omnino sequi, Deum esse mutatum. Vide Bonaventuram citante Becano d. l. sect. 12. Quanquam etiam hoc absurdum esset, si diceretur, Deum quoad externum statum ac conditionem tantum hominem esse factum: idque multo absurdius foret, quam si dicatur, Cæsarem factum esse bubsequam aut subulcum. Tantum discrimen est inter Deum & hominem. Et Deus certe etiam hoc pacto desineret esse Deus, id est, summus Dominus ac Rector cœli ac terræ: quemadmodum Cæsar non foret amplius Cæsar, si subulcus aut bubulcus fieret. Cum vero illi ipsi homines absurdum ac impossibile esse credant, ut Deus unquam desinat esse Deus: deberent etiam agnoscere, non solum se perperam facere, quod tam sublime & impenetrabile mysterium (ut id vocant) tam absurdis vocabulis exprimant, verum etiam quod fundamentum hujus opinionis, quod se in Scriptura habere autumant, falsum ac nullum sit.

Probant enim hanc Incarnationem verbis Johannis Euangelistæ, quibus juxta vulgarem interpretationem cap. 1. 14. dicitur: *Et verbum caro factum est.* Ubi per Verbum intelligunt divinam Christi naturam, seu secundam Trinitatis personam, & sensum esse putant: secunda persona Trinitatis facta est homo. Quod nihil sane aliud est, quam quod secunda Trinitatis persona, id est Deus Altissimus, in hominem sit conversus: unde sequitur, eum Deum esse desiisse. Scimus quidem, eos per istam incar-

incarnationem nullam talem conversionem ac mutationem factam esse statuere: sed hoc sibi velle, quod Deus humanam naturam assumserit; cum ea absque divinitatis mutatione unitus sit, & in unam personam eam adsciverit. At cum sic credant, deberent non solum hanc actionem potius humanæ naturæ assumtionem, quam incarnationem vocare, sed cogitare quoque diligentius atque expendere, quo fundamento hanc suam opinionem allegatis Johannis verbis statuminare conentur. Quî enim probabunt unquam, verba ista, *Verbum caro factum est* (ut jam largiamur, sic verba esse ex Græco vertenda) idem significare, quod, Verbum assumsit humanam naturam? Ut jam taceam, nulla ratione demonstrari posse, quod per Verbum ipse Deus summus, aut quisquam alius, quam Jesus Christus, qui è Maria natus est, intelligatur.

Sed inspiciendum nobis est propius id, quod ad majorem intelligentiam hujus mysterii de Incarnatione Dei ex istorum hominum sententia pertinet, quomodo id ipsi explicent. Hæc est communis eorum sententia, Patrem, qui est prima persona Trinitatis Filio suo præcepisse, ut de cælo descenderet in uterum Mariæ Virginis, atque in eo humanam naturam susciperet, & porro ex ea salutis humanæ bono verus homo nasceretur. Ita igitur unus ille æternus Deus, unum illum æternum Deum de cœlo misit in mundum, ut homo fieret. Filius autem etsi ipse quoque esset unus ille æternus Deus, nihilominus uni illi æterno Deo nempe patri paruit, legationemque istam ultro in se suscepit. Vigore itaque hujus sententiæ (si ex vero æstimetur) unus ille Deus, Filius, cœlum ad tempus reliquit, & in assumta à se humana natura hic in terris versatus est; & postquam Judæorum opera truculenta morte necatus est, seipsum in vitam restituit, & una cum assumta sua humana natura in cœlum ascendit, atque ad dexteram Patris sui consedit. Nempe unus ille Deus consedit ad dextram unius illius Dei.

Verum videamus, quid ex hac sententia, ad Deum vere & cum judicio cognoscendum, nobis discendum sit. Hæc sententia hoc sibi vult, quod etsi Pater de cœlo non descenderit, sed tantum ejus Filius, ita ut cum Filius descendit, Pater interea in cœlis remanserit, tamen ipse qui non descendit, & Filius, qui descendit, nonnisi unus Deus ambo sint. Unde sequitur, Christum tunc vere & essentialiter in cœlo, & æque ac Pater, non in terra fuisse; & tamen etiam nihilominus eodem tempore vere & essentialiter in terris fuisse, ita ut apud Patrem in cœlis non esset. Atque sic Filius Dei, cum est homo factus, simul fuit in cœlo, & non fuit in cœlo, fuit in terra, & non fuit in terra. Cum enim essentia Patris (quæ divisionem non admittit ullam) semper in cœlo manserit, & nunquam in terram descenderit, Filius autem habeat eandem essentiam, quam Pater: sequitur, divinam essentiam Filii, adeoque ipsum Filium tunc in cœlo mansisse, & nunquam in terram descendisse. Et rursus quia Filius vere de cœlo descendit, (ut illi ipsi probant ex illo loco Joh. cap. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo* &c.) necesse est, Filium tunc cum tota essentia sua cœlum vere reliquisse, atque hic in terris inter homines versatum esse. Verum quis hoc intelligat? quis hic habet tantum rationis & ingenii, ut tam inter se pugnantia capere queat? Deinde necesse quoque est, ut sibi homines persuadeant, quod etsi Filius idem ille Deus unus sit, qui est Pater & Spiritus Sanctus, tamen neque Pater, neque Spiritus Sanctus, sed solus Filius homo factus sit. Quod cum intellectu sit difficile, ut pote quod manifeste seipsum evertit, & contradictionem involvit, eo ventum est, ut aliqui ex his hominibus aperte professi sint, totam Trinitatem esse incarnatam. Quos inter est antesignanus Trinitariorum Athanasius cui Symbolum illud vulgo tribuitur, quod supra cap. 1. Part. 2. retulimus. Is diserte scribit in libro de Unitate fidei, totam Trinitatem ex Maria natam esse, corpusque assumsisse. Et alius quidam Alanus de Rupe vocat Virginem Mariam *totius Trinitatis triclinium*. Idem Trinitatem introducit sic ad Mariam loquentem: *Ego ero tota in te, & tu in me tota, mutata non assumtione, sed glorificatione singulari.* Bonaventura quoque Generalis Ordinis Minoritarum, qui Psalmos Davidis prorsus ad Virginem Mariam direxit, in quodam hymno, quem se dicit ad imitationem Ambrosii & Augustini composuisse, ait: *Tu templum es & sacrarium Spiritus Sancti, totiusque Trinitatis Sacro Sanctæ solium & thronus.* Item Cornelius à Lapide Jesuita Commentarium suum super duodecim Prophetas minores dedicat *Trinitati increatæ, & in Jesu Christo creatæ.* In antiquo Missali, quod in Anno 1538. editum est, Virgo Maria ita salutatur: *Ave universæ Trinitatis mater.* Sic etiam Andreas Wargocki quidam, qui Justini historiam in Polonicam linguam convertit, hoc voto librum suum claudit: *Domino Deo in Trinitate uni sempiterna gloria, & sanctissimæ ejus Matri.* Quodsi igitur res ita se habeat, quod tota Trinitas humanam naturam assumserit, & ex Maria nata sit, sequetur, etiam reliqua omnia de tota Trinitate esse intelligenda, quæ alioquin soli secundæ personæ in assumta natura humana consideratæ homines isti adscribere solent: adeoque dicendum erit, totam Trinitatem prædicasse in terris Euangelium, mortuam, sepultam, resuscitatam, ascendisse in cœlum &c. Quod cum etiam difficile sit intellectu ac creditu, cumque hac ratione vetus & ab his ipsis hominibus damnata Sabellianorum ac Patripassianorum hæresis in orbem revocetur; ideo nonnulli ita rem hanc explicant, ut dicant, totam Trinitatem quidem incarnationem istam procurasse, sed solam personam secundam incarnatam esse.

Quod Lutherus (teste Gerhardo Tom. 2. loc. theol. de persona Christi sect. 103.) similitudine à tribus virginibus sumta declarat, quæ simul confectam vestem uni ex se induunt. At hac declaratione nodus non tollitur. Quomodo enim dici potest, solam secundam personam, & non etiam primam ac tertiam assumsisse humanam naturam, cum tamen prima & tertia eandem habeat essentiam, quam habet secunda? Tres illæ virgines, quæ uni vestem induunt, non sunt tres personæ in una essentia, ut isti homines de tribus personis divinis credunt, sed quælibet ex eis habet suam peculiarem essentiam. Itaque hoc effugium nihil eos juvare potest. Præterea

terea incarnatio ista, seu assumtio humanæ naturæ est opus extra essentiam, non intra essentiam Dei peractum, adeoque juxta horum hominum regulam (quam superiori Capite examinavimus est omnibus tribus personis commune. Nisi forte & hic proprietates personales allegare velint, ac dicere, Incarnationem pertinere ad opus Redemtionis, quod secundæ personæ proprium est. Sed hac ratione dicendum esset, ut eos loqui de opere Redemtionis supra audivimus, totam Trinitatem esse incarnatam, sed in ordine Filii. Quam absurdam locutionem nemo sanæ mentis est, qui intelligat.

CAPUT XIV.

De duabus naturis in Christo.

I. *Absurditas hujus doctrinæ.*

NOnum sententiæ de Trinitate membrum, quod ex præcedenti Incarnationis dogmate fluit, est, quod Christus habeat duas naturas: unam divinam, quam ab omni æternitate tanquam Deus summus habuerit; alteram humanam, quam ex Maria Virgine acceperit.

Statuunt autem illi, Christum etsi duas naturas habeat, unam tamen esse personam, & quidem divinam naturam, sive Deitatem ejus esse personam, secundam scilicet personam Trinitatis; humanitatem vero ejus non esse personam, sed tantum humanam esse naturam, & adjunctum quoddam, quod divina Christi persona sibi adscivit.

Ut hæc sententia exacte trutinetur, an cum veritate congruat, non possunt etiam homines isti æquo animo ferre, sed rationem hic captivari jubent. Quod nemo sane recusaret facere, si perspicuis Sacrarum Literarum testimoniis dogma istud probare possent, idque iisdem ac totidem verbis in Scriptura ostendere, quibus id illi absque omni probatione proferunt. Quanquam nec claram literam & aperta verba sufficere ad probandum dogma tale, quod judicio sanæ rationis absurdum est, supra cap. 4. ostendimus. Ubi vero scriptum est in divinis literis, in Christo esse duas naturas? ubi legitur, eum hoc modo humanam assumsisse naturam, ut tamen humana persona non sit? Annon Christus expresse in Scriptura dicitur *homo* Rom. 5. 15. 1 Tim. 2. 5. *Filius hominis*, Matth. 8. 20. & *Vir* Act. 17. 31? Imo ipsimet agnoscunt, Christum verum, perfectum, ac naturalem hominem esse. Quis autem unquam fando audivit, aut quis id capere queat, quod vir, qui veram humanam animam & corpus habet, & omnia humana opera tam quoad animam, quam quoad corpus peragit, non sit humana persona? Profecto si Christus est verus homo, quod negare non possunt, negari etiam non potest, eum esse humanam personam. Si autem etiam simul est divina persona, tum erunt duæ personæ in uno Christo.

Neque eo difficultas tollitur, quod dicant, aliam prorsus personæ Christi esse rationem, quam aliorum hominum, quorum quisque humana persona est, Christum autem singularem & extraordinarium hominem esse. Unde enim illi norunt, aut quomodo probabunt, Christum hac in parte non esse talem hominem, quales sunt alii homines? Certe si Christus est homo ejusmodi, qui non est humana persona, tum non est talis homo, quales nos homines sumus; tum nos non potest vocare fratres suos; tum non est ortus ex semine Davidis secundum carnem. Etenim ex semine Davidis, qui fuit humana persona, non potest alius homo nasci, quam qui etiam humana persona sit.

Et quid cogit istos homines, ut è duabus naturis in Christo unam, nempe divinam, faciant personam, alteram, id est humanam, minime? Nonne hoc in causa est, quod ratio ipsis dictet, hoc pacto duas personas in Christo futuras? quod olim credidit Nestorius, nimirum vi hujus sententiæ de æterna Deitate Filii Dei ad hoc credendum compulsus. Si vero essent duæ personæ in Christo, essent etiam duo Christi, duo Filii Dei: quod isti neutiquam volunt admittere. Cur autem illi hic quoque rationem suam non captivant? cur non dicunt: Divina Christi natura est persona, & humana Christi natura est persona, neque tamen sunt duæ personæ sed una persona; quemadmodum dicere solent, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus, & tamen non sunt tres Dii, sed unus Deus? Vel, cur non statuunt, Christum esse duas personas in una ex Deo & homine composita essentia, eumque propter hanc unam essentiam nihilominus unum tantum Christum esse, & unum Filium Dei, qui bis natus fuerit: quemadmodum ajunt, Altissimum Deum esse tres personas in una essentia, adeoque unum tantum Deum? Si enim ex duabus distinctis essentiis seu naturis intellectu præditis, divina scilicet & humana, potest una tantum persona fieri; uti credunt ipsi de Christo: quid causa est, cur non etiam ex duabus personis queat fieri una natura aut essentia? Estque res admiratione digna, hactenus nemini istorum hominum tales incidisse cogitationes, cum alioqui sibi sumant libertatem pro lubitu nova mysteria procudendi. Sed apparet, verba Athanasiani Symboli obstare, quæ confundi naturas seu essentias vetant. Porro si in Christo una tantum persona est, & tamen duæ naturæ, nulla causa est, cur homines isti malint divinam naturam, quam humanam, pro persona agnoscere. Quidsi quis diceret, humanam naturam in Christo personam esse (quod sane verissimum est) divinam autem naturam non esse personam, sed adjunctum tantum aliquod, quod per Spiritus Sancti efficaciam cum humana persona unitum est; quemadmodum illi humanam naturam pro tali adjuncto seu appendice divinæ personæ Christi habent; quomodo id refellerent? Ex Sacris Literis ne unicam quidem literulam contra talem sententiam afferre possent, sed ad rationem confugerent, longamque catenam collectionum & consequentiarum necterent ad probandum, hæc vel illa absurda ex tali sententia sequi. At si is juberet eos captivare rationem, omnes eorum consequentiæ proprio ipsorum gladio jugularentur.

II. *In-*

II. *Infirmitas argumentorum de duabus naturis in Christo, quæ ex scriptura sumuntur.*

Firmissime sibi persuaserunt isti homines, se in Sacris Literis habere solidissima sententiæ suæ de duabus in Christo naturis, divina una, & humana altera, argumenta. Quæ argumenta nos hac occasione, quamvis extra ordinem nobis propositum, excutiemus, ut rima ista, qua elabi solent, quando innumera scripturæ loca adversus summam Christi Deitatem afferuntur, semel ipsis obstruatur, & Christianus lector in sequentibus hic semper remitti possit.

Allegant autem præcipue tria loca scripturæ: quorum primus est Act. 2. 30. ubi Petrus ait, *Deum Davidi jurejurando jurasse, fore, ut ex fructu lumbi ejus secundum carnem Christus suscitaretur.* Alter locus habetur Rom. 1. 3. ubi Paulus inquit, *Filium Dei natum esse ex semine Davidis secundum carnem.* Tertius extat Rom. 9. 5, ubi idem Apostolus scribit, *Christum esse ex patribus secundum carnem.* Censent autem illi, *secundum carnem*, idem valere, quod *secundum humanam naturam*; & huic distinctionis membro tacite opponi illud, *secundum divinam naturam.*

Sed quantopere illi hac in parte fallantur, ex eo satis apparet, quod cum in Sacris Literis non raro verba illa *secundum carnem* occurrant, nusquam tamen opponantur illis, *secundum divinam naturam*, sed semper illis, *secundum spiritum*, quæ longe alium sensum habent. Sic Paulus inquit Rom. 4. 1. *Quid ergo dicemus invenisse Abrahamum Patrem nostrum secundum carnem?* Sic enim recte, si sententiam spectes, Vetus Interpres, verba ordinavit. Ubi vides, Paulum dicere, Abrahamum esse suum, uti & cæterorum Judæorum *Patrem secundum carnem*: id quod nemo non videt esse simile illi, quod Christus *secundum carnem* ex fructu lumbi Davidis suscitatus, aut ex semine Davidis ortus, aut ex Patribus esse dicitur. Vocat autem Paulus Abrahamum, suum ac reliquorum Judæorum Patrem *secundum carnem*, ut indicet, se eum hic non considerare ut Patrem spiritualem. Etsi enim Abrahamus spiritualis quoque Pater erat Apostoli, non tamen cæterorum generatim Judæorum, cum quibus se hoc loco conjungit Apostolus. Docet enim tum eodem cap. 3. 17. tum alibi, Abrahamum credentium tantum verum esse Patrem, & hos demum verum esse Abrahami semen, ad quod spirituales Dei promissiones spectant. Eodem pacto cap. 9. Rom. ubi Christus dicitur esse *ex Patribus secundum carnem*, paulo ante ℣. 3. vocat Apostolus Judæos *cognatos* suos *secundum carnem*, opponens illos tacite cognatis spiritualibus, seu secundum spiritum. Sic & 1 Cor. 10. 18. jubet videre *Israëlem*, hoc est, Israëliticum populum *secundum carnem*, itidem eum Israëli secundum spiritum, hoc est, populo Christiano opponens. Populus enim Christi est verus ac spiritualis Dei Israël Rom. 9. 6. Gal. 6. 16. Sic 2 Cor. 5. ℣. 16. ait, se nunc *neminem nosse* (hoc est, æstimare ac probare) *secundum carnem*, & si noverit aliquando, *secundum carnem Christum*, nunc jam non amplius nosse: ubi itidem *secundum carnem* tacite opponitur ei, quod est *secundum spiritum*, quodque vel in Christo, vel in iis, qui sunt in Christo, spectandum est. Illustris etiam est locus Gal. 4. ubi unus Abrahami filius, nempe Israël, dicitur *natus secundum carnem* ℣. 23, 29. alter vero, nempe Isaacus, *secundum spiritum* ℣. 20. non certe secundum divinam naturam; sed divina virtute, quæ ob promissionem divinam antegressam, ad nativitatem ejus perficiendam intervenit. Confer ℣. 23, 28. & Rom. 9. 8, 9. Licet idem Isaacus, si generatio ejus cum spirituali Christianorum generatione, non cum Ismaëlis ortu conferatur, jure secundum carnem natus dici queat. Sic & *Domini secundum carnem* sunt Domini carnales, Col. 3. 22. hoc est, tales, qui in rebus ad carnem tantum & terrenam hanc vitam spectantibus, imperandi jus habent, in rebus spiritualibus haudquaquam.

Et ne quis effugii pateat locus, ille ipse locus Rom. 1. 3. quem isti homines pro se militare putant, sententiam nostram confirmat. Ita enim ait Apostolus: *Qui* (nempe Filius Dei) *factus est ex semine Davidis secundum carnem, qui definitus* (seu constitutus) *est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* Ubi videmus, verbis illis *secundum carnem*, opponi illa, *secundum spiritum sanctificationis*, hoc est, quo Christus fuit sanctificatus, (qui nullus alius est, quam Spiritus Sanctus) esseque sermonem de ratione, qua Christus fuerit Dei Filius definitus *ex resurrectione mortuorum.* Nam inter alias causas, ob quas Christus Filius Dei vocatur, hæc pene præcipua est, quod eum Deus à mortuis resuscitaverit, & quasi denuo genuerit. Per hanc enim resuscitationem, & mox consecutam exaltationem, Christus revera demum definitus Filius Dei in potentia, id est, talis Dei Filius constitutus est, qui super omnia dominandi ac imperandi potestatem viresque accepit.

Ex hoc loco intelligi potest & alter in eadem Epistola locus Rom. 9. 5. Quo enim pacto Christus est Dei Filius perfectissima ratione sic dictus, eadem & Deus est super omnia benedictus in secula. Constitutus autem est, ut vidimus, talis Dei Filius, cui datum est imperium super omnia, & quidem eo ipso tempore, & per id ipsum, quod à mortuis suscitatus, & ad dexteram Dei collocatus sit. Quare etiam tunc constitutus est *Deus super omnia*, cum super omnia imperandi divinam potestatem ex gratia & dono Dei Phil. 2. 9. consecutus est. Ita ut non alia mens sit Apostoli, quam sicut Rom. 1. 3. expresse dixit, Christum secundum carnem esse ex semine Davidis, secundum Spiritum sanctificationis autem esse Filium Dei in potentia; ita hoc loco, Christum secundum carnem esse ex Patribus, secundum spiritum autem sanctificationis esse Deum super omnia benedictum in secula.

Quod tertium locum Act. 2. 30. attinet, notandum est, quod Petrus in tota illa oratione sua, in qua asserit, Deum jurasse Davidi, se de fructu lumbi ejus suscitaturum Christum secundum carnem, non quicquam huic respectui *secundum carnem* opponat, quod divinam in Christo essentiam arguat; sed resurrectionem atque exaltationem Christi, divina

virtute perfectam, qua Dei Filius perfectissima ratione evasit.

Quare nihil est in illis locis, quod sententiam de duabus naturis in Christo stabiliat. Quodsi in illis nihil est, quod eam stabiliat, licet inter cætera eam vel maxime videantur confirmare; jure concludi potest, nec alibi quicquam esse in Sacris Literis, quod eam stabiliat: ac porro iniquum esse, distinctionem duarum naturarum Christi nullo Sacræ Scripturæ testimonio nixam adhiberi ad tot Sacrarum Literarum loca, de Christo simpliciter loquentia, restringenda, & à simplicitate sententiæ detorquenda.

III. *Distinctio duarum in Christo naturarum ad innumera loca scripturæ explicanda absurde adhibetur.*

Rem ita se habere, ut modo dictum, quod nimirum distinctio duarum in Christo naturarum clarum sensum innumerorum scripturæ locorum involvat, adeoque ad ea explicanda absurde adhibeatur, id probatu facile est. Loca enim sunt plurima in scriptura, ubi talia de Christo simpliciter & sine ulla mentione humanæ naturæ enunciantur, quæ nullo modo ita simpliciter de eo dici possent, si ipse esset Deus Altissimus: ad quæ loca supremæ Deitatis Christi assertores nihil aliud, quod respondeant, habent, quam quod ista de Christo secundum humanam naturam non autem secundum divinam, (quam tamen nondum probarunt, sed absque probatione pro concesso sumunt) dicantur. Ut cum dicitur, Filium ignorare diem judicii Marc. 13. ℣. 32. Filium nihil posse facere à seipso Joh. 5. 19. doctrinam ejus non esse ipsius, sed illius à quo missus est, Joh. 7. 16. eum non venisse à seipso Joh. 7. ℣. 28. eum non quærere gloriam suam Joh. 8. 50. eum qui credit in ipsum, non in ipsum credere, sed illum, à quo missus est Joh. 12. 44. Patrem ipso majorem esse Joh. 14. 28. eum orasse Patrem Matth. 26. 39, 42. 44. eum esuriisse & sitiisse Matth. 4. 2. Joh. 19. 28. eum mortuum esse ac sepultum Matth. 27. 50, 59. & similia. Jam vero foret contra omnem loquendi consuetudinem, ut talia simpliciter & absque expressa humanæ naturæ mentione ipsi attribuerentur, cum contrarium potius de eo secundum aliam naturam, scilicet divinam vere affirmari possit. Quomodo Christus simpliciter dicere potuisset, se nescire diem judicii, se nihil posse facere à seipso, Patrem esse se majorem &c. si secundum divinam naturam omnia scivisset, omnia à seipso facere potuisset, Patri quoque in omnibus æqualis fuisset? Neutiquam credibile est, Christum verba sua tam absurde, tam ambigue, tamque contra omnem loquendi usum proferre voluisse. Quis enim, verbi gratia, hominem simpliciter neget edere, bibere, aut carneum, crassum, procerum, aut humili statura esse, qui anima ejus, aut ipse secundum animam, non edat, non bibat, carneus, crassus, procerus, aut contra brevis staturæ non sit? Licet anima potior hominis pars sit; illa autem homini secundum corpus tantum competant. At si Christus Deus ille supremus est, de eo simpliciter asserendum est, eum scire diem judicii, eum omnia à seipso facere posse, eum Patri suo æqualem esse, doctrinam ejus propriam ipsius fuisse, eum suam gloriam quærere &c. nec isti homines ipsi id diffitentur, imo urgent potius. Neque enim minus simpliciter solent de Christo id affirmare, quod ei secundum naturam multo potiorem inest, quam negare, quod ei secundum inferiorem non inest. Cum igitur de Christo innumera talia simpliciter, seu nulla addita, limitatione, neque humanæ naturæ respectu expresse affirmentur, vel negentur, quæ de eo ita simpliciter affirmari aut negari non possent, si adhuc aliam, divinam naturam haberet, secundum quam contrarium æque vere de eo dici potest: cumque etiam distinctio duarum naturarum nullo solido argumento probari queat; patet, Christum præter humanam naturam, nullam aliam, nempe divinam, secundum quam sit Deus Altissimus, habuisse. Quo accedit, quod Christus compluribus locis, ut Filius Dei, describatur: *Filius nihil potest facere à seipso* Joh. 5. 19. *De die illo atque hora nemo scit, neque Angeli, qui in cœlo sunt, neque Filius, nisi solus Pater* Marc. 13. 32. Hanc autem descriptionem Trinitariorum plerique ad solam divinam naturam Christi, omnes ad eam præcipue referunt. Quare tanto minus est credibile, Christum id de se simpliciter negaturum fuisse, quod ipsi secundum divinam naturam inerat, quodque de Filio Dei simpliciter dici poterat & debebat. Præterea si licet simpliciter & absque limitatione addita dicere de Christo, eum nescire diem judicii, eum nihil posse facere à seipso, & similia; nihil causæ est, cur etiam non liceat simpliciter & absque omni limitatione de eo affirmare, quod non sit Deus Altissimus, quod non extiterit ab æterno, quod non crearit mundum quod Filius Dei carnem non assumserit; quod non fuerit in cœlo, antequam nasceretur è Maria Virgine; quia nihil horum ei secundum humanam naturam competit. Sed quomodo hoc Trinitatis propugnatores admittent? Sic etiam nihil est, cur non dici possit, Christum nec conceptum ex Spiritu Sancto, nec natum ex Virgine, nec crevisse, nec edisse, nec bibisse, nec flevisse, non mortuum, non resuscitatum, non ascendisse in cœlos, non venturum ad judicium, nec alia innumera; quia ei nihil horum secundum divinam naturam competat. At quomodo hoc dici, ullius Christiani hominis aures ferre possunt? Quare si hæc ipsi Trinitarii & inaudita & intolerabilia esse agnoscunt; cogitandum illis est, æque intolerabilem esse ipsorum interpretationem, qua dicunt, secundum humanam tantum naturam de Christo intelligenda esse ea, quæ simpliciter, & non expresso naturæ humanæ respectu, de eo affirmantur vel negantur, quæ ita simpliciter de eo affirmari ac negari non possent, si aliam haberet naturam, secundum quam ipsi contrarium omnino competeret. Sed de his satis. Capite sequenti clare monstrabimus, hanc distinctionem duarum naturarum, qua isti homines utuntur, manifeste secum pugnare.

CAPUT XV.

De hypostatica unione duarum naturarum in Christo.

CUm Trinitarii asserant, Christum unam tantum esse personam, quæ ex duabus naturis constet, ita ut simul sit Deus Altissimus, & verus homo; necesse est mirabilem & prorsus inauditam conjunctionem istarum naturarum in Christo esse. Quæ conjunctio quomodo apte & perspicue efferri atque explicari debeat, non satis inter ipsos istos homines convenit. Nos autem brevitatis causa aliis opinionibus omissis, eam hic proponemus, quam plerique amplectuntur. Illa vero est, qua statuitur talis conjunctio duarum naturarum facta, ut persona, quæ ante istam conjunctionem, tantum divinæ naturæ persona fuerat, post illam conjunctionem facta sit etiam humanæ naturæ persona; dum nimirum divina persona Christi, sive secunda persona Trinitatis, humanam naturam, sive carnem, humana anima præditam assumsit, & secum copulavit: non secus ac ferrum calorem ab igne in se recipit; ita ut duæ naturæ in unam personam coaluerint. Hanc conjunctionem duarum naturarum vocant illi unionem hypostaticam, seu personalem, ad differentiam unionis essentialis, qua conjunctæ sunt tres personæ divinitatis in una divina essentia.

In hac personali conjunctione & assumtione humanæ naturæ in divinam, censent similem περιχωρήσιν, immeationem, & immanentiam duarum naturarum factam esse, qualem supra trium personarum in divinitate ab eis statui diximus. Ajunt enim duas naturas se invicem intime adeo penetrasse, ut dici queat, totam divinam personam esse in tota Christi carne, & totam carnem Christi esse in tota persona divina, idque in seperabiliter & insolubiliter. Quemadmodum enim credunt, tres personas Deitatis propter *unitatem essentiæ* se mutuo complecti, unam in altera hærere, & inter se innexas & implexas esse: ita statuunt etiam, duas naturas in Christo propter *unitatem personæ* se mutuo penetrare & unam alteri inesse. Simul tamen monent, per ejusmodi intimam immeationem & inexistentiam mutuam nullam fieri naturarum permixtionem ac confusionem,

Hoc loco rursus talia dicuntur, quibus percipiendis ne Salomonis quidem sapientia par esset ac sufficiens. Mitto Sacrarum Literarum de hac duarum naturarum unione & coalescentia altissimum silentium. Hoc solum quærere ex eis lubet; quomodo unionem istam ac conjunctionem tam disparatarum, longiusque quam cœlum à terra, à se invicem distantium, naturarum, fieri potuisse, & quidem conjunctionem in unam personam, probare queant! Difficillimum quidem est capere: quomodo aqua & ignis, aër & terra, argilla & ferrum secum uniri possint: at multo difficilius est, hanc conjunctionem intelligere, & sine clara expressaque revelatione Dei credere, quod scilicet increata, invisibilis ac incomprehensibilis natura atque essentia Dei Altissimi, quæ est Spiritus & ignis consumens, cum creatura, quæ caro est & sanguis, unita sit, ita ut hæc illam, & illa hanc in se contineat, ac intime permeet, utque quemadmodum loquitur Leo Serm. 3. de natura pag. 43. citante Gerhardo, creatori creatura inseratur. Sed præter hæc omnia absurdissimum est, quod una persona Deitatis sit simul & divinæ & humanæ naturæ persona, quodque humana natura, id est, humanum corpus, & humana anima, non alia ratione, quam qua divinæ Christi personæ inserta est, homo sit.

Primum enim superiori Capite §. 1. demonstravimus, humanam naturam in Christo esse veram personam humanam. Quare ex hac doctrina sequetur, humanam personam cum divina persona Christi junctam, unam cum ea personam factam esse, atque ita per consequens vel humanæ personæ Christi, vel ejusdem divinæ personæ aliquid hac conjunctione decessisse, ut neque hæc, neque illa sit amplius perfecta persona, sed ex duabus imperfectis una perfecta persona conflata sit.

Secundo, unio ista hypostatica, est res ejusmodi, quæ manifesta contradictione seipsam perimit. Lutherus inquit Tom. 3. Jenens. Lat. pag. 562. citante Gerhardo d. l. Sect. 120. *Magis disparata est hæc propositio, Deus est homo, quam illa, homo est asinus.* Ita secundum sententiam Lutheri magis possibile est, ut humana persona asini assumat naturam, quam ut summus Deus humanam naturam assumat. Jam vero impossibile est & contradictorium, ut humana persona assumat asini naturam & tamen interea humanam naturam retineat, ita ut dici possit proprie utrumque: Hæc persona est homo; &, Hæc persona est asinus. Eo ipso enim dum persona ista homo esse dicitur, indicatur eam habere caput humanum: at si illa simul etiam habe asininam naturam, sequetur, illud humanum ejus caput esse simul asininum caput; & sic aures ejus erunt breves, quales sunt hominum aures, & simul longæ, quales sunt asininæ; vox & sonus, quem illa persona edit, erit humanus sermo & simul ruditus asininus, id est, poterit illa loqui, & non poterit loqui; cutis ejus erit glabra, sicut hominis, & tamen etiam hirsuta, sicut asini; denique erit illa rationalis, ut homo, & irrationalis quoque, ut asinus. Quod perinde est, atque si dicam, hæc persona est homo, & non homo; asinus, & non asinus. Quod sane manifeste contradictorium est, ideoque cum veritate nequit consistere. Cum ergo & Lutherus agnoscat, & res ipsa dictet, longe majorem disparitatem esse inter divinam & humanam naturam, quam est inter humanam & asininam naturam; necesse est, multo minus possibilem esse conjunctionem divinæ & humanæ naturæ in una persona, multoque absurdius eam statui, quam modo dictam conjunctionem humanæ & asininæ naturæ. Illa enim conjunctio non minus contradictionem implicat, atque hæc. Quod facile est cognoscere. Nam dum asserunt homines isti, personam Christi esse Deum Altissimum, tribuunt ei divinas proprietates, nempe quod sit Spiritus inconspicuus, quod sit ab æterno, quod sit omniscius, omnipotens, immortalis; dum vero postea affirmant, eandem Christi personam etiam esse verum hominem, seu veram habere naturam humanam,

attribuunt ei tales proprietates, quæ prædictis divinis proprietatibus è diametro repugnant. Indicant enim hac ratione, personam Christi non esse Spiritum inconspicuum, sed habere corpus conspicuum, eam non ab æterno fuisse, sed in tempore natam esse, eam non esse omnisciam, non omnipotentem, non immortalem: quod tantundem est, atque si dicerent, personam Christi non esse Deum. Ita ut ex hac sententia fluat, unam Christi personam (quam credunt esse secundam personam Trinitatis) simul esse Deum & non Deum, simul hominem & non hominem, visibilem ut homo, & invisibilem ut Deus. Quæ omnia contradictoria sunt, & seipsa evertunt. Intelligendum enim est, istos homines neutiquam velle, Christum è duabus personis, una divinâ, alterâ humanâ esse compositum, ita ut divina persona in humana invisibili ratione habitet, quemadmodum spiritus aliquis in homine habitare potest, (quanquam etiam talis inhabitatio, quod Deum attinet, impossibilis foret:) sed ajunt, Christum unam tantum personam esse, quæ duas habeat naturas, adeoque duplices proprietates, divinas & humanas. Quæ proprietates cum prorsus dissimiles atque contrariæ sint, clarum est, eas in una persona non posse habere locum, æque ac dici de una re nequit, eam simul esse frigidam & calidam, siccam & madidam, mollem & duram, pilosam ac depilem.

Ex his jam perspicuum est, quam absurdum ac contradictionis plenum sit, quando homines isti, uni personæ Christi duas res plane contrarias, unam quidem secundum divinam, alteram vero secundum humanam naturam, adscribunt. Ut cum inquiunt, Christum ignorasse diem judicii secundum humanam naturam, non ignorasse autem secundum divinam naturam; Christum secundum humanam naturam nihil posse facere à seipso, secundum divinam vero omnia posse; secundum humanam naturam eum esse mortuum, secundum divinam autem eum immortalem esse: & id genus alia multa de Christo affirmant sibi invicem contraria, quorum etiam in præcedenti Capite aliquam fecimus mentionem. Quemadmodum enim supra ostendimus, impossibile esse, ut una persona simul duas tales naturas habeat sibi unitas, quarum proprietates sunt sibi invicem contrariæ: ita etiam impossibile est, unam eandemque personam simul & eodem tempore omnia scire, & aliquid nescire, omnia à seipsa facere, & nihil facere à seipsa, mori & tamen manere vivam. Quodsi nihilominus hæ & similes contrariæ qualitates in Christo locum habeant (quod tamen nullo modo probari potest) omnino dicendum esset, Christum è duabus distinctis personis, divina & humana, fuisse conflatum, quarum quælibet prædita sit suis peculiaribus proprietatibus; ita ut humana persona diem judicii ignoraverit, divina autem eum sciverit, sed suo consorti, humanæ personæ, revelare noluerit; humana persona mortua sit, divina vero viva remanserit: (uti asserebat Cerinthus, Jesu moriente, Christum ab eo recessisse). Verum hac ratione corruet opinio de communicatione idiomatum seu naturalium proprietatum utriusque naturæ, de qua agemus subsequenti Capite. Quanquam nec alias isti ipsi homines duas personas in Christo admittunt, (& recte quidem) quia id absurdissimum & veritati multis modis contrarium esse agnoscunt.

Dicendum etiam nobis nonnihil de περιχωρήσει, id est, mutua in existentia & immanentia duarum naturarum; quod nimirum per hanc intimam ac mutuam unionem duarum naturarum redditur labyrinthus ille multo intricatior, in quem nos circumincessio ac immeatio trium personarum divinarum inducit. Non pauci enim ex his hominibus contendunt, assumtam humanam naturam pertinere ad Trinitatis consortium. Ita enim scribit Ambrosius de Resurrect. citante Gerhardo d.l. sect. 121. *Non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in Sanctæ Trinitatis consortium per Dominum Christum ingredi meruit.* Et Augustinus inquit lib. de bono persever. cap. 24. *Qui suscipit, & quod suscepit, est una in Trinitate persona.* Quia vero durum nimis & absonum est, carnem, quæ creatura est, pertinere ad divinam increatam essentiam Dei Altissimi, ideo ad hanc duritiem emolliendam, utuntur sua solita distinctione inter essentiam & personas, ajuntque, humanam naturam pertinere ad Trinitatem non *essentialiter*, sed *personaliter*. Vide Gerhardum d.l. sect. 121. Quasi scilicet qui personaliter ad societatem aliquam pertinet, non etiam essentialiter ad eam pertineat! Homines isti existimant, si tantum aliud vocabulum adhibeant, quod aliis literis ac syllabis constat, etiamsi sensus ille idem in eo contineatur, quem expresse proferre nolunt, jam rem confectam esse. Quanquam etiam alia ex causa distinctio ista inepte hic adhibetur. Cum enim illi humanam naturam non habeant pro persona, quomodo illa potest *personaliter* ad Trinitatem pertinere? Sin hoc sibi volunt, quod humana natura non pertineat ad totam essentiam divinam, sed tantum ad secundam personam Trinitatis; tum contradicunt sibi ipsis, quando inquiunt, humanam naturam personaliter pertinere ad totam Trinitatem. Nam tota divina essentia nihil aliud est, quam tota Trinitas. Ergo si humana natura non pertinet ad totam divinam essentiam, sed tantum ad secundam personam Trinitatis, quomodo illa ad totam Trinitatem pertinere potest? Potius deberent dicere, eam neque essentialiter, neque personaliter ad totam Trinitatem pertinere, sed simpliciter tantum ad secundam personam. Verum hac ratione celebres illi duo Patres Ecclesiæ modo nominati, & alii plures, qui in eadem sunt sententia, gravissimi erroris rei fierent. Quanquam hunc errorem evitare non possent, etiamsi dicerent, humanam naturam tantum ad secundam Trinitatis personam pertinere. Credunt enim, secundam personam habere eandem illam essentiam totam ac indivisam, quam habet tota Trinitas. Quocirca eo ipso, quod humana natura pertinet ad secundam personam, pertinet quoque ad totam essentiam divinam, id est, ad totam Trinitatem.

Quodsi ita se res haberet, ut humana natura & caro Christi, etiam ad consortium Trinitatis pertineret (sive personaliter, sive essentialiter) utque cum secunda persona Trinitatis pari modo, ac personæ tres Deitatis inter se, mutuo colligata ac intime innexa atque implexa sit: jam non tres tantum personæ Deitatis se invicem ita immearent, ut singulæ essent in sin-

in singulis, & singulæ in omnibus, & omnes in singulis, & omnes in omnibus, sed etiam humana natura, recepta in consortium Trinitatis, esset in singulis, & singulæ ac omnes vicissim essent in humana natura. Ex quo sequeretur, humanam naturam etiam cum Patre & Spiritu Sancto in unam personam coaluisse, eamque non minus quam divinam essentiam omnibus tribus personis communem esse. Ut sane non pauci ex istis ipsis hominibus, sicut supra Cap. 13. vidimus, diserte fatentur, totam Trinitatem esse incarnatam atque humanam assumsisse naturam. Hoc vero si ita est, dici poterit, illum unum Deum Altissimum esse tres personas in una essentia divina, & in una natura humana. Imo quandoquidem supra abunde probatum est, humanam Christi naturam vere personam esse; ex ista horum hominum sententia merito inferri poterit, unum illum Deum summum esse quadruplicem in personis, quarum tres sint divinæ, & una humana, duplicem autem in essentiis, quarum una sit divina, altera humana. Tantum de decimo fundamentali capite dogmatis de Trinitate.

CAPUT XVI.

De distinctione inter Christi personam & divinam naturam.

SUccedit undecimum principale membrum, quod rursus in distinctione admodum perplexa & absurda consistit. Nimirum distinguunt illi inter personam Christi & divinam naturam seu essentiam Christi. Cum enim statuant, Christum quatenus est Filius Dei, ac proinde Deus Altissimus, à Patre habere originem; non possunt negare, Christum quatenus Filius Dei est, Patre minorem esse, adeoque Patri competere prærogativam quandam præ Filio; Hinc non pauci viri docti è Trinitariis, Patrem κατ' ἐξοχὴν Deum vocant; fatenturque Patrem esse principaliter Deum; nomen Dei prius de Patre, quam de Filio prædicari; Filium esse secundum à Patre, non solum ordine, sed etiam dignitate, quoniam essendi origo Pater ipsi est. Vide Calvinum lib. 1 Institut. cap. 13. sect. 23. Zanchium Præfat. de Tribus Elohim & lib. 1. cap. 3. de tribus Eloh. Chassan. lib. 1. loc. comm. cap. 15. sect. 13. citante Gerhardo tom. 1. de tribus Elohim cap. 6. sect. 35. Etiam ex antiquis Patribus multi agnoverunt expresse, Filium etiam qua Deus est, minorem esse Patre: quos Patres allegat Maldonatus Comment. in Joh. 14. 28. Sed cum tamen homines isti urgeant, Filium Dei esse Patri per omnia æqualem; nam si minor eo atque inferior foret, non posset esse Deus Altissimus: idcirco nonnulli commenti sunt hanc distinctionem, quod Christus originem suam à Patre habeat, quoad personam, non autem quoad essentiam. Vide Anti-Crellium Botsacci lib. 1. sect. 2. cap. 2. Non pauci ex eis etiam hanc distinctionem adhibent in negotio Incarnationis Christi, dicuntque personam Christi divinam, & non naturam ejus divinam assumsisse naturam humanam: divinam enim personam esse Christi propriam, divinam autem naturam seu essentiam esse omnibus tribus personis divinitatis communem. Vide Bezam, Zanchium, Sohnium, Danæum, Bellarminum, citante Gerhardo tom. 2. loc. 4. sect. 120.

Hic requiritur nimis subtile & acutum ingenium, ut quis hanc distinctionem recte percipiat, utque Christum aliter secundum personam, aliter secundum essentiam seu naturam ejus divinam consideret; si nimirum attendat, quod homines isti expresse asserunt, divinam Christi naturam, secundum quam eandem habet essentiam cum Patre, esse Christi personam, sive, eum secundum divinam naturam esse secundam personam Trinitatis, id est, æternum Dei Filium, qui suam originem habet à Patre.

CAPUT XVII.

De inseparabilitate duarum naturarum in Christo.

DUodecimum membrum præcipuum doctrinæ de Trinitate, est inseparabilitas duarum naturarum in Christo. Affirmant enim, duas istas naturas tam arcto atque æterno & indivulso nexu esse copulatas, ut nullo tempore, nulloque loco separari possint, ne in morte quidem ipsa. Credunt enim, tametsi in morte Christi vinculum, quo anima cum corpore juncta est, dissolutum fuerit, illud tamen vinculum personalis unionis duarum naturarum insolutum atque integrum mansisse.

Quisquis hanc sententiam accuratius pensitat, incidit iterum in errores inexplicabiles. Si enim in morte Christi vere dissolutum fuit vinculum, quo anima corpori jungitur, ut omnes Christiani credunt, & res ipsa docet, qui potuerunt duæ naturæ in Christo manere indissolutæ atque inseparatæ? Sive enim statuas, divinam naturam in divisione animæ ac corporis, cum corpore junctam fuisse, sive cum anima; dici tamen non poterit, eam cum humana natura indivulso nexu mansisse conjunctam: quia non solum corpus, neque sola anima est humana natura Christi. Itaque necesse est dicere, in morte Christi divinam naturam saltem ab una parte humanæ naturæ sejunctam ac separatam fuisse. Si quis dicat, divinam naturam, nihil obstante separatione animæ à corpore, nihilominus utrique parti, conjunctam mansisse, corpori scilicet in sepulchro, & animæ in Paradiso; tum concipi non poterit, quomodo Christus vere mortuus fuerit. Quomodo enim corpus Christi cadaver dici potuit, seu corpus mortuum, si Deus Altissimus personaliter cum eo fuit conjunctus? Quicquid enim anima in corpore agere atque operari potest, ad corpus vivificandum, id multo perfectius ipse Deus Altissimus, seu divina ejus essentia, quæ in corpore remansit, præstare potuit: ita ut etiamsi anima nunquam in corpus remigrasset, corpus tamen nunquam potuisset corrumpi, sed perpetuo vixisset; anima quoque corpore neutiquam indiguisset, & nihilominus beatissima fuisset absque illo, si modo cum Deo Altissimo essentialiter in æternum mansisset conjuncta. Nihil proinde causæ habuisset Christus *in diebus carnis suæ* Hebr. 5. 7. separationem istam animæ à corpore adeo perhorrescere, ut cum clamore valido & lacrymis preces ac supplicationes offerret ei, qui ipsum

poterat servare à morte. Taceo, quod vere dici nequeat, proprie dictam separationem animæ à corpore factam esse in Christi morte, si anima cum corpore, intercedente vinculo divinæ personæ, quæ in utroque mansit, fuit conjuncta. Hi enim homines non ita censent divinam Christi personam cum anima & corpore junctam mansisse, atque si laquei vel catenæ pars extrema alligata sit uni frusto ligni alicujus, altera alteri: sed statuunt, in hypostatica ista unione duarum naturarum, mutuo alteram alteri inhærere atque inexistere, ita ut tota divina Christi persona tam cum anima quam cum corpore, ac vicissim tam anima quam corpus cum tota persona Christi divina conjuncta sit. Quocirca anima non potuit vere à corpore divelli ac separari, si divina Christi persona nunquam ab humana natura recessit. Atqui in morte Christi vera & proprie dicta animæ ac corporis separatio facta est; ut ipsimet fateri coguntur: alioqui non fuisset vere mortuus. Ergo necesse est tunc divinam Christi personam quoque vere à natura humana separatam ac divisam fuisse. Tam incerta sunt mysteria istorum hominum.

CAPUT XVIII.

De communicatione duarum naturarum & naturalium Idiomatum atque operationum in Christo.

TRedecimum caput in sententia Trinitatis considerandum est, Communicatio naturarum, & naturalium idiomatum ac operationum in Christo.

Non enumerabimus autem hoc loco omnia, quæ de hac materia à Trinitatis defensoribus disputari solent; hoc enim in ingens & vastum volumen excresceret: sed pauca quædam ad nostrum propositum pertinentia, delibabimus. Vocant illi hanc communicationem, effectum personalis unionis duarum naturarum, qua fit, ut divina Christi natura humanæ, & contra humana divinæ se cum omnibus suis proprietatibus atque operationibus communicarit, unaquaque alteram penitus ac intime (sine divisione tamen ac permixtione) transmearit ac penetrarit, adeo ut, quod alias extra hypostaticam conjunctionem naturarum tantum de una prædicari potest natura, vi hujus conjunctionis etiam de altera prædicari atque enunciari possit; utque dici queat, *Summus Deus est homo*, & vicissim, *Homo est summus Deus.* Vide Gerhard. tom. 2. loc. 4. cap. 8. sect. 148. Hinc quidam sunt, qui duas in Christo Deitates constituunt, unam communicantem, alteram communicatam. Divinam naturam vocant Divinitatem communicantem, humanam vero, divinitatem communicatam. Vide Brent. in recog. pag. 90. 273. Item de divin. maj. pag. 81. 91. Jacob. Andr. in Apol. pag. 25. 69. Gerhard. Exeg. tom. 3. loc. 4. cap. 8. sect. 152. Utque hoc ipsum doceant, postulat ipsorum sententia; quia credunt, Christum non solum secundum divinam naturam, sed etiam secundum humanam esse Deum, nempe summum; alioqui Maria non posset Dei para seu Dei mater appellari. Verum hac ratione in Christo erunt etiam duæ humanitates, una communicans, altera communicata: quia æque dicunt, *Deus est homo*, atque, *Homo est Deus.*

Itaque etiam usitatissimum est apud Trinitarios, ut propter hanc communicationem idiomatum, hujusmodi utantur loquendi formulis: Deus est natus ex Maria (nonnulli etiam dicere amant, Deitas nata est ex Maria, Deitas passa est, ac mortua &c. Vide quos citat Gerhar. exeg. tom. 1. loc. 4. sect. 198, 199.) Maria est Dei mater; Deus fuit infans; is qui major est universo mundo, jacuit in præsepio; Deus tentatus est à Diabolo; Deus vectus est asino; Judæi Deum crucifixerunt; Deus siti laboravit in cruce pendens; Deus mortuus est & sepultus. Hinc cum novus quidam Poëta Germanicus Johannes Risten in suo libello cantionum sacrarum edito Luneburg. Anno 1642. inter alia scripsisset: *ô dura necessitas! Deus ipse jacet mortuus*; Theologus quidam celebris Stephanus Klotz Superintendens Holsatiæ in epistola sua ad illum ita calculo suo hæc verba approbat: *Dispicere nequeo, qua de causa culpari à quoquam possit, quod Tua Dignitas in suis olim editis Spiritualibus hymnis, & quidem in hymno de Sepultura Christi protulit: ô dura necessitas! ipse Deus decumbit mortuus. Nam si verum est, Deum revera obiisse, & Dominum gloriæ crucifixum, atque occisum esse; uti sane verum id esse ac manere necesse est; non poterit non etiam esse verum, quod Deus vere mortuus fuerit: nisi forte possit esse non mortuus, qui occisus est.* Gerhardus quoque inquit Exeg. tom. 1. loc. Theol. loc. 4. sect. 195. *Quæcunque de Christo prædicantur de persona sunt accipienda: alias si humana tantum de homine, divina tantum de Deo prædicarentur, duæ personæ introducerentur. Christus in medio passionis actu se Filium Dei esse publice professus est, ne quis dubitaret, ipsum Dei Filium esse passum. Omnia opera, omnes passiones non tribuuntur naturis, sed personæ. Quam vere & realiter Deus est Homo, tam vere de Deo prædicatur, quicquid est humanum.* Huc pertinet etiam illud auditu horrendum scholastici cujusdam Doctoris dictum, qui postquam demonstrasset, Deum etiam lapidem, asinum, damnatum hominem, imo ipsum quoque Diabolum suppositare, id est, in suum suppositum seu personam suscipere posse, addit: *Corollarium, quod sequitur ad hanc Conclusionem, Deus est lapis, Deus est asinus, Deus est homo damnatus, Deus est Diabolus, patet. Quia eadem ratione, qua illa conceditur, Deus est homo, crucifixus, mortuus; & illæ sunt concedendæ per communicationem idiomatum.* Vide Gabrielem Biel. in 3. Sent. distinct. 1. qu. 3. art. 1. Alii Scholastici censent non esse absurdum dicere, *Deus est peccator.* Vide Suaresium tom. 1. Comment. in Thom. part. 3. disp. 34. sect. 2. fol. 504. Cum quo convenit illud, quod vulgo in Ecclesiastico quodam hymno Lutherani canunt: *Deus vult agere pœnitentiam.* Quis enim agit pœnitentiam, nisi peccator?

Has inusitatas locutiones vocant illi *Propositiones personales* (quanquam ab aliis aliter etiam appellantur) quia ex sola personali unione duarum naturarum promanant, earumque veritas nonnisi in hac unione fundatur; alioqui in usu non sunt. Itaque merito inusi-

inusitatæ dicuntur, quia nusquam in Scriptura legitur, Apostolorum quenquam iis usum esse.

Occasio hujus dogmatis de Communicatione idiomatum inde orta est, quod falsa ipsorum opinio, quam imbiberunt de natura atque essentia Christi, eis obstiterit, quominus verum ac genuinum sensum plurimorum locorum Sacræ Scripturæ perciperent: ut igitur loca illa cum præconcepta sua opinione conciliarent, coacti sunt hoc dogma comminisci. Quia enim Christum pro summo Deo habent, videntque, Christo simpliciter & sine mentione divinæ naturæ, & nomen Dei & non pauca divina attributa seu proprietates adscribi, nec non plurima divina ac supernaturalia opera de eo prædicari; existimant, id ideo fieri, quod divina natura se humanæ cum omnibus proprietatibus suis communicarit: & non habent tantum prudentiæ ac perspicaciæ, ut intelligant atque agnoscant, quicquid in homine Jesu Christo, dum in terris fuit, sapientiæ, ac potestatis divinæ apparuit, id non ab aliqua divina natura essentialiter in ipso habitante, per quam fuerit ipse Deus Altissimus, profectum fuisse, sed ab illo Sancto Spiritu, quo cœlitus descendente unctus fuit Matth. 3. 16. item illum *nomen, quod est supra omne nomen* (id est, nomen Dei una cum omni potestate divina in cœlo & in terra) dono accepisse à Deo pro perfectissima sua obedientia, Phil. 2. 9. Deinde quia in multis Sacrarum Literarum locis talia de Christo simpliciter affirmantur vel negantur, quæ de Deo supremo dici vel negari nequeunt (ut quod natus sit, quod sit mortuus ac sepultus, quod nesciverit diem judicii, & similia sine numero) autumant, id propter communicationem illam absurdam naturarum, naturaliumque idiomatum fieri, quod nimirum humana natura vicissim divinæ suas proprietates communicarit. Itaque ut suam præconceptam sententiam adversus tam multa clara Scripturæ testimonia possint defendere, necessario ab ipsis inventum est hoc Communicationis propugnaculum. Quomodo enim alioqui consisteret sententia eorum de personali ac hypostatica unione atque mutua immanentia seu immeatione duarum naturarum, de qua supra cap. 15. egimus? Ex tali enim absurda conjunctione naturarum, necessario sequitur talis absurda communicatio mutua naturarum ac proprietatum.

Cum vero Sacra Scriptura varia & multa testimonia adversus ipsorum opinionem nobis suppeditat, ideo uno Communicationis idiomatum modo non contenti, plures & varios excogitaverunt; prout patrocinium causæ ipsorum requirit, ut novis se subinde effugiis adversus scripturæ loca sibi adversantia muniant. Primum enim ponunt Communicationem naturarum ipsarum, qua natura una alteri sese per hypostaticam unionem communicavit, & alia aliam mutuo ac intime penetravit. Deinde, Communicationem naturalium idiomatum, qua natura una alteri proprietates suas communicavit. Tertio, Communicationem personæ, qua divina persona se humanæ naturæ ita communicavit, ut eam assumserit in personæ unitatem. Vide fuse agentem ea de re Gerhardum tom. 2. loc. 4. cap. 8. 10. & seqq. Quod triplex discrimen atque distinctio nullum alium usum habet, quam ut intellectus humanus magis adhuc oneretur ac confundatur: quandoquidem altera & tertia Communicatio jam in prima esset prorsus comprehensa, si talis Communicatio in Christo locum haberet. Qui enim alteri naturam suam totam atque essentiam communicat, is non potest non ei etiam naturales proprietates suas atque personam communicare. Communicationem idiomatum naturalium illi iterum triplicem faciunt: Primo, qua id, quod uni tantum naturæ proprie convenit, de tota Christi persona, quatenus illa simul Deus & homo est, prædicatur. Secundo, qua divina natura gloriam suam humanæ communicavit. Tertio, qua duæ naturæ simul operantur opera illa, quæ ad Mediatorium munus Christi pertinent. Hæc omnia & adhuc multo plura scire oportet, de quibus ingentia volumina à Trinitatis assertoribus conscripta sunt, quæ nos brevitatis studio hic omittimus, si quis ex ipsorum sententia velit testimonia Sacræ Scripturæ, quæ de Christi persona, natura atque essentia agunt, recte intelligere, & in nullum perniciosum errorem incidere. At mirum est, quam altum sit de istis rebus omnibus in Sacris Literis silentium.

Observandum etiam hoc loco est, Trinitatis Doctores hic unum adhuc monitum diligenter inculcare, & ne in eo erretur, sedulo caveri velle. Nimirum docent, etsi propter communicationem duarum naturarum in Christo dici possit, *Deus est Homo, & Homo est Deus*, tamen dici non posse, nec ullo pacto debere, Divina natura est humana natura, vel, Humana natura est divina natura. Vide Gerhardum tom. 2. loc. 4. sect. 153, 155. Quod monitum cum supra memorata inepta distinctione inter personam & naturam Christi divinam coincidit. Eccur vero priori modo loqui liceat, posteriori non liceat, posset merito quæri: quippe ex eorum sententia divina Christi natura Deus est, & Deus in Christo est divina ipsius natura; sic etiam homo in Christo nihil aliud est, quam humana ipsius natura.

Quod hic alias præterea ad hujus dogmatis refutationem dici posset, id partim in scriptis Calvinistarum, seu, ut appellari amant, Reformatorum, qui cæteroqui acres etiam sunt Trinitatis propugnatores, sed in hac de Communicatione naturarum doctrina cum Lutheranis non consentiunt, legere est; partim ex iis, quæ supra de hypostatica unione naturarum dicta sunt, intelligitur.

Hoc unum adhuc commemorare cogimur, si quid unquam ab humano ingenio excogitatum est, quod enormiter ac manifeste secum pugnat, id esse hanc de Communicatione idiomatum doctrinam. Quemadmodum enim, verbi gratia, dicunt, Deus vere est mortalis factus, & reipsa quoque mortuus; quia humana natura divinæ mortalitatem communicavit: Ita dici etiam poterit, Homo Jesus Christus fuit vere immortalis, atque reipsa etiam mortuus non est; quia divina natura humanæ communicavit immortalitatem. Unde sequitur, Christum tam secundum divinam, quam secundum humanam naturam simul mortalem & etiam immortalem fuisse, eumque secundum utramque naturam mortuum esse, & non mortuum. Pariter negant iidem homines, Chri-

Christum secundum humanam naturam per se adorandum esse, sed propter hanc solam communicationem idiomatum volunt id fieri. Sicut igitur divina natura humanæ communicavit adorabilitatem, (ut sic dicam) ita dicere oportet, humanam naturam vicissim divinæ communicasse non adorabilitatem. Itaque necessarium erit, ut Christus secundum utramque naturam adoretur, & simul necessarium erit, ut secundum utramque naturam non adoretur. Quis vero istud potest capere? Verum de his satis dictum esto.

CAPUT XIX.

De Omnipræsentia Corporis Christi.

SI ad hanc doctrinam de personali unione ac communicatione duarum naturarum, naturaliumque proprietatum, duæ præterea doctrinæ accedant, quarum unam omnes Trinitarii, alteram non exigua eorum pars profitentur, & pro infallibili veritate amplectuntur: nimirum primo, quod Deus quoad essentiam suam ubique & in omnibus locis præsens sit; secundo, quod Christus non tantum olim in terris, sed & nunc in cœlis naturale corpus habeat: nihil deesse potest ad hominum animos in extremam confusionem ac perturbationem inducendos. Inde enim sequitur, etiam naturale corpus Christi, quod cum essentia divina in eandem personam unitum est, semper ubique præsens fuisse, & etiamnum esse. Quæ res etiam tam perplexa & intellectu difficilis est, ut inter ipsos Trinitarios de ea sit lis ingens, & implacabilis hostilitas exorta. Pars una tam mordicus hanc suam tuetur sententiam, ut (quemadmodum illi ab altera parte objicitur: vide Breviar. Ubiquit. pag. 113. & seq.) malint absurdissimas locutiones de Christo usurpare, quam sententiam mutare, aut ab ea vel latum unguem recedere. Non horrent enim dicere, *tunc cum Christus pependit in cruce, corpus ejus eodem tempore fuisse Romæ, Athenis, in India, & ubivis locorum; Christi carnem esse in omni pane, pomo, pyro, angulo, etiam in inferno, denique in ipso Diabolo.* Lutherus inquit de Christo: *Omnia plena ubique sunt Christi, etiam secundum ipsius humanitatem.* Tom. 3. Jenens. fol. 458. Hoc vero si verum sit, præter alia infinita absurda, etiam hoc erit verum, quod Christus, cum jam natus esset è Maria Matre sua, nihilominus adhuc in utero ejus fuerit. Qui autem adhuc hæret in matris suæ utero, ille nondum natus & in lucem editus est. Sic igitur Christus è matre sua natus est, & simul non est natus, neque in æternum nascetur. Tam sublime scilicet & admirandum mysterium est, ista hypostatica unio & communicatio duarum naturam in Christo. Et qui id non credit, sed cum Scriptura affirmat, Christum nunc esse in cœlo, ibique sedere ad Dei dexteram, Act. 2. 33. Eph. 1. 20. ille nihil facit aliud, quam quod Christum (ut isti homines alii aliis objiciunt) *quasi murem in muscipula, vel catenarium canem in stabulo includat.*

CAPUT XX.

De Humiliatione & Exinanitione summi Dei.

EX personali conjunctione & communicatione duarum naturarum in Christo, ortum est adhuc unum grande & imperceptibile mysterium, quod ad melius cognoscendam horum hominum doctrinam de Persona Christi scitu necessarium est: id vero est *Humiliatio & Exinanitio Dei.* Ejus autem duas faciunt species. Una est, qua Deus Altissimus, seu secunda persona Trinitatis, ex summa erga humanum genus misericordia, se ita demisit ac humiliavit, ut cœlesti throno suæ majestatis relicto, in terram descenderet, & humanam naturam in se susciperet. Hanc vocant Humiliationem Incarnationis. Alteram vocant proprie Exinanitionem: qua nimirum Deus Altissimus, postquam assumsisset carnem, non semper in ea tanquam Deus apparuit, vel divinitatem suam exeruit, sed deposita majestate sua ac gloria, inter homines versatus est servili in statu ac conditione; fame sitique laboravit; non habuit, ubi caput reclinaret; asello vectus est; passus est se contumeliis ac persecutionibus affici, lapidari, colaphizari, flagellari, conspui, denique morte crudelissima è vita tolli. Hæc enim omnia illi proprie de Deo dici volunt, ut supra cap. 18. intelleximus. Quanquam Calviniani hac in parte Lutheranis civiliores & cautiores sunt.

Hæc vero Humiliatio Dei Altissimi revera est multo major, & rationi magis repugnans, quam si Cæsar aliquis, deposita majestate sua Cæsarea, laceris vestibus atque centonibus indutus, se immisceret turbæ mendicorum, vel carbonariorum, in stramine cubaret, pane cibario cum furfuribus vesceretur, omnesque illas contumelias atque opprobria, quæ illi de Deo Altissimo prædicant; sibi inferri pateretur. Imo sunt, qui velint, Deum in illo statu suæ humiliationis ita divinitatem suam exinanivisse, ut etiam *omniscientiam suam* deposuerit, & non omnia in terris sciverit; ut inter alia diem extremi judicii, Matth. 24. 36. Vide Lutheri Postil. Epist. in Festo Nativ. Christi Gerhard. tom. 2. loc. 4. sect. 279, 318.

Quomodo autem fieri potuerit, ut summus ille immutabilis Deus cœlum relinqueret, in terram descenderet, seque malitiosis hominibus ita ludificandum & pessime tractandum præberet, uti Filium Dei tractatum legimus; quomodo Deus sapientissimus potuerit ita omniscientiam suam deponere, ut aliquando aliquid nesciret; cum nec hominum ulli in manu ac potestate sit, rem, quam scit, ita ex animo ac memoria sua delere, ut eam ad tempus prorsus ignoret: quomodo de vivo & immortali Deo absque horrore dici queat, eum mortalitatem induisse, ac vere mortuum sepultumque fuisse: quomodo Deus Altissimus pro sua obedientia, quam sibi ipsi præstitit, præmium à seipso accipere potuerit: denique quomodo hæc omnia, etiamsi natura sua factu non essent prorsus impossibilia, tamen cum divina sapientia conciliari queant, ut id per tantam majestatis suæ imminutionem ac contumeliam consequi

sequi quæreret, quod per obedientiam ac humiliationem veri Filii Dei, hominis scilicet Jesu Christi, multo commodius obtinere poterat: id viderint ipsi sententiæ hujus propugnatores, qua ratione fidem his rebus conciliare queant apud eos, qui non nudis ipsorum verbis credere, sed ea secundum indubitata veritatis principia, quæ nobis Deus per verbum suum, & rationis naturale lumen revelare dignatus est, examinare cupiunt.

De Cæsare, aliove Principe, qui se ita humiliaret, ut se pateretur vexari, cædi, ludibrio haberi atque occidi, & quidem absque ulla necessitate, ab iis, quorum in vitam ac corpus supremam habet potestatem, dici posset, eum statum suum Cæsareum abdicasse, & tunc non amplius Cæsarem esse: tunc enim non in conditione Cæsaris, sed in vilissimi servi ac mediastini sui conditione foret. Verum nulla humana persona, quantumlibet dignissima, imo ne Angelus quidem tam alte sese demittere atque humiliare potest, quam Deus Altissimus sese humiliasset, si vera esset horum hominum sententia. Hæc enim humiliatio Dei non solum esset conjuncta cum simplici abdicatione externi status ac dignitatis (qualem etiam in Cæsare locum habere posse diximus) sed etiam cum depositione divinarum perfectionum, puta immortalitatis, omniscientiæ, & omnipotentiæ &c. per quas Deus est Deus. Itaque de Deo multo magis dici posset, eum tunc non fuisse Deum, id est, supremum Dominum ac moderatorem universi. Quod vel cogitatu, nedum dictu horrendum est. Et tamen isti homines sententiam talem tanquam divinum & ad salutem necessarium mysterium venerantur, aliisque obtrudunt, ex qua hoc tantum absurdum necessario fluit. In eo enim præcipue ac proprie sitam fuisse censent humiliationem Dei; id est, Filii Dei, seu secundæ personæ Trinitatis, quod in servi forma Patri ad mortem crucis usque obediens fuerit. Jam vero Filius iste Dei propter hanc suam obedientiam in summam erectus est sublimitatem, donatumque ei est nomen, quod est supra omne nomen, id est, nomen Dei, una cum divina potestate atque imperio super omnia Phil. 2. 9, 10. Quare necesse est, Filium Dei (id est, ex ipsorum sententia, ipsum Deum Altissimum) tempore servilis status sui, hoc nomen non habuisse, id est, eum tunc Deum Altissimum non fuisse.

Etsi vero hoc dogma de Humiliatione Dei rationis humanæ captum omnino superet, tamen longe difficilius & perplexius est, quod credi jubetur, Altissimum Deum sese humiliasse, & tamen etiam se non humiliasse. Statuunt enim, solum Filium, quem pro uno illo summo Deo habent, se humiliasse, Patrem vero & Spiritum Sanctum, quos itidem pro illo ipso uno summo Deo agnoscunt, sese non humiliasse. Quomodo vero hoc intellectu concipi possit, æquis judicibus æstimandum relinquimus.

CAPUT XXI.

De Resurrectione summi Dei à mortuis.

QUandoquidem homines isti docent, summum Deum vere fuisse mortuum ac sepultum, scripturaque testatur, Christum (quem illi credunt esse summum Deum) resurrexisse à mortuis; coguntur hoc quoque asserere, quod Deus summus à mortuis resurrexit. Quod etiam eo ipso aperte docent, dum urgent, Christum seipsum resuscitasse à mortuis. Hac ratione vero simplicibus novam crucem figunt. Nam si Christus, ut pote Deus Altissimus, propria virtute resurrexit ex mortuis, vel seipsum resuscitavit, scriptura vero testatur innumeris locis, alium quempiam, nempe Patrem, excitasse ipsum ex mortuis: (Vide inter alia Act. 2. 24. III. 15, 26. IV. 10. XIII. 30, 32, 37. Rom. 4. 24. VIII. 11.) tum ex horum hominum sententia dici poterit utrumque, & Deum Altissimum excitasse à mortuis Deum Altissimum, & Deum Altissimum propria virtute à mortuis resurrexisse, id est, eum ab alio nullo excitatum esse. Quod seipsum evertit. Etiamsi vero illi hanc suam opinionem ita declarent, quod tota Trinitas Christum ex mortuis suscitaverit, quodque respectu primæ & secundæ personæ dicatur, Deum, vel etiam interdum, Patrem resuscitasse Christum, respectu autem secundæ personæ, quæ est Christus ipse, dicatur, Christum seipsum resuscitasse, vel propria vi resurrexisse; res tamen hac ratione non fit clarior. Sequitur enim nihilominus, Christum, uti secundam Trinitatis personam, propria virtute resurrexisse, & tamen etiam ab aliis duabus personis esse resuscitatum. Quæ certe inter se pugnantia sunt. Qui enim suis propriis resurrexit viribus, de eo dici nequit, eum ab alio esse resuscitatum; & contra, qui ab alio aliquo resuscitatus est, de eo dici non potest, eum propriis viribus resurrexisse. Imo hinc liquet, Christum non potuisse propria virtute resurgere. Dici enim non potest, Christum ope ac coöperatione cæterarum duarum personarum, Patris scilicet & Spiritus Sancti non indiguisse (præsertim cum scriptura testetur, Christum *cum clamore valido & lacrymis preces & supplicationes suas obtulisse ei, qui ipsum poterat servare ex morte* Hebr. 5. 7.) siquidem absurdum foret dicere, Deum aliquid frustra & sine necessitate fecisse, imo supereminentem magnitudinem roboris ac potentiæ suæ ibi, ubi opus non erat, impendisse: quemadmodum Paulus Apostolus affirmat, Deum id in resuscitando Christo fecisse Eph. 1. 19.

CAPUT XXII.

De Ascensione in cœlum, & Exaltatione Dei Altissimi.

DE illo Deo, qui se ad eum modum, ut paulo ante audivimus, humiliavit atque exinanivit, juxta horum hominum doctrinam credendum est, eum præmii loco rursus à Deo Altissimo (nempe Filium

lium à Patre) exaltatum esse, gloriaque & honore coronatum; cum nimirum quadragesimo die post resurrectionem suam à mortuis in monte Oliveti visibili ratione in cœlum translatus & ad dexteram Dei collocatus est. Hæc Ascensio in cœlum & Exaltatio Dei Altissimi etiam ratione rimanda non est, nisi sensum omnem & intellectum velis amittere. Cum enim Deus Altissimus, ut homines illi docent, vere descenderit de cœlo, atque in statu humilitatis per aliquod tempus in terris commoratus sit; credendum utique etiam est, eundem Deum Altissimum iterum vere in cœlum ascendisse, è quo prius descenderat. At interim quia Deus ille Altissimus, qui in terris fuit, idem ille Deus Altissimus est, qui in cœlis perpetuo mansit, & exinde nunquam descendit; necesse est confundi atque turbari omnes hominis sani sensus, si velit percipere atque intelligere, quomodo Deus Altissimus vere in cœlum ascenderit. Etiam ipsis Trinitariis permultis res ista adeo difficilis est creditu, & adeo eis unitas essentiæ semper versatur ob oculos, ut dicant: *Christum ne latum quidem digitum, vel pilum, propius cœlo promovisse gradum, ut ad Patrem veniret; ascendere in cœlum nihil aliud esse, quam disparere, quam divinam formam, majestatem atque dominium consequi; in cœlum ascendere, & ad dextram Dei sedere, unum & idem esse; ascensionem in cœlum, quæ facta dicitur in monte Oliveti, non fuisse veram ascensionem, quam in Symbolo Christiana fidei confitemur, sed tantum quasi Comœdiam quandam, & Epilogum apparitionum Christi.* Vide allegata in Brev. Ubiq. Art. 14. & in Tractatu de Ubiquitariorum fide de Ascensione Christi. Quis jam vellet vitio vertere homini simplici atque idiotæ, quod se ex his tricis expedire nequeat, è quibus se extricare ne ipsi quidem hujus mysterii Doctores possunt? Quisquis simplicem cognitionem cum Sacris Literis consentaneam amat, is simpliciter credet, eum qui in cœlum ascendit, ac propter suam obedientiam ad dextram Dei evectus est, nullum esse alium, quam hominem Jesum Christum, qui ex Spiritu Sancto Dei conceptus, & à Virgine Maria genitus est.

CAPUT XXIII.

De Adventu Altissimi Dei ad judicium ultimum.

QUod in articulo de Ascensione in cœlum Dei Altissimi notandum esse monuimus, idem etiam in capite de Adventu ejusdem ad extremum judicium considerandum est. Nimirum quod Deus Altissimus in assumta sua humana natura venturus sit de cœlo ad universale judicium vivorum & mortuorum; & quod nihilominus etiam in cœlo mansurus sit: vel, quod neque de cœlo descensurus, neque in cœlo mansurus sit; quia jam semper in cœlo & in terra essentialiter ac personaliter ubique præsens est. Jesum Christum de cœlo vere redituru, testati sunt diserte illi duo viri, qui apparuerunt Apostolis, cum Christus veheretur in cœlum. Dixerunt enim: *Hic Jesus, qui à vobis assumtus est in cœlum, ita redibit, quomodo eum vidistis euntem in cœlum* Act. 1. 13. At iste Jesus, horum hominum opinione est ille ipse Deus, qui semper in cœlo manet, quique etiam essentia sua in omnibus locis præsens est. Ergo sequetur, hunc Jesum, qui ubique semper præsens est, in cœlo mansurum, & tamen de cœlo esse venturum. Qui est ille idem labyrinthus, in quem nos supra descensus Altissimi Dei de cœlo in uterum Mariæ Virginis induxerat. Sufficiant ista de cognitione Filii Dei secundum doctrinam eorum, qui tres personas in unica divina essentia dari credunt. Consequens est, ut nonnihil etiam de Spiritu Sancto dicamus, quem illi tertiam personam Trinitatis esse censent.

CAPUT XXIV.

De Tertia Trinitatis persona, nempe Spiritu Sancto.

QUemadmodum Filius, ex mente Trinitariorum, essentiam suam non habet ex seipso, sed eam ab alio ab æterno accepit; ita & Spiritus Sanctus. Tantum cavendum est, ne modus productionis utriusque, & Filii, & Spiritus Sancti, confundatur, sed bene distinguatur. Primum enim statuunt, Filium essentiam suam à solo Patre, non autem à Spiritu Sancto accepisse, etsi Spiritus Sanctus ejusdem essentiæ cum Patre sit: Spiritum Sanctum vero habere suam essentiam à Patre simul & Filio, vel, ut Græcæ Ecclesiæ docent, à Patre per Filium.

Deinde asserunt, Filium essentiam suam à Patre per Generationem accepisse, Spiritum Sanctum autem per Processionem sive Emanationem. Hinc in Athanasiano Symbolo dicitur: *Filius est à Patre neque factus, neque creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus est à Patre & Filio, neque factus, neque creatus, neque genitus, sed procedens.*

Si quis hic intendat ingenii sui aciem, ut hoc mysterium bene percipiat, non potest non rursus ubique impingere. Statim enim hominem rationalem admiratio ac dubitatio subeat necesse est, qui fiat, quod cum Spiritus Sanctus æque ac Pater persona esse ponatur, tamen solius Filii productio ex essentia Patris Generatio dici debeat, & non etiam productio Spiritus Sancti ex eadem essentia? Cur non etiam dici possit, Spiritum Sanctum esse ex essentia Patris ac Filii ab æterno genitum? Quando enim Spiritus Sanctus nonnisi virtus Dei esse creditur, causa est sufficiens, cur ejus productio nequeat Generatio vocari: cum virtus proprie non generetur, sed emanet tantum ab eo, cujus est virtus. Ast de persona, quæ essentiam suam ab alia persona, exque essentia ejus accipit, omnino dici potest ac debet, eam ab illa generatam esse.

Cæterum illi hanc afferunt rationem, cur Spiritus Sancti productio non debeat Generatio, sed potius Emanatio aut Processio appellari: quia nimirum Sacra Scriptura eam nunquam vocet Generationem, sed solum de Spiritu Sancto dicat, eum *à Patre procedere* Joh. 15. 26. Verum ut prætereamus hoc

hoc ipsum sufficiens testimonium esse, quod Spiritus Sanctus non sit ulla persona divinitatis, quia in Sacris Literis nusquam productio ejus ita describitur. Quomodo describi omnino deberet, si is persona esset, quæ ex essentia Dei producta est: si homines isti hac in parte tanti faciunt auctoritatem Sacræ Scripturæ, ut nolint Spiritus Sancti productionem, aliis, quam Scripturæ verbis efferri; non debent etiam aliis vitio dare, si totam istam mysterii falso crediti de uno Deo trino in personis fabricam, una cum omnibus hactenus memoratis basibus ac tibicinibus, quibus eam statuminare satagunt, uno impetu subvertant ac rejiciant, eam ipsam ob causam ac rationem, quod de tota hac illorum doctrina nihil habeatur in Sacris Literis. Adde quod soleant ipsi quoque Generationem Filii Dei *emanationem* vocare. Dicunt enim expresse, in Deo duas esse *Processiones* seu *Emanationes*: quarum una, per quam Filius suam Essentiam accepit, vocetur Generatio; altera vero, per quam productus est Spiritus Sanctus, quia modus productionis istius verus ignoratur, retineat commune nomen Processionis seu Emanationis. Vide Becan. summ. Theol. Schol. Tract. 2. pag. 71. & seq. Quanquam alii eam etiam *spirationem* appellant. Cum igitur Generationem Filii Dei ex essentia Patris Emanationem vocant, tametsi talis appellationis nullum exemplum è Sacris Literis afferre possint (quod enim Joh. 8. 42. XVI. 27, 28, 30. XVII. 8. dicit Christus, se exivisse à Patre, id de illo egressu intelligendum est, cum tanquam legatus à Patre in mundum venit) causa sane nulla est, cur non etiam productio Spiritus Sancti vicissim Generatio dici debeat vel possit, etsi in Sacris Literis ita non appelletur: quandoquidem contendunt, Spiritum Sanctum essentiam suam, perinde à Patre & Filio accepisse, atque eam Filius accepit à Patre; neque illi ullo argumento probare queunt, Processionem ejus aliter peractam esse, quam generationem Filii. Tantum etiam de hoc.

CAPUT XXV.

In quo docetur in genere, dogma Trinitatis seipsum evertere.

HUcusque primaria capita enumeravimus & excussimus, quæ ad explicationem ac defensionem doctrinæ de Trinitate, & aliis rebus ei annexis, spectant. Dico *primaria*: omnia enim in medium producere, quæ à doctis ad stabiliendam ac propugnandam hanc doctrinam excogitata sunt, ut & varias opiniones, in quas ipsi inter se scissi sunt, & ob quas alii alios tanquam pessimos hæreticos condemnant, id non est hujus loci, ubi nobis infra præscriptas brevitatis metas consistere propositum est.

Nunc porro animus est paulo accuratius hoc fictum mysterium trutinare, & Christiano Lectori luce clarius demonstrare, quam hoc dogma multis modis secum pugnet, ac innumeris contradictionibus seipsum evertat, ideoque non tantum non verum, sed ne verisimile quidem esse. Quanquam etiam jam in præcedentibus ejus rei fundamenta jecimus, taliaque monuimus, ex quibus falsitas istius sententiæ, etiam absque ulteriori probatione, elucere possit.

Hanc autem tractationem nostram in tres dividemus partes. In prima, agemus in genere de tribus personis Trinitatis, ostendemusque doctrinam istam non solum sibi ipsi, sed & aliis principiis Trinitariorum adversari. In secunda parte in specie agemus de secunda Trinitatis persona, quam credunt esse Filium Dei. In tertia agemus de tertia persona, quam statuunt esse Spiritum Sanctum.

Quod primam partem spectat, primum argumentum esto, quod dogma Trinitatis seipsum evertat, quia ex eo sequitur, *unum tantum esse Deum, & simul quoque tres Deos esse.* Unum tantum Deum esse, ore palam profitentur: tres autem Deos esse fateri nolunt, sed vis tamen hæc inest verbis eorum, cum dicunt, tres esse distinctas personas, quarum quælibet sit Deus. Nimirum Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus: Ergo tres sunt distinct Dii. Quod facile intelligitur ab unoquoque, qui modo tria numerare non dedidicit. Cum enim Trinitarii, quando volunt probare, in Deo esse tres distinctas personas, ita argumentari soleant: Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus Sanctus est persona divina; Ergo tres sunt personæ divinæ (quia scilicet tres numerarunt:) utique pari omnino jure concludere licebit: Pater est Deus summus, Filius est Deus summus, Spiritus Sanctus est Deus summus. Ergo tres sunt Dii summi. Si urgeremus exempla à rebus creatis petita: Petrus est homo, Paulus est homo, Johannes est homo; Ergo tres sunt homines: Vel, Michaël est Angelus, Gabriël est Angelus, Raphaël est Angelus; Ergo tres sunt Angeli; si, inquam, hæc urgeremus exempla, exclamarent adversarii, aliter se rem habere in creaturis, aliter in Deo. At nunc, cum divinarum personarum exemplo utimur, quid sunt dicturi? Effugium distinctionis inter Deum essentialiter & personaliter sumtum, jam supra cap. 9. patris secundæ ipsis eripuimus.

Secundum argumentum, quod dogma Trinitatis seipsum perimat, est, quia ex eo sequitur, *unam personam esse alteram*: Nempe Patrem esse Filium & Spiritum Sanctum; & rursus Filium esse Patrem & Spiritum Sanctum; denique Spiritum Sanctum esse Patrem & Filium. Qua ratione tollitur prorsus discrimen omne inter personas, ut jam non tres personas, sed unam tantum personam esse dicendum sit. Ita enim argumentari licet: Deus ille unus est Pater. Filius est Deus ille unus. Ergo Filius est Pater. Major propositio extat in scriptura 1 Cor. 8. 6. Assumtio est adversariorum sententiæ consentanea. Conclusionem ergo negare non possunt. Similiter etiam de Spiritu Sancto concludi potest: Unus ille Deus est Pater. Spiritus Sanctus est unus ille Deus. Ergo Spiritus Sanctus est Pater. Item: Unus ille Deus est Filius. Spiritus Sanctus est unus ille Deus. Ergo Spiritus Sanctus est Filius. Atque hæ collectiones aliter solvi nequeunt, nisi dicatur, alium Deum esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum, adeoque tres distinctos Deos esse.

Tertium argumentum est, quia sequitur ex hac

de Trinitate sententiâ, *neque Patrem, neque Filium, neque Spiritum Sanctum esse unum illum verum Deum.* Sic enim potest concludi: Unus ille verus Deus est Pater. Filius non est Pater. Ergo Filius non est Deus ille unus. Item: Unus ille verus Deus est Filius. Pater non est Filius. Ergo Pater non est unus ille verus Deus. Priorem conclusionem Trinitarii non admittent. Posteriorem nullius Christiani hominis aures ferent.

Quartum argumentum sit, quia sequitur, *quamlibet personam Trinitatis esse trinam in personis.* Ita enim argumentabor: Deus ille unus est trinus in personis. Quælibet persona divina est Deus ille unus. Ergo quælibet persona divina est trina in personis. Hanc conclusionem ipsi Trinitarii falsam esse agnoscunt: necesse igitur est, vel Majorem, vel Minorem propositionem falsam esse. Non potest autem hic quicquam aliud contra afferri, præter absurdam illam distinctionem inter Deum essentialem & personalem, quam supra Cap. 9. abunde refutavimus.

Quintum argumentum est, *quia tres personæ divinæ realiter eadem, & simul tamen diversæ forent.* Posterius, quod diversæ ac distinctæ sint personæ, aperte docent Trinitarii; prius autem eo ipso asserunt, cum ajunt, istas tres personas habere unam eandemque essentiam; seu divinam essentiam esse realiter eandem cum tribus personis. Sic enim inferre licet: Quæ sunt eadem realiter uni alicui rei, etiam inter se realiter sunt eadem. Atqui tres illæ personæ divinæ realiter inter se distinctæ, realiter sunt idem uni cuipiam rei, nempe essentiæ divinæ. Ergo personæ illæ tres realiter inter se distinctæ, inter se realiter sunt eædem. Conclusio est falsissima, & sibi manifeste contradicit. Itaque oportet præmissarum aliquam falsam esse. At prima præmissarum, seu Major propositio in dubium vocari non potest, quia omnibus noto nititur principio, quod vulgo ita efferunt: *Quæ sunt eadem uni tertio, inter se sunt eadem.* Hinc ipsi Trinitarii hoc principio alibi utuntur, cum probare solent, attributa divina non distingui realiter inter se, sed esse eadem, quia cum uno tertio, nempe cum divina essentia sunt eadem. Quare necesse est alteram præmissarum, seu Minorem propositionem, quæ sententiam Trinitariorum continet, falsam esse.

Sextum argumentum est, quia *in Deo simul una & tres substantiæ forent.* Unam esse Dei unius substantiam extra controversiam est: tres autem simul esse substantias in Deo, exinde colligitur, quia tres sint distinctæ in eo personæ, id est, substantiæ intelligentes. Vide supra dicta Cap. 6.

Septimum argumentum ex analogia cum rebus creatis ducitur, quo ostenditur, *nisi una Dei persona statuatur, infinitas esse statuendas.* Videmus enim, in rebus creatis unius substantiæ intelligentis unam tantum esse personam. Monstretur vel unicum exemplum, sive hominis, sive Angeli, qui non sit una persona, sed plures. Cum ergo Deus quoque una tantum sit substantia intelligens, necessario sequitur, eum non tres personas, sed unam tantum personam esse. Hic vero objicitur ab adversariis: aliam esse rationem Dei, & rerum creatarum. Cur vero? Quia, inquiunt, res creatæ sunt finitæ; increata autem Dei essentia est infinita. Verum hæc differentia inter finitum & infinitum hoc in loco nullum habet momentum. Tum enim demum momenti aliquid habitura esset, si persona increata non æque infinita foret, atque essentia seu substantia, in qua subsistere creditur; aut si pars rei alicujus suppositum ac persona esse posset. Nunc cum aliter se res habeat, eadem hic ratio est finitæ & infinitæ personæ, manetque, tam increatam quam creatam substantiam non posse esse plures personas. Cur enim finita substantia nonnisi unam personam constituere potest? nempe quia persona aut suppositum totam in se substantiam, non partem ejus aliquam complectitur, nec potest eadem substantia eodem tempore, secundum idem bis esse idem; ac porro nec bis esse suppositum, bis persona: ut supra Cap. 7. ostendimus. At eadem ratio est etiam in divina substantia. Siquidem persona quælibet divina totam divinam substantiam amplectitur, nec partem aliquam sibi tantum decerpit, aut decerpere potest, nisi persona ac suppositum esse desinat. Quare non magis substantia infinita, potest plura in se habere supposita, aut personas, quam finita: quia alioqui pluries quam semel infinita foret, toties nimirum, quot personæ sunt. Quo accedit, quod si ideo divina substantia plures personas contineret, quia infinita est, sequatur, etiam infinitas personas esse posse. Nam ob quam causam tres personæ statuuntur esse in una Dei substantia, ob eandem possunt etiam quindecim, imo centum, quin & infinitæ personæ statui.

Nec est, quod dicas, hanc rationem non evincere, infinitas in Deo personas esse, sed esse posse, seu nihil repugnare, quominus statuantur; quia infinitas essentiæ ejus permittat. Præterquam enim, quod ipsi Trinitarii asserant, idem esse in Deo *Posse & Esse*; illud certum est, quæcunque in Deo esse naturaliter possunt, nec ex libera ejus voluntate pendent, omnino etiam ac necessario in eo esse. Necesse enim est, ut perfectionem quandam, & quidem naturalem in se contineant. Nulla autem naturalis perfectio, quæ in Deum cadere potest, ab eo potest abesse: siquidem non potest esse naturæ imperfectæ, seu talis, cui aliquid adhuc perfectionis possit addi. Efficitur proinde, si in Deo non sit una persona, infinitas numero personas in eo non solum statui posse, verum etiam debere.

CAPUT XXVI.

In quo probatur, dogma de æternâ Filii Dei ex essentia Patris generatione seipsum manifeste evertere.

CApite superiori egimus de dogmate Trinitatis in genere, & ostendimus, illud seipsum multis contradictionibus conficere. Jam in specie de secunda Trinitatis persona agendum nobis est, ubi duo inprimis dogmata, quæ hodie inter Christianos vigent, excutiemus. Prius est, de æterna Filii Dei generatione ex essentia Patris. Alterum est, de Incarnatione Filii Dei.

Quod

Quod prius dogma attinet, sciendum est, Trinitarios omnino urgere, generationem istam esse veram ac proprie dictam; ideoque quando Scriptura meminit generationis Filii Dei, vel Christum Dei *proprium* ac *unigenitum* Filium vocat Rom. 8. 32. Joh. 3. 16, propriam significationem vocum retinendam esse contendunt, atque exinde colligunt, Christum omnino ex essentia Patris genitum esse: quia ad exemplum humanæ generationis (quod identidem inculcant) Filius quilibet ex essentia Patris sui gignatur, ac propterea ejusdem naturæ atque essentiæ sit cum Patre suo.

Si igitur res ita se habeat, quod Pater (qui omnium confessione est summus Deus) aliam personam ex essentia sua genuerit, sequetur, eum etiam alium Deum genuisse: quemadmodum fieri videmus in humana generatione (quam, ut diximus, isti homines assidue crepant) ut Pater, quando Filium ex essentia sua gignit, alium hominem gignat. Itaque per istam generationem ex uno Deo fient duo Dii: sicut in humana generatione ex uno homine fiunt duo homines. Quemadmodum enim in generatione humana Pater & Filius specie quidem unam, sed numero diversas ac distinctas habent essentias: ita etiam in divina generatione statuendum esset, Filium habere numero aliam ac distinctam essentiam à Patre; siquidem Pater essentiam suam ex seipso habeat, Filius autem essentiam suam acceperit per generationem à Patre. Quam sententiam tempore Niceni Concilii, in quo Arius damnatus est, viguisse inter Patres, ex Symbolo illius Concilii liquet; ubi Christus dicitur esse *Deus de Deo:* qua de re alibi.

Alterum argumentum, quo probatur, dogma de æterna generatione Filii Dei pluribus contradictionibus & absurdis fœcundum esse, est, quod ex eo sequatur, *Filium esse suiipsius Filium, & suiipsius Patrem.* Asserunt enim, Patrem & Filium eandem numero essentiam habere, & utrumque hanc essentiam ab æterno habuisse, adeoque essentiam Patris esse quoque essentiam Filii. Unde efficitur, Filium dum ex Patris essentia est genitus, simul & ex sua essentia esse genitum. Ex cujus autem essentia quispiam generatur, ejus est Filius. Atqui Christus, ut dictum est modo, ex sua ipsius essentia generatus est. Ergo est suiipsius Filius, & suiipsius etiam Pater. Neque vero dicere possunt, illam essentiam Patris, ex qua Filius est genitus, nondum fuisse Filii essentiam: quia nullum tempus fuisse volunt, quo Filius non extiterit, & divinam essentiam non habuerit; alioqui Deus ille summus non foret.

Tertium argumentum est, quia *per hoc dogma infinita multitudo personarum in Deo* introducitur. Etenim si Deus Pater ex essentia sua generavit Filium, & rursus una cum Filio produxit Spiritum Sanctum, & hi idem sunt cum illo Deus: nulla est causa, cur non & Filius alium iterum genuerit Filium; similiter & Spiritus Sanctus alium; & hic præterea alium, atque ita in infinitum. Quid enim? an quod Pater potuit, Filius non potest ac Spiritus Sanctus? Non ergo idem sunt cum illo Deus: cum non eandem habeant facultatem ac potentiam, sed inæqualem. Num dices, eos noluisse? At res ejusmodi, quæ ad intra, ut loquuntur, spectant, in Deo prorsus sunt necessariæ; non vero liberæ voluntati subjacent. Nam si Deus non necessario, sed ex libera voluntate Filium genuisset, & una cum Filio Spiritum Sanctum produxisset; tum fieri potuisset, ut eum nunquam genuisset, sed sicut est unus essentiâ, ita etiam unus personâ remansisset: id quod homines isti neutiquam concedent. Imo fieri posset, ut intra tempus aliquod plures divinæ personæ accrescant, ubi nimirum personæ illæ, quæ hucusque generare aut spirare alias personas noluerunt, voluerint.

Ad hoc argumentum respondent quidam, ideo fieri non posse, ut Filius aut Spiritus Sanctus alium Filium aut Spiritum Sanctum producat, non quia aliqua sit in Filio aut Spiritu Sancto impotentia, sed quia quicquid in divinitate generari aut procedere potuit, id jam generatum ac productum fuerit: id autem quod jam generatum aut productum est, produci amplius non possit. Esset enim simul & non esset. Quo pacto nec mundus hic, quia jam existit, creari amplius à Deo potest: non propter aliquam in Deo impotentiam, sed propter ipsius rei impossibilitatem. Verum quidem est, mundum, qui jam est, creari amplius non posse. At non negabunt, ut puto, Deum posse alium præter hunc mundum creare. Sic igitur etiam Filius is, qui jam generatus est, generari amplius non potest; nec Spiritus Sanctus, qui jam productus est, amplius produci. Sed quid prohibet, alium Filium, aliumve Spiritum Sanctum, à Filio ac Spiritu Sancto produci, & ab his iterum alios? Jam enim supra cap. 25, in argumento septimo ostendimus, ex Trinitariorum hypothesibus consequi, divinam naturam infinitarum numero personarum capacem esse. Itaque suis hypothesibus consentanea non dicunt, dum ajunt, quicquid in Deo generari aut produci potuit, id totum jam in Filio, quem prima divinitatis persona generarit, & in Spiritu Sancto, quem prima & secunda produxerit, contineri: ac proinde alium Filium, aliumque Spiritum Sanctum à Filio & Spiritu Sancto produci non potuisse. Ibi enim vidimus, adhuc infinitis personis locum esse.

Quartum argumentum est, quia ex sententia de generatione æterna Filii Dei sequitur, Christum ab omni æternitate extitisse, & non extitisse; semper fuisse, & aliquando non fuisse. Ab omni æternitate fuisse oportet; quia & ab omni æternitate generatus aperte dicitur, &, si certo demum tempore extitisset, Deus summus non foret. Deus enim summus ab omni æternitate extitit. Non fuisse autem ab omni æternitate, ex eo ipso patet, quod generatus est, & quidem ratione substantiæ, proprieque dicta generatione. Exclamabunt hic statim adversarii, & dicent, se facile intelligere, quid velim: nempe generationem proprie dictam esse mutationem ex non ente in ens. Itaque si Filius Dei proprie generatus fuit, eum aliquando fuisse non ens, seu aliquando reipsa non extitisse. Hoc vero ipsum, inquam, volo. Verum, inquiunt, de naturali tantum generatione definitionem illam accipiendam esse, non de supernaturali. Hanc autem Filii Dei generationem ex essentia Patris, supernaturalem esse, non naturalem. Hæc cum dicunt illi, primum ve-

hementer in illis desideramus constantiam. Etenim si Filii Dei generatio supernaturalis est, & à naturali adeo diversa; cur ipsimet tantopere hac ipsa in re urgent humanæ generationis exemplum, dum toties inculcant, eum qui Filius Dei sit proprius, unigenitus, naturalis, necessario ejusdem essentiæ esse cum Patre? Unde enim ejusmodi propositionem extruunt, nisi ex rebus humanis, ac plane naturalibus? Ideo enim etiam nominatim exemplum humanæ generationis proferunt, ut hanc enunciationem stabiliant, ostendantque, sicut inter homines filius ex essentia patris gignitur, ita necesse esse, ut etiam Filius Dei eandem habeat essentiam, quam habet Pater: & sicut filius hominis homo est, & humanam habet naturam; ita oportere etiam Filium Dei Deum esse, & humanam habere naturam. Dicent, in eo convenire Filii Dei generationem cum generatione humana ac naturali, quod Filius per eam evaserit substantia Patri similis: non in eo, quod aliquando non extiterit. Ita nimirum, ut libet istis hominibus, generationis naturalis rationem ac similitudinem urgent, & proprietatem vocum, cum illorum causæ servit, obtendunt: rursus cum obstat, & aliter illis lubet, eandem rejiciunt ac repudiant. Dicant illi nobis, unde sciant, generationem Filii Dei in una re convenire cum generatione humana, in alia vero re non convenire? Cur vident convenientiam in una re, in altera non vident? Deinde cur non perspiciunt, eum qui genitus est, aliam habere numero essentiam, & eum qui genuit, rursus aliam: cum illius essentia demum per generationem producta sit, hujus vero essentia jam ante fuerit, antequam ille nasceretur? Denique cur non attendunt, Patrem omnem semper tempore esse priorem filio? Quodsi hæc agnoscere in Filii Dei generatione nolunt, nec sententia eorum permittit, ne igitur vocis proprietatem urgeant, aut eam ex rebus naturalibus ipsimet æstiment. At si à proprietate discesserint, & similitudine eximia ac singulari, quæ inter generationem humanam & divinam illam intercedat, contenti esse velint; rem illis facile absque illa ex Dei essentia generatione expeditam dabimus, & ex Sacris Literis generationem, quæ Deo conveniat, ostendemus. Vide supra Part. 1. cap. 4. Argumentum 54. Tanto minus autem deberent hic isti homines propriam significationem vocabuli generationis urgere, quia ipsimet supernaturalem esse hanc generationem, & recte, contendunt. Circumspice enim omnes generationes supernaturales ac divinas; nullam invenies, in qua ex essentia sua aliquid Deus generarit. Non Angeli solum Job. 1. ℣. 6. ij. 1. & alibi, sed omnes quoque homines pii ac Christo fideles, Joh. 1. 12. & quicunque immortalitatis fient participes Luc. 20. 36. Filii Dei vocantur. At Deus nullum horum ex essentia sua generavit, nec adhuc generabit. Cur igitur statui debeat, generationem Christi ex essentia Dei factam esse? quanquam de cætero modus generationis Christi est peculiaris & ita eximius, ut eum è cæterorum filiorum Dei censu eximat, & unigenitum Dei Filium constituat. Deinde, ut mittam, generationem ex essentia generantis, qualem isti generationem Christi esse volunt, vel inprimis esse naturalem, non supernaturalem: hoc certum est & irrefutabile, quod omnis omnino generatio proprie sic dicta, sive naturalis, sive supernaturalis dicatur, sit mutatio ex non ente in ens, ita nimirum ut necesse sit, id, quod generatur, non extitisse aliquando, & postea per generationem existere cæpisse. Quid enim? annon omnis generatio proprie sic dicta est essentiæ productio & acquisitio à generante? At quomodo essentia ejus produci potest, qui jam est, semperque reipsa fuit? quomodo acquirere essentiam potest ille, qui eam perpetuo habuit? Num forte generatio supernaturalis, licet substantialis, ac proprie sic dicta, productio & acquisitio essentiæ sive substantiæ non est? Si non est, ne nomen quidem generationis, cum de supernaturalibus effertur, amplius intelligimus; & illi ignota nobiscum loquuntur lingua, qui talem nobis generationem narrant. Sed quicquid illi tandem sentiant, illud certum est, Sacras Literas cum generationem Filii Dei commemorant, populari nobiscum lingua loqui, & ideo loqui, ut vim ac sententiam vocum percipiamus, licet totam rei rationem non penitus intelligamus. Sed age; si non est necesse, ut id, quod generatur, antea non extiterit; poterit id generari, quod jam reipsa existit: ac porro nihil prohibebit, eum, qui hodie reipsa est, nec esse desinit, cras aut perendie proprie generari. Quis vero id absurdum esse non videt, & contra omnem generationis naturam? Si igitur adversum generationis naturam est, id generari, quod jam revera est, necessario sequitur, id quod proprie ac vere generatum est, aliquando reipsa non extitisse.

Quintum argumentum est, quod *Filius Dei adhuc generaretur, & in omnem æternitatem generandus esset.* Id quod etiam fatentur plurimi ex Trinitariis, ii præsertim, qui Filium per intellectionem à Deo generatum ajunt. De quo egimus supra cap. 11. Verum non tantum illi id fateri coguntur, qui istum generationis Filii Dei modum agnoscunt, sed & cæteri omnes, nisi alia sua dogmata velint subvertere. Etenim si Deus ab æterno genuit Filium, nunc autem non amplius gignit, factus est ex generante non generans: quæ mutatio cum non ad creaturas spectet, sed intra ipsum Deum consistat, in Deum non cadit, nec cadere ab adversariis agnoscitur. Adde, quod Filius Dei vel ex libera Dei voluntate, vel ex necessitate naturæ fuit à Patre genitus. Si ex libera voluntate, potuisset etiam non generari à Patre. Quod enim in arbitrio & libera voluntate situm est, id potest fieri & non fieri. Si autem Filius Dei poterat non generari, adeoque non existere, non est Deus summus. Summus Deus enim non potest non existere, & non contingenter, sed necessario existit. Quodsi vero Deus Filium ex necessitate naturæ genuit, perpetuo gignit; cum natura ejus sit semper prorsus eadem ac immutabilis. Præterea apud Deum, si istis hominibus credimus, nulla est distinctio temporis, sed æternitas tota apud eum simul collecta, & ad punctum quoddam contracta; ita ut præterita ac futura omnia sint ei semper præsentia. Quicquid ergo Deus facit, necesse est, ut tota æternitate faciat, ac porro perpetuo.

CAPUT

CAPUT XXVII.

In quo demonstratur, dogma de Incarnatione Filii Dei seipsum evertere.

DOgma hoc contradictionibus plenum esse ac seipsum evertere, satis ex iis perspici potest, quæ supra à nobis cap. 13. dicta sunt. Quapropter hic brevitati studebimus, & benevolum lectorem ad superiora remittemus.

Primum argumentum est, quod ex hac doctrina sequatur, *non tantum Filium, sed & Patrem & Spiritum Sanctum incarnatum fuisse, humanamque assumsisse naturam.* Etenim is assumsit humanam naturam, cujus propria natura sive substantia eam assumsit, cumque ea est personaliter unita. Atqui si Christi divina natura assumsit humanam naturam, etiam Patris & Spiritus Sancti natura propria eandem assumsit. Siquidem eadem numero natura seu essentia in tribus illis personis est. Et sane diuturnitas erroris effecit, ut nonnulli ex ipsis Trinitariis non sint veriti dicere, totam Trinitatem esse incarnatam. Vide supra cap. 13. Part. 2.

Secundum argumentum est, quia *secunda divinitatis persona desiisset esse persona.* Cum enim Christus una tantum persona sit, ex divina & humana natura constans, necesse est, ut divina natura, id est, secunda divinitatis persona, evaserit pars Christi. Est autem de essentia suppositi, ac porro etiam personæ, ne sit pars alterius personæ; alioqui forent duæ personæ in una persona; una, quæ pars facta est alterius, & altera, cujus illa pars facta est. Cum igitur secunda persona divinitatis facta sit pars totius personæ Christi, sequitur necessario, eam desiisse esse personam. Sed videntur eo inclinare nonnulli, quod humana natura non sit pars Christi. Verum isti sicut receptissimæ à tot retro seculis, apud unionis illius hypostaticæ defensores, sententiæ contradicunt, ita illis vicissim à plerisque Trinitariis contradicitur. Quid enim apud illos usitatius, quam totum Christum alterutri naturæ seorsim sumtæ opponere? quorsum spectat illa distinctio inter totum Christum, & totum Christi? Deinde si humana natura pars personæ Christi non est, accidens istius personæ erit. Id enim est revera accidens, quod inest, non ut pars, & potest ab eo, in quo inest, abesse, ac saltem cogitatione separari. Quodsi humana natura est accidens personæ Christi, dici non poterit, personam Christi aut Dei Filium esse hominem. Sicut dici non potest, hoc ferrum est calor, hoc poculum est aurum, hic homo est virtus: sed dicitur tantum, hoc ferrum est calidum, hoc poculum est deauratum, hic homo est virtuosus, seu virtute præditus: quia ista sunt tantum accidentia. Ita etiam dici forte posset de Filio Dei, quod sit humanus, non autem quod sit homo, si humana natura nonnisi accidens personæ Christi esset. Cum vero id absurdum sit, sequitur, humanam naturam esse partem totius personæ Christi, ac proinde secundam divinitatis personam per incarnationem desiisse esse personam.

Tertium argumentum, quod ostenditur dogma Incarnationis secum ipso pugnare ac semet evertere, est, quia *summus Deus & homo sint disperata.* Unum autem idemque subjectum duo disparata simul esse non potest, nec unum disperatorum potest esse alterum, seu non possunt de se invicem prædicari. Quemadmodum enim dici nequit, Homo est arbor; lapis est piscis; canis est bos, homo est asinus; aut, hæc res simul est lapis & piscis; illud est canis & bos: ita multo minus dici potest, Deus est homo, vel homo est Deus; aut etiam, hæc persona est simul summus Deus & Homo. Hæc enim locutio tacitam in se contradictionem continet, quasi dicas: Christus est Deus & non Deus; vel, Christus est homo & non homo. Dum enim homo est, Deus non est; quia Deus non est homo. Dici quidem figurate ac per metaphoram potest, hominem esse leonem vel vulpem, id est, leoni aut vulpi similem, propter sævitiam vel astutiam. Sed hic figuræ locum non habent. Nam non tantum Trinitarii, sed nos quoque ipsi affirmamus, Christum non metaphorice, sed vere ac proprie Deum esse ac hominem. Illorum quidem sententia utrumque est essentialiter: nostra autem, homo est essentialiter, Deus vero ea ratione, qua etiam Rex nuncupatur; quod ad essentiam non pertinet.

Dicere quispiam posset, Christum non secundum utramque naturam simul Deum, neque secundum utramque naturam Hominem vocari, sed Deum dici secundum divinam naturam, Hominem vero secundum humanam. Itaque esse in his locutionibus Synecdochen, cum dicitur, Christus est Deus, Christus est homo: quia quod uni parti solum competit, toti tribuitur. Sed hoc effugium vanum est. Nam primo utrumque vocabulum *Deus & Homo*, nonnisi personam denotat. Persona autem totum est, non pars. Deinde si illa Synecdochice tantum de Christo prædicarentur; rectissime diceremus, Christus non est homo: quia secundum unam partem, id est, divinam naturam non est homo; item Christus non est Deus; quia secundum humanam naturam Deus non est. Imo sic tantum proprie & accurate loquendum esset. Quemadmodum enim propria & accurata locutio est, cum dico, Homo non est anima, Homo non est corpus; quia anima & corpus partes tantum sunt hominis; illa autem impropria & figurata locutio est, cum dico, Homo est anima, Homo est corpus, vel caro: Pariter hæc est vera & propria locutio, cum dicitur, Christus non est Deus, Christus non est homo; impropria vero ac figurata, cum dicitur, Christus est Deus, Christus est homo: si nimirum deitas & humanitas partes sunt personæ Christi. At quis Christianorum ferat dicentem, Christum non esse Deum, non esse hominem? Adde quod, utut partes de toto synecdochice dici soleant, non soleant tamen de seipsis mutuo prædicari. Neque enim dici potest, corpus esse animam, vel contra, animam esse corpus. At hic etiam de se invicem prædicantur Deus & homo, cum dicunt Trinitarii: Deus est homo, & Homo est Deus. Viderunt non pauci ex Trinitariis hunc nodum, quem cum dissolvere non possent, vellent tamen, dixerunt, inusitatum esse hunc prædicandi modum. Et certe inusitatus est; quia id dicit, quod natura sua impossibile est: si-

quidem contradictionem involvit, nempe eundem simul simpliciter esse hominem, & non esse; Deum esse & non esse: Vide hac de re à nobis dicta superius cap. 15. & 18.

Quartum argumentum est, quod, si humana Christi natura persona est, Christus divina persona eo, quo Trinitarii volunt, modo esse non potest. Essent enim duæ in uno Christo personæ, divina & humana; id quod seipsum evertit. Jam vero humanam Christi naturam personam esse, multis rationibus probari potest. Primum id probatur ex definitione personæ, Omnis enim substantia prima intelligens, persona est: ut supra cap. 6. ostensum. Quæ definitio uti in ipsa ratione fundatur, & omnibus passim in scolis nota receptaque est, ita nullo modo in dubium vocari potest. Detur enim vel unum contrarium exemplum, monstreturque substantia aliqua intelligens, quæ non sit persona. Percurre substantias humanas omnes; percurre Angelicas, ac dæmonum malorum naturas; omnes personæ sunt. De divina substantia etiam ipsi Trinitarii negare non possunt, eam personam esse, tametsi in eo discrepent à nobis, quod nos unam personam. illi tres ei tribuant. Sed hoc nostro nunc argumento nihil obstat. Cum enim humanæ Christi naturæ personalitatem suam asserimus, non de numero personarum, sed reipsa disputamus. Per nos eam hic vel trinam in personis fingas licet. Quænam autem restant aliæ substantiæ primæ intelligentes, quæ personæ non sint? Nam quod hominum animas à corporibus separatas objiciunt, easque esse substantias primas seu singulares ajunt, quæ per se & absque corporis organis intelligant; id à nobis simpliciter negatur. Vide hac de re dicta alibi. Cum igitur nullum queant dissimile exemplum ostendere, stat hoc firmum, quod omnis substantia singularis per se intelligens persona sit. Quis autem dubitet, humanam Christi naturam esse substantiam talem, quæ ipsa per se intelligat? Quare concludendum est, humanam naturam in Christo personam esse.

Probatur secundo, quod humana Christi natura persona sit, inde quod ea sit homo, homo, inquam, singularis, ac filius hominis. At qui homo est, aut filius hominis, is persona est: sunt enim hæc personarum nomina. Humanam autem Christi naturam, hominem revera ac proprie esse, ex eo patet, quod illa omnes partes essentiales, quæ homini competunt, habeat: nempe verum humanum corpus, & veram humanam animam, una cum omnibus proprietatibus, facultatibus, & operationibus, præter quas res nihil amplius ad verum hominem constituendum requiritur.

Probatur tertio, humanam Christi naturam personam esse, quia ea proprie loquendo agit, & officia certa sustinet. At actiones proprie non sunt, nisi suppositorum, quæ si intellectu sint præditæ, omnium confessione sunt personæ. Similiter & officia personarum sunt propria, ut ipsi Trinitarii fatentur. Dicimus autem humanam naturam in Christo *proprie loquendo* agere: ne quis dicat, divinam naturam agere per humanam, vel, Christum agere atque operari secundum humanam naturam. Jam vero humanam, Christi naturam proprie agere, eo probatur, quod & reipsa subsistat, & vires quoque ac facultates ad agendum sufficientes in seipsa habeat. Non enim minores habet, quam quisquam hominum, imo tanto majores, quanto majoribus donis majorique potentia est à Deo donata. Quid vero ad id, ut aliquid proprie loquendo agat, requiritur, quam ut reipsa subsistat, ac vires ad agendum sufficientes in se habeat? Quis dubitet, humanam Christi naturam proprie loquendo & per seipsum intelligere ac ratiocinari? Alioqui non esset substantia intelligens, & anima rationali prædita, ac porro nec humana. Intelligens enim substantia illa est, quæ reipsa intelligere ac ratiocinari, proprie sane, non improprie potest; accedente præsertim usu aliquo & exercitatione. Non memorabimus nunc alias actiones, sive hominum, sive animalium proprias, ut velle, desiderare, loqui, edere, bibere, loco sese movere, & membra ad agendum ciere &c. Si humana Christi natura facultates ad has actiones exercendas non habuit, vel humana prorsus non fuit, vel manca fuit, aut corporis aut animæ ratione. Neutrum veritas aut Trinitariorum sententia admittit.

Dicent fortasse, aliam esse rationem humanæ Christi naturæ, quam aliorum hominum. Alios homines esse substantias per se subsistentes, non in alio, ideo eos posse per se operari: at humanam Christi naturam per se non substitisse, sed in alio, nempe in persona Filii Dei substitisse, ac proinde per se etiam nihil potuisse agere; omniaque adeo opera Christi non proprie humanæ ejus naturæ, sed toti Christo, licet secundum humanam naturam adscribenda esse. In toto enim Christo, ejusve persona, illas terminari ac fundari. Quod si actiones illas velis ipsi naturæ humanæ directe adscribere, locutionem fore impropriam: quemadmodum cum dico, animam intelligere, velle, sentire; cum tamen non anima proprie intelligat, velit, sentiat, sed homo anima, seu per animam, aut secundum animam. Sic nec corpus proprie edit ac bibit, sed homo ipse corpore id facit. Quæ cujus sint momenti, consideremus. Ac primum cum inquiunt, humanam Christi naturam per se non subsistere, sed subsistere in divina persona, quam secundam personam Trinitatis esse statuunt; id ita intelligunt, quod illa non sit per se totum quippiam, sed pars alterius, nempe totius Christi. At si humana natura pars est in Christo, erit & alia aliqua ejusdem totius pars. Quænam vero ea, præter divinam naturam, vel potius secundam personam divinitatis, à qua est assumta, & cum qua dicitur unita? Jam vero est quidem verum, quod proprie loquendo id, quod totum non est, sed tantum pars rei alicujus, per se non agat, sed quod omnes actiones toti seu composito adscribantur; atque huc pertinent omnia illa exempla paulo ante adducta de anima & corpore humano. Sed si humana natura est pars totius personæ Christi, persona autem secunda divinitatis est altera pars, sequetur, nec secundam Deitatis personam, id est, ipsum Deum Altissimum, utpote partem alteram totius Christi, posse quicquam proprie agere. Ita ex persona divina, hoc est, ex ipso summo Deo, qui proprie loquendo egit, factum est id, quod proprie loquendo agere non potest: quo nihil cogitari

gitari potest absurdius. Deinde si humana natura Christi est plena ac perfecta, corpore humano, & anima rationali, utroque suis numeris absoluto constans; nonne est per se integrum seu totum aliquod, facultates ad agendum sufficientes habens? Certe si quid horum negaveris, vel integritatem humanæ naturæ negabis, vel nos quoque ipsos talia integra esse negabis. Porro inde quoque patet, actiones humanæ naturæ Christi proprie convenire, quod alioqui necesse sit statuere, omnes Christi actiones, qualescunque tandem fuerint, divinæ ejus personæ proprie tribuendas esse, & secundam personam Trinitatis, seu summum Deum, eas actiones proprie perfecisse. Atqui inde ea emergunt absurda, quæ vel cogitare horret animus. Omnes enim actiones naturales, imperfectionis humanæ & mortalitatis nostræ propriæ, quæ homini cum brutis communes sunt, nonnullæ etiam, etsi necessariæ, pudibundæ tamen, non humanæ naturæ proprie, sed divinæ personæ, hoc est, ipsi Deo, convenient. Qui hæc absurda de Deo cogitare non veretur, is nondum tremendam illam ac gloriosissimam ipsius majestatem satis reveri didicit, & maximam sanctissimæ Christi religioni facit injuriam, quam hoc pacto apud extraneos ludibrio exponit.

Cum igitur satis ostensum sit, actiones proprie humanæ Christi naturæ competere; facile etiam est ostendere, eidem officia quoque competere. Nam primum posse humanam Christi naturam officium aliquod sustinere, (id quod nobis hic sufficeret) proclive est demonstrare. Qui enim actiones intelligentium proprias, easque valde eximias, obire potest, potest etiam officium aliquod sustinere. Quid enim aliud ad officium in genere requiritur? Deinde in specie idem haud difficulter ostenditur. Tria Christi ab omnibus constituuntur munera: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. An vero hæc munera humanæ Christi naturæ non conveniunt? Prophetæ est, non suo nomine, sed alieno, nempe Dei loqui, & sermones doctrinamve ab illo acceptam aliis proponere. Et Christus nominatim de se dicit, se à Patre ea, quæ dixerit, audisse; ab eo se edoctum; ab eo mandatum se accepisse, quid loqui debeat; doctrinam suam non esse suam, sed ejus, qui se miserit. Quæ omnia secundum humanam naturam de Christo dicta esse volunt Trinitarii; nec aliter possunt. Divina enim natura, aut persona, qua talis, discere aut mandata accipere non potest: omnia illius sunt, quæ habet, aut tradit, non aliena. At si humana natura proprie non agit, ea, quæ secundum illam facta dicuntur, ipsam divinam personam proprie fecisse dicendum est. Illa ergo proprie audivit à Patre, illa proprie didicit, mandata accepit; & porro ex mandato alieno locuta est; alienam non suam doctrinam promulgavit: illa proprie Propheticum munus obivit. Similiter & pietatem illa, temperantiam, & castitatem, aliasque virtutes exercuit; miracula divina virtute edidit; morte sua doctrinam suam confirmavit: id quod Prophetici muneris complementum fuit. Hoc autem totum, de divina persona Christi, id est, ex illorum sententia, de Deo summo dicere, nimis absurdum esse nemo non videt.

Jam, ut ad sacerdotale munus Christi veniamus, agnoscunt ipsi Trinitarii, interpellare pro altero apud Deum, non convenire ipsi Deo, nec divinæ personæ, ut nec offerre Deo. Itaque necesse est, ut humanam naturam ista partim fecisse dicatur, partim adhuc facere.

Denique cum videamus, scripturam aperte testari, Christum Regem à Deo constitutum atque unctum esse, eique omnem in cœlo & in terra potestatem datam; cum illa secundum humanam naturam de Christo necesse sit intelligere; consequitur, humanam naturam potestatem illam habere; ac porro etiam exercere: id quod Regis est.

Ex dictis autem illud quoque intelligi potest, nihil opus fuisse illa duarum naturarum unione. Nam si opus fuisset, ideo opus fuisset, ut officia illa Christus sustinere atque obire posset. Atqui illa obire poterat Christus, etiamsi essentia nonnisi homo fuisset: imo si Deus fuisset, obire priora duo, Propheticum scilicet, & Sacerdotale, non potuisset. Postremum etiam, id est, Regium, non potuisset accipere, nec obire propterea, quod Regium istud munus non sit imperium supremi Dei, qua talis est, sed, ut loquuntur isti homines, Regnum ejusmodi, quod Christus, qua mediator est, administret. Et tale quidem requirebat nostræ fidei ac spei confirmatio, ac Dei supremi gloria. Quodsi quis dicat, vires humanis majores ad illa officia obeunda fuisse requisitas; id aliquid haberet momenti, si necesse fuisset, eum vires illas à seipso habere, nec eas potuisset ab ipso Deo accipere. At nunc cum & potuerit eas à Deo accipere, & Sacræ Literæ toties testentur, eum à Deo accepisse: quid opus erat, ut is Deus summus esset? Deus & natura nihil faciunt frustra, recte ajunt vulgo: quanquam Deus ea quoque facit, quæ natura facit. Quodsi Deus non facit supervacanea; multo minus facit ea, quæ impediunt, & alias majestate ejus sunt indigna. Ostendimus autem, unionem illam impedituram fuisse munerum istorum administrationem. Ostendimus etiam, eam Deo non pauca tribuere absurda, & majestate ipsius indigna, atque ad venerationem ejus, quam sancire per Christum voluit, ex animis hominum vel tollendam, vel saltem in iis minuendam, aptissima. Tantum etiam de secunda persona Trinitatis.

CAPUT XXVIII.

In quo ostenditur, doctrinam vulgarem, qua statuitur, Spiritus Sanctus esse tertia supremæ Deitatis persona, seipsam evertere.

SUperius cap: 24. demonstravimus, ex dogmate de personalitate & suprema Deitate Spiritus Sancti sequi, quod ejus productio ex essentia Patris & Filii sit vera & proprie dicta generatio. Quod cum ita sit, duos habemus in Trinitate Filios; unum primæ personæ solius, alterum primæ & secundæ; item habemus etiam duos Patres, unum primam personam, quæ duplici nomine Pater erit, nempe quia & secundam & tertiam Deitatis personam gene-

ravit; alteram secundam, quæ una cum Patre Spiritum Sanctum generarit. Atqui & ex Sacris Literis, & ab ipsis Trinitariis accepimus, unum tantum esse Patrem, & unum tantum Filium, nempe per excellentiam sic dictum. Ex quo elucet, vulgarem doctrinam de processione Spiritus Sancti ex essentia Patris & Filii, falsam esse, & seipsam contradictionis gladio conficere.

Atque sic, Christiane lector! hucusque abunde demonstravimus, dogma Trinitatis quamplurimis laborare absurdis & contradictionibus: quid igitur obstat, quominus concludamus, juxta illas doctorum virorum regulas, quas supra cap. 4. recitavimus, dogma istud falsum, nec veritati ullo pacto consentaneum esse?

Sed forte erunt adhuc aliqui, qui ad scripturam provocabunt, atque in ea contineri, & ex ea solide probari posse dogma Trinitatis asserent. Ad hoc jam responderunt illi supra memorati viri eruditi, qui docuerunt, nullam doctrinam cum Scripturæ sensu congruere, etsi ad literam scripta extet, quam recta ratio absurdam ac contradictoriam esse agnoscit. Veruntamen nequis nos lucem Scripturæ Sacræ fugere opinetur, summatim enumerabimus omnia illa loca, quæ Trinitarii ad suam sententiam stabiliendam facere putant: ad quæ responsionem lector in nostris Commentariis in Novum Testamentum suo loco inveniet. Ante autem quam loca ista Scripturæ proferemus, nonnullorum virorum doctorem testimonia producemus, qui expresse fatentur, dogma Trinitatis, & quæ cum eo cohærent, ex Sacris Literis probari non posse. Id quod capite sequenti faciemus.

CAPUT XXIX.

In quo diversorum virorum doctorum testimonia producuntur, quod dogma Trinitatis ex Sacris Literis probari nequeat.

PLurimi Doctores Pontificii, etsi Trinitatis sint defensores acerrimi, tamen veritatis evidentia coacti agnoscunt, eam ex Sacris Literis sufficienter probari non posse, sed ad sui confirmationem indigere testimonio Ecclesiæ, seu traditionibus, quæ ex Apostolorum ore haustæ per successorum manus ad nos usque devenerint. Sic enim scribit Dionysius Petavius Jesuita celeberrimus in magno Opere suo de Trinitate lib. 1. cap. 1. §. 3. *De tribus personis divinitatis, earumque una essentia, ante Nicenum Concilium perfecte sciri & scribi non potuit, quia mysterium istud post certamen cum Arrianis demum Catholicis est revelatum & confirmatum.* Ita scribit quoque Sacroboscus in Defensione Tridentini Concilii pag. 1. cap. 6. *Etsi quædam Scripturæ poterant adferri contra Arianos, tamen, quia Ariani etiam Scripturas afferebant, Concilii Nicæni Patres ex doctrina ition scripta, sed per manus Patrum sibi tradita, eos damnarunt.* Cur vero Arianos non ex Scriptura damnarunt? Nimirum ideo, quia loca, quæ afferebant Ariani, refutare nesciebant. Alius Jesuita Petrus Skarga scribens in illa Christi verba, Baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ait: *Apostoli dogma Trinitatis initio reticere soliti sunt, propter ipsius difficultatem, eoque Petrus in illa prima ad Judæos concione, nihil prorsus de divinitate Christi disseruit, sed tantum Dominum & Christum à Deo factum, quem illi in crucem egissent, commemoravit. Et Apostolus Athenis in Areopago unum Deum universi conditorem prædicavit: de Christo hæc tantum attulit, quod Deus illum à mortuis excitaverit, & mundi judicem constituerit; ne Deitate Christi patefacta multitudinem Deorum introducere videretur.* Si igitur Apostoli dogma Trinitatis non docuerunt, sequitur, id non esse Apostolicam doctrinam. Bellarminus, qui alioquin omnem movet lapidem, ut hoc dogma è Scripturis probet; inquit lib. 4. de verbo Dei cap. 6. §. Jam vero: *Cum ex Scriptura non convincerentur Ariani, eo quod eosdem Scripturas aliter exponerent, quam Catholici, damnati fuerunt ex sermonibus non scriptis, pie tamen intellectis.* Eccur, quæso, Catholici relicta Scriptura ad non scriptum verbum confugerunt? Non aliam certe ob causam, quam quod Ariani clare evicerint, argumenta ipsorum, quæ ex Sacris Literis afferebantur, invalida esse ad id, quod isti volebant, concludendum. Qui fieri potuit, ut tot centeni Episcopi, virique eximii, qui in illo Concilio erant congregati, inter quos erant præcipua lumina Christiani Orbis, Sacram Scripturam desererent, atque ex verbo Dei non scripto, id est, ex Traditionibus Ecclesiasticis adversarios suos damnarent, si dogma hoc idoneis ac legitimis rationibus è Scriptura probari posset? Salmeron Comment. in Joh. 16. 12. ubi Christus dicit discipulis suis, se multa habere illis dicenda, sed quæ illi modo ferre nequeant, sic habet: *Hæc à Christo prætermissa sunt, tres personas esse unum Deum, Filium Patri, & Spiritum Sanctum Patri & Filio esse ὁμοούσιον, duas perfectas naturas, ac proinde duas distinctas operationes, duasque voluntates fuisse in Christo.* Florimundus Ræmundus in sua historia de ortu & progressu Hæres. part. 1. lib. 2. cap. 15. sub finem ita fatur: *Vos sive Lutherani, sive Calvinistæ, vel inviti fateamini necesse est, si ex una Scriptura res agatur, novis his Arianis vos cedere coactum iri, non minus quam Patres olim Veteribus; nisi ad unanimem Ecclesiæ consensum & Traditionem, illorum exemplo confugiatis. Hæc enim illos docuit, tres personas consubstantiales esse, seu ejusdem naturæ & essentiæ, quas nos adoramus unum Deum in plenitudine Trinitatis, & æqualitate Trinitatis in una sola Deitate &c. Itemque in Jesu Christo duas quidem & perfectas esse substantias, sed unam tantum esse personam. Dic sodes, quisquis es, qui nihil nisi Scripturam, nihil nisi expressum Dei verbum audire & recipere vis, quibus armis contra hos pugnabis? Qua ratione te ab infinitis, quæ ab ipsis afferuntur, argumentis extricabis, nisi Traditionem & Ecclesiæ consensum, veluti pro sacra habeas anchora?* Possemus autem adhuc multa plura ejusmodi testimonia in medium proferre, nisi nobis brevitatis habenda esset ratio. Vide Hosium in Confess. Petric. de fide cap. 27. Fevardent lib. 3. super Irenæum cap. 3. Greg. de Valent. tom. 3. col. 315. Gord. Huntlænum Cont. tom. 1. lib. 1. cap. 29. §. 2. Gretf. tom. 1. defens. pag. 1585. &c. Non est au-

est autem, quod quisquam hæc testimonia ideo parvi pendat, quod à Pontificiis deprompta sint, quorum oculos præconcepta opinio de non scripto Dei verbo, & traditionibus Patrum ita excæcavit, ut mysterium Trinitatis in Sacris Literis cernere non possint aut etiam de industria cernere nolint. Non enim est ullo modo verisimile, tam præclaros & summe doctos viros vel tam esse cæcos, ut quod apertis ac evidentibus verbis in Sacris Literis scriptum est, aut saltem per legitimas & irrefragabiles consequentias ex ea elici potest, non videant, vel si videant, tam inepte agant, ut persuadere suis adversariis conentur, id in Sacris Literis non reperiri, quod clare ex iis demonstrari potest: imo ut tam imprudentes sint, ut iis qui dogma Trinitatis rejiciunt, Sacram Scripturam, velut acutissimum gladium, sub pedes abiciant, & infirmissimum arripiant telum Traditionum, quæ nullius momenti sunt apud partem adversam, quæque tanto minus in re tanta apud eam valent, quia in Sacris Literis dogma istud nullum verum habeat fundamentum. Et quid etiam hac ratione lucrarentur, etsi auctoritatem Traditionibus suis conciliarent, si ex alia parte testimonium Scripturæ amitterent? Nonne hoc esset lucrari vilem aliquem pagum, & urbem magnam perdere? Quocirca omnino statuendum est, nihil aliud adduxisse viros istos eruditos ad hæc de Trinitate scribendum, præter invictam vim veritatis. Quanquam negare nolim, falsam ipsorum opinionem de verbo Dei non scripto dedisse illis ansam atque occasionem rem hanc accuratius pensitandi, omniaque loca Scripturæ pro dogmate Trinitatis facientia sub exactioris examinis incudem revocandi. Quin etiam ex primo Petavii testimonio apparet, dogma hoc non fuisse per oralem institutionem ab Apostolis ad posteros ac successores eorum propagatum, sed in Niceno demum Concilio, id est, post 300. annos ab excessu Apostolorum, per acerrimas contentiones atque certamina, Christianis, non omnibus, sed Catholicis tantum, esse parefactum.

Ad hoc Pontificiorum judicium de doctrina Trinitatis, quod ex Scriptura demonstrari nequeat, proxime accedit sententia D. Calixti Professoris Helmstadiensis Lutherani, cui etiam collega ejus D. Hornæus, & tres Theologi insignes Regiomontani D. Drejerus D. Lætermannus, D. Behmius adstipulantur: qui omnes urgent, Filium Dei sub Veteri Fœdere nunquam Patriarchis & Prophetis apparuisse, & præter populo Dei sub Veteri Testamento mysterium Trinitatis prorsus ignotum fuisse, idque, ut & divinam Christi naturam ex libris Veteris Instrumenti probari non posse. Istis viris eruditis accenseri potest M. Henricus Nicolai Professor Gedanensis, qui cum sine dubio infirmitatem dogmatis hodierni de Trinitate perspexisset, quæstionem hanc, *An filius Dei sit coessentialis, & coæternus Patri?* Reponit inter articulos fidei ad salutem minus necessarios, eo quod Veteres Ecclesiæ Doctores discordes circa hanc quæstionem fuerint, & antiquissimi Patres, qui ante Nicenum Concilium vixerunt, & negativam hujus quæstionis amplexi sunt, magis fide digni sint, quam posteriores, qui post Nicenum Concilium vixerunt, & affirmativæ quæstionis sententiæ subscripserunt. Vide Irenicum ejus defensum & explicatum lit. C. 4. 2. & lit. E. 3. 2. Si igitur ita se res habeat, quod dogma Trinitatis comprobari nequeat ex Veteri Testamento (quod vir tantus, qualis est Calixtus, non scripsisset, nec alii viri docti ejus sententiæ calculum suum adjecissent, nisi rem ita esse comperissent) concidit ferme dimidia pars illorum Scripturæ testimoniorum, quæ ad probandum hoc dogma allegari solent.

CAPUT XXX.

In quo summatim recensentur loca, quæ vulgo ad probandum Trinitatis dogma ex Sacra Scriptura adducuntur.

OMnes qui Papismum rejecerunt, & nihilominus sententiæ de Trinitate addicti sunt contendunt, eam ex Sacris Literis probari posse, exceptis paucis, de quibus diximus ad finem capitis præcedentis, quod negent in libris Veteris Testamenti quicquam de Trinitate haberi. Sed quia claris & expressis verbis dogma hoc in scripturis monstrare nequeunt, necesse est, ut longis utantur ambagibus, & per consequentias longe petitas id evincere conentur.

Potest autem totus eorum labor probandi in tria principalia membra dividi; primum agit de Trinitate in genere; secundum de Christo, Filio Dei; tertium de Spiritu Sancto. In primo membro procedunt hoc ordine.

I. Producunt loca scripturæ, è quibus aliqua pluralitas in Deo esse colligitur.

II. Afferunt loca, in quibus tres personas expresse nominari putant.

III. Proponunt loca, ubi nominatim Patris, Filii, & Spiritus Sanctus fit mentio.

I. *In Deo esse aliquam pluralitatem.*

Primum argumentum sumunt ex Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus* (Hebraice Elohim, id est, Dii) *cœlum & terram.* Ubi ex voce Elohim colligunt, plures esse in Deo personas.

Secundum argumentum petitur ex Gen. 1. 26. *Faciamus hominem.* Et ex cap. 11. 7. *Age, descendamus & confundamus sermonem eorum.* Item Esai. 6. 8. *Quem mittam? Et quis ibit nobis?*

Tertium argumentum est ex Gen. 3. 22. *Ecce Adam est factus sicut unus ex nobis.*

Quartum argumentum ducunt ex Gen. 19. 24. *Pluit Dominus à Domino sulphur & ignem de cœlo.*

Quintum argumentum accipiunt ex Zach. 2. 8. *Ita dicit Dominus Exercituum: post gloriam misit me ad gentes, quæ deprædatæ sunt vos.*

Sextum argumentum deducunt ex Zach. 3. 2. *Dicebat Dominus Satanæ: Increpet te Dominus, o Satan.*

II. *In Deo esse tres personas.*

In Deo esse Trinitatem personarum probari vulgo solet sequentibus testimoniis.

Pri-

Primum argumentum sumitur ex historia Abrahami; cui tres viri apparuerunt Gen. 18. De quo vide ad Hebr. 13. 2.

Secundum argumentum est ex Esai. 6. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus exercituum.* Vide Apoc. 4. 8.

Tertium argumentum est ex Num. 6. 23. *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; faxit Dominus, ut luceat facies ejus super te, & sit tibi propitius; convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.*

Quartum argumentum est ex Deut. 6. 4. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est.*

Quintum argumentum est ex Psal. 67. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*

Sextum argumentum est ex Esai. 33. 22. *Dominus judex noster, Dominus legislator noster, Dominus Rex noster.*

Septimum argumentum est ex Jerem. 33. 2. *Sic ait Dominus, qui facturus est illud, Dominus qui formabit & stabiliet illud, Dominus est nomen ejus.*

Octavum argumentum est ex Dan. 9. 19. *Ah Domine exaudi! Ah Domine esto propitius! Ah Domine attende & fac.*

III. *Tres personas in Deo nominatim esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.*

Quærere libet ex benigno lectore; An in allegatis hactenus locis ullam fieri videat trium personarum in divinitate mentionem? Quanto labore, quam longa serie consequentiarum hic opus est, ut personæ istæ ex his locis eruantur? Et quamvis etiam tres personæ ex iis probari possent (quod est impossibile) quid aliud sequeretur quam in una Deitate esse tres Deos? Sed age, videamus loca, quibus probant, tres illas personas nominatim esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Primum argumentum ducunt ex Psal. 33. 6. *Verbo Domini facti sunt sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.*

Secundum argumentum est ex Esai. 48. 16. *Nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus.*

Tertium argumentum est, ex Esai. 63. 9, 10. ubi *Jehovæ, & Angeli faciei ejus, & Spiritus Sancti fit mentio.*

Quartum argumentum est ex Matth. 28. 19. *Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Quintum argumentum est ex Matth. 3. 16. ubi à Deo Patre de cœlo Spiritus Sanctus descendit super Christum in Jordane baptizatum.

Sextum argumentum est ex 1 Joh. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.*

CAPUT XXXI.

In quo recensentur loca scripturæ, quæ ad probandam supremam divinitatem Christi afferri solent.

HUcusque vidimus argumenta è Sacris Literis pro Trinitate in genere. Nunc etiam ea producemus testimonia, quibus suprema Christi divinitas probari solet. Ea autem enumerabimus hoc ordine.

I. Proponemus loca, in quibus Christo talia tribuuntur nomina, quæ creduntur soli Deo Altissimo competere.

II. Producemus ea loca, in quibus attributa soli Deo summo convenientia Christo tribui censentur.

III. Afferemus loca, è quibus unitas, vel singularis conjunctio, aut æqualitas, vel aliqua communio Filii Dei cum Patre colligitur. Unde illi inferunt, Filium habere unam eandemque essentiam cum Patre.

IV. Recensebimus illa argumenta, quæ ex eo sumuntur, quod res certæ de Deo summo in quibusdam Scripturæ locis dictæ, alibi Christo adscribantur.

V. Referemus argumenta, ducta ex eo, quod Christo attribuantur opera, quæ soli Deo summo competunt.

VI. Depromemus illa argumenta, quibus probare conantur, Christum ex essentia Patris ab æterno esse genitum.

VII. Indicabimus loca, è quibus putant probari posse duas dari in Christo naturas, divinam & humanam.

VIII. Videbimus, quomo Incarnationem Dei ex Scripturis demonstrare studeant.

Antequam ad specialem enumerationem testimoniorum Scripturæ, quibus Trinitarii supremam Deitatem Christi probare satagunt, accedamus; in genere ipsos monere juvat, ut suæ sententiæ de persona Christi bene meminerint, & singula loca attente considerent, utrum ex eis talis formari queat consequentia, quæ cum ipsorum sententia conveniat. Sententia enim eorum consistit in his duobus: primum quod Christus vere & essentialiter sit ille ipse Deus supremus, qui Pater est. Secundo, quod nihilominus sit alia distincta à Patre persona. Itaque ad hanc sententiam perfecte adstruendam, non satis est, ut primum è scripturis evincant (quanquam ne hoc quidem facere possunt) sed ut alterum quoque demonstrent. Sabellius enim, qui suo tempore ab Ecclesia rejectus est tanquam hæreticus, cujusque sententia & hodie tamen habet suos sectatores, sensit quoque, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse summum Deum unius essentiæ; at non credidit, eos esse tres distinctas personas, sed statuit omnes istos tres esse unam tantum personam, quæ se tribus distinctis modis hominibus manifestarit in Sacris Literis. Probe enim perspiciebat, in una essentia non posse locum habere plures una personas. Trinitarii autem in hac de Christo controversia nihil aliud agunt, quam quod probent, Christum esse Deum Altissimum: id quod ad sententiam eorum de Christo asserendam non sufficit; quia idem sentiebat etiam Sabellius. Illorum conclusio ex singulis scripturæ locis hæc est: Ergo Christus est Deus summus, coëssentialis Patri; cum potius talis deberet esse conclusio, si sententiam eorum spectes: Ergo Christus est summus Deus Patri coëssentialis, & tamen distincta à Patre persona Deitatis. Sic etiam cum probant duas naturas in Christo, nihil proficiunt contra Nestorium, qui ut duas personas, ita etiam duas naturas statuebat in Christo. Non enim ita concludunt:

Ergo

Ergo in Christo sunt duæ naturæ in una persona. Si dicant, se ex aliis locis Sacræ Scripturæ posse demonstrare, divinam Christi naturam, secundum quam est Deus Altissimus, aliam esse à Patre personam; non respondebo nunc, quod adeo è scriptura probari nequeat, Christum esse personam divinam, multo minus, personam in Deitate distinctam à Patre, ut ne vox quidem personæ in toto codice Sacræ Scripturæ uspiam de Christo usurpata inveniatur: hoc tantum dicam, totam hanc eorum probationem esse quasi centonem quendam ex multis frustris ac particulis anxie conquisitis compositum, ut merito quæri possit, qui fiat, quod in tam vasto Sacræ Scripturæ volumine ne unicus quidem locus reperiatur, in quo utrumque simul scriptum extet, & quidem verbis claris & expressis, uti tantæ rei dignitas atque necessitas postulat, nempe quod Christus sit Deus Altissimus, & nihilominus distincta à Patre persona. Deinde cum illi in ista consarcinata sua probatione uti cogantur consequentiis & collectionibus, quæ rationis judicio subjectæ sunt; non potest sana ratio aliud concludere, quam quod Christus, si est persona diversa atque distincta à Patre, sit etiam diversæ atque distinctæ essentiæ, quam Pater, &, si ipse quoque Deus est, quod sit omnino alius Deus, quam Pater. Itaque proferant licet quam plurima Scripturæ loca (etiamsi illis ex abundanti concederetur totum, quod iis probare nituntur) in uno tamen ex his duobus, quæ sententiæ eorum repugnant, semper hæreant & impingant necesse est: videlicet, quod Christus vel alius Deus sit, quam Pater: vel si idem cum illo Deus est, sit etiam una eademque cum Patre persona.

Jam ipsa loca & testimonia Scripturæ ordine supra indicato recensebimus.

I. *Quod Christo divina nomina tribuantur.*

Primum argumentum producitur ex illis locis, in quibus Christus Deus appellatur. Ut Esai. 9. 6. Joh. 1. 1. xx. 29. Rom. 9. 5. Act. 20. 28. 1 Joh. 3. ℣. 16. Tit. 2. 13.

Secundum argumentum est ex iis locis, ubi Christus vocatur Jehova; quod nomen Dei summi proprium est. Ut Jerem. 23. 5. Esai. 40. 3. Malach. 3. 1.

Tertium argumentum est ex nomine *Emmanuel*, id est, Nobiscum Deus, Matth. 1. 23.

Quartum argumentum est, quod Christus dicatur solus potens, Rex Regum, 1 Tim. 6. 15. Apoc. 17. ℣. 14. xix. 16.

Quintum argumentum petitur ex eo, quod Christus omni creaturæ opponatur, atque sic tacite indicetur, eum esse Deum. Ut cum Paulus Gal. 1. 1. affirmat, se esse Apostolum *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.*

II. *Christo divina attributa adscribi.*

Primum argumentum inde sumitur, quod Christo tribuatur *æternitas.* Idque probant primo ex Esai. cap. 9. 6. Mich. 5. 2. de quo vide à nobis dicta ad Matth. 2. 6. Deinde ex Joh. 8. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Tertio ex Joh. 17. 5. quod Christus habuerit claritatem apud Patrem, antequam mundus fieret. Quarto ex 1 Cor. 10. 10. quod Christus fuerit petra illa, quæ in deserto Israëlitas secuta sit. Quinto ex Hebr. 7. 3. quod Christus fuerit absque patre, & absque matre. Sexto ex Joh. 12. 41. *Hæc dixit Esaias, cum videret gloriam ejus, & loqueretur de eo.* Septimo ex Hebr. 13. 8. *Jesus Christus heri & hodie idem est in secula.*

Secundum argumentum in hoc genere est, quod Christo in Sacris Literis adscribatur *invisibilitas.* Quod confirmant primum loco Matth. 11. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater.* Secundo verbis Pauli Col. 1. 15. ubi Christus vocatur *imago Dei inconspicui.* Tertio verbis Apoc. 19. 12, 13. ubi dicitur Christum *habere nomen, quod nemo novit, nisi ipse.*

Tertium argumentum est, quod Christo attribuatur *immensitas*, ut primum Joh. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Deinde Matth. 18. 20. *Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio ipsorum.*

Quartum argumentum est, quod Christo tribuatur *omnipotentia.* Quod primo probant ex miraculis ejus insignibus. Secundo ex eo, quod propria virtute resurrexit ex mortuis.

Quintum argumentum est, quod Christus in summo & excellentissimo gradu *Bonus* vocetur, Matth. 19. 17.

Sextum argumentum est, quod Christo *sapientia & omniscientia* adscribatur. Ut primo Col. 2. 3. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi.* Secundo Joh. 2. 25. *Ipse noverat omnes, & non erat opus, ut quis testimonium perhiberet de homine, quia ipse sciebat, quid esset in homine.* Tertio Apoc. cap. 2. 23. *Scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renum & cordium.* Quarto Joh. 13. 19. *A modo dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.*

Septimum argumentum est, quod Christo *cultus divinus* deferatur. Ut Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et Joh. 5. ℣. 22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

Octavum hujus generis argumentum est, quod jubeamur *in Christum credere.* Ut Joh. 14. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.*

III. *Quod Christus sit unum cum Patre, vel alioqui certam cum eo similitudinem, aut communionem habeat.*

Jam sequuntur talia argumenta, ex quibus aliqua unitas, aut peculiaris conjunctio, vel similitudo, vel singulare commercium seu communio quædam esse inter Filium & Patrem colligitur. Idque probatur primum ex Joh. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Secundo ex Joh. 10. 38. *Pater in me est, & ego in Patre.* Vide etiam Joh. 14. 10. Tertio ex Col. 1. 15. & Heb. cap. 1. 3. ubi Christus *imago Dei & character substantiæ ejus* vocatur. Quarto ex Phil. 2. 6. quod Christus fuerit *in forma Dei, & Deo æqualis.* Quinto ex Col. 2. 9. *In Christo habitat plenitudo Deitatis corporaliter.* Sexto ex Joh. 14. 7. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.* Et ℣. 9. *Qui vidit me vidit & Patrem meum.* Septimo ex Joh. 12. 44. *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum qui misit me.* Octavo ex Joh. 16. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.*

IV. *Quod*

IV. *Quod Deo in Veteri, & Christo in Novo Testamento eadem vel similia adscribantur.*

Sequitur quartum genus argumentorum, quorum vis in eo sita est, quod res quædam de Deo dictæ sunt in Veteri Fœdere, quæ postea etiam Christo in Novo Fœdere adscribantur. Ubi generalis responsionis loco notandum est, ex eo, quod res eædem pluribus personis adscribantur (inprimis si manifestum sit, id non uno eodemque sensu fieri, id quod in omnibus sequentibus locis fieri certum est) nullo modo concludi posse, eas esse unius essentiæ: inprimis quando constat, eos, quibus res similes attribuuntur, esse vere distinctas personas, ex quo per se patet, eos etiam essentia distinctos esse. De cætero quomodo & quo sensu loca Veteris Testamenti, de certis ibi rebus vel personis agentia, in Novo Testamento ad alias res vel personas accommodentur, id in sequenti Parte 3. hujus Tractatus explanabimus.

Primum autem hujus ordinis argumentum est, quod tum Deus Esai. 41. 4. 44. 6. tum Christus *primus & novissimus* dicatur, Apoc. 1. 18. xxij. 13.

Secundum argumentum est, quod tum Deus Esai. 8. 13, 14. xxviij. 16. tum Christus appelletur *lapis offensionis*, Rom. 9. 32.

Tertium argumentum est, quod Israëlitæ in deserto tum Deum Num. 21. 6. tum *Christum tentarint*, 1 Cor. 10. 9.

Quartum argumentum est, quod tum coram Deo, Esai. 45. 23. tum coram Christo *flecti debeat omni genu*, Rom. 14. 10.

Quintum argumentum est, quod *miracula* Deo Esai. 35. 3, 4, 5. & etiam Christo adscribantur, Matth. 11. 4.

Sextum argumentum est, quod Deus Zach. 12. ỷ. 10. & etiam Christus *fuerit transfixus*. Vide Joh. 19. 37.

Septimum argumentum, quod Deus Psal. 68. ỷ. 18, 19. & Christus quoque *in altum* ascenderit, Vide Eph. 4. 7, 8, 9, 10.

V. *Quod Christus sit creator rerum omnium.*

Primum argumentum est ex Col. 1. 6. ubi dicitur, *in Christo creata esse omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates.*

Secundum argumentum est ex Eph. 3. 9. *Deus omnia creavit per Jesum Christum.*

Tertium argumentum est ex Joh. 1. 3. *Omnia per Verbum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum est.*

Quartum argumentum est, ex Hebr. 1. 2. *Per quem Deus etiam secula condidit.*

Quintum argumentum est ex Hebr. 1. 10. *Tu, Domine, in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.*

VI. *Quod Christus ex essentia Patris ab æterno sit genitus.*

Primum argumentum est, ex Esai. 66. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus?*

Secundum argumentum est ex Proverb. 8. 22. & seqq. ubi Sapientia inquit: *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quicquam faceret in principio. Ab æterno ordinata sum, & a seculo antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram* &c.

Tertium argumentum est ex Proverb. 30. 4. *Quis ascendit in cœlum atque descendit? quis continuit Spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?*

Quartum argumentum est ex Psal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vide hac de re Act. 13. 33.

Quintum argumentum est ex eo, quod Christus dicatur *Filius Dei viventis* Matth. 16. 16. Joh. 6. ỷ. 69. *unigenitus Dei Filius* Joh. 3. 18. *Filius Dei proprius* Rom. 8. 32.

VII. *Quod Christo sint duæ naturæ, divina & humana.*

Hoc loco Trinitarii utuntur duplici argumentorum genere. Alia enim depromunt ex ratione, alia ex Scriptura.

I. Argumentum primum ex ratione est, quod hoc fuerit Christi munus atque officium, justitiæ divinæ pro peccatis totius generis humani satisfacere. Ideo Christus non tantum homo, sed & Deus esse debuit.

II. Argumentum secundum est, quia Christus est mediator inter Deum & homines, propterea debuisse eum utriusque naturæ participem esse. Vide 1 Tim. 2. 5.

III. Argumentum tertium est ex Scriptura: nempe ex Rom. 1. 3. ix. 5. Act. 2. 30. De quo argumento vide, quæ diximus supra cap. 14. §. 2.

VIII. *Quod Deus Altissimus sit incarnatus.*

Primum ac præcipuum argumentum sumitur ex Joh 1. 14. *Verbum caro factum est.* Vide dicta superius.

Secundum argumentum est ex 1 Tim. 3. 16. *Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu* &c.

Tertium argumentum est ex Hebr. 2. 14. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter eorundem particeps factus est.*

Quartum argumentum est ex Hebr. 2. 16. *Nusquam enim Angelos assumit, sed semen Abrahæ.*

Quintum argumentum est ex Hebr. 10. 5. *Hostiam & oblationem noluisti, sed corpus aptasti mihi.*

Sextum argumentum est ex 1 Joh. 4. 2, 3. *Omnis Spiritus, qui confitetur, quod Jesus venit in carnem, ex Deo est.*

Tantum de argumentis ex Scriptura petitis ad probandam supremam divinitatem Filii Dei.

CAPUT XXXII.

In quo referuntur loca Scripturæ, quibus suprema Deitas Spiritus Sancti à Trinitariis probari solet.

UT probent Trinitarii, Spiritum Sanctum non minus quam Patrem ac Filium esse Deum Altissi-

tissimum, ejusdem cum illis essentiæ, & tamen prorsus distincta ab illis persona, iterum magno coguntur uti circuitu, & longis ambagibus. Hunc autem servant ut plurimum in probando ordinem.

I. Ostendunt, Spiritum Sanctum esse suppositum & personam.

II. Ostendunt, Spiritum Sanctum esse personam divinam consubstantialem Patri & Filio.

III. Ostendunt, Spiritum Sanctum esse ordine tertiam personam Deitatis.

IV. Ostendunt Spiritum Sanctum esse personam à Patre & Filio procedentem.

I. *Quod Spiritus Sanctus sit persona.*

Primum argumentum est, quod Spiritus Sanctus in formula *Baptismi* duabus personis tertius adjunctus sit. Vide Matth. 28. 19.

Secundum argumentum est, quia in visibili specie *columbæ & ignitarum linguarum* apparuit, Matth. cap. 3. 16. Act. 2. 2.

Tertium argumentum est, quod Spiritui Sancto tribuatur *Scientia*, 1 Cor. 2. 10, 11. 1 Cor. 12. 8. 1 Tim. 4. 1. 1 Pet. 1. 2. 2 Pet. 1. 21.

Quartum argumentum est, quod Spiritui Sancto adscribatur *voluntas*, Act. 15. 28. 1 Cor. 12. 11.

Quintum argumentum est, quod Spiritus Sanctus sit *causa vitæ* naturalis, Gen. 1. 2. Job. 33. 4. quin & vitæ spiritualis Joh. 3. 5, 6. Rom. 8. 2, 11.

Sextum argumentum est, quod Spiritui Sancto tribuatur *robur*, seu fortitudo, Esai. 11. 2. Mich. cap. 2. 7. Eph. 3. 26. Heb. 3. 9.

Septimum argumentum est, quod *venire* dicatur, Luc. 1. 36. Joh. 16. 8.

Octavum argumentum est, quod *habitare & manere* in fidelibus dicatur, Joh. 14. 17. 1 Cor. 3. 16.

Nonum argumentum est, quod ei alia opera adscribantur, quæ nonnisi à personis perfici queunt: ut quod doceat Joh. 14. 26. quod ducat in omnem veritatem Joh. 16. 13. quod testetur Joh. 15. 26. 1 Joh. 5. 7. quod omnia scrutetur 1 Cor. 2. 10. quod arguat Joh. 16. 8. quod quæcunque audiet, loquetur Joh. 16. 13. quod per Prophetas locutus sit, Act. cap 13. 2. quod consoletur Joh. 14. 26. quod dona distribuat 1 Cor. 12. 11. quod infirmitatibus nostris succurrat, & pro nobis interpellet Rom. 8. 26. quod vocet & mittat Act. 13. 4. quod episcopos constituat Act. 20. 28. quod Christum glorificet Joh. 16. 14.

Decimum argumentum est, quod Spiritus Sanctus diserte & clare à suis donis distinguatur 1 Cor. cap. 12. 4. 11.

Undecimum argumentum est, quod à peccatoribus *tentetur*, Act. 5. 9.

Duodecimum argumentum est, quod ei ab improbis *resistatur*, Act. 7. 51.

Tredecimum argumentum est, quod à malis *contristetur*, Eph. 4. 30.

Decimumquartum argumentum est, quia expresse *alius Paracletus* vocatur, adeoque alia ac distincta à Patre & Filio persona esse significatur, Joh. cap. 14. 16.

Omnia ista argumenta, quæ ex eo ducuntur, quod Spiritui Sancto talia adscribantur; quæ solis personis proprie conveniunt, non habere ullam vim probandi id, quod volunt Trinitarii, nempe quod Spiritus Sanctus sit persona; clarissime cernitur ex innumeris exemplis Sacræ Scripturæ. Quid enim usitatius est, non solum in Scriptura, sed & in vulgari sermone, quam quod rebus, quæ personæ non sunt, per prosopopœiam, non sine elegantia & singulari emphasi, adscribantur opera & actiones, quæ alioqui proprie solis personis competunt. Ita sinistræ manui *scientia* adscribitur Matth. 6. 3. Vento *voluntas* Joh. 3. 8. Horæ, quod *veniat* Joh. 4. 23. verbo & unctioni, quod in fidelibus *maneat* 1 Joh. cap. 2. 24, 27. malo, quod in hominibus *habitet*, Rom. 7. 18. morti & peccato, quod *dominetur* Rom. cap. 5. 14. vj. 12. unctioni, quod *doceat*, 1 Joh. 2. ℣. 27. Aquæ & sanguini, quod *testentur*, 1 Joh. 5. 8. Scripturæ, quod *dicat* Joh. 7. 38. Oculo, quod *videat*; & auri, quod *audiat*, 1 Cor. 2. 9. Talium figuratarum locutionum plena est Sacra Scriptura. Videatur tantum, quomodo Paulus Apostolus de charitate loquatur 1 Cor. 13. 4, 5, 6, 7. & Jacobus de sapientia Jac. 3. 17. & quomodo Paulus omnia, quæ gessit in suo Apostolico munere, gratiæ Dei adscribat: 1 Cor. 15. 10. cum tamen nec charitas, nec sapientia, nec gratia Dei personæ sint.

II. *Quod Spiritus Sanctus sit persona divina, consubstantialis Patri & Filio.*

Hucusque fuerunt argumenta Trinitariorum, quibus probant, Spiritum Sanctum esse personam: sequitur, ut videamus, quomodo probent, eum esse personam supremæ divinitatis.

Primum argumentum est, quod vocetur Dominus, seu Jehova, & Deus.

Verum hic velim attendat Lector, quanto molimine & labore opus sit, ut probetur, eum qui est Deus Altissimus, usquam in Sacris Literis Deum esse appellatum. Athanasius in suo tertio Dialogo de Trinitate introducit Macedonium quærentem sæpius ex Orthodoxo, (per quem Athanasius seipsum intelligit) ubinam Spiritus Sanctus in Scriptura Deus vocetur? Sed is nullum potest ipsi locum monstrare, sed per longas ambages circumducit eum, & talia profert, è quibus nihil minus poterat discere Macedonius, quam quod quærebat: ita ut tandem non sine stomacho diceret ad Orthodoxum (id est, Athanasium:) *Potes mihi ostendere, ubi scriptum sit, Spiritum Sanctum esse Deum? Quorsum me tamdiu circumducis?* Et rursus postea: *Hoc quidem scio, quod me circumducis, cum non possis dicere, ubi scriptum sit; Spiritus Sanctus est Deus.* Ita si Trinitarii vel unum locum possent producere, in quo expresse Spiritus Sanctus Deus vocetur, quantos illi agerent triumphos? Sed videmus tantum virum, quantus fuit Athanasius, non potuisse Macedonio, ut modo audivimus, ullum talem locum ostendere. Qui vero fieri potuit, ut is, qui est ipse summus Deus, non saltem semel diserte Deus diceretur in Sacris Literis? Sed age, videamus eorum argumenta.

Quod Spiritus Sanctus Deus dicatur, probant illi primum ex eo, quod fideles vocentur templum Spiritus Sancti, 1 Cor. 6. 19. & alibi etiam Dei templum 2 Cor. 6. 16. Levit. 26. 1, 11, 12. Secundo ex eo, quod Israëlitæ tentarint Deum Psal. 95. 9. Deut. 9. ℣. 23. & Spiritum Sanctum Hebr. 3. 7, 9. Tertio ex eo, quod dicatur Deus Deut. 32. 12. & etiam Spi-

ritus Sanctus Esai.63. 11, 14. populum Dei duxisse in deserto. Quarto, quod Israëlitæ tum adversus Deum Psal.78.17, 18. tum adversus Spiritum Sanctum peccaverins Esai. 63. 10. Quinto, quod tum Deus Esai. 6. 9. tum Spiritus Sanctus Act. 28. 25. ad Prophetas locutus sit: Sexto ex collatione Psal. 69. 26. cum Act. 1. 20. Ex qua collatione quomodo probari queat, Spiritum Sanctum esse Deum summum, ne Salomon quidem facile divinaverit. Septimo ex eo, quod Ananias simul Deo & Spiritui Sancto mentitus sit Act. 5. 4, 9. Octavo, quod Scriptura Sacra tam à Deo 2 Tim. 3. 16. quam à Spiritu Sancto inspirata sit, 2 Petr. 1. 21.

Secundum argumentum, quo probant, Spiritum Sanctum esse personam divinam, est, quod ipsi attributa ac proprietates divinæ adscribantur. Verum istud argumentum nullius est omnino valoris, nisi prius probetur, Spiritum Sanctum esse personam. An vero id supra probaverint, potest cordatus lector ex iis, quæ ad argumenta illa breviter respondimus, judicare. Quod autem Spiritui Sancto divinæ proprietates tribuantur, probant inde primo, quod sit *æternus*. Sed quia hoc quoque nusquam expresse scriptum est, probant æternitatem ejus ex eo, quod una cum Patre & Filio creator sit Gen. 1. 2. Secundo, quod sit *immensus* & ubique præsens Psal. 139. 7. *Quorsum fugiam coram Spiritu tuo?* Tertio, quod sit *omnipotens*, Esai.2. 11. Mich.3.7. Rom.15.19. 1 Cor.12.8,11. Quarto, quod sit *omniscius*, Act.1. 16. x. 19. xx. 23. 1 Cor.2.10,11. xii. 28. 1 Tim.4. ℣. 1. Hebr.9.8. 1 Petr. 1. 11, 12. Quinto, quod habeat liberam potestatem ac voluntatem Act. 13. 1, 2. xvi. 6, 7. xix. 6. 1 Cor. 12. 11. Sexto, quod sit summe beatus, quia est causa nostræ felicitatis ac vitæ æternæ Joh.3.5. Act.9.31. Rom. 5. 5. xiv. ℣. 17. 2 Cor. 3. 6. Gal.4.6.

Tertium argumentum ad probandum, Spiritum Sanctum esse personam divinitatis supremæ, petunt inde, quod ipsi opera divina adscribantur. Etiam hoc argumentum nihil valet, antequam probetur, & constet, Spiritum Sanctum esse personam. Opera autem divina Spiritui Sancto tributa, hæc recensent. *Impregnatio Virginis Mariæ* Matth. 1. 11. *Miracula* Matth. 12.38. *Regeneratio* Joh.3.5. *Renovatio* Tit.3.5. *Vocatio & missio doctorum* Act. 13.4. *Prædictio futurorum* Joh. 16. 13. *Excitatio filialis fiduciæ, timoris, charitatis, & precum in fidelibus* Rom. 8. ℣. 15, 26. *Condemnatio impiorum*, Joh. 16. 8. Matth. cap. 12. 31.

Quartum argumentum est, quod Spiritui Sancto divinus cultus & honor tribuatur. Id probant primo, quia Paulus per nomen Spiritus Sancti jurat Rom. 9. 1. Secundo, quia Christiani in nomine ejus baptisantur, Matth. 28. 19. Tertio quia Seraphini Spiritum Sanctum adorarunt Esai.6.56. Act. 28.25. Quarto, quia Apostolus gratiam Spiritus Sancti, æque ac Patris & Filii precatur Christianis Ecclesiis, 2 Cor. 13. 13. Quinto quia peccatum adversus Spiritum Sanctum irremissibile peccatum est Matth. 12. ℣. 32. Sexto quia vulgo canitur in Ecclesia: *Gloria sit Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Vide Apoc. cap. 5. 13.

III. *Quod Spiritus Sanctus sit in ordine tertia divinitatis persona.*

IV. *Quod Spiritus Sanctus sic persona à Patre & Filio procedens.*

Argumenta, quibus hæc duo probent, vide in ipsorum Trinitariorum libris, inprimis vero apud Balthasarem Meisnerum in lib. de S. S. Trinitate.

CAPUT XXXIII.

In quo summatim instituitur comparatio inter primævam Apostolicam doctrinam de uno Deo Patre, & inter hodiernam doctrinam de Trinitate: simul quoque utilitas veræ cognitionis Dei hac in parte ostenditur.

HActenus Christiano lectori utramque sententiam de natura & essentia summi Dei, de qua hodie acerrima lis est inter Christianos, una cum utriusque argumentorum brevi enumeratione exposuimus, pioque & à præjudiciis libero ipsius judicio subjecimus.

I. *Comparatio inter utramque sententiam.*

Quod priorem sententiam de uno Deo Patre attinet, illa ipsissimis & planissimis Scripturæ verbis ac phrasibus est proposita: prout etiam par est, ut res tanti momenti, quæ est quasi basis totius religionis Christianæ, non humanitus inventis, sed à Deo inspiratis verbis declaretur ac demonstretur. Scriptura Sacra quoque non ita est allegata in hujus sententiæ expositione, ut ei duris, inusitatis, longe petitis, vel rationi contrariis interpretationibus vis fieret, & loci quasi per capillos (ut ajunt) ad propositum traherentur. Etiam ubi præter claram literam & expressa verba Scripturæ, ad majorem & abundantiorem veritatis confirmationem, adhibitæ sunt aliquæ collectiones ac consequentiæ, (quanquam omnes ex Scriptura sumtæ sunt) illæ sunt tam claræ ac evidentes, ut etiam ab idiotis & rudissimo quoque facile queant intelligi. Hæc sententia ita est firmiter in verbo Dei fundata, ut ad ejus explicationem, ac defensionem nihil opus sit ullis recens inventis distinctionibus, inusitatis atque inauditis figuris, peregrinis & ignotis phrasibus ac vocabulis, aut ullis omnino subtilitatibus, quarum homines simplices ac indocti incapaces sunt: sed omnia sint plana, simplicia, & omnibus sanæ mentis hominibus intellectu facilia. Consentit quoque hæc sententia cum illa veritate, quam Deus humano intellectui ipse insevit, cuique veritas in verbo Dei revelata, minime adversatur. Nihil in ea est, quod humana ratio possit merito absurdum, inconveniens, impossibile, aut contradictorium judicare. Propterea non opus est, ut ii, qui hanc sententiam sub rationis examen revocare, vel etiam testimonia Scripturæ, annon in alienum & absurdum sensum detorqueantur, expendere cupiunt, voce Mysterii terreantur, & admoneantur, ut nobilissimam animæ suæ partem, cui Deus imaginem suam impressit, id est, sanam rationem suam captivent aut seponant, & mysteria divina irrationali ac bruta fide apprehendant.

Ex adverso autem, si consideretur sententia de Tri-

Trinitate, quodnam est ejus membrum seu caput, quod claris, expressis & disertis verbis scriptum in Sacris Literis monstrari possit? Ubi extant in Scriptura voces Trinitatis, Tri-unitatis, consubstantialitatis, essentiæ, personarum? Ubi legitur Dei trina existentia; mutua & tamen impermixta immanentia, seu circumincessio trium distinctarum personarum; æterna generatio Filii Dei ex essentia Patris; Incarnatio Dei; hypostatica unio Dei cum humana natura; mutua communicatio naturalium idiomatum duarum naturarum, divinæ & humanæ; humiliatio & exinanitio Dei; & innumera alia vocabula & locutiones, quæ in Scholis ad hanc sententiam tuendam ac propugnandam adinventæ sunt? Ubinam Spiritus Sanctus usquam in Sacris Literis vocatur Deus; creator cœli & terræ, vel Pater? Quodnam fundamentum in Scriptura habent mirabiles illæ distinctiones inter Dei essentiam & personas; inter Dei essentiam & existentiam; inter Deum essentialiter & personaliter sumtum; inter essentialem & personalem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; inter divinam personam & divinam naturam in Christo; inter humanam personam & humanam naturam; & multæ aliæ distinctiones magno numero in Scholis procusæ? Ubi habentur in Scriptura absurdæ illæ & prorsus detestandæ *propositiones personales*, quod Deus sit homo, quod homo sit Deus, quod Deus sit natus, Deus fuerit infans, Deus, Deus siti laboraverit, Deus pœnitentiam egerit, Deus fuerit servus, Deus sit mortuus ac sepultus, & similes aliæ? Ubinam Christus vel Apostoli hujuscemodi plusquam Ethnicis usi sunt locutionibus, quæ radunt pias aures, ut ab eis non possint non abhorrere? Et ne nunc quicquam de eo dicam, quod hæc sententia de Deo Tri-uno nihil habeat commune cum antiquissimo fidei Symbolo, quod vulgo Apostolis adscribitur, & post Sacras Literas pro norma ac formula Christianæ fidei merito haberi potest: hoc insuper notandum est, quod illa adeo pugnet cum manifesta veritate naturali, quam Deus indidit humanæ rationi, ut vere dici queat, nihil unquam in ulla religione excogitatum fuisse, quod humanum intellectum majoribus labyrinthis implicet, quodque adeo omnia ei adimat rei percipiendæ subsidia, atque id facit hæc doctrina de Triuno Deo. Quod enim in una aliqua re dicitur & affirmatur, id non modo in aliis rebus, sed etiam in illa ipsa re mox, imo in iisdem pene verbis rursus negatur atque evertitur: tam densa agmina ubique occurrunt contradictionis in adjecto, & oppositi in apposito, ut tametsi quis omnes ingenii intenderit nervos ad se ex iis expediendum, nihil proficiat, & ad extremum nihilo doctior abeat, quam accesserat. Homo vero simplex & minus ingeniosus, qui veræ cognitionis Dei desiderio flagrat, atque hinc aliquid discere gestit, citius in studio & ardore suo relanguescat, imo sensus pene omnes atque intellectum amittat, quam voti ac desiderii sui compos fiat. Atque hinc fit, ut etiam ipsi doctrinæ hujus assertores ac professores non sint in omnibus unanimes atque concordes; præsertim in articulo de hypostatica unione duarum naturarum & de communicatione idiomatum: super quibus capitibus capitale & irreconciliabile est inter eos dissidium, ita ut alii alios non tantum velut teterrimos ac deterrimos hæreticos, Turcis ac Judæis pejores, condemnent, sed etiam odio habeant tanquam juratos hostes, & ubi possunt, omni genere persecutionis divexent. Vide inter alia Admonit. Neostadian. & D. Hoë 99. artic. Qui enim fieri potest, ut illi aliquando ad concordiam & pacificam veritatem perveniant, quando commune eorum fundamentum, cui utraque pars suas inædificat sententias, falsum est, & tam Scripturæ, quam lumini rationis naturalis contrarium?

II. *Utilitas veræ cognitionis divinæ.*

Dici autem non potest, quam magna sit utilitas rectæ cognitionis unius Dei Patris. Certe ea tanto major est, quanto adversum dogma de Deo Trin-uno est magis noxium, tantoque latius se diffundunt veræ sententiæ commoda, quanto latius contrariæ sententiæ patent incommoda. Nam primum quam necessarium sit intelligere ac credere, unum tantum esse Deum supremum, & Sacræ Literæ docent, quæ id tam crebro inculcant, & omnes facile intelligunt. Jam vero nisi statuas, unam tantum esse supremæ Deitatis personam, nec satis intelligere, nec constanter credere ac tueri unitatem supremi Numinis potes. Quandoquidem à nobis satis est ostensum, plures personas supremam divinitatem habentes, plures esse Deos summos. Etiamsi vero error hic aliquatenus infringatur ac minuatur alio errore, dum istarum personarum una numero essentia statuitur; tamen nec penitus tollitur, & id ipsum, quod de unitate essentiæ divinæ dicitur, satis intelligere, ac constanter credere non patitur. Utut enim maxime connitaris, unam eandemque trium reipsa distinctarum personarum essentiam animo concipere non potes, sed necesse est, ut tres essentias numero diversas cogites, unam quæ genuit, alteram, quæ genita est, tertiam, quæ ab utraque processit; unam quæ de cœlo locuta est, alteram, quæ in Jordane fluvio stabat, tertiam, quæ in columbæ forma de cœlo descendit. Quodsi singulis supremam Deitatem tribues, tres numero Deos summos concipies.

Qui vero plures Deos summos statuit, is gloriam atque honorem, uni debitum, in plures dividit, & quantum cæteris tribuit, tantum illi uni adimit. Quare certum est, per hanc Trinitatis doctrinam valde minui Dei Patris honorem, dum id quod longe omnium augustissimum habet, & quo cætera omnia superat, cum aliis ex æquo communicatur, suprema nimirum Deitas, & porro, quæcunque hujus solius sunt propria, sive ipsius sint opera, sive nostra, ad gloriam & honorem ipsius spectantia.

Et hæc quidem absurda nascuntur æque ex sententia de suprema Filii Deitate, atque ex dogmate de suprema Deitate Spiritus Sancti. Istud autem sententiæ de Spiritu Sancto magis est proprium ac peculiare, quod ei divinum imperium ac gubernatio, quæ illi prorsus non convenit, tribuitur; ac porro Deus esse statuitur, per se adorandus, invocandus, &, ut dator omnium plane bonorum, celebrandus: cum nec quicquam horum, ut vidimus ei in Sacris Literis tribuatur, nec tribui, cum persona non sit, possit. Itaque licet alias Spiritus Sanctus Deo supremo sit subordinatus, tanquam media actionum divinissimarum causa; non est tamen ita ei subordinatus, ut persona esse solet, cui ab altero imperium, rerumque administra-

nistratio, & quæ illam consequi solent ac debent, honoris ac cultus partes sint concessæ: quo pacto Christum Deo subordinatum esse cernimus, qui & Deus expresse nominatur, & in solio Dei collocatus, rebus omnibus imperare scribitur. Unde etiam, ut ab omnibus adoretur, utque omnes in eo fiduciam collocent, atque adeo ejus opem implorare audeant, præcipitur; nec ulla divini honoris pars est, quæ ei non legatur tributa, quanquam ita, ut ad Patrem ultimo tendat. Nihil horum de Spiritu Sancto legitur.

Quanquam autem hæc absurditas, quam posteriori loco explicuimus, magis in vulgari de Spiritu Sancto, quam de Filio Dei, sententia cernitur, cernitur tamen etiam in ista: & nisi alius error, nempe Incarnationis Filii Dei, alterum illum quodammodo correxisset, fieret adhuc gravior. Nam dum ante ac præter Jesum Christum, ex Virgine natum, eum, inquam, hominem, quem illi humanam tantum naturam appellant; Filius Dei unigenitus fingitur, qui ab omni æternitate extiterit, qui divino in omnia imperio una cum Patre semper fuerit præditus: Deitas ei tribuitur rei, quæ non modo Deo supremo non fuit subordinata, aut imperio tam sublimi ab eo donata, sed ne extitit quidem unquam. Atque hac posteriori in parte gravior per se est hic error, quam is qui circa Spiritus Sancti Deitatem committitur. Spiritus Sanctus enim non modo extitit, & adhuc existit, sed etiam res est, ut diximus, divinissima, & Deo summo in præstantissimis operibus vere unita ac subordinata.

Audimus Trinitariorum nonnullos interdum dicentes, vel propterea ipsorum hanc de Christo sententiam esse præferendam alteri, quod illa cum majori ipsius gloria sit conjuncta. Ipsam autem erga Christum Servatorem nostrum charitatem postulare, ut ei potius aliquid honoris addamus, quam detrahamus. Qui quidem homines primum ita agunt, ac si ex nostro res penderet arbitrio, & non ex Sacrarum Literarum, id est, ipsius Dei sententia, manifestisque rei argumentis, penitus æstimanda esset. Cum ergo certas ipse Sacræ Literæ nobis hac in parte posuerint metas, quas transgredi fas non est; ut nihil nobis de honore Christi demere licet, ita nec quicquam addere. Neque vero amor erga Christum verus, quantuscunque sit, postulat, ut quicquam ei præter veritatem tribuas, & falsis eum titulis ac laudibus ornes. Nam nec falso delectatur honore, cui veri honoris abunde est: nec quicquam laudi sibi ducit, quod Patris gloriam, unde omnis in ipsum honor, omnis divinitas profecta est, minuit. Minuit autem, ut vidimus, illa Trinitariorum de suprema Christi divinitate opinio. Itaque etiamsi tandem liceret ex nostro affectu aliquid ad honorem Christi adjicere; non liceret tamen id, quod cum injuria Patris conjunctum est. Nefas est, quicquam de honore Christi demere; sed nec fas, quicquam de honore Patris decerpere. Nefas est, quicquam de amore erga Filium detrahere; sed nec fas, quicquam de amore Patris. Egregie scripsit Cassianus lib. 1. de Incarn. *Non minoris est erroris, Domino nostro Jesu Christo impropria addere, quam propria derogare. Quod enim non ita dicitur, ut est, etsi honor videatur, injuria est.*

Neque vero nos ii sumus, qui ullam Filio honoris partem detrahamus, aut detractam cupiamus, pro cujus gloria, ipsius auxilio freti, ne atrocissimam quidem mortem recusamus. Honorem illi falso, & cum imminutione gloriæ divinæ affictum, ab ipsomet edocti, refellimus. Quod ipsemet recusat, facere nolumus. Atque ut videas, Christo nos honorem relinquere illibatum, & pro virili conari præstare; quid amplius requirit à nobis ipse Christus, quam ut ipsum honorificemus, sicut honorificamus Patrem? Num quis major illi honor convenit? Neminem, nisi insanum, id arbitror dicturum. At quam ob causam illum sibi honorem vindicat Christus? Num ideo, quia supremus sit, atque ab omni æternitate existens Deus? Non sane: sed quia omne illi Pater judicium dedit. Ita enim ait Joh. 5. 22, 23. *Pater non judicat quenquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Cum ergo eum ob judicium omne à Patre datum, honoremus; cum ob tam sublime imperium eum adoremus, ob nomen super omne nomen ei donatum, genua illi flectamus, Phil. 2. 9, 10. & cum divinum nostrum Dominum, ad Patris dexteram in cœlestibus collocatum, profiteamur; eum tanquam omnium factorum, dictorum, consiliorum nostrorum, intimorumque animi recessuum judicem ac vindicem revereamur, non secus ac Patrem; num ullam ei honoris debiti partem detrahimus?

Si res ex vero æstimetur, illi ipsi Trinitarii, qui falsum honorem supremæ Deitatis Christo tribuunt, sunt, qui verum illi vel adimunt, vel vehementer minuunt atque obscurant. Nam primum sententia eorum non permittit, ut ipse Jesus Christus, ille ipse, inquam, homo, qui ex Maria Virgine est natus, pro Filio Dei unigenito & κατ' ἐξοχὴν in Sacris Literis sic dicto agnoscatur, sed pro ejus accessione quadam, seu natura ab ipso assumta. Etsi enim hominem Jesum Christum Dei filium unigenitum appellant, id tamen nonnisi per Communicationem idiomatum ab illis fit, qua ea, quæ secundum unam naturam Christo conveniunt, ei tribuuntur ab altera natura descripto. At illa ipsa substantia humana, ex corpore & anima rationali constans, quam illi personam humanam appellare verentur, illis per se Filius Dei unigenitus nequaquam est, sed natura ab eo assumta. Unde & vesti comparare solent, quam ille induerit. Non magis ergo substantia illa humana, id est, si vere res appellanda est, ipse homo Jesus Christus, unicus ille Dei Filius erit, quam corpus nostrum anima est, quia hæc illo sit induta, & cum illo tam arcto vinculo nexa. Quomodo igitur illa Trinitariorum opinio veram Christi gloriam non minuit, vel potius tollit? Huc referri possunt illa Leonis Episcopi ad Leonem Augustum verba: *In magno sacrilegio se versari, hæreticorum manifestat impietas, cum sub specie honorandæ in Christo Deitatis, humanæ carnis in ipso denegant veritatem.*

Quo accedit, quod eadem Trinitariorum sententia Christum hominem, de Regio illo, in quo est à Deo collocatus, solio deturbat, nec Dominum ac Christum à Deo factum esse, bona fide agnoscere permittit. Hæc enim nonnisi in personam cadunt Deo supremo minorem: qualis illis nec Christus homo, seu humana, ut illi vocant, natura est, nec divina ipsius persona. Hæc, quia ipsemet Deus supremus est, ac porro eo nequaquam minor: illa, quia iis persona non est, nec esse potest, si in alia persona subsi-

subsistit. Et quorsum illa humanæ naturæ potestas, si eam per se ipsam exercere non potest? Nihil enim per seipsam, si suppositum non est, agere potest; sed Deus ipse tantummodo secundum eam agit. Quorsum duplex in eadem persona imperium, quod nonnisi semel ab ea potest exerceri? Si quis Lunam cum Sole indissolubili nexu jungere vellet, quemadmodum isti homines divinam naturam cum humana in Christo junctam volunt, illius lumen redderet prorsus supervacaneum atque otiosum. Neque enim Luna suum nobis lumen impertiretur, Sole omnia radiis suis illustrante, atque ipsam Lunam veluti obscurante. At eadem à Sole disjuncta, tantam terris lucem, utut à sole acceptam, impertit, ut magnum cum illo luminare in Sacro Codice appelletur, Gen. 1. 16. Ita & homo Christus, si illum in unam cum Deo personam conjungas, augustum illud imperii ac majestatis suæ jubar amittit, à supremæ divinitatis gloria ac splendore obscuratum, atque otiosum redditum. Omnia enim suprema divinitas, per seipsam potestatis, sapientiæ, ac bonitatis suæ radiis satis illustraret. At si is est à Deo supremo, ut natura, ita & persona distinctus, ejus veluti radiis illustratus, terris maxime salutare lumen impertit, facirque, ut qui ad supremæ divinitatis splendorem oculos attollere, eumque per se intueri non poterant, in Christo blandius quodammodo refulgentem contemplari queant; & qui ob tantam naturæ distantiam ad Deum supremum animos erigere non poterant, per Christum, naturæ vicinitate ac similitudine sibi conjunctum, elevare audeant.

Quod ut tanto melius intelligatur, plura adhuc ejus sententiæ, quæ Christum supremum Deum facit, recensebimus incommoda, ut pateat, nos haud temere, sed gravissimas ob causas, à recepta per tot secula sententia discessisse. Nam sententia ista finem eum magna ex parte tollit, ob quem Deus per hominem totam salutis nostræ rationem administrari voluit: & porro etiam, cur ita Deus voluerit, intelligere nos non patitur. Duo enim ea in re spectavit Deus, nempe æternam nominis sui, ob quam omnia fecit, gloriam, & incomparabilem generis humani fructum.

Gloriam Deo eripiunt, qui talem faciunt Christum, ut nihil à Patre suo accipere, omniaque suis ipsius viribus præstare, sine aliena ope potuerit. Id quod illi faciunt, qui eum Deum supremum constituunt. In eo enim inprimis tanta Dei, quam spectavit, gloria sita est, quod per hominem, cui tantæ vires cæteroqui minime insunt, tam ardua præstiterit, eumque à mortuis excitatum, ad tam sublime imperii fastigium in cœlis extulerit.

Fructum autem tantæ rei nobis eripiunt, iidem, quia spei ac fiduciæ nostræ ea subducunt nobis fulcra atque adminicula, quibus per tam arduum iter in cœlum nitimur. Nam primum exemplum, quod à Christo capere debebamus, tum pietatis adeo laboriosæ, tum felicitatis per eum nobis propositæ, enervant. Voluit enim Deus, ut in Christo non tantum cerneremus, quid vel præstare, vel consequi deberemus; sed etiam quid possemus. Poterat nobis ipse Deus exemplo esse & sanctitatis, & felicitatis, ad quam aspirare debeamus; uti sane nobis utraque in re spectandus proponitur. Vide Matth. 5. 48. Luc. cap. 6. 36. Eph. 4. 32. v. 1. 1 Pet. 1. 15. 1 Joh. 1. 7. iij. 9. 2 Pet. 1. 4. Sed homines propius & imbecillitati suæ accommodatius desiderabant exemplum. Nam ipsius Dei exemplo discere quidem poterant, quid illud sit, quod vel facere, vel sperare deberent (quanquam ne illud quidem satis exacte; cum utrobique multum ad pleniorem similitudinem desit.) sed illud scire inde non poterant, quid etiam possent. Id vero ex Christi exemplo abunde discimus. Eo enim nos docuit Deus, suis ea nos præstare ac consequi posse viribus, quæ nostris nequeamus.

Nam quod ad primum attinet, & Christus carne circumdatus erat, carni nostræ, hoc est, carni peccati, ut Paulus loquitur, Rom. 8. 3. seu peccatrici, simili, quam omnes etiam, quæ nos ad peccandum inducunt, occasiones invitare atque irritare per se poterant. Non minus caro ejus à morte tam acerba, quæ ei proposita erat, quam nostra, abhorrebat: sed quod illa per se non poterat, Deus ope sua in eo effecit. Ad exactissimam enim sanctitatem, omnique labe carentem, Christum perduxit, ut inde ad nos manaret exemplum; quo vetaremur dubitare, eam nos divina ope suffultos pietatem præstare posse, quam Deus à nobis exigit, non parem quidem Christi sanctitati, sed tamen similem. Atque huc inter alia respicit Paulus, dum ad Romanos ita scribit: *Quod impossibile erat Legi, quatenus infirmabatur per carnem, Deus Filio suo misso in similitudine carnis peccati, & pro peccato condemnavit peccatum in carne; ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum*, Rom. cap. 8. 3, 4. Impossibile erat Legi Mosaicæ nos ab imperio ac potestate peccati, ac porro etiam mortis æternæ, liberare. Conabatur quidem id præstare, sed caro nostra ad peccandum adeo prona, ejus conatui obstabat, & vim illius minuebat, ita ut id quod volebat, consequi non posset. Quod igitur Lex efficere in nobis non poterat, id Deus postea per Filium suum Jesum Christum effecit. Hunc enim misit ad nos, carne circumdatum, nostræ, quæ ad peccandum adeo proclivis est, simili, & iisdem, quibus peccatores premi solent, malis obnoxia: utque peccatum in nobis aboleret, ejus vim in Christi carne primum sustulit ac delevit; ut ita nobis quoque, ad exemplum Christi, non ex carnis cupiditatibus, sed ex Spiritus ductu viventibus, justificatio contingeret, quam Lex promittebat quidem, sed præstare ob carnem nostram, ut dictum est, non poterat. Ex quibus facile apparet, Deum in Christo tale nobis proponere voluisse pietatis exemplum, ex quo disceremus, non tantum quid facere debeamus, sed etiam quid ope ejus adjuti possimus.

Quod ad posterius attinet, itidem Christi exemplo docemur, non tantum quid illud sit, quod consequi debeamus, sed etiam, quod id consequi possimus, utut viribus nostris plane non possimus. Etenim & Christus, qui mortalis olim fuit, & naturâ nobis prorsus similis, evasit immortalis; & ea quidem via, quæ omnes naturæ limites excedit, hoc est, per resurrectionem. Unde Paulus Apostolus 1 Cor. 15. luculenter ostendit, nos quoque resurgere posse, atque adeo resurrecturos, si Christus ex mortuis resurrexit.

Jam vero utriusque rei, hoc est, & pietatis, & felicitatis, exemplum labefactant & maximam ejus vim

tollunt, quicunque Christum Deum illum supremum faciunt. Nam quod ad priorem attinet, quid mirum, Deum illum supremum sancte vixisse? Num ab eo, quid possimus, discere possumus? Estne talis inter nos & illum, virium ad sanctitatem pertinentium proportio, qualis inter nos & Christum ratione ipsius sanctitatis esse debet? Quodsi dicas, humanam nihilominus Christi naturam nostræ fuisse similem, quæ divina ope, tanta fuerit sanctitate prædita; ex illa nos ejusmodi exemplum capere posse; multum falleris. Nam si humana natura suppositum non fuit, ipsa etiam nihil proprie loquendo egit, sed divina persona, seu, Deus ipse secundam illam. Multum autem, imo infinitum interest, si vires agendi spectes, utrum Deus supremus agat, an homo. Deinde nihilominus in humana illa natura, infinita supremæ Deitatis vis personaliter habitavit, & à peccato omni ita eam cohibuit, ut prorsus impossibile fuerit eam peccare. Quid in nobis simile? Taceo, quæ illi de dissimilitudine dictitant inter nos & Christum, ratione peccati originalis, & ingentis per eam corruptionis naturæ nostræ, quæ in Christo nulla; in nobis autem tanta existimatur, ut nobis relicti nihil prope nisi peccare possimus.

Quod vero ad posteriorem, nempe felicitatem nostram, ejusque adipiscendæ rationem attinet; quid mirum est, Deum supremum à mortuis (eum enim hominem factum mori potuisse, credere nos volunt) resurrexisse, & porro immortalem evasisse? Num ullæ vel minimæ restant in nobis post mortem vires, quibus nos ab ejus vinculis expedire, atque in vitam revocare possimus? Num ergo Christi exemplo discemus, posse nos, quod ille potuit?

Sed & alia præterea ratione, spei ac fiduciæ nostræ fulcra, quæ ei firmandæ Deus adhibuit, subvertit Trinitariorum de Christo opinio. Deus enim non per seipsum, seu immediate, ut loquuntur, totam salutis nostræ rationem gubernare, atque ad exitum perducere voluit; sed eam in Jesu Christi manu posuit, nobis & natura conjuncti, & omnia quæ nobis ipsi servientibus eveniunt, mala perpessi, ut ita in optimam spem nos erigeret, fore, ut is vilitatem nostram non despiciat, & nobis vexatis atque afflictis tanto promptius succurrat. Id quod aliquot locis indicavit scriptor Epistolæ ad Hebræos. Vide cap. 2. 16 ad finem capit. & 4. 14, 15, 16. & 5. 2, 3. confer cum 7, 8. At quo pacto hac consolatione sincere nobis frui licet, si Christus est ipse Deus immortalis, & ab omni afflictionis etiam umbra semotus? Nec enim refert, quod humana natura passa mortuaque fuerit, si modo hæc in id cadunt, quod suppositum non est. Nam si natura illa suppositum non est, ac porro nec per se quicquam agit, sed quicquid agit, divina persona, hoc est, ipse Deus supremus secundum illam agit; quid nobis prodest, illam passam esse, malaque nostra expertam? Siquidem ipsa divina persona, quæ vere agere censenda erit, quicquid Christus agit, nihilominus ea mala non sensit, nec eam ob causam ad nos juvandos fieri potuit pronior. Et licet natura humana ad actionem illam, qua nobis auxilium à Christo fertur, concurrere statuatur; non concurret tamen tanquam suo arbitrio relicta, sed ut ea, quæ divinitatis arbitrio ac impulsui necessario pareat, sine quo nec agere, nec cessare ab agendo possit. Perinde igitur hac in parte erit, ac si ipse Deus immediate totam salutis nostræ rationem gubernaret. Itaque ut in Dei gloriam, & verum Jesu Christi honorem, ita & in seipsos valde sunt injurii, qui supremam Christo divinitatem affingunt. Nos vero simul Deo ac Christo suum asserimus honorem, qui hominem Jesum Christum, ob mortem crucis in summam sublimitatem potenti Patris dextera evectum, & principem ac servatorem nostrum constitutum adoramus, eumque Dominum *ad Dei Patris gloriam* ex Pauli doctrina profitemur, Phil. 2. 11. Simul & vim resurrectionis, ac glorificationis ejus fructum sentimus, & verissime illud à Petro dictum esse comperimus; *nos per ipsum credere in Deum, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides nostra & spes esset in Deo*, 1 Petr. 1. 21. In quo ipse summam Dei erga nos bonitatem agnoscimus, & grato animo exosculamur.

Magna sunt illa & gravia, quæ hucusque attulimus, sententiæ de suprema Deitate Christi incommoda, quæ vel sola ad ejus absurditatem ostendendam abunde sufficerent; sed nondum est finis. Uno enim dato absurdo, sequuntur multa; & facile catena errorum nectitur. Nam præterquam quod plurima Sacrarum Literarum loca, cum opinione illa pugnantia, eique minus consona, Trinitarios pervertere, & in alienam sententiam torquere necesse est: dogmata quædam alia, saluti humanæ valde noxia, illi superstruuntur, quæ, ea convulsa, corruere necesse est.

Posses hic jure collocare crassissimum illum multorum de Ubiquitate, ut vocant, seu Omnipræsentia corporis Christi errorem, quo nimirum ipsa corporis Christi substantia, una cum divinitate ejus, quovis in loco, minimo, maximo tota adesse fingitur. De quo vide supra cap. 19. 22, 23. Qui error, quicquid illius patroni dicant, Christum de loco in locum moveri, non magis, quam ipsam divinam naturam, patitur: & quæcunque in Sacris Literis leguntur (leguntur autem innumera) quæ ostendunt, eum certo locorum ambitu comprehensum, & è loco in locum progressum esse, sua vi tollit; atque inter cætera ejus in Virginis utero conceptionem. Nisi quis ipsam Virginem non tantum veste, aut ædibus suis, sed & omnibus cœlis latius patuisse dicat. Similiter tollit & ascensum ejus in cœlum, & ex eo reditum, tam necessarios Christianæ religionis ac fidei, ut vocant, articulos.

Gravis hic est de Ubiquitate error, tum per se, tum quia, si animum advertas, omnis scientiæ, fideique Christianæ fundamenta subvertit. Sensibus enim fidem negat, & nec oculis, nec manibus amplius vult credi, quibus Christus, ut aliorum discipulorum, ita & pertinacissimam Thomæ incredulitatem olim expugnavit Luc. 24. 39. & seqq. Joh. 20. 27, 28. Credi namque postulat, in quem locum Christus venisse, oculis est visus, in eo jam reipsa fuisse, antequam veniret: & eo quo loco discessisse visus est, in eo nihilominus ipso corpore mansisse; & nunc et etiam loca corpore Christi, carne, sanguine & ossibus constante, plena esse, quæ eo vacua, aliisve corporibus repleta esse, non oculi tantum, sed & manus testantur. Quodsi his testibus fides neganda est; nulla erit causa, quin fides derogetur Christo, ea, quæ vidit, testanti; Joh. 3. 11, 32. nihil erit, cur Apostolis credamus, Christi miracula, mortem, resurrectionem,

nem, quæ sensibus externis deprehenderunt, asserentibus: & scriptoribus Sacris, qui oculatorum testium fide sese niti affirmant. Vide Act. 10. 40, 41. 1 Cor. 15. 5. & seqq. Luc. 1. 2. Frustra scripsit Johannes: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ:* 1 Joh. 1. 1. si & oculi & manus falli in re tam manifesta possunt; quinetiam dubitandum nobis erit, an illa, quæ legimus in Sacris Literis, legamus.

Sed est adhuc alius error, tum in summam Dei erga nos benignitatem valde injurius, tum pietati ac porro etiam saluti humanæ majorem in modum noxius, qui eo dogmate nititur, estque omnibus vulgo Trinitariis communis. Etenim si Christus est Deus supremus, qui è cœlis in Virginis uterum se demiserit, qui infans in cunis vagierit *, qui ederit, biberit, lachrymatus fuerit, aliaque humanæ fragilitatis propria, mortem denique truculentam in se susceperit; quærendus est aliquis rei tam absurdæ conveniens, id est, æque absurdus finis, qui huc necessitatis Deum supremum, nos servare volentem, adegerit. Is vero vulgo statuitur, ut Deus infinitus, partim infinito obedientiæ suæ, quam activam vocant, merito, infinitorum hominum inobedientiam plene compensaret; partim etiam infinito mortis suæ pretio Patri nobis irato pro peccatis nostris omnibus, & præteritis, & præsentibus, & futuris plenissime satisfaceret, omniaque penitus debita nostra illi persolveret: imo, si vera sunt, quæ dicunt, longe plus etiam solveret, quam nos deberemus: siquidem vel unam sanguinis Christi, utpote Dei infiniti, guttam pro omnibus totius mundi peccatis satisfacturam fuisse dictitant. Hujusmodi satisfactio, quia à nulla creatura præstari potuerit, fuerit autem ad placandam Dei iram necessaria; ideo ajunt, Deum incarnari oportuisse. Atqui hæc sententia, præterquam quod veram mortis Christi vim, in parienda nobis peccatorum remissione ac salute sempiterna, agnoscere non permittit; ipsum quoque Deum summæ, quam nobis peccatorum præstitit, benignitatis laude privat: imo & jus illi adimit pietatem porro à nobis exigendi; quo ipso & in nobis studium pietatis perimit, & cum pietate salutem eripit. Etenim nec remisit, seu condonavit nobis Deus peccata, si totum id, quod ipsi debebatur, nostro loco ac nomine ab altero ei fuit persolutum; nec Filium, redemptionis nostræ pretium pro nobis ipse impendit, si ipsi est Filii morte solutum. Ubi ergo illud, quod tantopere prædicat Apostolus, nos in Christo habere redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ divinæ? Vide Eph. 1. 7. & inter alia Joh. 3. 16. Rom. 3. 5. & seq. 8. 32. 2 Cor. 5. 18. & seq. Eph. 2. 4. & seq. 1 Joh. 4. 9. & seq. Plenus est sacer, Novi potissimum Testamenti, codex laudibus tantæ Dei erga nos benignitatis, & immensæ charitatis. Quo vero jure Deus à nobis amplius exigere poterit pietatis officium, si Christus omnia abunde præstitit ac compensavit, tum legi pro nobis parendo, tum (qua re jam amplius opus non erat) morte pœnas peccatorum nostrorum omnes cumulate persolvendo? Cui licet ab ipso debitore adhuc aliquid exigere, ei ab alio, debitoris nomine, ac loco, nondum est penitus satisfactum. Is qui pro debitore solvit, jus habet suum ab eo recipiendi, nisi id seipsi donaturum promiserit. Sed id ejus Christus non habebit, si idem est, cum Patre Deus. Si enim ita se res habet, ipsi Christo non minus, quam Patri, erat satisfaciendum; & dum illi satisfecit, sibi quoque satisfecit: si modo quisquam sibi satisfacere potest. Si ideo, quod de suo solvit, non de alieno, ipsius manemus debitores; tantum debemus illi, quantum antea Patri. Versura facta est, æque nobis, nisi benigniorem Patre Filium facias, gravis. Infinitum enim restat, ut antea, debitum, nonnisi æterna morte persolvendum: nec saluti nostræ consultum est magis, quam antea. Sed nemo id facile cogitat; omnes solutum esse libenter credunt; nemo se tantundem debere censet, quantum antea debuerat. Jus ergo Deo & Christo periit, nobis pietatem imperandi, &, si eam præstare nolimus, nos pudiendi. Hoc quanquam per se impium est cogitare; quoque secum statim affert, ut necessitatem pie vivendi tollat. Quodsi autem nobis pie vivere necesse non est; periit pietas. Quis est, qui rem, qua nulla est difficilior, sine necessitate suscipere velit? Si quis enim est, qui pietatem ad salutem non esse necessariam dicat, ac pie interim vivat; seipsum non satis intelligit, ac melius sentit, quam loquitur. Necessitatem enim pie vivendi revera agnoscit, &, si animi sui tacitos sensus melius aut scrutaretur, aut exprimere vellet, etiam profiteretur. Sed notum (proh dolor!) nimis est, quam periculosa, quam inimica, pietati dogmata, quæ hic recensere longum foret super hoc uno, de quo modo locuti sumus, extruantur. Subduc illis hoc fundamentum male positum, opinionem de Altissima Christi Deitate, omnia mox collabi senties.

Obest autem illa de suprema Christi Deitate opinio, non tantum iis ipsis, qui eam tuentur, sed etiam aliis. Etenim eos, qui à Christiana religione adhuc sunt alieni, ab ea amplectenda arcet, & porro salutis iter ingredi non sinit. Cum enim putent, hæc esse ipsius Christianæ religionis capita, & quidem præcipua, quæ esse à Christianis vulgo creduntur, de Deo Trino, de Dei supremi incarnatione, & cætera, quæ ex his aliquomodo pendent; interim tamen partim ratione duce, partim ex Sacris Literis Veteris Fœderis, manifestam eorum falsitatem videant; non possunt non universam religionem Christianam, tanquam falsam atque à Deo minime profectam, aversari. Qui enim vera posset esse ea religio, qui divinitus profecta, cujus dogma aliquod ad eam constituendam omnino pertinens, manifeste falsum esse deprehendatur, & iis scriptis, quæ à Deo sunt profecta, contrarium? Quare neminem adeo & suæ & alienæ salutis incuriosum, ne dicam ei inimicum esse decet, ut quid hac in parte statuat, ac profiteatur, minime curet: nec cuiquam mirum videri debet, nos non dubitasse sententiam vulgo à tot seculis receptam deserere, utut infestis omnium odiis, atque insectationibus, ac perpetuis fortunarum, & ipsius denique vitæ periculis propterea simus expositi. Fructum enim illum, quem inde ad Dei gloriam, ad verum Christi honorem, ad nostram denique & alienam salutem redundare docuimus, longe majorem esse judicamus, quam ut vita fortunæque nostræ, & quicquid

* Pultem labiis, excrementa fasciis, salivam oti & linteis sudaria gestaverit.

quid habemus in rebus humanis carum, in comparationem cum eo venire queat. Unde etiam censemus, eos, qui vitam ob professionem hujus veritatis profundere recusent, & eam agnitam turpiter deserant ac prodant, inter illos esse numerandos; quos Filii hominis, & sermonum ejus pudeat, Luc. 9. 26. & qui nec Dei, Christique gloriam, nec suam salutem, uti par est, ament, omnibusque aliis rebus anteponant. Quibus quid expectandum sit, facile æstimare quivis potest. Quin & illud facile hinc intelligitur, quid de iis sentiendum sit, qui cum adjumenta habeant omnia, & occasionem minime vulgarem, veram, quam nos tuemur, sententiam agnoscendi, eam tamen contemnunt, imo etiam ei contumaciter reluctantur: eos nimirum, una cum cæteris divinæ veritatis contemtoribus, & gloriæ divinæ pietatisque inimicis, pœnas, nisi resipiscant, daturos. Nostrum interim non est, damnare eos, qui ob meram ignorantiam, adversæ sententiæ adhærent, aut forte ob longam erroris consuetudinem, aliaque similia, quæ ei veritatis speciem conciliant, eam deponere admodum difficulter possunt: modo alioqui pietatis sint studiosi, nec dissentientes odio prosequantur. Charitas enim in æquiorem nos partem flectit, ubi manifesta supremi legislatoris ac judicis sententia in sæviorem nos non cogit. Periculosa est sententia adversariorum, & in Deum ac Christum, inque pietatem per se injuria: sed cogitamus, veniam posse dari à benignissimo judice, hinc quidem errori atque ignorantiæ, si abfuerit contumacia & contemtus; illinc pietati, ejus sententiæ absurditatem partim minuenti, partim tegenti; & tanto quidem facilius, quanto minus iidem illi alios ob contrariam verioremque sententiam damnarint. At quæ spes illis, quibus adjumenta ad veritatem cognoscendam non defuerunt; quorum in re tanti momenti manifesta apparuit, vel negligentia, vel pertinacia; quos nihil nisi hominum metus, & crucis Christi fuga, & quæ sunt his similia, à vera sententia arcuerunt? quid illi errori suo, cum ad tremendi judicis tribunal sistentur, prætexent? Neque est, quod quis dicat: Atqui nec vos ipsi creditis, veritatem sententiæ vestræ de Christo esse præcise necessariam ad salutem; vel, ob contrariam sententiam quenquam simpliciter esse damnandum. Nam etsi sententia nostra non sit necessaria præcise iliis, qui veritatem ejus, ob causas jam dictas, cognoscere nequeunt; at necessaria est iis, qui eam cognoscere ac scire non difficulter possunt: & etiamsi ob solam Trinitatis professionem simpliciter neminem damnandum putemus; tamen certum est, damnatum iri multos istius sententiæ professores, ob negligentiam, ob veritatis cognoscendæ contemtum. Deinde esto, quod non sit summe ac simpliciter necessaria sententiæ nostræ veritas: at vidisti modo, quam sit summe utilis, quam grave pondus habeat, quam contra adversa sententia sit noxia ac periculosa. Non tantum autem præcise necessaria ad salutem, sed & summe utilia, quæ ad necessitatem proxime accedunt, tenenda sunt hominibus in religione Christiana. Alioqui potissima pars librorum Canonicorum Sacræ Scripturæ otiosa & inutilis redderetur, frustraque nobis data fuisset. Non decet nos esse minus avidos rerum divinarum, quam sunt Filii hujus seculi avidi rerum terrenarum. Neminem hominum esse videmus, qui contentus sit solo pane & aqua, quæ ad vitam sustentandam sola sufficerent, adeoque sunt per se necessaria: sed quisque dat operam, ut quam plurima etiam alia utilia sibi comparare possit; quia plus non habere, quam illa præcise necessaria, est miseram vitam agere, & qui negligit utilia, facile etiam necessariorum penuria laborare potest. Similiter miserum oportet esse illum Christianum, qui nihil amplius scire cupit, quam quæ simpliciter sunt necessaria ad salutem. Quam multis & gravibus erroribus talem implicari? quam multis adjumentis ad salutem eum destitui necesse est? Ipsa necessaria indigent cognitione multarum rerum utilium, ut sciatur, quænam sint ad salutem necessaria, & quod sola sint necessaria. Ita ut cum sine utilium scientia, necessaria haberi nequeant, ea quæ per se utilia tantum erant, jam etiam fiant necessaria. Tunc autem maxime necessaria redditur illa veritas, quæ in se considerata utilis tantum erat, quando contraria falsitas non modo pro utili, sed etiam pro necessaria veritate ab hominibus perversis aut imperitis venditatur, omnibusque obtruditur. Necessarium enim est, ut falsam sententiam, quæ eo usque dignitatis elata est, ut necessariæ veritatis culmen conscenderit, & ab hominibus tanquam idolum adoratur, de illo fastigio detrudamus, neve patiamur, hominum animos seduci, conscientiisque vim fieri. Nisi enim id fiat, veritas illa, quam Deus aliquo saltem tempore prodesse nobis voluit, in æternum sepeliretur, & nunquam prodesse posset. Est autem necessarium, ut id quod Deus aliquando usui esse voluit, non ita per nostram ignaviam reddatur inutile, quin usum suum aliquo saltem tempore præbere queat. Sed si tantopere est metuenda divini judicii severitas illis, qui vel ex contemtu rerum divinarum, vel ex persecutionis metu, veritatem sententiæ de Christo inquirere aut amplecti negligunt: quid fiet illis, qui alios ob veram sententiam, tam rigide, tam superbe, ut fit à plurimis, damnant, & non modo conviciis insectantur, sed vel extremo supplicio afficiendos, vel saltem in exilium pellendos censent? quod errori suo velum prætendent? *Si non venissem*, inquit Christus, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent peccati sui.* Idem sibi dictum putent, ad quorum manus scripta ea perveniunt, unde sententiam veriorem discere possint. Simul autem illud omnes norint, quanto sententia nostra pietati est magis consentanea, tanto magis illis, qui eam fuerint amplexi, dandam esse operam, ut vitæ sanctitatem cum ea conjungant; certi veritatis cognitionem sine pietate plus ipsis obfuturam, quam profuturam.

Deus ille pacis faxit, ut omnes eodem animo inter se mutuò affecti sint secundum Jesum Christum: ut concorditer uno ore glorificent Patrem Domini nostri Jesu Christi: cui ipsi quoque sit honor in secula. Amen.

FINIS.